DECISIONES

S. ROTAE ROMANAE

CORAM

R. P. D. COSMA DE CURSIIS

FLORENTINO

EJUSDEM S. ROTAE OLIM DECANO

MODO S. R. E. CARDINALI EMERITISSIMO

E TITULO SS. JOANNIS ET PAULI

AC PISIS ARCHIEPISCOPO

ARGUMENTIS, SUMMARIIS ET INDICE LOCUPLETISSIMO EXORNATAE

CURA ET STUDIO

ALEXANDRI ADVOCATI CAVALLINI.

TOMUS SECUNDUS.



ROMAE MDCCCLV.

EX TYPOGRAPHIA CAJETANI CHIASSI

SUPERIORUM PERMISSU.

ALOISIO ANTONIO ROSSI

IN URBE ADVOCATO.

ALEXANDER ADVOCATUS CAVALLINI

S. P. D.

Alterum, quod modo in lucem prodit, S. Romanae Rotae decisionum coram nunc EMINENTISSIMO CARDINALI DE CURSIIS Volumen, ut tibi, Vir optime, inscribam multa me monent. Id enim in primis suadet veteris amicitiae studium, quae ut mihi semper, ob virtutis ingeniique tui praestantiam, honori fuit et dignitati, ita eadem me non modo vehementer delectari, sed etiam, quasi de raro quodam Deorum munere, palam convenit et voce et scriptis gloriari. Movent deinde eximia tua erga me merita, ac praesertim tum illud insigne, quod me adolescentem in forensibus disciplinis instituendum impense adeo ac patienter suscepisti, ut si in re difficillima ingenio minimus nonnihil profeci, id tibi jure meritoque acceptum referre debeam; tum vero hoc omnium maximum, quod cum tot summae virtutis significationes in te quotidie magis elucescerent, praesto fuit vitae morumque exemplar, in quo juvenilis aetas mea respiceret, et ad quod animum cereum adhuc facile applicaret atque adjungeret. Quare, si quam hic meus labor rei forensi utilitatem attulit, mihique ullam honesti otii laudem peperit, totum hoc muneris tui est: ac proinde in varias ipse reprehensiones inciderem, nisi data occasione

PRAENESTINA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Lunae 17 *Februarii* 1823.

ARGUMENTUM

Lex tribuit mulieri actio quasiservinas, ad effectum vendicandi dotem a tertiis possessoribus, qui fundos emerunt dotali vinculo obnoxios. Nec faemina tenetur persequi bona illa, quae implexa sunt, vel super quibus adest concursus creditorum. Et nunquam praesumitur, quod renunciare velit beneficio, quod ex *Authent res quae*, derivat.

SUMMARIUM

1. Sarcta, tectaque servari oportet res judicata, quae nec nullitatis, nec injustitiae vitio laborat.

Qui a creditore dimisso jurium cessionem reportat, iisdem juribus ac ille, adversus debitores originarios pollet - ibidem. -

2. Ea est dotis indoles, ut procul etiam a quavis cessione, legis ministerio, omnia viri jura in eum transferantur, qui dotem solvit.

Creditor hypothecarius, actione quasi Serviana, agit adversus tertios, vel ad crediti solutionem, vel ad praedia dimittenda - ibidem. -

3. Si quistantia fuit emissa sub conditione, conditione non impleta, quistantia irrita evasit, ac vetus creditum firmum manet.

Si dos evicta sit, mulier in integrum restituitur, et ad reposcendam dotem actio ei resurgit.

Una eademque res diverso jure aestimari non debet - ibidem. -

4. Non Conjecturis, et praesumptionibus, sed indubiis monumentis est probandum vinculum fideicommissi.

5. Mulier pro assequenda dote, non tenetur persequi bona implexa, et super quibus creditorum concursus adest.

Privilegio Auth. Res quae, *mulier nunquam renunciasse praesumitur, nisi multa extrema concurrant - ibidem. -*

6. Licet pactum redimendi rei aestimationem imminuat, detractio tamen juxta casuum diversitates, pendet ab arbitrio Judicis.

Extrajudiciales peritiae nullo in calculo haberi possunt - ibidem. -

7. Posteriores emptores, qui priores erga tenentur evictionis obligatione, adversus eosdem non possunt habere regressum.

8. Principis justitia non patitur, ut impertita dicatur derogatio, quae in precibus petita non fuit.

9. Bonorum liberorum subrogatio tanti non est, ut nunquam creditorum hypothecis perniciem afferre possit.

SSmus Princeps nunquam voluisse praesumitur ab juris dispositione recedere - ibidem. -

10. Ante invectam hypothecariam legislationem, nullum discrimen intercedebat inter hypothecam vel a lege, vel a facto hominis inductam.

11. Articulo 51 *Codicis hypothecarii sancitur* - La trascrizione non altera le ipoteche precedentemente iscritte.

DECISIO CXXIX.

Dum anno volvente 1764. nuptiæ inter Petrum Jacobelli, ac Flaviam Cappelli ex Oppido Cave conciliatæ fuerunt, dotem scutorum 1000., quam Pater Nicolaus ipsi, aliisque suis filiabus testamento relinquerat Joseph Flaviæ frater, nec non ejus Mater Birgitta Ferretti, solidali emissa obligatione, intra *quinque* annorum terminum *quincuncibus* interea depactis usuris, in nuptialibus tabulis sponso numerare promiserunt. Sed cum Jacobellius præsenti pecunia, non sponsionibus ad matrimonii onera ferenda indigeret; vix paucis elapsis mensibus, res ita composita fuit, ut Johannes Vagnuzzi Birgittæ consangnineus ea scuta 1000. sub iisdem induciis, iisdemque conditionibus, quæ in dotali instrumento conventa fuerant, in tot locis Montium, quæ distrahere Jacobellius posset, fænori suppeditaret, hac vero adjecta lege, ut pro susceptæ obligationis implemento, præter Jacobellium. ipsi etiam Joseph, et Birgitta sese amplissimis clausulis insolidum obstringerent; onusque insuper susciperet = *di depositare nel termine di anni cinque nel Sacro Monte di Pietà gli Scudi* 1000. *ad effetto di pagarsi al Sig. Vagnuzzi per l' estinzione del suddetto Cambio* » Cum vero per hujus Cambii instrumentum Dotis creditum novatum dici haud potuerit, nec nisi postquam depositum expletum foret, dos soluta videri posset, recte Jacobellius, non pure, sed sub expressa conditione dotem acceptam tulit, scilicet = *adesso per quando sarà depositata dai Signori Brigida, e Giuseppe per l' estinzione del*

suddetto Cambio = Verum Joseph, et Birgitta, susceptæ obligationis obliti, nil minus cogitarunt quam datam fidem servare. Quamobrem cum, ncdum præfinitum deponendæ pecuniæ quinquennium, sed *triginta tres* anni effluxerint, qui nil unquam, vel capitis vel fructuum nomine ad Vagnutium pervenisset, rupta demum patientia, is anno 1797. Jacobellio vadimonium constituit pro cambii capite una simul cum fructibus, qui in ingenti summa scutorum 800. accesserant, assequendo.

Judicio Jacobellius lacessitus molestias statim in Josephum Cappelli convertit. Verum cum cognovisset eum, obrutum ære alieno, usque ab anno 1790. omnia bona sua Creditoribus dimisisse, qui in Curia Capitolina in unum convenerant, rem sibi magis utilem fore duxit, si, ut involutas judicii concursus ambages declinaret, Birgittæ bona, quæ in Instrumento tum dotis, tum Cambii solidalem suam adjecerat obligationem, persequeretur. Erat huic debitor Paschalis Cappelli scutorum *bismille* titulo dotis in vim patris Francisci stipulationis, qui insolidum cum fratre Nicolao, cui Birgitta anno 1731, nupserat, sese obligatione restituendæ dotis devinxerat. Itaque Jacobellius, juribus Birgittæ merito adversus illius debitorem utens, Paschalem Cappellium in jus vocavit, ut ipsum ad ea scuta 1800 sibi repræhesentanda compellerent, votique compos factus est. Duobus enim fractus Sententiis, quarum alteram Judex A. C. Riganti, alteram Appellationis Aula, quæ tum Romæ jusdicebat ediderunt, Paschalis integram debitam summam » *in assegnati* = persolvit, quibus Jacobellius Vagnutii nomen statim dimisit. Sed, si solutionem effugere Paschalis non potuit, indemnitati tamen suæ consuluit, providoque consilio a Jacobellio obtinuit, cessionem » *di tutte, e singole ragioni, e segnatamente quelle di detta Brigida da esso Jacobelli rappresentata, per potersene valere contro il Patrimonio del fù Nicola Cappelli principal Debitore* =.

Hac fretus jurium cessione, duplicisque suffultus hypothecæ præsidio, quod ex dotali jure, tum *Flaviæ*, tum Birgittæ proficiscebatur, Paschalis incunctanter anno 1812 Dominico Trifoglj, Antonio Friderici, et Mario Travagli, quibus longe antea, annis nempe 1799. 1782., et 1783.; Joseph Cappelli aliqua prædia, perpetuo sibi reservato jure redimendi, vendiderat, ex Salviano Interdicto diem dixit cor. A. C. Pelagallo. Diu, multoque certatum est quoad Judicis jurisdictionem. Ne singula persequar, quæ coram Signaturæ Tribunali gesta sunt, scire tantum præstat, Primum Collateralem Judicem Capitolinum, cui bujus Causæ definitio commissa fuit, licet Paschali secundum locum in graduatione creditorum assignaverit, petitam tamen in Salvianum immissionem ei denegare non potuisse, reservato tantum citatorum favore » *jure obtinendi redintegrationem correspondentis summæ in locum instantis.* Hoc judicatum, provocatione interposita, ægre primo ferre visi sunt, quia causa ceciderant. Sed Travaglius, in quem præsertim judicii moles recumbere debebat, quia postremus omnium maximam emerat prædiorum partem, quæ Paschalis persequebatur, mutato consilio, edito acquiescere judicio, amicaque concordia rem omnem componere e re sua censuit, hisce conditionibus, ut scilicet ipse annua scuta 60. persolveret, quousque statutum fuisset, utrum nominis a Paschale papyraceæ moneta Jacobellio saluti reductioni locus esset, Paschalis vero sibi e contra cederet » *translativamente, e non estintivamente tutte le ragioni, ed azioni, che competono al detto Pasquale tanto per diritto proprio, che per diritto acquisito, e per esercitarlo contro il Signor Giuseppe Cappelli, e terzi possessori* = Cum vero deinceps sancitum fuerit sortis caput in vim reductionis ad scuta 523. et obul. 93. cohibendum esse, ea nulla mora interposita Travaglius Paschalis persolvit.

At juribus cessis vel ipse suffultus, quæ anno 1810. in tuto ponere opportuna inscriptione, *tum* adversus Ni-

colaum, *tum* adversus Josephum Cappelli, originarios dotis debitores. cautus fuerat, Bernardinum Mattei, Thomam Traversa, Josephum, et Franciscum fratres Chiacchiararelli, Franciscumque Fuschi, qui omnes anno 1802 ab Josepho Cappolli aliqua prædia emerant, in judicium adduxit, in vim actionis quasi servianæ, expostulans, ut vel sibi scuta 523., et obul. 93. quot ipse Paschali numeraverat, restituerent, vel ut prædia hypothecæ vinculo sibi obstricta sub corona distrahenda dimitterent. Cecidit primo Travaglius ab actione proposita coram Judicibus, qui Tyburis jus reddebant, verum postea mutavit fortuna vices, costanterque, *tum* coram D. Advocato Baffi *tum* coram R. P. D. Zinanni, Judicibus Commissariis, *tum* tertio coram Triumviris A. C. ei arrisit. Orta ex hisce tribus consonis Sententiis Rejudicata, cui parcre ex Signaturæ Rescripto oportuit, non tamen conquievit judicium. Animo enim non despondentes Traversa, Chiacchiararelli, Fuscusque, Mattejus enim, rebuis suis melius consulens, liti valedixit, extremum devolutivi periculum coram Sacro Nostro Ordine facere voluerunt. Sed *quarto* omnes in irritum eorum cessere conatus. Nam Patres hodie per me interrogati sub Dubio » *An constet de Rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* = Responsum illico dederunt = *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

1 Et jure, meritoque. Sartam enim, tectamque servari oportet Rem judicatam, quæ nec nullitatis, nec injustitiæ vitio laborat, quod viam sternat petitæ in integrum restitutioni. Validitas porro adeo in comperto erat, ut neque in discrimen revocarctur. Nulla enim plenior dari potest Resjudicata, quam quæ tribus consonis innititur Sententiis, præsertim vero accedento Signaturæ Rescripto, quod eas exequntioni commiserit. *Justitia* vero illustrior esse nequibat, cum omnia confluerent actionis hypothecariæ extrema, quibus tuto innixus Travaglius debitoris bona penes tertios possessores persequi posset. Solemnes quippe anno 1764 nuptiales exaratæ tabulæ dotem Flaviæ, in Sacra Petri Jacobellii transituræ, ad scuta usque *mille* ab Josepho Cappelli, et a Brigitta Ferretti constitutam fuisse testabantur, qui cam intra quinque annorum spatium quincuncibus interea conventis usuris, numerare polliciti fuerant. Sed cum, nedum ille quinquennii terminus, sed *triginta tres* a die nuptiarum præterfluxcrint anni, quin unquam, vel capitis, vel fructuum nomine quidquam ad Jacobellios conjuges pervenisset, dotale creditum ad ingentem summam scutorum 1800 = elatum in meridiana prorsus luce versabatur, licet postea, ob rerum publicarum vicissitudines, illud, uti ex facti narrationo patet, summa citatorum fortuna scutis vix 523 et ob. 29 extinctum fuerit. Si itaque illud dotis nomen primum Paschalis Cappelli Jacobellio, Paschali deinde Marius Travagli persolvit, amplissima per utrumque reportata a creditore dimisso jurium cessione, nullus superest ambigendi locus, quin eodem credito, quo Jacobellius pollebat adversus originarios dotis debitores, Travaglius etiam potitus fuerit.

Nec minus quavis dubietate vacabat 2
hypothecæ jus, quo dotale creditum ipsum juris ministerium, expressaque conventio communiverat. Nam Flavia, non solum pro dote assequenda, quod non controvertitur, omnia Josephi bona usque ab anno 1764 ex ipsa legum censura sibi devincta habebat, sed in vim obligationis Birgittæ, quæ una simul cum Josepho dotem sibi persolvere promiserat, ejus etiam dotalem hypothecam *tum* tacitam; *tum* expressam usque ab anno 1731 super omnibus Nicolai ejus viri bonis proferre poterat. Cum igitur, quidquid juris Jacobellius, cui dos Flaviæ debebatur, habebat, in Paschalem Cappelli transtulerit, qui deinceps eadem ipsa jura Travaglio cessit; cum Travaglius hanc hypothecam ex nuptialibus tabulis profectam Gallicis obsequutus legibus rite in publico Tabulario inscripserit, evidens fit, magis quam verbis exprimi possit, Travaglii creditum hypothecæ præsidio esse

vallatum. Nam, cum ea sit dotis indoles, ac natura, ut procul etiam a quavis cessione ipso legum Ministerio omnia viri jura in eum transferantur, qui, nulla etiam obligatione devinctus, dotem ei solvit, ut Rota docet *in Perusina Salviani* 5 *Aprilis* 1777 § 12 *cor. Canilliac*, id eo magis in themate obtineat necesse est, cum subingressui legali amplissima accesserit stipulatio, cujus vigore omnia jura, quæ ad Jacobellium pertinebant, in Travaglium migrarunt. Præterea demum, cum nec in dubium revocetur, quin prædia illa, quæ anno 1802. Traversa, Chiacchiararelli, Fucusque, Josepho vendente, coemerant, hypothecæ, in dotalis crediti securitatem, obnoxia fuerint, pluribus opus non erat, ut perspicuum fieret optimo jure Travaglium adversus eos fundorum emptores actionem quasi Servianam experiri, ut ipsos, vel ad crediti solutionem, vel ad prædia dimittenda adigat, ceu apertissime statuit *Text. in leg.* 16 *ff. de pig. et hypot.*

3 Nequidquam vero Traversa, Chiacchiararelli, Fucusque, ut hanc actionem eluderent plura obiiciebant, quibus suaderent nullum hypothecæ præsidium ex cessis dotalibus, vel Flaviæ, vel Birgittæ juribus Travaglium mutuari posse. Cuncta enim nullius momenti, nulliusque ponderis esse merito Patres censuerunt. Contendebant sane ii primo loco minime Travaglio jurium Flaviæ cessionem opitulari posse, quia dotis creditum per instrumentum cambii novatum, atque extinctum fuerit, atque ideo actio hypothecaria ex eo promanans jam una simul cum credito evanuerit. Sed nil proferri poterat inanis. Inspectis siquidem cambii tabulis tantum a vero abest, ut Jacobellius de recedendo ab jure consequendi dotem in iis egerit, quin imo contrarium apertissime deprehenditur. Et sane, quamvis constitutum fuerit, ut confecto deposito, extincta dotis actio maneret, non alias tamen juri, privilegioque dotis Jacobellius valedixit, nisi salutari adjecta conditione scilicet – *quando seguirà il deposito, e respettivo pagamento a favore del Signor Giovanni Vagnuzzi* –. Si itaque Joseph, et Birgitta præstituto tempore depositum explevissent, recte Chiacchiararelli, aliique sese ea exceptione protuerentur, dubiumque nemini foret, quin soluta, et extincta obligatione suscepta a prædictæ dotis debitoribus, corruerint una simul hypothecæ, et pignoris jura, quæ eidem obligationi adhærebant. Verum, cum ii dotis debitores datam fidem minime exsolverint, in dubium revocari nequit, quin conditione deficiente, irrita evaserit, quæ ab illa pendebat quietantia, dotisque idcirco creditum firmum manserit, quale initio erat.

Sed magis inopportuna, extraneaque 4
hujusmodi reddebatur contentio, cum seposita etiam novationis quæstione, eam, quam acceperat Jacobellius a Vagnutio, pecuniam eidem reddere coactus fuerit. Hæc enim in dote jurisprudentia servatur, ut, siquando dos evicta sit, mulier, quodammodo in integrum restituatur, et ad reposcendam dotem actio ei resurgat, ut tradunt *Merlin. de pignor. quæst.* 150 *num.* 42, *et Rota in Interamnen. reintegrationis dotis* 18 *Aprilis* 1777 § 2 *cor. Sentmanat.* Inani igitur studio quavis in hypothesi ex asserta dotalis crediti novatione prædiorum emptores sibi præsidium quæsivissent. Nec vero magis proficiebant, dum susceptæ ab Josepho, et Birgitta obligationi dotem Flaviæ exsolvendi saltem a Paschali Cappellio, vel a Mario Travaglio factum fuisse satis contendebant. Nam, cum quisque eorum, amplissima reportata provido consilio a creditore dimisso jurium cessione, ipsius locum subierit, nil absurdius audiri poterat, quam quod creditum, et hypotheca dotis per eam solutionem evanuerit, sublataque actio Travaglio fuerit bona Josephi, principalis dotis debitoris, persequendi. Reque vera ab justitia, et a recta ratione, quam maxime abhorreret, si quid juris primum in Paschalem Cappelli, deinde in Travaglium duabus rebus judicatis constitutum est, id quoque contra Traversa, Chiacchiararellios, Fuscumque non obtineret. Una enim, eademque res diverso jure æstimari non debet, et par idemque reddatur oportet

judicium in eos, qui in pari causa versantur.

5 Irrito æque conatu Chiacchiararelli, cæterique litis consortes quavis hypothecaria actione ex cessis etiam Birgittæ juribus. Travaglium destitutum esse ad prædia persequenda, quæ ipsi possidebant, insinuare adnitebantur, quia eadem fideicommissi vinculo, a Stephano Seniore instituti, obstricta fuerint, nec subsidiarium remedium *Auth. Res quæ* obtendere ei fas esset, cum non alia deficerent libera bona, quæ prius pro dote assequenda excuti debuissent. Inania hæc enim illico dignoscuntur, dum quibusdam tantum enunciativis innixi, fideicommissum proferebant; cujus præsidio in jure possidendi ea, quæ emerant, prædia sese protuerentur. Non enim conjecturis, non præsumptionibus, sed adeo indubiis monumentis illud vinculum est probandum, ut nullus supersit ambiguitati locus. Cum vero nullum præsto sit inventarium, nullæ afferantur testamentariæ Tabulæ, e quibus datum sit eruere quid, quantum, et quibus sub legibus a Testatore, fideicommisso suppositum fuerit, nulla prorsus oriri potest dubitatio, quin corruerit objecta excussionis exceptio. Sed, quamvis bonorum, de quibus agitur, pertinentia ad fideicommissum admitteretur, res tamen eodem recideret. Nam, cum bonorum pluralitas præsumenda non sit, ut *Rota* docet *in Decis.* 310 *num.* 21 *cor. Bich.*, quævis vero desideretur probatio etiam alia adesse bona, præter ea, quæ fideicommissaria dicuntur, illud necessario concludendum foret, quod omnia bona fideicommisso obnoxia fuerint, et idcirco omnia pariter pro dote consequenda ulla absque distinctione Birgittam sibi obstricta habuisse.

6 At talis quoque verum est venditio, ut, etsi omnia reis conventis donari vellent, ita ut *fideicommissaria*, quæ prædia ipsi possident, *libera* vero, quæ reliquà supersunt, ad libitum eorum censenda sint, hand meliori loco posita exceptio videri posset, cum neutiquam bona, quæ libera dicuntur, pro dotis restitutione excutienda forent, eo quod Creditorum concursui subjacent. Nam nil est in Jure vulgatius quam quod nec mulier, nec ejus hæres, nec quisquam alius, qui ejus juribus potitur, pro assequenda dote bona implexa, et intricata persequi teneatur, eaque præsertim, super quibus Creditorum concursus convocatus fuit, ut millies docuit S. N. Ordo, et præsertim *in Decis.* 1075 *num.* 11 *coram Molines, decis.* 163 *n.* 7 *coram Kauniz, et in Eugubina Cauthelæ Angeli* 7 *Junii* 1771 § 4 *cor. Origo.* Neque plausum meruit replicatio, quod beneficio *Auth. Res. quæ* gaudere non possit Travaglius ex Birgittæ juribus, eo quod mulier ipsa restitutionem dotis urgere neglexerit, dum Joseph adhuc erat solvendo. Jura enim non sinunt, ut tam graviter in mulierem, quæ negligens fuit in petenda suæ dotis restitutione, animadvertatur, ut ejus *Auth.* privilegio privetur, nisi hæc simul concurrant, *quod* nempe ipsa certam, indubiamque scientiam habuerit fideicommissi; *quod* debitoris bona in præceps ire cognoverit; et *quod* doli haud expers de restitutione dotis habili tempore sollicita non fuerit, ut in durioribus terminis statuit *Rota in decis. Farfen., seu Sabinen. Dotis* 26 *Martii* 1751 § 4 *cor. Caprara.* Cum vero nil afferatur in facto, unde argui liceat in Birgitta fideicommissi scientia; cum nulla adsit, vel minima collusionis suspicio; cum demum nullam intercessisse conditionis debitoris mutationem, postquam restitutioni dotis locus factus fuerat, satis superque constet ex eo, quod usque ba anno 1764, patrimonium Josephi oneri dotis Flaviæ Sororis exsolvendæ impar fuerit; profecto inde consequitur, quod neutiquam Birgitta ab jure persequendi fideicommissaria bona cum implexa, et intricata bona libera sint, pro suæ dotis restitutione assequenda ceciderit.

Nec minus, ut reliquæ omnes, futilis erat, atque inepta altera exceptio, licet magno oris hiatu proponeretur, qua Chiacchiararellii, cæterique prædiorum possessores contendebant dolo maro Travaglium ab ipsis exposcere, quod la semetipso quærere deberet, quia ipse, cum emerit a Josepho prædia pacto re- 7

dimendi perpetuo obnoxia, trientem saltem pretii lucratus fuerit, quod satis superque est, ut ejus creditum extinctum dicatur. Nam objecta hujusmodi exceptio, nec in jure, nec in facto consistit. Nemo unquam adhuc hanc jurisprudentiam invexit in forum, quod emptor jus redimendi adversus se ipsum exercere cogatur, ut certum, liquidumque suum creditum cum parte veri bonorum pretii, quam forsan retinuit, ob adjectum redimendi pactum, compenset. Eoque magis quia, licet redimendi pactum, quod servitutem, et vinculum injicit emptori, rei æstimationem imminuere soleat, nemo tamen ignorat, eam detractionem juxta casuum diversitatem adeo incertam esse, ut arbitrio Judicis committatur, nec raro contingere, ut ne locum quidem habeat, veluti monet *Zanch. de Prælat. Cred. Exercit.* 6 *numer.* 105 =. Corruit etiam in facto. Peritia enim, quam ipse Joseph Cappelli coram Judice Capitulino exhibuit, in qua prædia, quæ Travaglio pretio scutorum 1031 divendita sunt, descripta pro valore scutorum 1133 reperiuntur, licet tum Josephi maxime interfuerit, eorum pretium longe extollere, indubiam facit fidem minimum in ea emptione adfuisse Travaglii lucrum, quod impar omnino fuisset ad illius creditum extinguendum. Quin rem valeant mutare quædam mendicatæ peritorum relationes, quibus eorum prædiorum valor quam maxime augetur. Nullo enim eæ haberi poterant in calculo, cum extra judiciales sint, ac haud ad honorum statum respiciant ejus temporis, quo fieri contigit venditio.

8 Verum inane erat in hisce diutius immorari, cum præcidere, et conficere videretur rem omnem solemnis resjudicata, quæ cum sanciverit jus illud redimendi ad creditorum cætum pertinere, insuperabilem Travaglio parat obicem, quominus ei jus redimendi adversus se ipsum experiri liceat, ut suam assequatur indemnitatem. Nec magis pronas invenit Dominorum aures altera, quæ a prædiorum emptoribus subdebatur, objectio, nempe quod, si ipsi ad dissolvendum debitum damnarentur, cum in jura Flaviæ, et Birgitiæ fuerint subingressi, et iisdem dotalibus eorum juribus potiti, easdem pecunias, quas ci persolverent, a Travaglio incunctanter repescere possent, ac ideo inutilis, et omnino non ferendus admitteretur circuitus, quem semper abscindere Sacer Noster Ordo consuevit. Nam Patres animadverterunt Travaglii jura prærogativa temporis, antiquiorique possessione adeo suffulta esse, ut nullo pacto convelli potuerint. Reque vera ab jure devium esset omnino, naturalique prorsus adversaretur rationi, si posteriores emptores, qui Travaglii favore procul dubio evictionis obligatione tenentur, adversus eumdem regressum haberent, ita ut illud etiam sequeretur absurdum actionis nempe, et passionis in eodem subjecto confusio.

Hisce undique perstricti Franciscus Chiacchiarelli, et Franciscus Fuschi hic faciebant obiiciendi finem; sed Thoma Traversa, et Joseph Ciacchiarelli, qui tria rubra cujusdam prædii nuncupati le *Cannetaccie*, auctorante SSmo Principe, ab Josepho Cappelli emerant, ultra progredientes affirmabant, sese totas esse in possessione ejus prædii oportere, quia illud a Creditorum hypothecis immune fecerat SSmus Pontifex, qui, ut pecuniis inde retractis Nonninii creditum dimitteretur, ei alienationi annuerat. Sed, præterquam quod nullas exerere poterat vires illud rescriptum, cujus leges omnes, ob prædii extimationem, edictorum præfixionem, atque Nonninii crediti solutionem neglectam, pessumdatæ fuerunt, illud etiam urget, quod satis superque est ut exceptionem funditus eliminet, nullum extare vestigium jactatæ derogationis, quæ creditorum hypothecis detrimentum inferret. Integro enim precum perlustrato tenore nil aliud ab Josepho Cappelli petitum occurrit, nisi quod ei prædium, haud obstante fideicommissi vinculo, alienare liceret. Derogationem igitur hypothecarum, nec postulavit venditor, nec Princeps indulsit. Cum igitur quæ derogatio petita non est, eam ultra preces impertitam dici, vel argui, nec legum censura, nec Princi- 9

pis justitia patiatur, vanum erat contendere, sublata fuisse creditorum hypothecas, ut Rota docet *in Decis.* 120 *num.* 3 *cor. de Veri Decis.* 328 *num.* 5 *cor. Riminaldo, in Romana, seu Januen. Salviani* 26 *Februarii* 1817 § 20, *et in ejus confirmat.* 6 *Aprilis* 1818 § 14 *cor. Rmo P. D. meo Serlupio Decano.*

10 Quibus ita se habentibus perdita opera prædii possessores arguendum esse dicebant hypothecis derogatum fuisse, quia bonorum liberorum subrogatio præcepta fuerat in locum eorum, quæ fideicommissi vinculo obstricta, distrahi permittebantur. Nam juris est exploratissimi bonorum liberorum subrogationem tanti non esse, ut creditorum juribus perniciem afferat, ut semper docuit S. Noster Ordo, et præsertim *in Decis.* 122 *numer.* 11 *Nuperr.*; *Decis.* 1264 *num.* 4 *cor. Molin.*; *et in Romana, seu Januen. Salviani* 21 *Februarii* 1817 § 22, *cor. Rmo P. D. meo Serlupio Decano.* Nec rectius urgebatur hypotecas antiquiorum creditorum evanuisse, quin ulla opus esset expressa abrogatione, quia taxative in gratiam tantum creditorisNunninii illud prædium alienari posse SSmus Princeps indulserat. Absit vero, recedatque ista oportet injuriosa justitiæ, majestatique Pontificis cavillatio, qui eo ipso quod omnia potest, sibi tamen putat solum licere laudabilia, et nunquam voluisse præsumitur ab juris dispositione recedere, ac anteriores, potioresque creditores debita solutione fraudare, quatenus eorum existentia sibi innotuisset, ut Rota statuit *in Decis.* 291 *numer.* 11 *coram Millino, et decis.* 364 *num.* 2 *cor. Crescent.* Perperam vero, auctoritate Bonfinii seposita, quæ communiter improbatur, ea quæ æquissimo jure S. N. Ordo *in decis.* 114 *nuper. et in Decis.* 412 *cor. Caprara* definivit, injusta interpretatione ad proprium commodum traducere Traversa, Chiacchiararelliusque laborant. Loquuntur nempe eæ Decisiones in casu a nostro penitus alienae, quo scilicet aliquis, prævio Pontificio Rescripto, bona fideicommissaria hypothecæ obnexia fieri permittente, pecunias alteri tradiderit. Hisce quippe in terminis nil mirum, si definitum est ex pretio e fideicommissariis alienatis bonis percepto præcipue illum esse dimittendum, qui nisi eadem bona obstricta sibi fuissent, debitori pecuniam haud credidisset; præsertim vero, cum nulla cæteris creditoribus injuria fieret, qui super fideicommissariis bonis nullo jure, nullaque hypotheca potiebantur.

Re huc perducta vixerat, ut altera, quam excitabunt Chiacchiararellius, Traversaque, controversia diluenda esset, contendentes expressam Nonninii hypothecam longe potiorem esse tacita hypotheca, quam Travaglius ex Flaviæ, vel Brigittæ juribus proferebant; ideoque sese, in jura Creditoris, quem dimiserant, subingressos, a Travaglio e possessione illius prædii deiici non posse. Nam hæc etiam exceptio duabus responsionibus, quæ everti non possunt, omnino prosternitur. Stat in eo *prima* quod, cum Birgitta Camerali obligatione suum dotis creditum muniverit, expressa ejus hypotheca minimo desideratur. Innititur altera juris dispositione, qua docemur nullum ante invectam hypothecariam legislationem intercessisse discrimen inter hypothecam tacitam a Lege, et alteram a facto hominis inductam; quin imo in casibus privilegiatis, uti in dote, legalem hypothecam conventionali præstare est exploratissimum, traditque *Zanchius de Prælat. Cred. Exercit.* 5 *num.* 2.

Nec demum responsione quidem dignum est, quod ultimo loco Chiacchiararellii Fratres obtrudebant, Travaglii hypothecam inutilem evasisse, cum ipsi suam possessionem transcribere solliciti fuerint. Nam expresse in *Art.* 51. Codicis hypothecarii sancitum est = *La trascrizione non altera le ipoteche precedentemente iscritte sull'immobile.* = Cum igitur opportuno tempore anno scilicet 1810. Travaglius in Codices hypothecarios suum nomen retulerit, nemini dubium esse potest, quin ipse sartum tectumque sibi servaverit hypothecæ jus, temporisque prærogativam super universis bonis, quæ in dominio erant Josephi; ideoque nullius esse ei potuerit impedimenti jactata transcriptio, quo- 11

minus ipse bona, jampridem sibi hypothecæ vinculo obstricta, adversus quoscumque possessores persequeretur.

Atque ita in acerrimo partium certamine jus redditum est.

REATINA DIVISIONIS

Veneris 9 *Maii* 1823.

ARGUMENTUM

Quamvis agatur de donatione onerosa, et intuitu certi matrimonii emissa, tamen ubi agitur de minore, donatio sine solemniis perfici non potest. Ob supervenientiam filiorum, ex lege *si unquam Cod. de revocand. donat.*, rescinditur donatio, sive universalis fuerit, sive particularis. Cui legi nunquam praesumitur fuisse renunciatum, nisi expressim id cautum fuerit.

SUMMARIUM

1. *Nemo in communione, vel societate invitus detineri compellitur.*
   Actio communi dividundo competit etiam ei, qui non possidet - ibidem. -
   Familiae erciscundae judicium, universum respicit haereditatem, et nonnisi semel intentari potest - ibidem. -
2. *Donatio a minore facta, absque interventu Notarii, Judicis, et duorum proximiorum, ipso jure non valet.*
3. *Inobservantia Municipalium legum nunquam praesumitur.*
   Tunc impune sperni possunt Statuta, cum illorum inobservantia fuerit contradictorio judicio comprobata - ibidem. -
4. *Tales censendi sunt contractus, quales ab ipsis contrahentibus fuerit nominati.*
   Ut onerosa dicatur donatio, requiritur ut tantum compendii in donantem perveniat, quantum liberalitatem excludat - ibidem. -
5. *Licet donationes intuitu certi ac determinati matrimonii factae, immunes sunt ab qualibet solemnitate, tamen hoc non procedit ubi donatio sit emissa ab minore.*
6. *Si Matrimonium non fuit causa finalis donationis, sed occasionalis tantum, donatio indiget solemnitatibus.*
   Dicitur causam occasionalem tantum fuisse Matrimonium ad donandum, ubi donatio fuit expleta post Matrimonii celebrationem. - ib. -
7. *Amoris, decorisque familiae causae, censentur potius appositae ad colorandam donationem, quam ad constituendam donationem ob causam.*
8. *Ratihabitio non potest sanare actum intrinseca nullitate infectum.*
9. *Ex notissima lege, si unquam Cod. de revoc. donat., si donator post donationem susceperit liberos, quidquid largitus fuerat revertitur in ejus dominium.*
   Praedicta dispositio tamen non obtinet, ubi agatur de donationibus onerosis, et correspectivis - ibidem. -
10. *Ob supervenientiam filiorum, revocantur donationes etiam in piam causam collatae.*
11. *Praesidio legis si unquam, nunquam donans censetur renunciasse, nisi expressim caverit, id in damnum nasciturorum, fieri velle.*
12. *Ut obstet renunciatio legi si unquam, oportet ut pater in sensu affirmativo de filiis futuris cogitaverit.*
13. *Praefata lex, revocat donationes, tam si bona omnia, quam si pars aliqua facultatum fuerit donata.*
14. *Rescissa donatione ex capite legis si unquam, fructus debentur tantum a die motae litis.*

DECISIO CXXX.

Nuptiæ antequam fierent inter Marchionem Marianum Vecchiarelli Reatinum, et lectissimam puellam Mariam Sciamanna, Interamnæ natam, actum primo est Kalendis Maiis anni 1807 de capitulis per privatam syngrapham conficiendis, quibus plurima pacisci de dote, de lucro dotali, de mundo muliebri, et aliis id genus mutua consensione placuit. Sive quod vero prolusionem tantum ea capitula continerent, sive quod etiam voluerint Contrahentes, ut stipulationi Mariani mater, et germanus præcipue frater Valerius accederent, renovata post undecim ferme dies ipsa capitula iisdem pactionibus fuerunt, quin tamen Valerium actui interfuisse, ac proprio charactere novam apocham signasse probetur. Conciliato hoc modo matrimonio, et solutis etiam a sponsæ patre in dotis partem scutis *millibus* per privatam pariter syngrapham, tres post menses confectam, pactiones nonnullas quoad administrationem, et reditus communis patrimonii inter se iniverunt prædicti Marianus, et Valerius germani fretres de Vecchiarelliis. Fervidus enim ætate, atque ingenio Valerius, et anxius præterea mores hominum multorum, et

urbes videre, allici facile potuit, ut usumfructum totius patrimonii, quod ad ipsum pro semisse spectabat, cedere fratri, a quo annuam præstationem reciperet, usque dum Valerius ipse = *non venisse a prendere stato in vista della libertà reciprocamente riservata in questa parte* =.

Sed præter usumfructum Mariano relictum, donavit ei etiam improvidus adolescens = *ad intuito, e contemplazione del matrimonio dal medesimo fissato, e stabilito* = eadem in apocha duo prædia, quæ, tametsi universum non comprehenderent Valerii patrimonium, meliorem nihilominus, et fructuosiorem illius partem conficiebant, nimirum = *la proprietà, e l'usufrutto della Tenuta denominata S. Giorgio, e del Lago di Ripa sottile, con tutte le loro rispettive adiacenze, usi, comodità, pertinenze, ed azioni nella stessa guisa che appartengono alla Famiglia Vecchiarelli* =. Quasi autem hæc satis non essent, nuncium præterea misit Valerius = *a qualunque dritto potesse avere sopra la Prelatura, suoi beni, e rendite, anche nel caso di prender egli la via Ecclesiastica* =; quin tamen nec consanguinei, et proximiores, nec Judex aliquis, et tabellio donationem istam auctoraverint prout requirebant Municipalia Reatis instituta. Publicæ dein ad diem 15 Augusti ejusdem anni 1807 obsignatæ nuptiarum tabulæ fuerunt coram Antistitis Reatini Vicario, eaque occasione Valerius, Procuratore hanc in rem constituto, = *per vieppiù dimostrare il suo attaccamento, ed amorevolezza* = erga fratrem suum Marianum, donationem illam = *della Tenuta di San Giorgio, e del Lago di Ripa sottile* = a quindecim dies ante absque solemniis emissam, ratam habuit, et approbavit. Celebratis hinc in faciem Ecclesiæ nuptiis, haud faustum hæ quidem exitum habuere, cum, distructis utrinque studiis, mutuoque conjugum amore restincto, in diversam domum, diversamque Civitatem Maria secesserit, nec ulla supervenerit proles, nec ea proinde sperari in posterum valeat.

Quæ vero animorum conjunctio numquam viguit inter conjuges, ea sane adfuit semper inter fratres, usque ad annum 1817, per solidum fere decennium ab inita donatione. Placuit hoc tempore Mariano, qui præcedebat ætate, Valerium provocare ad judicium familiæ erciscundæ, cujus fundamenta quodammodo hi jecerant in donationis apocha ad annum 1807 exarata. Actum ideo est de divisione æquis partibus ineunda, ejusque conditiones per aliam apocham diei 6 Novembris ejusdem anni 1817 constitutæ fuerunt, quas inter illud quoque cautum voluit Marianus, ut exempta ab ipsa divisione intelligerentur ea bona, quæ sibi obvenerant ex donatione. Æstimatis tandem totius patrimonii bonis cum suam uterque frater partem accepisset, tum illud quoad præcedentem donationem, nova apocha confecta, disertisque verbis declaravit Valerius = *che colla presente convenzione non si possa intendere di aver dato alla medesima alcun grado di autenticità maggiore di quello, che può averne avuta nei fogli fatti fino a questo punto, nei quali siasi parlato della medesima* =. Vidit post hæc Valerius propediem interituram in Civitate Reatina familiam de Vecchiarelliis, nisi ipse, qui jam ætate maturus evaserat, animum ad nuptias appelleret. In uxorem itaque duxit nobilem, et venustam æque puellam Theodoram Vincentini, a qua cum optimæ spei filiolam recens habuerit, rogare fratrem cœpit, ut sibi redderet donata bona, quæ maximam suarum fortunarum partem constituebant.

In irritum tamen cesserunt urbanitatis officia. Oportuit propterea confugere ad eos Judices, qui de Primis Actionibus jus dicunt Reatis, nec laborare debuit Valerius, ut justitiæ consonam sententiam obtineret. Fretus enim Municipalis Legis sanctioni, domesticum etiam adduxit exemplum cujusdam Vincentii Vecchiarellii, qui irritam nullamque contendens donationem quandam a se erga Bartholomæum fratrem nato majorem emissam intuitu, et occasione matrimonii, quod is erat initurus, ideo vicit in judicio, quia

in minori ætate, et sine solemniis a Reatino Statuto præscriptis, donationem ipsam emiserat, veluti ostendit Sacri Nostri Ordinis Decisio *in Romana seu Reatina Donationis* 28 *Novembris* 1664 *cor. Emerix.* iterum, et tertio confirmata duabus aliis Decisionibus *coram Eodem* in ordine 126 et 153., pront jacent typis impressæ. Reatinum itaque Tribunal, postquam hæc omnia perspecta habuit, protinus judicavit = *che compete all'Istante Marchese Valerio Vecchiarelli la divisione in due parti eguali della Tenuta di S. Giorgio, e del Lago di Ripa sottile* =, ideoque Marianum damnavit ad fructus a motæ litis die restituendos. Provocatione ab hac sententia ad Sacrum Nostrum Tribunal interposita, disputatum primo fuit de Dubii formula. Ea demum a Sacro Ordine constituta = *An sit locus divisioni, et solutioni fructuum, seu potius obstet donatio in casu etc.* = cum definienda modo proponeretur, Patres merito responderunt = *Affirmative in omnibus ad primam partem, et quoad fructus a die motae litis in summa liquidanda; negative ad secundam* =.

1 Cum nemo quidem in communione, et societate invitus detineri compellatur, ut inquit *Imp. in Leg.* 5 *Cod. commun. dividundo*, non est ideo Mariano succensendum, quod voluerit fratrem provocare ad familiam erciscun dam. Sed quoniam ipsa divisio, quantum in cæteris videtur æqualis, et ab ipso Valerio probata, tantum in hoc peccavit, quod deducta ab ea fuerint = *la Tenuta di S. Giorgio, ed il Lago di Ripa sottile* =, atque uni addicta Mariano, licet in æquas partes dividenda, veluti postulabat modo Valerius; necessarium propterea est ut horum quoque bonorum, quæ indivisa adhuc usque manserunt, æqua fiat inter fratres partitio. Quamvis enim judicium *familiæ herciscundæ* semel fiat, et fieri plerumque soleat inter compossessores, cautum tamen Legibus est, ut actio ista competat etiam ei, qui non possidet, ut judicio *communi dividundo* obtinere possit divisionem rerum nondum divisarum. Differt quippe *de communi dividundo* judicium ab altero, quod dicitur *erciscundæ familiæ*, quia hoc universam respicit hæreditatem, ideoque nonnisi semel intentari potest; et aliud e contra ad indivisas res pertinet, et pluries propterea institui valet *ad Text. in Leg.* 1 *ff. Fam. erci sc., Leg. si filia* 20 § 4 *ff. eodem, Cujac. ad tit. fam. ercisc. lib.* 10. *Edit. Mutinen. tom.* 7 *columa.* 532., *Donell. tom.* 6 *Comment. de judic. divis. Cap.* 5., *Brunemann in Comment. ad Pandect. lib.* 10 *tit.* 2 *Leg. si filia num*· 4., *Noodt in Comment. ad Pandect. lib.* 10 *tit.* 2 § *de singulis etc. Vicat Vocab. jur. ver. Communio, Rot. in Tyburtina Redditionis Rationis* 20 *Februarii* 1804 § 4 *cor. de alteriis.*

Nec secus censendum viidetur, quod forte Valerius ex privata scheda diei 2
31 Julii anni 1807 in matrimonii causam, quod jam per tres menses ante fuerat constitutum, Mariano donaverit Latifundium = *di S. Giorgio* =, et Lacum, quem vulgo noncupant = *di Ripa sottile* =. Recte enim animadvertebant Patres, donationem istam formæ, et præscriptionibus adversari Reatini Statuti, ex quo sancitum legitur, ut = *omnes, singulæ donationes, et instrumenta donationum cujuscumque conditionis et tenoris existant, debeant celebrari, et fieri præsente Judice extraordinariorum, vel Judice maleficiorum Communis Reatæ, qui Judices, vel eorum alter dictas donationes audiant, et de ipsis rogari debeant duo Notarii, et factis solemnitatibus omnibus supradictis, Judex suam auctoritatem interponat: quæ donationes fieri debeant in Palatio Communis, si ambo mares extiterint; si vero ambæ fuerint fœminæ, vel altera alicujus ipsarum, Judex teneatur accedere ad aliquam Ecclesiam condecentem, ut fiant omnia supradicta, et si aliter fierent, ipso jure non valeant* =. Sed, præter quod neque tabellionis officium, neque Indicis auctoritatem interposnit Valerius, dum per privatam, et minus solemnem apocham fratri suo donavit, illud etiam advertendum est, quod pariter statuit Reatinum Statutum, nt = *si donans esset minor viginti quinque annorum, in dicta donatione, et celebratione ipsius, servatis*

omnibus supradictis, debeant interesse duo de consanguineis suis usque ad tertium gradum inclusive ex parte patris et matris donantis =. At vero Valerius, quo tempore donationem emisit, vix vigesimum impleverat ætatis suæ annum. Præter ergo Notarium, et Judicem oportebat etiam duos consanguineos vel ex parte patris, vel ex parte matris in consilium adhibere, dum conficiebatur apocha donationis, quæ, cum aliter perfecta fuerit, ipso jure non valet, nec ullum quæri potest ab ea præsidium ad retinendam donatarum rerum possessionem, *Rot. decis.* 67. *N.* 23. *cor. Rezzonico, et in Tudertina Immissionis* 3 *Martii* 1777 § 4 *cor. Mutd.*

3 Commentitium autem erat obiicere, præscriptiones Reatini Statuti, ubi de donationum contractibus loquitur, in desuetudinem abiisse, nec amplius observari solemnia tabellionis et Judicis, ac etiam consanguineorum præsentiam, si donatarii non adhuc vigesimum quintum ætatis annum attigerint. Inobservantia enim Municipalium Legum nunquam præsumitur, nisi evidentes de ea probationes afferantur, ut monet *Constantin. ad Statut. Urb. decis.* 145 *num.* 19 *cor. Emerix. decis.* 123 *num.* 12., *cor. Rezzonico decis.* 101 *num.* 5., *et in Forosempronien. Transactionis et Divisionis* 7 *Martii* 1806 § 5 *cor. Emo Rusconi.* Compertum prætcrea est, Statutarias Reatis leges, non solum a Summis Pontificibus in *specifica*, ut inquiunt, *forma* probatas fuisse, sed perpetuam, et jugem earum observantiam, præcipue in donationum contractibus, agnovisse, et pluries confirmasse Sacrum Tribunal, præsertim *in Reatina Donationis* 10 *Maii* 1773 § 7 *cor. Cornelio, et in confirmatoria* 26 *Aprilis* 1786 § 4 *cor. Origo.* Non deficit demum solemne Reatinorum tabellionum testimonium, qui jurati declarant, perlustratis tabulariis, invenisse = *infinite donazioni fatte per atto publico rogato da due Notari, e coll'interposizione del decreto del Giudice, benchè si trattasse di uomini maggiori di età a forma dello Statuto di Rieti, che così dispone in materia di donazioni* =, atque idem Statutum apud Reatinos in donationibus semper obtinuisse = *fino all'abolizione del medesimo avvenuta colla pubblicazione del Moto proprio di Nostro Signore dei* 6 *Luglio* 1816 =. Quod si etiam ante hoc tempus in Reatinis tabulariis reperiri donatio aliqua posset, quæ hisce solemniis careat; non ideo liceret inferre ad Statuti desuetudinem. Tunc namque adversus Municipales Leges impune potest peccari, cum illarum inobservantia in contradictorio judicio fuerit comprobata, *Gloss. in Cap. Frustr. vers. Sciens ergo distinct.* 8., *Rot. cor. Rezzonico Decis.* 101 *num.* 7 *cor. Olivatio Decis.* 577 *num.* 25., *et in Ravennaten. Spolii, et Reintegrationis* 7 *Julii* 1756 § 8 *cor. cor. Bossio.*

Nec movit Dominos proposita a Mariani defensoribus exceptio, non veram in apocha anni 1807 donationem contineri, sed familiæ pactum, fœdus fraternum, ac conventionem reciprocam celebrasse Valerium, quæ in *innominatum* contractum *do, ut des, facio, ut des, do ut facias*, quodammodo recideret. Postquam enim Latifundium = *di S. Giorgio* = et Lacum = *di Ripa sottile* = discrtis verbis cessit Valerius = *a titolo di donazione irrevocabile inter vivos* =, idemque nomen, ac titulum per Procuratorem confirmavit in publicis nuptialibus tabulis, non est sane ambigendum, quin veram, et simplicem donationem, non contractum æqualem, et correspectivum, in quo solemnia ex Reatino Statuto non desiderabantur, contrahentes inierint. Profecto Juris nostri regulæ suadent, tales censendos esse contractus, quales ab ipsis contrahentibus fuerint nominati, veluti ex recepta *Bartholi* doctrina *in leg. Cotem ferro* §. *Qui maximos fructus ff. de public. et vectigal. num.* 11 *vers. dico* docuit *Card. de Luc. de Emphytheusi disc.* 31 *num.* 7., *Costantin. vot. decis.* 367 *num.* 2., *Rot. decis.* 733 *num.* 5 *cor. Riminaldo.* Cæterum ad inducendam onerosam donationem requiritur, ut tantum compendii, et commodi in donantem perveniat, quantum liberalitatem excludat, ut monet *Rota post Fenzon. ad Statut. Urb. Decis.* 133 §. 4

Quare, et Decis. 1170 *num.* 4. *cor. Seraphin.* Cessabat imo quælibet ratio correspectivitatis ex facto, semelac certum est, adeo gratuitam fuisse donationem a Valerio factam, ut, præter cessionem Latifundii, et Lacus, ac præter nuncium Prælaturæ reditibus ab ipso missum, retulerit etiam Marianus reliquorum bonorum usumfructum, tamdiu sub annuæ præstationis onere retinendum, quamdiu idem Valerius = *non venisse a prendere stata in vista della libertà reciprocamente riservata in questa parte.* =

5 Extranea itaque dignoscebatur alia sanctio Reatini Statuti, in qua cautum, ut quisquis = *est aetatis annorum viginti, vel pluris, intelligatur major, et ætatis perfectæ in qualibet casu* = Locum namque hoc sibi non vindicat in donationibus, in quibus necessario adhibendum est, ex ipsa Municipali Reatina sanctione, Notarii, et Judicis officium, si quis fuerit major: si vero in minori adhuc ætate versetur, quam Statutaria eodem lex usque ad *vigesimum quintum* annum in donationibus considerat, præter tabellionem, et Judicem, vocandi etiam sunt in consilium duo ex consanguineis, et proximioribus. Minus hinc juvit Marianum excipere, rem esse de donatione intuitu certi, et determinati matrimonii facta, quæ valida in jure censetur, tametsi careat Statuti solemniis. Nulla siquidem distinctio fit in Municipali Lege inter donationes *simplices*, et donationes *ob causam matrimonii*, cum in omnibus æque necessariæ sint solemnitates, licet *cujuscumque conditionis, et tenoris* ipsæ donationes *existant*, ut sunt verba Statuti. Propterea recentis etiam memoriæ non desunt exempla, ex quibus constat, adhibitas vere fuisse solemnitates, etiamsi ageretur de donationibus intuitu nuptiarum emissis, quemadmodum iidem Notarii Reatini testabantur. Sed præter hæc, *in jure, et in facto* corruebat objectio. In jure quidem: quia, licet donationes, certi, et determinati matrimonii causa factæ, immunes sint a qualibet solemnitate sive juris communis, sive municipalis, ut docuit sæpissime Sacrum Nostrum Tribunal *decis.* 293 *num.* 5 *coram Benincasa, decis.* 430 *num.* 8 *coram Remboldo, decis.* 397 *n.* 24 *cor. Ansaldo, in Romana seu Spoletana Donationis* 2 *Maii* 1760 § 5 *cor. Cornelia, et in Urbinaten., seu Senogallien. Donationis* 27 *Aprilis* 1789 § 6. *cor. Paracciano*; hæc tamen Sacri Nostri Ordinis Judicata loquuntur in terminis donationis factæ a majore, et idcirco non congruunt donationi a minore emissæ, quæ Statutariæ solemnitates omnino requirit, quamvis donatio sit ob matrimonii causam, et correspectiva, ut optime distinguendo tradit *Adden. ad decis.* 460 *num.* 1 *et seq., et num.* 51 *et seq. part.* 4 *tam.* 2 *Rec., et decis.* 241 *num.* 8 *et* 11 *part.* 7., *coram Emerix. Sen. decis.* 127 *num* 7., *et decis.* 153 *num.* 3. *cor. Eodem.*

In facto pariter deficit objectio, quia 6 dici nequit ob matrimonii causam facta donatio, semelac matrimonium ipsum per solidos tres menses ante jam fuerat = *fissata e stabilita* =, et pars etiam dotis in scutis *millibus* numerata. Donatio igitur causam non dedit matrimonio, quod celebratum, nulla etiam intercedente donatione, fuisset, cum ex famigerato juris adagio non probet, hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, ut post *Gloss. in Leg. Non hoc* 4 *verb. quærendum Cod, Unde legitimi, et unde Cognati* firmant *Paulut. dissert. legal. t.* 1 *dissert.* 22 *art.* 3 *num* 49 *Card. de Luc. de servitut. disc.* 6 *num.* 45; *Rot. in Rec. decis.* 469 *num.* 15 *part.* 19 *tom* 2., *et decis.* 451 *num.* 20 *cor. Ansaldo.* Nemo proinde non intelligit, quod matrimonium non fuit *finalis* donationis causa, sed *accasionalis* tantum, et *impulsiva*, quæ ideo donatio Statutariis solemnibus indigebat, sicuti cæteræ simplices, et *lucrativae* donationes, *Rot. coram Crispo decis.* 32 *num.* 36, *in Romana resolutionis donationis* 9 *Maii* 1791 § 12 *cor. Origo, et in Spoletana Donationis* 16 *Januarii* 1805 § 5 *cor. Rmo Decano.* Tanto autem magis retinendum est, *impulsivam* tantum, et *occasionalem* causam ad donandum præbuisse matrimonium, quo certius apparebat, nec binis, quæ ad diem primam, et duo-

decimam Maji anni 1807 exaratae fuerunt, sponsalium syngraphis subscripsisse Valerium, nec ullum in eis excidisse verbum de futura donatione. Non enim praesumendum videtur, quod silentium servare voluerint contrahentes, si vera matrimonium contrahendi causa donatio fuisset.

7 Neque rectius extollebantur ea verba, ex quibus donationem erga fratrem emisisse dixerat Valerius = *per dare al medesimo una più certa riprova della sua tenerezza ed amore* =. Hæ quippe, et multiplices aliae dictiones, quae in donationis apocha leguntur, *occasionalem* tantum, et *impulsivam*, non autem *finalem* praeseferunt donandi causam, cum ea occasionalis, et impulsiva causa dicatur, quae unum juvat accipientem, et ad ipsius utilitatem unice refertur. Contra vero finalis causa conditionem quodammodo continet, quae in donstione Valerii omnino desideratur, et a cujus eventu pendet ipsius donationis exequutio; ut causam unam ab altera discriminans, docuit *Rota in Romana, seu Urbinaten. Donationis* 15 *Junii* 1804 § 5 *coram Emo Bardaxi.* Nocebat autem Mariano domesticum exemplum, et exorta anno 1664 inter germanos fratres Joannem Vincentium, et Bartholomæum Vecchiarelli controversia de donationis nullitate. In ea pariter quaestione, quae diu coram S. Tribunali fuit discussa, in triumphum adversus fratrem afferebat donatarius Bartholomaeus amoris, et matrimonii causas, quae Joannem Vincentium ad donandum impulerant. At Sacer Ordo sapienter animadvertit, matrimonii causam neque donantem, qui in minori aetate sit constitutus, ab adhibendis solemnitatibus, juxta Reatini Statuti sanctionem, eximere, neque veram eam reapse fuisse, semelac donatarius jam uxorem duxerat ante factam donationem. Quosd caeteras vero amoris decorisque familiae causas, quae in iisdem reperiebantur tabulis, recte etiam animadvertit, quod *censentur potius appositæ ad colorandam donationem, quam ad constituendam donationem ob causam ac proinde donatio remanet pura, in qua solemnitates Statuti omnino requiruntur,* ut inquit tum *prima*, *et tertia* Decis. 190 et 153 *cor. Emerix Sen.*, tum *secunda* praecipue, quae in ordine est *decis.* 127 *n.* 5, *et* 6 *coram Eodem.*

Magis absurdum illud est, quod urgebant Mariani defensores, Valerium ratam habuisse donationem, dum decennio post in judicio familiæ erciscundæ convenit inter fratres = *che tutto vada in perfetta metà, prelevata sempre l'antiparte destinata al Marchese Mariano, e consistente nel Lago, e Tenuta di S. Giorgio costituitagli nel concordato di Famiglia sudetto a contemplazione del suo matrimonio* =. Nihil namque novi eo loci constituerunt Marianus et Valerius, sed illud solummodo narrarunt, quod decennio ante gestum fuerat. Quin imo eo ipso familiæ erciscundæ judicio, quoad præcedentem donationem expressis verbis declaratum fuit = *che colla presente convenzione non si possa intendere di aver dato alla medesima alcun grado di autenticità maggiore di quello può averne avuta nei fogli fatti sino a questo punto, nei quali siasi parlato della medesima* =, Congruit tamen Mariano responsum, quod Sacer Noster Ordo dedit Bartholomæo, qui pariter, dum lis exarserat, Joannis Vincentii donantis ratihabitiunem obiiciebat. Merito siquidem in præfatis Decisionibus animadversum est, quod in qualibet hypothesi ad inducendam ratihabitionem oportebat, ut eædem semper a Reatino Statuto præscriptæ solemnitates accederent, ut ajunt *prima num.* 12, *et secunda num.* 11 *et seq.* Indigebat ergo ratihabitio Notario, et Judice, quemadmodum iisdem personis indiguisset ipsa donatio, cum præsertim post Motum Proprium Sacratissimi Principis anni 1816 ad donationum validitatem necessarium sit, ut publicis Instrumentis contineantur = *Le donazioni irrevocabili tra vivi, o universali, o particolari, che eccèdono il valore di scudi* 500 *Romani, non saranno valide se non saranno fatte per istromento pubblico, ed insinuate nelle solite forme, nè il giuramento, nè il matrimonio, nè altro titolo qualunque*

potrà convalidarle, qualora siano fatte per atto privato, o manchino della insinuazione = (*art.* 126).

9 Quæ cum ita sint, si ob prætermissa Reatini Statuti solemnia prorsus irrita, et nulla ab initio reputari donatio debet, jam Mariani titulus in bonis illis retinendis in non titulum resolvitur, *Card. De Luca de alienat. disc.* 20 *num.* 2, *et* 4. *Rot. in Rec. decis.* 62 *num.* 5 *part.* 14, *cor. Rezzonico dec.* 47 *num.* 13, *et decis.* 79 *num.* 18 *cor. Riminaldo.* Nec melior esset Mariani conditio, etiamsi donatio constitisset, quia donavit Valerius, dum nullos liberos habebat. Si ergo post tresdecim annos matrimonium cum Theodora Vincentini celebravit, et filiam ab ea suscepit, evanuit ipso jure donatio, ex notissima *leg. si unquam* 8. *Cod. de revocan. donat.*, ubi æquissime sancitum est, ut, *si donator postea susceperit liberos, totum, quidquid largitus revertatur, in ejusdem donatoris arbitrio ac ditione mansurum.* Quamvis enim optima illa, ac humanissima Lex de donatione loquatur a patrono in libertum collata, id tamen frequentioris exempli, non peculiaris beneficii gratia Lex adjecit, quæ proinde ex veriori, et receptissima Doctorum sententia trahitur ad omnes cujuscumque generis donationes, dummodo non sint onerosæ, et correspectivæ, *Cujac. in lib.* 8 *Cod. tit. de revocan. donat.* §. 6 *Perez. ibid. num.* 20, *Rot. decis.* 32 *num.* 5 *cor. Crispo, decis.* 282 *num.* 9 *coram Rezzonico.* Naturalis sane pietas, qua majores erga suos ducuntur, nullo modo sinit ut admittatur, quod si liberos ii mente agitassent, rem et substantiam suam in alios conferre voluerint, prout, argumento *Text. in leg. cum avus ff. de condit. et demonstrat.. et leg. Cum acutissimi Cod. de Fideicom.*, docent. *Connan in Comment jur. lib.* 5 *tit.* 10 *num.* 3, *Faber. lib.* 7 *conjectur. cap.* 14, *Rot. dict. decis.* 32 *num.* 1, *et in Verulana Donationis* 29 *Junii* 1741 §. 2 *coram Clemente.*

10 Adeo vero filiorum favor, et parentum erga liberos dilectio in pretio semper apud omnes fuit, ut revocatæ passim reperiantur ipsæ donationes in Piam Causam collatæ, quia Pia Causa loco extranei, concurrentibus filiis, babetur *Fusar. de substit. quæst.* 393 *numer.* 6 *Menoch. de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 189 *num.* 121, *Mantic. de conjectur. ult. volunt. lib.* 4 *tit.* 12 *num.* 2, *Rota in Rec. decis.* 170 *num.* 14 *decis.* 221 *num.* 16 *et* 17 *part.* 14, *et decis.* 92 *num.* 5 *ad* 15 *cor. Herzan.* Tanto minus igitur præsidium quærere poterat Marianus a qualitate donationis in finalem matrimonii causam factæ, quæ, cum naturam correspectivi contractus assumat, Legis *si unquam* censuræ non subest *Rot. in Romana Resolutionis donationis* 9 *Maii* 1791 §. 11 *cor. Origo. in Anconitana, seu Senogallien. Donationis* 8 *Junii* 1792 §. 5 *cor. Paracciano, et in confirmatoria* 10 *Februarii* 1794 §. 4 *cor. Eodem.* Nam, si ex demonstratis, nonnisi impulsiva, et occasionalis causa donationis matrimonium fuit, et impulsivæ itidem, ac occasionales cæteræ causæ fuerunt, apochæ donationis adjectæ; jam illud sequitur, ut simplex lucrativa, et ad exercendam liberalitatem tantum emissa renuncianda sit ipsa donatio, quæ ideo Legis *si unquam* æquitatem recipit, *Rot. in Romana Donotionis super Rejudicata quoad bona libera* 3 *Februarii* 1737 §. 13 *cor. cl. me. Malvasia, in Urbinaten, seu Senogall.en. Donationis* 16 *Januarii* 1805 §. 5 *coram Reverendissimo Decano.*

11 Verum ad eludendam Legis *si unquam* æquitatem proponebatur, nuncium ei misisse donantem. Sed nulla, nec in proemio, nec in dispositiva, nec in clausulari vel exequutiva donationis parte legitur renunciatio Legis hujus censuræ, eaque implicite tantum deducitur ab iis verbis, in quibus cautum fuit, ut annua præstatio, uxorem ducente Valerio, cessaret, salva tamen = *l'antiparte che rilascia al primogenito Signor Mariano* =. At renunciationes quæ stricti alioquin juris sunt, ut vim suam exerant, præsumi certe non debent, sed expressis verbis adjectas in tabulis fuisse requiritur. Quod si expressa etiam in apocha legeretur re-

nunciatio præsidio Legis *si unquam*, nullum ea nihilominus obstaculum præberet, quominus rescindi donatio non debeat. Sunt nonnulli qui putant præfatæ Legi, etsi maxime quis velit, ne nominatim quidem renunciari posse, *Gothofred. in not. cit. leg.* 8, *Alciat. in leg. Pacta Cod. de pactis, Soccin. Sen. in leg. Cum avus col.* 19 *ff de condit. et demonstrat*, Licet vero contraria obtinuerit sententia, adeout pater, qui potest in natorum liberorum detrimentum donare, id etiam in damnum nasciturorum possit, veluti firmat *Tiraquell. in cit. leg.* 8 *in praef. num.* 87 *et seq.*, *Ant. Matthaeus disput. select.* 9 *ad eamdem leg. si umquam thes.* 14, *Voet in Pandect. lib.* 39 *tit.* 5 *num.* 30 *Ossuald. ad Donell. lib.* 14 *cap.* 32 *lit. B*, *Rota cit. decis.* 32 *num.* 12 *et* 13 *coram Crispo*; adhuc tamen neminem latet hanc ipsam expressam renunciationem nunquam per se satis esse, ne revocari possit donatio, nisi præterea constet aut ex litera donationis, aut ex certis argumentis ita donantem de liberis cogitasse, ut, quamvis verisimiliter existimaret, se liberos habiturum, nihilosecius hoc etiam casu sartam, incolumemque donationem servare voluerit.

12 Si donator e converso in ea opinione versabatur, ut putaret nunquam sibi sobolem nascituram, nihil obstat renunciatio Legi *si unquam*, etiamsi expressam contineat liberorum mentionem. Semper enim defuisse censetur certa, et deliberata voluntas renunciandi, ubi quis Legi renunciavit, non quia reapse posthabitos vellet filios, si qui forte adnascerentur, sed quia imo nunquam futurum putavit, ut haberet liberos. Hinc oritur receptissima illa, et omnium Doctorum, et Tribunalium calculo probata distinctio Bartholi *in leg. Titia Seja* 88 § *Imperator num.* 7 *et* 8 *ff de legatis* 1, ut obstet quidem renunciatio, et expressa mentio liberorum, si de his cogitatum appareat *in sensu*, ut dicunt, *affirmativo*: nihil autem obsit, *si negative* dumtaxat de filiis fuerit cogitatum, quia nempe donator, numquam eos a se fore nascituros existimaverit. Cum itaque Valerius adeo de suscipiendis liberis *in affirmativo sensu* non cogitaverit, ut nulla de iis exciderit in apocha mentio, nec ideo voluerit ut, liberis susceptis, nihilominus donatio valeret, locus semper sit resolutioni donationis ex æquitate prædictæ Legis *si unquam*, veluti pluries Sacer Noster Ordo firmavit, *Decis.* 282 *num.* 9 *ad* 44 *coram Rezzonico, in Setina Legati, et Donationis* 12 *Junii* 1780 § 2 *ad* 6 *coram Sentmanat, in dicta Romana Donationis super Rejudicata quoad bona libera* 3 *Februarii* 1786 § 9 *ad* 11 *coram bo. me. Malvasia, et in Urbevetana Donationis* 3 *Junii* 1803 § 10 *cor. De Alteriis*. Cæterum in quolibet dubio, donantem renunciasse æquitati Legis *si umquam* in sensu tantum *negativo* censendum est, ut eadem expendit *Rota dec.* 52 *n.* 5 *cor. Rovarella*.

Nil proderat demum obtrudere rem 13 *minimam* donasse Valerium, dum Latifundium, et Lacum donavit; ideoque emissam ab eo donationem Legis *si unquam* censuram non recipere, cui tantum subsunt donationes *universales*. Quandoquidem adversa fronte pugnat objectum cum diserta litera Legis, quæ donationes, adnatis donanti liberis; revocari jubet, tam si *bona omnia*, quam *si pars aliqua facultatum* fuerit donata. Certant profecto inter se Jurisconsulti, dum inquirunt cujus æstimationis, et quantitatis esse debeat donatio, ut sanctioni Legis *si unquam* obnoxia fiat. Quamvis vero nonnulli *sextam*, nonnulli *quartam*, et aliqui etiam *tertiam* patrimonii partem a prædictæ Legis censura faciant exemptam; conveniunt attamen omnes, relinquendum id esse prudenti Judicis arbitrio, qui, exploratis patrimonii viribus, dijudicare præ sua æquitate et sapientia debet, utrum donator eam, quam donavit, bonorum suorum partem donaturus fuisset, etiamsi de liberis cogitasset. *Gothofred. ad leg. si unquam* § 13, *Connan. Comment. Jur. Civ. lib:* 39 *tit.* 5 *num.* 32, *Zoes Comment. in Cod. lib.* 8 *tit.* 56 *quaest.* 7, *Brunemann. in Cod. lib.* 8 *tit.* 56 *num.* 14, *Harprecht Comment. Instit. lib.* 2 *tit.* 7 *num.* 198, *Polit. de donat. dissert.*

14 *num.* 9. His in jure firmatis, prætetera constabat *in facto* Valerium bona donasse scutis plusquam *decem millibus* æstimata, dum Lacum = *di Ripa sottile* = ac Latifundium = *di S. Giorgio* = fratri suo cessit.

Quod enim spectat ad Latifundium, consentiebant inter se fratres, illius
14 valorem constituendum esse in scutis *quatuor mille biscentum*. Sic etiam in discrimen non revocabatur, scutis *sexdecim millibus* Lacum æstimari. Insimul itaque sumptis duabus hisce summis, quantitatem exhibent argenteorum nummorum *viginti millium biscentum*, quæ in duas æquas partes divisa suam utrique fratri symbolam dant scutorum *decem millium, et centum*. Æstimatis e converso cæteris Valerii bonis, quæ in donatione comprehensa non fuerunt, et Censualibus tabulis exploratum erat, eorum valorem assurgere ad scuta 12407 23; subductis autem oneribus, quibus ex divisionis tabulis, tam æris alieni nomine erga fratrem premitur Valerius, quam annuarum præstationum titulo erga matrem, sororemque tenetur, luculenter apparebat, reliquum ejus patrimonium vix protrahi ad scuta 2878, ideoque quinque fere e sex suorum bonorum partibus eum donasse. Præsumendam propterea non est, tam ingenti patrimonii sui parte filios privare voluisse Valerium, si de illis in donatione exaranda cogitasset. Quantum ergo indubium visum fuit Patribus, ex solemnium defectu, nullam esse donationem, tantum ex æquitate Imperialis Constitutionis, in falsissima etiam hypotbesi, quod ea solemnia vel necessaria haud fuerint, vel etiam intervenerint in Valerii donatione, jure meritoque censuerunt, ad donatorem donata bona revertisse, postquam ei supervenerint filii; eique horum bonorom fructus addixerunt, utpote dominii accessiones, quorum restitutionem Mariano indixerunt a die tantum motæ litis, quia ab eo tempore defuit in ipso bona fides, quæ eorum perceptionem legitimam faceret.

Et ita in acri partium conflictu jus redditum est.

ROMANA APERITIONIS ORIS

QUOAD DECRETUM 30. MAII 1804

Lunae 21 Aprilis 1823.

ARGUMENTUM

Nunquam praesumitur quod Summus Pontifex, damnum ingens irrogare voluerit privatis civium fortunis. Proinde oris Aperitio est concedenda, ubi per Rescriptum Principis, jura quaesita laesa fuerint. Nec censendum est, quod Supremus Imperans, derogare voluerit Regulae *XVIII* cancellariae, nisi id expressim in Rescripto caverit.

SUMMARIUM

1. *Admittenda est oris aperitio adversus Principis Rescriptum, ubi vel de laesione, vel de vitio obreptionis, et subreptionis constat.*

   Et in antecedenti casu, nedum admittuntur invictae probationes, sed etiam indicia, et conjecturae - ibidem. -
2. *De juribus fortunisque civium, non aliter judicandum est, nisi ordine, rituque judiciorum servato.*
3. *Decretum Camerarium, et fisci suffragium, non sanant defectum, qui ex citationis omissione profuit.*
4. *Delendum est Rescriptum, etiamsi Pontificia auctoritate probatum, si in grave emptoris damnum vergat.*
5. *Ubi Princeps, de rebus subditorum disponit, ordinaria potestate utitur, et nunquam censetur, hoc casu, velle juri scripto derogare.*

   Si Princeps nec adhibuit clausulam - De*cretum irritans nec expressim derogavit can*cellariae regulae *- nunquam praesumitur extraordinaria potestate uti voluisse - ibidem. -*
6. *Non solet Summus Pontifex Regulae* XVIII *Cancellariae, de jure quaesito non tollendo, derogare.*

   Nihil clausulae proficiunt, vel argumenta scientiae et voluntatis, ad supplendam derogationis, praedictas regulas, necessitatem - ibid. -
7. *Ad inducendum vitium subreptionis, vel obreptionis, non solum falsi narratio, sed sola reticentia veri, sat est.*
8. *Principi exponi debent nedum facta generalia, sed omnes peculiares contractus circumstantiae.*

DECISIO CXXXI.

Anno 1798 pene labente, dum in fugam actis Neapolitanorum copiis, Galli iterum sub Democratica larva Urbem

Romam occuparunt, gravissima nobilioribus, ditioribusque Familiis tributa, quam cito solvenda, fuerunt imposita. Hoc infortunium, quod cæteros afflixit, percutit æque Virum Principem Carolum Barberini jamdiu nunc e vivis ereptum, qui præsenti pecunia carens, ut suis necessitatibus consuleret, et futuræ direptionis periculum averteret, nonnulla signa marmorea venui subjecit, et anxie quærebat emptorem. Quamvis autem nota res omnibus esset, ex infelici tamen temporum conditione, et inopia pecuniæ, vix adfuit sculptor insignis Eques Vincentius Pacetti, haud dudum fato functus, qui Pinacothecam Viri Principis ingressus quædam ex marmoreis signis venu positis elegit, quæ inter celebre illud dormientis Fauni simulacrum, quod sub Urbano VIII. S. M. Pontifice, dum Ælia arx præmuniebatur fossæque reddebantur altiores, repertum fuisse refert erudite *Tetius in descriptione Ædium Barberin. de Fauno pag.* 181. Quoniam vero, præter Faunum cætera marmorea signa, quæ emebantur, inferioris notæ, et æstimationis erant, ipse propterea Prosper Mallerini Pinacothecæ custos, huic negotio a Barberinio venditore delegatus, pretium postulavit argenteorum nummorum *mille quingentum*, quod dien ad nummos *mille tercentum* ex mutuo contrahentium consensu cohibitum fuit; stante præsertim raritate argenteorum nummorum, quorum quilibet respondebat per id temporis scutatis sex papyracea monetæ, quæ palam, et publice in Foro vigebat,

Inito itaque contractu, solutoque pretio, statim Pacettus instaurando Fauni simulacro manus admovit, quod ex peritorum hominum judicio, licet ab artifice magni nominis Equite Berninio jam antea reparatum, multis adhuc mendis, et vitiis inficiebatur. Post duorum annorum curas adeo noviter opus absumpsit, ut non solum insigniorum sculptorum laudem meruerit, sed admodum quoque auxerit statuæ valorem. Dum tamen sperabat paterfamilias industrius laborum suorum præmium, anno 1804 tertio Kalendas Junii perculsus improviso fuit æconomica tunc temporis Cardinalis Pro-Camerarii jurisdictione, ex qua cogebatur coempta signa marmorea, comminatis pænis, statim Barberinio restituere. At eo demum tendere æconomica jussio visa fuit, ut quasi componi inter Barberinium, et Pacettum res ipsa deberet, et cum vendidisset primus *tresdecim* signa marmorea, pretiumque recepisset argenteorum nummorum *mille tercentum*, non aliud reddere alter teneretur, quam *octo* ex præstantioribus statuis, et accepto pretii restitutionem habere in solis scutis *mille biscentum* præter mercedem reparationum, et præter alia scuta *tercentum quinquaginta*, quasi in fænoris causam traditæ pecuniæ. Utque æconomicis hisce jussibus anctoritatem conciliaret, idem Emus Pro-Camerarius addidit rem omnem sc pandidisse Pontifici, ejusque approbationem retulisse. Attamen Pacettus acriter parere recusavit, ac licet tandem, ad groviores vitandas pænas, quas Vir Eminentissimus minabatur, collum flectere, et legitimam statuarum possessionem dimittere coactus fuerit, noluit nihilominus, ne violentum quodammodo spolium probaret, oblatam pecuniam accipere, quæ idcirco penes nummulariam Vaccari depositi loco mansit.

Sed interim idem Pacettus domesticis pressus angustiis, prout aliorum marmorum, quibus pollebat, sic etiam reliquorum, quæ a Barberino quæsiverat, et sub restitutione non venerant, emptionem venditionem cum Rev. Camera Apostolica celebravit. Notum id toti Urbi, et Barberinio præsertim, qui nihilominus diu siluit, donec demum, post aliud elapsum biennium, quasi antea nesciverit quæ, et quot signa marmorea a Pinacothecæ custode distracta fuissent, novas adversus Pacettum molestias excitavit, ac pleniorem urgens observantiam lati a Cardinali Pro-Camerario Decreti, diem ei dixit coram ejusdem Pro-Camerarii Auditore, ut cæterorum marmorum restitutio fieret. Cum imo, ob initam cum Rev. Camera venditionem, non amplius possideret Pacettus marmorea signa, quæ in

Pinacothecam Piam-Clementinam translata fuerant, petiit ideo coram illo Judice Barberinius, ut eorum pretium sibi solveretur in scutis *mille nongentis octoginta quinque*, quanti nimirum asserebatur, vendita Rev. Cameræ fuisse. Vadimonio autem a Pacetto deserto, non alterum modo Barberinius retulit consonum petitioni decretum, sed ob interjectum quoque sequestrum depositam apud argentarium, pecuniam in scutis *mille quingentum quinquaginta* recuperavit, et pro reliquo pretio jurium reservationem obtinuit. Re, et pretio Pacettus ita destitutus de passa injuria, violentoque propemodum spolio conquestus continuo fuit, quousque tandem, restituta post novam Gallorum invasionem potestate Summi Pontificis, impetravit, ut adversus Virum Principem Franciscum Barberini, defuncti Caroli filium, et hæredem de viribus utriusque Decreti Cardinalis Pro-Camerarii coram Sacro Ordine Nostro, cum clausula aperitionis oris, in appellationis gradu disputaretur. In judicio hinc post patris obitum, adstantibus Josepho Petro Michaele, et Raphaele, germanis fratribus Pacetti, propositæ quod primum Decretum formulæ = *An sit locus aperitioni oris in casu etc.* = ex jure esse putarunt hoc mane Domini, ut responderetur = *Affirmative* =.

1 Venerari quidem oportet Supremi Principis Placita, et sacrilegii instar esset de Principis judicio dubitare, inquit *Imp. in Leg.* 3. *Cod. de crim. sacrileg.*, cui plaudunt *Cap. Si Motu Proprio*, *et Cap. Si nulla de præbendis in* 6; sed admittenda statim est oris aperitio adversus Supremi Principis, ac præsertim Summi Pontificis gratiam, vel Rescriptum, ubi constet alterius jura graviter ex eo possumdata, ac læsa fuisse, aut si vitio obreptionis, et subreptionis infici principale Rescriptum appareat. Præsumendum namque non est, quod Summus Pontifex justitiæ, et æquitatis cultor, et vindex nocere cuiquam voluerit, et largiri gratiam, si germanam rei veritatem scivisset. *Cap. super literi. de Rescript. leg.* 7 *Cod. de precib.*, *Jov. de contract. minor. gloss.* 16 § 7 *num.* 99, *Marchesan. de commiss. aperit. or. part.* 2 § *unic. num.* 2 *Rot. coram Ansaldo dec.* 578 *num.* 23 *in Gerunden. Aperit. Oris* 7 *Maii* 1768 §. 5 *coram Riminaldo*. *et in Romana Aperit. oris* 2 *Decembris* 1776 §. 3. *cor. Origo.* Hæc imo Legum providentia obtinet etiam in casu, quo afferri illico nequeant injustitiæ Rescripti invictæ probationes, sed vehementia tantum indicia, et conjecturæ concurrant, ut monet *Rot. in Romana LL. MM. super Aperitione oris* 4 *Maii* 1759 § 3 *coram Elephantutio in Ferrarien. Aperit. oris* 27. *Aprilis* 1770 § 3 *coram Guerra*, *et in Romana Aperit. oris* 23 *Martii* 1821 §. 7 *cor. R. P. D. meo Pianetti.* Si vero ad tutrinam revocetur primum Decretum œconomicum Cardinalis Pro-Camerarii, cui Pontificia accessit auctoritatas, alterius jura illud læsisse, et obreptionis, subreptionisque vitio laborare, perspectum cuiquam erit.

Ad injustitiam decreti, seu Rescripti quod attinet, non est certo ferendum, et alienum maxime fuit a mente Summi Pontificis ut adversus privatum civem, honestum patrem familias, hominem pacificum, et bonarum artium optime meritum quasi more belli ageretur, et rebus non clandestine subreptis, sed palam, et publice, ac post multas venditoris preces bona fide coemptis, per vim expoliaretur, non prius instituta, prout moris est, adversus emptorem lite, nulloque præmisso libello, sed comminatis imo poenis conjectionis in vincula. Neque enim agere hoc modo licebat, etiamsi labe enormissimæ læsionis inquinaretur emptio venditio, ut perperam clamabant Barberinii defensores. In qualibet namque bene instituta Civitate, et in hac potissimum Urbe nostra sanctissimarum Legum matre, puriorisque Juris magistra, de juribus, fortunisque privatorum civium non aliter judicandum est, nisi juris ordine, rituque judiciorum servato. Non tam scripta hæc Lex est, quam ab ipsa pene natura hominibus insita, ut neminem a sua possessione deijcere permissum sit, nisi antea ci- 2

tationis ope moneatur. *Leg.* 1 *ff. de in jus vocando*; *Ubert de citat. cap.* 13. *num.* 10., *Baron. eod. tract. tam.* 1. *quæst.* 15. *num.* 16. *Lancellott. de Attentatis part.* 2 *cap.* 4 *num.* 32, *et seq.*, *Card. de Luca de Jurepatr. disc.* 60. *num.* 12. *Constantin. vot. decis.* 496. *num.* 6 *Rot. in Rec. decis.* 294. *num.* 11 *part.* 13 *et decis.* 434 *num.* 4 *par.* 18., *et decis.* 619. *numer.* 18. *coram Olivatio.*

3 Si secus vero se res haberet, ac si liceret sub prætextu boni juris rem alienam, legitimeque quæsitam invadere, nihil tam tutum, nihilque tam sanctum; et inviolabile in hominum commercio foret, quod temere contemni non posset. Actum quin imo esset de ordine, ac tranquillitate publica, de Legibus tanta prudentia constitutis, et otiosa Tribunalia, ac Judices supervacui manerent, qui cæteroquin non nisi perpensis controversiæ meritis, seduloque libratis Litigantium juribus, procedere in definiendis quæstionibus debent. Quam ob rem, si in quibuscumque judiciis, et de quacumque re agatur, citatio requiritur, multo magis necessaria ea est, cum de Læsionis judicio quæritur, quod odiosum in jure est; nec aliter, quam per triplices conformes Sententia absolvitur. *Urceol. de Transact. quæst.* 70 *num.* 44 *Card. de Luca de empt. vend. disc.* 44 *num.* 10 *Zarch. de Læsian. part.* 1 *cap.* 2, *Rot. in Recen. part.* 6. *decis.* 86. *num.* 6., *part.* 15 *decis.* 26 *num.* 1 *cor. Caprara decis.* 266. *num.* 4. *coram Lancetta decis.* 378. *num.* 8., *in Spoletana Læsionis* 19 *Junii* 1733 *coram Peralta*, *et in Æsina Immissionis* 26 *Martii* 1756 § 6 *coram Borull.* Nec ad excusandum vim, et spolium, recte reponebatur jura sua apud Cardinalem Pro-Camerarium deduxisse Pacettum, et prodiisse decretum, postquam exquisitum fuerat Advocati Fisci suffragium. Quandoquidem neque servata hoc modo dici posset, omissa citatione, judiciorum forma: neque ulla revera intercessit, vel rei conventi defensio, vel opinio Fiscalis, quia utraque fuisset non solum in publico Rev. Cameræ tabulario, ut fieri de cæteris solet, sed in ipso etiam privato Barberiniæ Gentis Archivio, ad præcavendas querelas, et ad futuram rei memoriam relicta.

Impune autem posthaberi poterat 4
testimonium ipsius Advocati Fisci tunc temporis, modo vita functi, ex quo se reapse super exorta contentione suffragium edidisse profitebatur. Præter enim quod in Hetruria, Fiscali munere destitutus, ipse degebat, dum hoc testimonium emisit, accedit etiam Juris nostri disciplina, quæ non patitur, ut unius testis responsio audiatur, etiamsi præclare Curiæ honore præfulgeat, ut *Juliano Præsidi jussit Imperator Constantinius in leg. Jurisjurandi* 9. *Cod. de Testibus*, quam semper sequuta est *Rot. decis.* 89. *num.* 3. *cor. Emerix Jun. dec.* 327. *num.* 3. *coram Lancetta, decis.* 1340 *num.* 25. *cor. Malines*, *et decis.* 206. *num.* 9. *cor. Herzan.* Cæterum constabat ex facto nullam rei conventi defensionem, nullumque Advocati Fisci suffragium decretum præivisse, semel ac pridie tantum Pacetto scripserat ipse Cardinalis Pro-Camerarius » *che appena ricevuta il presente foglio si rechi nelle sue Camere al Quirinale senza la menama dilaziane*, *avendo cosa interessante a cammunicarle* —. Non hunc profecto loquendi modum adhibuisset in epistolio suo Cardinalis Pro-Camerarius, si res adhuc integra non fuisset, et notionem aliquam, aut ex defensione propria, aut ex Fisci suffragio de futuro decreto Pacettus habuisset. Cum igitur in grave adeo damnum emptoris vergat decretum illud a Pontificia auctoritate probatum, ut naturalem quoque defensionem ei præripuerit, delendum omnino est, veluti ac si numquam extitisset, quia » *rescripta contra jus elicita ab omnibus judicibus refutari* voluit *Imp. Leg.* 7. *Cod. de precib. Imp. offeren.*, *leg.* 6. *Cod. Si contra jus vel utilit. public. Leg.* 1. *Cod. de petit. bon. sublat.* Certius vero despiciendum decretum ipsum visum est, quod ex æquitate Summi Pontificis Pii VI. Sacro Nostro Auditorio delata fuerit hæc causa cum clausula *de aperitione oris*, *et prout de jure*

cognoscenda. Ex hoc enim satis declaravit Pontifex, si rescriptum juri adversaretur, et alteri injuriam attulerit, tamquam alienum a voluntate sua, nullius momenti esse æstimandum, prout in aliis casibus animadvertit *Rota in Cingulana*, *seu Camerinen. 4. Maii* 1792. §. 4. *coram Soderino*, *et in Romana*, *seu Januen. Aperitionis Oris* 15. *Maii* 1820. §. 4. *coram R. P. D. Bussio*.

5 Nec turbari hæc, convellique possunt ex potestate, et Auctoritate Pontificis, quæ supra Jus, et Legem est. Nam jugiter oportet retinere distinctionem, quæ inter *ordinariam* ac *extraordinariam*, seu absolutam Principis Potestatem intercedit. Si potestate ordinaria Princeps utatur, dum de rebus, bonisque subditorum disponit, numquam censetur, cum voluisse juri scripto derogare —, *cum digna vox sit majestate Regnantis legibus alligatum se Principem profiteri*, ut ait *Lex*. 4. *Cod. de Legibus*. Potest e converso, et quandoque solet, si urgeat necessaria causa, et publicum præcipue bonum, uti potestate absoluta, seu extraordinaria, quæ *plenitudo potestatis* appellatur, legemque, ac jus destruit, et casui fortuito, alluvioni scilicet, incendio, fulmini, chasmati, aliisque hujus generis a Jurisperitis æquiparatur. Sed numquam hac plenitudine potestatis, quam Forenses festive loquentes *plenitudinem tempestatis* vocant, usum Principem fuisse existimatur, nisi eum id palam, et expresse dixerit, ut propositam distinctionem illustrans monuit Sacrum Nostrum Tribunal in *Ferrarien. seu Mantuana Evictionis* 11 *Decembris* 1780 § 8 *coram Origo*, *in Confirmatoria* 2 *Aprilis* 1781 §. 7 *coram Eodem*, *et in Romana*, *seu Sabinen. Reintegrationis* 4 *Maii* 1821 §. 12. *coram R. P. D. meo Martinez del Campo*. In quolibet imo dubio cum potestate prorsus ordinaria, numquam absoluta Supremum Principem processisse præsumitur. *Innocent. in Cap. Innotuit. de elect.*, *Card. Tusch Conclus* 670. *num.* 1 *Barbos. claus.* 41 *num.* 5. At vero etiamsi dicas contractum adeo fuisse Læsivum, ut potestate penitus absoluta delendus esset, nulla tamen in eo Decreto, seu Rescripto mentio hujusce Læsionis, et iniquitatis occurrit; nulla excidit vocula, quæ plenitudinem potestatis exprimeret; non clausula *sublata*, nec decretum *irritans* accessit: nulla denique derogatio adfuit notissimæ *Cancellariæ* regulæ de jure quæsito non tollendo.

Quoties porro hæc omnia, et clausulæ istæ potissimum in Rescripto desiderentur, simplicem ordinariam potestatem; legibus jurique subjectam numquam absolutam, Pontificem adhibuisse censuit. *Rota in Nuperrim. tom.* 5 *part.* 2 *decis.* 472 *num.* 21, *coram Ansaldo decis.* 187 *num.* 2, *in Ferrarien. Immissionis* 10. *Junii* 1768. §. 5. *coram De Veri in Bononien. Multiplici* 13 *Junii* 1777 §. 6. *coram Origo*, *et in citata Romana, seu Januen. Aperitionis oris* 15 *Maii* 1820 § 5 *coram R. P. D. Bussio*. Quod si igitur judiciorum ritui non expresse derogavit Summus Pontifex, nec quidquam dixit ex quo argui queat ex plenitudine potestatis eum agere voluisse; jam merito concludi debet, numquam eum probasse tantam abnormitatem, quanta in eo Rescripto continetur. Tanto enim magis ita reputandum est, quo certius in Jure cavetur, non solere Supremos Principes, et Summos præcipue Pontifices ex sanctione Regulæ decimæ octavæ *Cancellariæ* juribus alteri per stipulationem, aut per alium quemcumque titulum quæsitis derogare. *Card. de Luca de Regal. disc.* 4. *num.* 20., *Lotter. de Re Benefic. lib.* 2. *quæst.* 20 *num.* 104, *Kochier. ad Reg. Can. cell. tit. de rogat. Jurispat. in addit. Littar. P.*, *Rigant. eod. tract. reg.* 18. *num.* 1 *et seq.*, *Rot. decis.* 327 *numer.* 14. *cor. Ansaldo dec.* 657. *num.* 6 *coram Olivatio*, *et decis.* 280. *num.* 17. *coram Riminaldo*. Nihil hinc afficiunt tum præsumpta voluntas, et scientia Pontificis ea approbandi, quæ in Rescripto reperiebantur, tum illa verba, quæ in ejusdem Rescripti calce leguntur = *qualunque cosa in contrario non ostante* = Fides namque, quam Pontifices dederunt de quibuscumque rescriptis

Juri contrariis non attendendis = *etiam si Motu Proprio, et certa scientia a Sanctitate Sua emanaverit* =, veluti inquit ipsa Cancellariæ Reg. 18, hoc demum præstat, ut, nisi expressa derogatio facta sit memoratæ regulæ de jure quæsito non tollendo, nihil clausulæ proficiant, nihilque valeant scientiæ, et voluntatis argumenta ad supplendam derogationis necessitatem, quæ cæteroquin verbis luculentissimis indiget. *Fagnan. in Cap. Causam de Rescriptis num.* 35, *Rigant. in Reg.* 18. *Cancell. num.* 3, *Rota coram Pamphil. decis.* 81 *num.* 12 *decis.* 1082 *num.* 6 *coram Seraphino, et in dicta Romana, seu Januen. Aperit. oris* 15 *Maii* 1820 *coram R. P. D. Bussio.*

7 Satis hæc erant, ut aperitio oris adversus rescriptum concederetur, quod jura privati civis graviter læsit. Verum non deficiebant argumenta subreptionis, et obreptionis, quibus Pontifex motus Cardinalis Pro-Camerarii Decretum auctoravit. Scitum sane est, non solum *falsi* narrationem, sed reticentiam quoque *veri*, illarum nempe circumstantiarum, quæ Supremi Imperantis voluntatem determinare potuissent, summo in pretio abendam esse ad aperitionem oris indulgendam, *Rota decis.* 3 *num.* 4 *coram Rovarella, in Veliterna Aperitionis oris* 4 *Maii* 1787 § 5, *coram Resta, et in Romana Aperitionis oris* 21 *Aprilis* 1815 § 18 *coram bon. mem. Piccolomini.* At nulla a Barberinio probatio afferebatur ex qua constaret Summum Pontificem ea omnia, tum extrinseca, tum intrinseca cognovisse, quæ ab approbando Cardinalis Pro-Camerarii Decreto dimovere eum poterant. Ut autem exordiar ab extrinsecis, si dictum Pontifici non fuit, Barberinii querelas de nullitate, et læsione contractus privatas tantum, et clandenstinas fuisse, quin in jus vocaretur Pacettus, et parsre defensionem suam posset si latuit Pontificem ordinarium judiciorum ritum, ac fori regulas, quibus jus suum unicuique tribuitur, ex præcipiti, præproperaque jussione posthabitas, conculcatasque mansisse, si idem Pontifex ignoravit æconomicæ tantum declarationi decreti nomen, et auctoritatem comminatis contra Pacettum poenis, impositam fuisse; nemo unquam denegabit, ex errore, falsaque causa promanasse Pontificiam approbationem, quæ idcirco promptum aperitionis oris remedium expostulat.

Ad intrinseca demum quod pertinet, 8
non evincebatur a Barberinio nota Pontifici ea omnia fuisse, quæ contractus utilitatem vindicabant, et quamcumque ab eo maculam læsionis, et iniquitatis abstergebant, ut probat coæva *Decisio in Romana Restitutionis in integrum quoad Decretum diei* 30. *Maii* 1804 *coram Me.* Scire forte poterat Pontifex tristem ac luctuosam temporum conditionem, quæ pretiosa quælibet monumenta in omnimodam abjectionem conjecerat, Scire etiam poterat periculum, quod imminebat, ut a Gallis sine ullo pretio eadem monumenta diriperetur. Scire tandem poterat raritatem emptorum, pecuniæ inopiam, et discrimen, quod aderat inter argenteam, et papyraceam monetam. Fingatur utique hæc scivisse Pontificem, qui tamen sub dominatu Gallorum ab Urbe aberat; Sed noscere non poterat Pontifex peculiares contractus circumstantias, quas Barberinius occultavit. Non enim ipse retulit Pontifici pretium in argentea pecunia, quæ sexies excedebat papyraceæ monetæ valorem, numerasse Pacettum, licet papyracea moneta in commercio tunc esset. Non egregias ostendit instaurationes a Pacetto aere proprio in Fauni simulacro post contractum factas, quæ summopere auxerant marmoris æstimationem. Non docuit Pontificem pretii quantitatem ab ipso Barberinii mandatario fuisse consitutam: Non dixit neminem alium, præter Pacettum, ad emendum accessisse, licet palam, et publice res tota acta esset. Non exposuit pecuniæ defectum, ex quo solvere intributionem nequibat. Non preces denique proposuit, quibus Pacettum ad contractum emptionis venditionis allexit. Quare, si hæc omnia, quæ satis certe fuissent, ut ab approbando æconomico decreto Pontifex abstineret, Bar-

berinius omnino reticuit, adeo gravi subreptionis labe tantæque injustitiæ nota rescriptum inficitur, ut aperitio oris denegari non valeat.

Et ita, utraqne Parte jura sua deducente, responsum est.

ROMANA APERITONIS ORIS

QUOAD

REMIUDICATAM R. P. D. FERRARI

ANNI 1806.

Veneris 25 *Aprilis* 1822.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. Ubi in Rescripto Principis, recurrunt eadem vitia, quae in altero Rescripto reperta sunt, Aperitio oris, ob paritatem rationis, cancedi debet.

Pontifex nunquam edere solet Rescripta, quae laedant jurn tertii, nisi id ei fuerit pravn insinuatione suggestum - ibidem. -

DECISIO CXXXII.

Quamquam aliud Decretum a Præsule Ferrari latum, quod impropriæ Reijudicalæ vires nactum fuit, et reliquarum statuarum, quæ apud Pacettum remanserant, Barberinio faciendum jussit restitutionem, nulla peculiari Sanctione. Summus Pontifex Pius VII auctorasset: cum tamen, velnti consectarium alteri, quod pronunciavit Emus Pro-Camerarius, implicite probatum fuisset; præter alias quæstiones expendendum erat, an ab eo etiam Decreto oris aperitio competeret. Propositæ autem a Me Dubii formulæ = *An sit locus aperitioni Oris in casu etc.* = vadimonium Barberinio deserente, Responsum Patres Domini præbuerunt = *Affirmative* =.

1 Semel ac enim, ut probatum est in alia Decisione super Aperitione Oris, quoad prius Decretum in præteritis Comitiis edita, Summus Pontifex, Cardinalis Pro-Camerarii jussionem probando, graviter læsit jura Pacetto quæsita, consequens omnino erat, ut adversus hoc secundum Decretum, quod in pleniorem prioris observantiam latum fuit, et iisdem vitiis peccabat, oris aperitio concederetur. Nam, si nulla læsionis labe inficiebatur emptionis venditionis contractus inter Barberinium, et Pacettum initus, quemadmodum Cardinalis Pro-Camerarius, emptore prorsus indefenso, et invita justitia, resolutionem ipsius contractus indixit, ita etiam pari injustitia Præsul Ferrari Marmorea signa in primo Decreto, aut per errorem, aut alia quacumque de Causa non comprehensa Barberinio restitui mandavit. Cæterum praesumi non debet, Summos Pontifices jura alteri ex legitimis, et oneroris contractribus quaesita tollere velle, et ideo patienter sustinent = *si non fuerit factum, quod prava, eis fuerit insinuatione suggestum* = ut sunt verba *Cap. Si quando* 5 *de Rescriptis.*

Et ita etc. Altera tantum etc.

ROMANA ASSECURATIONIS

SUPER PRIMO DUBIO

Mercurii 26 *Februarii* 1823.

ARGUMENTUM

Si quis Omnia sua bona obligaverit, non ob id jus oritur ad iscribendam hypothecam. Et aliud est cautio vitiosa, aliud cautio minus idonea. Priori casu potest cogi debitor ad iterum satisdandum, minime vero in secundo.

SUMMARIUM

1. In bonae fidei judiciis, si antequam venerit dies solutionis deterior fiat debitoris conditio, arbitrio judicis prospici debet creditoris indemnitati.

2. Cautio ut dicatur idonea, suapte indole exigit vel fidejussores, vel pignora.

Ex nuda et simplici promissione, vel generali bonorum obligatione, non oritur jus ad obtinendam hypothecam - ibidem. -

3. *Ex cautione vitiosa debitor ad satisdandum iterum cogitur, at cautionem minus idoneam, creditor probare tenetur, postquam eam admisit.*
4. *Tunc satisdare debitor tenetur, si cautio sit praestanda vel jussu Praetoris, vel in vim specialis pacti.*

   Nulla lex jubet, ut a conductore, et emptore, locatori, et venditori satisdetur - ibidem. -
5. *Ex generali bonorum obligatione, personalis tantum actio creditori tribuitur.*
6. *Possessores Immobilium nunquam satisdare cogebantur, et nonnisi juratoria cautio ab iis exigebatur.*

   Nefas est ulterius ampliare, quam fuerit in stipulatione conventum - ibidem. -
7. *In quolibet dubia pactio obscura interpretari debet contra locatorem.*
8. *Juris ignorantia, praeter faeminas, et minores, neminem excusat.*

   Incivilis est juris ignorantiae exceptio, ubi quis Jurisperitorum consilia sciscitatus fuerit - ibidem. -
9. *Juris ignorantia prodesse potest ad damnum vitandum, quod nondum obvenit.*

   Qui certat de jure amisso, perinde habetur ac si de lucro acquirendo certaret - ibid. -
10. *Animalia sunt res mobiles, quae nullam recipiunt ex novis legibus hypothecam,*

DECISIO CXXIII.

Provocavit Joseph Vitelli ab ea Sententia Juridici Collegii A. C., qua rejecta ejusdem petitio fuerat, ut Aloysio Gentili, quocum anno 1818 inierat ad duodecim annos Amplissimi Ostiensis Latifundii locationem conductionem, adjecta venditione Armenti, et instrumentorum fundi ibi existentium, pro pretio in exitu locationis rependendo, certa dies præfiniretur ad idoneum fidejussorem præstandum pro illius pretii assecuratione, vel ad libera prædia exhibenda, quæ inscriptioni hypothecæ subjici possent. Delata dein controversia ad Sacrum Ordinem Nostrum, anceps primum bæsit judicium, quod propterea ampliatum fuit ad *quintum*, *et Sextum*. Instaurato tamen certamine in Comitiis diei 14 Junii superioris anni, formulæ Dubii, quod concipiebatur his verbis = *An sit locus assecurationi in casu etc.* = respondendum Patres *negativo* rescripto censuerunt, veluti ex consultissima Decisione constat ab R. P. D. Meo Tiberio in vulgus edita, quæ rerum gestarum historiam accurate enarrat. Demandata hinc fuit Causæ expeditio, cui successit Sententia Rotalis, a qua devolutivam tantum in gradu restitutionis in integrum Appellationem Vitellio tribuit Signaturæ Justitiæ Tribunal, quæ nihil ei profuit. Commissa enim mihi Causa, ac universa Aula suffragium ferente, prout fieri in devolutivis judiciis novissima jubent praxeos Instituta, cum Patres de more rogaverim = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* = Responsum retuli = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =.

Albus quippe calculus adjiciendus 1
omnino erat Rotali Sententiæ, quæ valida, et justa comperiebatur. Cum autem nulla quoad validitatem quæstio moveretur, totum ad justitiam redibat examen. At denuo Patribus visum fuit, actionem a Vitellio instructam, neque ex *ministerio juris*, neque ex *stipulatu* prorsus oriri. Non quidem ex juris Ministerio, quia, licet in bonæ fidei judiciis, antequam dies venerit solutionis, arbitrio Judicis remissum sit indictis cautionibus prospiciendi, ne detrimentum Creditori inferatur; hoc tamen arbitrium ab justa aliqua, et rationabili causa pendere debet, si debitoris nempe conditio deterior interea fiat ad *Text. in leg.* 41 *ff de judiciis*, *Leg.* 38 *ff pro socio*, *Voet in Pandect. Lib.* 2 *tit.* 8 *num.* 3 *Card. de Luca de credito disc.* 114 *num.* 7 *Hering. de fidejuss. cap.* 5 *num.* 50. Sed procul ab ulla jactura adeo opulentum in præsens est in ædibus, in Vineis, in bovillo ac bubalino Armento Gentilii Patrimonium, ut *octuaginta* ferme *millia* scutorum attingat. Tenetur et ipse quidem nonnullis creditorum nominibus, ac hypothecis super ipsius bonis inscriptis. Verum hæc nomina, aut existebant ipso tempore contractæ cum Vitellio locationis conductionis, aut partim dimissa ostendebantur. Ipsum imo æs alienum; atque ipsæ fœnebres acceptæ pecuniæ non in aliam causam cesserunt, quam in bubalini gre-

gis augmentum. Nulla ergo actio Vitellio erat ex juris ministerio petendi ut empta a Gentilio Animalia redderentur, nisi intra certam diem, vel fidejussorem idoneum, vel exempta ab omni onere prædia exhiberet, hypothecæ subjicienda, vel aliquam saltem a Judicibus decernendam super bubalino armento providentiam adimpleret.

2 Supererat expendendum, num actionem; quæ non profluebat *ex jure*, experiri Vitellio liceret *ex pacto*. Semelac tamen hoc unice legebatur in Apocha locationis, ut nimirum = *per sicurezza di detto Capitale, oltre l'obbligo generale di tutti i Beni*, *rimanga specialmente obbligato il Procojo di tutte le sue Bufale in numero di milletrentacinque circa, esistenti tanto in detta Tenuta, che in quella dell'Isola Sacra, promettendo di non amoverle, e di conservarle in detti Locali* =, facile dignoscebatur, neque *idoneam* cautionem spopondisse Gentilium, neque eam conveuisse Vitellium. Cautio sane, quam *idoneam* dicunt, suapte indole exigit fidejussores, aut pignora, ut ipse loquitur *Textus in leg.* 4 § *Addici ff de Fideicomm. libert.* E contra vero quicumque vult fidejussorem, aut pignus pacisci, de iis diserte cavere debet, cum alioquin = *nisi vel generaliter de satisdatione, vel de fidejussione specialiter sit notatum, cautionis nomine nudam promissionem significari* = statuat *Imp. in Leg.* 3 *Cod. de verb. signif.*, cui plaudunt *Calvin. Lexic. Juris Verb. Cautio vers. Atque ita demum*; *Vicat. Vocab. jur. eod. verb. Cautio*, *Perez in Pandect. Lib.* 3 *tit.* 8 *in princip.*, *Hellinger ad Donell. Lib.* 23 *Cap.* 9 *num.* 4 *not.* 5. Licet autem generalis obligatio bonorum, ante novissimas Leges de hypothecis, secumferret hypothecam, veluti pluries tradidit Sacrum Nostrum Tribunal, et præsertim in *Romana, seu Januen. Salviani* 26 *Februarii* 1817 § 3 *coram Rmo P. D. Meo Serlupio Decano, et in Confirmatoria* 6 *Aprilis* 1818 § 2 *coram Eodem*: inspectis tamen iisdem novissimis Legibus, ex quibus dirimenda est controversia, ex nuda, et simplici promissione, vel generali bonorum obligatione, non oritur hypotheca, quæ in publicis tabulis possit inscribi.

Neque ex eo, quod generalis bonorum obligatio jus hypothecæ in publicis Codicibus inscribendæ Creditori non tribuat, ideo recte inferebat Vitellius, cautionem *inutilem et vitiosam* dedisse Gentilium. Distinguenda hic jugiter erat cautio vitiosa, et inutilis a cautione minus *idonea*. Vitiosa cautio tunc dicitur, cum alienam rem, vel Sacram vel publicam debitor obligaverit, aut eum dederit fidejussorem, cui desit fidejubendi facultas, veluti sunt milites, mulieres, filii familias, qui exceptione Senatus Consulti Vellejani, et Macedoniani uti possunt *Auth. Si qua Mulier Cod. ad S. C. Vellejanum Leg.* 8 § 1 *ff Qui satisd. cogantur*, *Novella* 123 *Cap.* 6 § 1. Cautio e converso minus idonea tunc intelligitur, cum eum debitor fidejussorem exhibuerit, qui, licet fidejubere possit, non est tamen solvendo: Aut si ea bona obligaverit, quorum æstimatio debitum non æquet. At quantum ex cautione vitiosa debitor non liberatur, qui imo ad satisdandum iterum cogitur; tantum cautionem minus idoneam probare, postquam eam admiserit, tenetur creditor, cum sibi debeat imputare, si talem receperit cautionem, quam poterat ab initio repudiare: nec aliunde paupertas, aut opulentia fidejussoris vel augeat, vel minuat, vel mutet contrahendi potestatem *Leg. Satisdationis* 61 *ff de verb. oblig. Leg. Qui satisdare* 3 *ff de fidejuss. Voet. in Pandect. Lib.* 2 *tit.* 8 *num.* 3 *et Lib.* 46 *tit.* 1 *num.* 2 *Brunemann. ad Leg.* 3 *ff de Fidejuss. num.* 1 *et sequ.* 3

Inane itaque studium eorum videbatur, qui Vitellii Causam orabant, dum ad censuram *Leg. Quoties et Leg. De die ff Qui satisdar. cogantur*, et ad alia juris loca confugiebat, ubi statuitur, ad satisdandum denuo cogendum eum esse, qui vitiose cavit, aut idoneum fidejussorem non præbuit. Casus quippe illarum legum de satisdatione loquuntur, quæ jussu Prætoris sit præstanda, vel pacto fuerit in 4

stipulatum deducta, et sentiunt earumdem Legum Interpretes et Glossographi. Sed neutrum rei nostræ convenit, cum nullam idoneam cautionem promiserit Gentilius, nec ad illam præstandam a judice fuerit adactus. Non alio enim pacto tenetur ipse Gentilius, quam generali bonorum obligatione, in qua idonea cautio juxta novissimas hypothecarias leges non continetur. Etenim nulla Lex jubet, ut a conductore, et emptore locatori, et venditori satisdetur: nulla lex vetat, alterum in alterius fidei conquiescere. Non levis autem momenti est, quod Gentilius spopondit se non amoturum a Latifundiis animalia, ubi pabulantur, ut magis esset locatoris indemnitati consultum. Potuisset namque Gentilius, si pactio non obstaret, in alios agros bubalinum armentum traducere, qui pactioni viderentur opportuniores, veluti arguit superioris Instantiæ *Decisio* § 2.

5 Est utique verum, recipi a Vitellio non posse pretium divenditi gregis bubalini, nisi locatione conductione finita. Ut ut autem = *per sicurezza del detto Capitale*, *e frutti* = consulendum sibi censuerit ex sæpius recensita pactione, non recte tamen objiciebatur, inutilem evasuram indemnitatem, si conjungi cum hypothecæ inscriptione nequeat. Redit enim responsio, quod jugiter retento discrimine inter vetus, et novum jus hypothecarium, clare patebat, nullam legitimam hypothecam in codicibus inscribendam, aut promisisse Gentilium, aut voluisse in hoc negocio Vitellium, quoties *generalem* tantum hypothecam contraxerunt, et ex generali hypotheca nullam inscriptionem competere, diserte cautum sit = *nel Regolamento del sistema ipotecario Art.* 37 =. Quamquam non inutilis omnino videbatur interposita generalis bonorum obligatio, ex qua tum *personalis* actio creditori tribuitur, tum jus debitoris bona persequendi, eaque subhastationi subjiciendi. *Rot. Decis.* 357 *num.* 7 *coram Olivatio.* Nec oppido ratio deerat, cur Vitellius, præter generalem bonorum obligationem, nil aliud exposceret a Gentilio, qui rei Agrariæ negotiator bene nummatus, in pecore multum, ac in urbanis rusticisque prædiis se possidere probabat, ex quibus auctum, non diminutum ejus patrimonium apparebat.

Sed non unum demum est cavendi genus, nec semper fidejussores, aut pignora requiruntur pro satisdatione. Non raro etiam pro varia personarum, rerumque conditione, nudæ tantum promissionis cautio sufficit, § 2 *Inst. de Satisd.* Possessores imo rerum immobilium nunquam satisdare cogebantur et nonnisi juratoria cautio exigi ab eis solebat *ex leg. Sciendum* 15 *ff. qui satisd. cogantur*, quam lato enucleat *Voet. in Pandect. Lib.* 2 *tit.* 8 *n.* 4. Devium ergo non est a juris disciplina, ut nulla idonea cautio ab emptore, et conductore præbeatur. Si itaque Vitellius de nuda promissione contentus majorem securitatem a Gentilio non requisivit, non ei certe licet plus oneris in alterum imponere, quam quod hic in contractu sponte susceperit, ut expendit *dicta Decisio* § 4. Nihil enim magis antiquum in jure est, quam initas obligationes ultra pacta conventa non progredi, neque fas esse eas ulterius ampliare, quam fuerit in stipulatione conventum. *Leg. Quidquid adstringend. ff. de verb. oblig.*, *Bruneman. in Pandect. ad dict. Leg. n.* 3 *Salgad. Labyr. Credit. part.* 1 *Cap.* 31 *num.* 24, *Rot. in Nepesina Dotis, et fructuum super nullitate Exequutionis* 2 *Maii* 1777 § 9 *coram Litta, in Perusina Salviani* 6 *Maii* 1791 § *fin. coram Soderino, in Perusina, seu Senen. Nullitatis Contractus super liberatione a molestiis quoad reservata* 3 *Junii* 1791 § 3 *coram Eodem, et in Eugubina Reductionis* 17 *Junii* 1805 § 11 *coram Piccolomini.* 6

Eoque magis hæc omnia locum sibi vindicabant, quo certius erat, in quolibet dubio pactionem obscuram interpretari debere contra locatorem, qui sibi debet imputare si voluntatem suam melius non explicavit *Cap. Contra de Reg. Jur.*; *Leg. Veteribus* 40 *ff. de pactis, Card. de Luca de Tutor. disc.* 6 *num.* 7, *Gratian. Discept. forens.* 38 *n.* 7, *Rot. in Rec. decis.* 154 *n.* 45 *part.* 8 7

Decis. 773 *num.* 4 *coram Riminald. et in Anconitana Pecuniaria* 5 *Iunii* 1820 § 8 *coram Me.* Si quæ autem dubietas occurrebat qnoad interpositæ pactionis intelligentiam, eam quidem sustulit ipse Vitellius, dum diem Gentilio dixit apud Triumviros A. C., ut ad publicas de contractu, qui in privata adhuc Syngrapha continebatur, exarandas Instrumenti tabulas cogeretur. Tam longe abfuit ea occasione Vitellius ab ulla satisdatione fidejussoria, vel pignoratitia, atque ab ulla idonea cautione petenda, ut eædem ipsæ pactiones quæ Apocham informabant, iisdem verbis fuerint in Instrumentum relatæ. Quo luculentius vero est Vitellii factum, et quo magis evidens ab eo constat ejusdem propositum nullam idoneam cautionem a Gentilio petendi; tanto minus æqui bonique ratio nunc patitur, ut resilire a propria agnitione, eamque impugnaro permissum ei sit. *Leg. Hujus edict.* 1 *in princip. ff. de pactis.*

8 Posthabendam denuo putarunt Patres erroris, et ignorantiæ exceptionem, quam admodum efferebant, qui a Vitellii partibus erant, dum eum ignorasse proponebant, ex generali bonorum obligationo jus inscribendæ hypothecæ non oriri. Non enim hic agitur de ignorantia facti, cujus conditio, cum plerumque prudentissimos quoque fallat, ut scribit *Neratius in Leg. In omni* 2 *ff. de jur. et fact. ignorantia*; ideo nocere nemini potest *Leg. Error facti* 7 *Cod, de jur., et facti ignor.*, *Leg. Regula est ff. eod. tit.* Res imo est de juris ignorantia, quod cum omnes callere debeant, neminem, præter foeminas, et minores, excusat *Leg.* 12 *Cod. eod. tit.* Accedit etiam de publici Edictis, et Constitutionibus Sacratissimi Principis hic agi, quarum ignorantia multo minus prodesse debet, *ad Text. in* § *Sancimus igitur*, *et seq. Authen. ut fact. nov. Constit.* Paria siquidem sunt scire, vel scire debere ad *Tex. in Leg. Regula* 6 § *Si facti ff. de jur., et facti ignorantia, Leg. Quod te* 5 *ff. si cert. pet. Gratian. discept. forens Cap.* 194 *num.* 1 *Rot. Decis.* 645 *n.* 24 *coram Dunozzett Jun.*, *et Decis.* 115 *num.* 8 *coram Ansaldo.* Qui autem ignorantiæ causam allegabat, Vitellius quidem non erat unus ex iis, quibus propter sexus imbecillitatem, ætatem, rusticitatem juris ignorantia condonatur; sed diligens in rebus suis, et multis, gravissimisque negociis implicitus, in Urbe Roma versatur, ubi Jurisconsulturum copia adest, quos consulere poterat, et reapse in hoc contractu consuluisse non denegabat. Incivilis quippe est ignorantiæ juris exceptio, ubi quis Jurisperitorum consilia sciscitari poterat, vel sciscitatus certe fuerit *ad Text. in Leg. Juris ignorantiam Cod. qui admit. ad bon. poss. Card. de Luca de Usur. disc.* 12 *num.* 32, *Rot. Decis.* 1090 *coram Lancetta, et Dec.* 16 *num.* 19 *cor. Rovarella.*

Quin obsit famigerata Papiniani doctrina *in Leg. Error.* 8 *ff. de jur. et fact. ignor.*, quo loci statuitur, juris errorem tunc demum prodesse, cum, non agitur de lucro captando, sed de damno amittendæ rei suæ vitando. 9
Nullum quidem patrimonii detrimentum passus fuit Vitellius, semelac eam idoneam hypothecam sibi stipulari non curavit, de qua liberum erat contrahentibus convenire, vel non convenire, eaque omissa, salvum semper manere poterat rei venditæ pretium. Attamen, quod ad Papiniani regulam pertinet, retinenda jugiter erat Jurisprudentibus satis nota distinctio, juris nempe ignorantiam prodesse posse ad damnum vitandum, quod nondum obvenit, seu ad proprii juris conservationem, non autem ad id recuperandum cujus jacturam jam aliquis fecerit. Nam qui certat de jure amisso, perinde habetur, ac si de lucro acquirendo certaret, ut adductis Interpretum auctoritatibus optime statuit præterita *Decis. cor. R. P. D. meo Tiberio* §. 5. Etiamsi itaque quid damni passum Vitellium fuisse dici posset, quod cæteroquin nullo modo constabat, juvare eum nihilominus nequiret ea juris providentia, quoniam non is agit de retinendo, sed de recuperando, quod amisit dum de idonea cautione pacisci poterat et id neglexit. Inutiliter namque ignorantia proponitur, ubi tam ex Apocha, quam

ex subsequuto dein Instrumento, post jam latam a Tribunali Collegiali A. C. in hac Causa Sententiam, in rem Judicatam transactam, noluisse Vitellium idoneam cautionem convenire manifestum fit. In singulis contractibus liberum est, vel plus vel minius pacisci, At quod initio convenit, id servari oportet, quia ita legem dedit ipse contractus. *Leg.* 7 §. *Quin. imo ff. de pactis, Leg. in Conventionibus* 25 *ff. de verb. significat. Leg. Contractus* 23 *ff. de Reg' Jur.*

10 Neque demum audiendæ erant Vitelii conquestiones; dum inquiebat alienam rem obligasse Gentilium, cum se non deducturum a Latifundiis animalia promisit, quæ, habita de nondum soluto pretio fide, emerat, reservatoque venditori animalium dominio. Reservatio namque dominii, si de rebus soli ageretur, non contractus resolutionem secumferret, sed specialem tantum hypothecam, a Venditore cæteroquin inscribendam, ut super ipsa re vendita inter alios creditores emptoris prælationem obtineat. *Gratian. Discept. foren. cap.* 730 *num.* 1 *Card. de Luc. de Credit. Disc.* 6 *num.* 7. *Rot. cor. Ratto Decis.* 1 *num.* 21 *in Anconitana Cellulæ Theatralis* 10 *Maii* 1776 §. 9, *et* 21 *Januarii* 1777 §. 7 *coram Sentmanat; et in Confirmatoria* 23 *Junii ejusdem anni* §. 16 *cor. Riminaldo.* At non agitur de rebus soli, sed de re mobili, ut sunt animalia, quæ nullam recipiunt ex novis Legibus hypothecam. Vix igitur rem tradidit venditor, omne statim dominium amittit, illudque transfert in emptorem, quacumque reservatione, et quibuscumque clausulis utatur. Nec parvi pendendum videbatur venditoris hæredum testimonium, quo nuncium miserant reservationi dominii, nec unquam hoc nomine molestias Gentilio se fore illaturos spondebant. Neque ergo alienam rem, sed suam Gentilius obligavit, neque ex ea minus tuta dici poterat Vitellii conditio.

Et ita, me quoque cum Universa Aula suffragium ferente, resolutum fuit. Utraque etc.

ROMANA ASSECURATIONIS

SUPER SECUNDO DUBIO

Mercurii 26 Februarii 1823.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. Non plus oneris imponendum est conductori, quam quod ipse in stipulatione suscepit.

Locatori, ob pacta non adimpleta, nulla actio alia suppetit, quam persequendi bona in re conducta existentia - ibidem. -

DECISIO CXXXIV.

Rejectus adversa Sententia Joseph Vitelli, qua Judices A. C. excluserant institutam ab eo actionem, ut Aloysius Gentili ad idoneam præstandam cautionem teneretur pro securitate pretii ei venditi Armenti, instrumentorumque Ostiensis Latifundii, quemadmodum enarrat altera contemporanea mea Decisio *super primo Dubio*; in jus vocavit Gentilium ipsum apud eosdem Triumviros A. C., et publicum celebrari de contractu Instrumentum postulavit, qui in privata tantum Apocha continebatur. Stipulatis autem tabulis, in quibus ad unguem conventæ in Apocha pactiones relatæ fuerunt, in eadem fere Causa iterum petiit a Tribunali A. C., ut vel prædia libera Gentilius exhiberet, hypothecæ subjicienda, vel Animalium capita describere, eisque inurere stygma liceret, quod Vitelli nomen, et dominium estenderet. Adversam sortem expertus, appellavit ad Sacrum Nostrum Tribunal, coram quo primum indecisa, ob distracta suffragia, mansit controversia. Cum proposita deinde Patribus fuerit eadem Dubii formula = *An sit locus indicationi bonorum, et inscriptioni hypothecariæ, nec non descriptioni, et designationi animalium, ita ut sint relaxanda Mandata in casu etc.* = *negativo* Responso fuit dirempta, veluti

patet ex Decisione ad diem 14 Junii superioris anni publici juris facta ab R. P. D. meo Tiberio, quam subsequuta est Sententia Rotalis. Provocante tamen Vitellio, ac commissa mihi Causa in devolutivo periculo, quæsivi hodie mane ab universa Aula = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* et Dubio, quod proponebatur, Rescripto Ipsa respondit = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =.

1 Mutatis qnippe verbis eamdem ludere fabulam Vitellius videbatur, quam agebat in altera Causa. Ideo quoad prædiorum indicationem, quæ hypothecæ obnoxia fierent, iisdem argumentis Patres Domini putarunt eam esse explodendam, quæ in coæva mea Decisione latius explicavi. Non enim cautionem nlla idoneam promisit Gentilius, nec quid tale in locationis conductionis contractu, ac Animalium venditione Vitellius ab eo requisivit, qui non alia de re sollicitus fuit, nisi de generali bonorum obligatione, ac de sponsione Gentilii, qua se non deducturum pro securitate locatoris, et venditoris a Latifundiis Animalia convenit. At si hæc tanti non sunt, ut Vitellio liceat publicis in tabulis hypothecam inscribere, non propterea plus oneris imponendum est Conductori, quam quod ipse in stipulatione susceperit. Satis esse debet Vitellio, quod prohibitum Gentilio sit, ea animalia a Latifundiis amovere, quæ non emit a Vitellio, sed quæ possidet uti propria. Quod autem spectat ad Stygma bubalis inurendum, quod proprietatem indicat, extraneum prorsus erat, cum animalia ad Gentilium pertineant, non ad Vitellium *Leg. Si quis ædes ff. de servit. Urban. præd. Leg. Qnidquid ff. Commun. præd. Leg. Uti frui ff. si usufruct. petat.* Est quidem Bubalinum armentum pro securitate locatoris obligatnm. Hæc tamen obligatio non aliam tribuit actionem locatori, nisi persequendi, si conductor a pactorum fide desciscat, ipsum armentum, juris ordine servato. Interea nulla suberat causa cur alterius dominii nota gregi bubalorum apponenda esset, quod, nec ferebat natura contractus, nec ullum amotionis, aut jacturæ periculum requirebat.

Atque ita VV. OO. DD., ac me quoque suffragante etc. Utraqne etc.

ROMANA CENSUS

QUOAD SCUTA 541: 87 ½.

Veneris 9 Maii 1823.

ARGUMENTUM

Transactio vim obtinet Re-judicatae. Ubi agitur de re dubia, ac de lite incerti eventus, justa adest transigendi causa. Vero, ut transactum dicatur, oportet ut hinc inde aliquid sit remissum.

SUMMARIUM

1. *Ubi deficit hypotheca, deficit etiam jus tertium vexandi possessorem.*
2. *Cessionarius, non aliam actionem exercere potest, quam quae cedenti competebat.*
   Solutione ejus quod debetur, omnis tollitur obligatio - ibidem. -
3. *Error, et fraus nunquam praesumuntur.*
   Nil magis humanae fidei congruit, quam ea quae placuerunt, religiose custodiri - ibid. -
4. *Transactia vim obtinet Reijudicatae.*
   Incertus litis eventus, justam semper praebuit transigendi causam - ibidem. -
5. *Pro transactionis aequalitate, requiritur, ut aliquid hinc inde remittatur.*
6. *Cavendum semper est, ne Res-judicata, directe, vel indirecte et oblique rescindatur.*

DECISIO CXXXV.

Institutam adversus Jacobum Originali coram Democraticis Judicibus anno 1798 controversiam de pretii supplemento, quod in extinctione Census scutorum *quatuormillium quingentum*, in nummariis, ac æstimatione post aliquot dies imminutis tesseris inita, defuisse propugnabat Alexander Fortunatus Conti, nunc e vivis ereptus, amica sustulit Transactio, cujus ope ex majori summa, quam ipsius supplementi nomine petebat, scuta *triamillia septingenta* in totidem Argenteis nummis tes-

serarum valori respondentibus Contius accepit. Sed litem ex concordia consepultam idem excitavit Alexander, qui coram defuncto Præsule Valle majorem fuisse tesserarum æstimationem Transactionis tempore contendens, infectam læsionis vitio Transactionem ipsam traduxit, novumque pretii supplementum coram eo Judice postulavit, qui tunc precario sedebat in Subselliis A. C. Rejectus contrario Decreto, quod in Remjudicatam, ob non interpositam opportuno tempore provocationem, transiit, tandem a San. Mem. Pontifice Pio VII. obtinuit, ut omnis, quæstio Sacro Nostro Auditorio definienda committeretur, *præviis duabus Decisionibus*, totaque Aula suffragium ferente.

Geminæ ideo concinnatæ fuerunt Dubiorum formulæ, quarum prima ad restitutionem in integrum spectabat adversus Remjudicatam Præsulis Valle, altera vero de objecta concordiæ læsione quærebat. Adversam tamen in utraque quæstione fortunam expertus fuit Alexander, quemadmodum binæ demonstrant in Comitiis diei 5. Maii anni 1809. editæ Decisiones coram bona mem. Piccolomini, deinde confirmatæ duabus aliis Decisionibus, quas publici R. P. D. Gamberinus tunc noster Collega, ac dein excepere Sententiæ Rotales. At Catharina Malvisi, defuncti Alexandri Vidua, postquam vidit inutiliter læsionis querelam a Viro suo fuisse propositam statim insurrexit, ac sub novæ actionis colore, quæ eadem cæteroquin est, in discrimen adducere tentavit Rotales Sententias, ac reliquum obtenti supplementi pretium in scutis 541, 87. ½ postulavit, quod, ex Transactione remissum, retinuit Originalius. Re tamen ex Decreto Signaturæ Justitiæ Auditoris, ob continentiam cum cæteris jam definitis quæstionibus *tamquam in prima* ad Sacrum Nostrum Ordinem delata, disputatum fuit Dubium = *An sit locus solutioni scutorum* 541. 87. ½ *ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.*, *cui omnes Domini* Malvasia perperam judicii comperendinationem implorante, responderunt = *Pro informante* =; scilicet = *Negative* = quemadmodum ostendit Decisio, quam ad diem *sextam* Decembris superioris anni idem R. P. D. Gamberinus evulgavit. Facta postmodum Malvisiæ facultate jura iterum sua deducendi, mihique, prælaudato R. P. D. Gamberini nunc a Secretis S. Congregationis Concilii, subrogato commissa Causa, cum hodie universam Aulam sub assueta Dubii formula rogaverim = *An sit standum vel recedendum a decisis* = vadimonio a Malvasia deserto, responsum retuli = *In Decisis*.

Nam rursus animadversum rectissime fuit, nullum jus ad petitum pretii supplementum assequendum habere Malvisiam, tam si ex propria persona, quam si ex sui Viri juribus agit. At vero, si nullam Originalius directam obligationem, ut non ambigebatur, cum Malvisia contraxit, non aliter in odioso hoc judicio Tertium onerosum, ac bonæ fidei Possessorem ex propria persona eadem Malvisia persequi potest, quam si creditum proferat, et hypothecam. Etiamsi autem dotale aliquod, aut quodcumque aliud creditum adversus hæreditatem Viri Malvisiam experiri concedatur; nulla tamen pollet hypotheca, quia non solum Censuale nomen, de quo Transactionem stipulari placuit, ad vetus Familiæ Contiæ fideicommissum pertinebat, sed etiam quia hypothecæ inscriptionem impune Malvisia prætermisit, dum ex Legibus oportebat, ut eam in publicas hypothecarum tabulas referret. Si itaque ei deficit hypotheca, deficit etiam jus tertium vexandi possessorem, qui debitoris bona acquisivit, veluti in re simili statuit Sacrum Nostrum Tribunal *in Auximana Dotis, et Lucri* 13. *Martii* 1820 §. 5. *cor. R. P. D. meo Martinez del Campo*; *in Romana Graduatonis* 21. *Aprilis ejusdem Anni* §. 9. *cor. Emo Odescalchi, et in praeterita Causæ Decisione*, quæ confirmatur §. 2. Superest hinc expendendum, an agere valeat Malvisia ex juribus viri sui creditoris Originalii. 1

Hac profecto in re moveri quæstio nequit, quin nihil amplius Malvisiæ li- 2

ceat, quam Alexandro, cujus personam gerit, antea licuisset, quemadmodum adamussim Cessionarius, aut quisquis alius jura dimissi creditoris assequatur, non aliam actionem exercere potest, quam eam tantum, quam Cedens ipse, et Creditor dimissus exercere potuisset *Leg. Nemo plus* 58. *ff. de Reg. jur. leg. Traditio* 20 *ff. de acquir. rer. dom. Rot. in Rec. decis.* 229. *num.* 6. *part.* 18. *et decis.* 50. *num.* 16. *coram Ansaldo.* Ut igitur frustra Alexander supplementum illud scutorum 541. 87½ condicere ab Originalio tentasset, ita incassum ipsius Vidua hujus summæ solutionem urgere compertum est. Quominus tamen ad rependendam supplementi nomine aliquam pecuniæ vim Originalius adigatur, quam maxime obstat acceptilatio Anno 1799. ab Alexandro emissa, quæ omnimodam continet erga Originalium debiti liberationem ex causa, tam capitis, quam fructuum Census, de quo agitur. Nihil namque magis in jure exploratum, et in Foro receptum est, quam quod solutione ejus, quod debetur, omnis tollatur, et perempta maneat obligatio *Leg. Stichum* §. *naturalis, et leg. penult. ff. de solut. leg. Nulla Cod. eadem tit.* §. 1. *Instit. quib. mod. toll. obligat. Rot. in Rec. decis.* 409. *num.* 12. *part.* 9. *tom.* 2. *Rot. cor. Falconer. tit. de Miscellan. decis.* 61 *num.* 8, *et decis.* 145. *n.* 5. *cor. Riminaldo.*

3 Nec erat, cur objiceretur, vel errore ductum, vel fraude deceptum acceptilationi Alexandrum subscripsisse. Error enim, et fraus nunquam præsumuntur, sed invictis undique in quacumque materia probationibus indigent ex *arg. leg. Errare Cod. de Testam. Angel. de confess. lib.* 3. *quaest.* 20 *numer.* 35. *Rot. coram Rojas decis.* 312. *numer.* 12. *decis.* 641. *numer.* 1. *coram Merlino. et decis.* 329. *numer.* 16. *coram Bichio.* Sed extranea erat a thémate quæcumque vel erroris vel fraudis exceptio, semelac recte novit Alexander non solum supplementi vim pro quo actionem coram Democratico Tribunali instruxerat, et consonam votis Sententiam obtinuerat, sed novit quoque retentionem, quam Originalio tribuit; nec ideo prosequendam in appellationis gradu Causam curavit, ut integrum pretium, quod defuerat in extinctione Census assequeretur. Hæc omnia sane invictissime probant, nec errore ductum, nec fraude deceptum Contium fuisse. Si itaque sciens, et prudens, ac re, de qua agebatur, plene cognita, acceptilationem illam emisit, = *in estinzione così concordata della sorte principale del Censo contratta una volta in maggior somma* =, ac præterea declaravit = *di aver quietata il detto Originali per la divisata somma* =, nulla porro ratio subest, cur hodie servandum non sit quidquid de re propria Contrahentes statuerint, cum alioquin = *nihil magis humanæ fidei congruat, quam ea quae placuerunt, religiose custodiri* = *ut ait Imp. in leg. Non minorem* 20. *Cod. de Transact.*

Cæterum non temere, non sine consilio, aut liberalitate aliqua motus condonavit Alexander eam summam, quam hodie repetit ejus Vidua, sed ex vi, et auctoritate Transactionis. At criminosum videtur ea istaurari, quæ olim fuerunt ex Transactione finita. *Leg. Transactione Cod. ead. tit.* Transactio siquidem vim obtinet Reijudicatæ, nec aliter corruere potest, quam si per completissimam Remjudicatam irrita fiat ut, allatis auctoritatum exemplis, optime probat superior Causæ *Dec.* §. 3. Donec igitur Malvasia non obtineat, ut, Reijudicatæ ope, nulla, atque irrita declaretur ipsa Transactio, perperam semper ea vindicat, quæ ex Transactione remissa utrinque fuerunt. Sed inutiliter evertere Transactionem illam Malvasia tentaret, quam Alexander, ex cujus juribus agere posset, jugi silentio servavit, quousque fuit in humanis, nec unquam de retentione ista, communi placito conventa, querelam proposuit, licet acrem controversiam de læsione Transactionis ex pecuniæ qualitate sustinuisset. His omnibus tamen, quæ maximi momenti sunt, accedit etiam justitia Transactionis, quæ compertissima est. Dum enim ex una parte remisit Alexander illa scuta 541 4

87¼, quorum solutionem, supplementi titulo, Malvisia urget, parte ex altera nuncium misit Originalius prosecutioni judicii, et depactam pecuniarum quantitatem illico persolvit. Re hoc modo composita, non modicum retulit Alexander ipse compendium, statim ac dubium effugit litis eventum, qui justam semper præbuit transigendi causam. *Leg. Cum te Cod. de Transact.*

5 Evenire namque poterat, ut ex Sententia Judicum Appellationis vires suas iterum acquireret Censuale nomen, quod non ex censura celebris Pianæ Constitutionis, non cogente Jacobo, sed Alexandro unice flagitante, dimissum fuerat. Quamvis autem eamdem sortem Jacobus coram Appellationis Tribunali passus fuisset, quam coram primarum Actionum Judicibus expertus fuerat, multa tamen adhuc manebant sumptuum onera, et litium ambages, quibus passim ad remorandas solutiones uti morosos debitores experientia novimus. Haec omnia pericula antevertit Alexander inita concordia, ac pecuniæ quantitatem, concordia ipsa conventam, incunctanter accepit in argentea moneta, tesserarum, quæ tunc adhuc in commercio reperiebantur, æstimationi respondente. Quod si jurgando diutius cunctari Jacobo placuisset, in illud oppido discrimen adduci poterat Alexander, ut accepto habere tesseras teneretur ex publica civium opinione magis vilescentes, quam antea, Transactionis tempore, fuissent. His serio perpensis recte uterque Transigens aliquid de suo jure donavit, quia pro Transactionis æqualitate requiritur, ut aliquid hinc inde remittatur, veluti ad juris tramites expendit superior Causæ *Decisio* §. 4. Quin imo injustum nemini non videretur si Jacobus, dum provocationis beneficio valedicebat, nihil lucri facere quoad debiti solutionem potuisset.

6 Nec prætereundum denique erat, Malvisiæ nocere Remjudicatam, cujus vires acquisivit latum a Præsule Valle Decretum; quominus institutam actionem utiliter exercere valeat. Definivit enim ea Resjudicata nullum Alexandro competere pretii supplementum pro omnimoda Census extinctione, nec ei propterea licere ullum creditum ex hoc titulo adversus Jacobum experiri. At vero si probaretur pretii supplementum, quod modo Malvisia postulat, illud sane contingeret, ut eadem Resjudicata indirecte læsa maneret, cum e contra cavendum maxime sit, ne obiter, et oblique Resjudicatæ rescindantur. *Rot. coram Molines decis.* 814 *numer.* 3. *coram Lancetta decis.* 96 *numer.* 12. *coram Falconer. de Invent. decis.* 21. *num.* 11. *coram Riminaldo decis.* 219. *numer.* 7. et præterita Causæ *Decis.* §. 5. Multo magis autem occorrendum huic periculo est, postquam Sacrum Nostrum Tribunal ipsam Remjudicatam Præsulis Valle confirmavit, omnemque rejecit objectæ læsionis querelam, veluti latius ostendunt superius laudatæ Decisiones, quas publici juris tam bo. me. Piccolomini, tum R.P.D. Gamberinus fecerunt. Si nullo igitur jure pretii supplementum a Jacobo condicendi potiebatur Alexander, jam plane descendit, eodem jure Malvisiam destitui, quæ Alexandrum repræsentat.

Et ita, in cæteris relatione habita ad superiorem Decisionem quæ confirmatur, ac Universa Aula suffragium ferente, jus redditum est altera tantum etc.

ROMANA EMPHYTEUSIS

SUPER

RETENTIONE RATAE COMMODI

ARGUMENTUM

Ubi contrahentes, per pactum expressum, caverint, quod canon foret immune a quovis vectigali imposito, et in posterum imponendo, non fit locus ratae commodi retentioni.

SUMMARIUM

1. *Ratae commodi non est locus, si expressum pactum adest, quod canon sit immune ab impositis, et in posterum imponendis vectigalibus.*
2. *Motus proprius anni 1801, abrogatis veteribus*

vectigalibus, novum indixit dativas realis onus.

3. *Specialis Congregatio Cardinalium a Summo Pontifice constituta fuit, ad derimendas controversia orituras in praefata lege.*

4. *Emphyteutae, et Livellarii, ex jure civli tenentur ad onus omnium vectigalium.*

Onus dativae realis subrogatum fuit diversis vectigalium speciebus jam abrogatis - ib. -

5. *In contractibus ne apex quidem, tenuisque syllaba ministerio suo vacars debet.*

6. *Dativae rsalis onus non super directo dominio seorsim a praediis, sed super prnediis ipsis impositum fuit.*

7. *Observantia in linea interpretationis, ostendit partium voluntatem, et talem designat fuisse conventionem, quales subsequutas solutiones demonstrant.*

Notula nullo teste munita, ad proprium commodum confictam praesumitur - ibidem. -

DECISIO CXXXVI.

Publicis tabulis ad diem decimam octavam mensis Junii 1791 conscriptis, Marchio Dominicus Serlupi Crescentii in perpetuam Emphyteusim concessit Philippo Bianchini ædes quasdam in Urbe positas prope Ecclesiam S. Salvatoris *ad Cuppellas*, sub annuo canone argenteorum nummorum *nonaginta*. Inter alia pacta, quæ in hoc Emphiteusis contractu constituta fuere, præcipuum illud est quo cautum, ut annuus Canon ab Emphyteuta rependendus, liber semper esset, atque exemptus ab omnibus cujuscumque generis oneribus tam ordinariis, quam extraordinariis, tam impositis, quam imponendis, dummodo tamen Supremus Princeps non super utili, sed super uno, atque unico directo dominio vectigal aliquod expressim non indiceret. Disertis siquidem verbis convenit = *che il detto Enfiteuta, e suoi siano tenuti ed obligati sempre, ed in perpetuo pagare il sudetto perpetuo annuo canone di scudi novanta, abbenche dalla sudetta Casa non ritraesse quanto porta il sudetto annuo Canone, quale dovrà essere libero, ed immune da ogni, e qualunque tassa tanto ordinaria, che straordinaria di strade, imposizioni, pesi, gabelle, dazj tanto imposti, che da imporsi, ed altri qualsivogliano, anche ex dato, et facto Principis, purchè però i dazj, e pesi non venissero imposti espressamente, e precisamente sopra il diretto Dominio, ossiano canoni, nel qual caso sia tenuto pagarli il detto Sig. Marchese Serlupi* =.

Hujusmodi itaque erat non contrahentium tantum volnntas, sed ipsa præterea pacti vis, et intelligentia, ut Emphyteuta omnia ferret onera, quæ indiscriminatim jam super prædio erant imposita, vel dein imponerentur: contra vero Dominus directus illa tantum Vectigalia sustineret, quæ imponi forsan contigeret, respectu habito ad solum directum dominium, solumque Canonem seorsim a prædio ipso, utilique ejusdem dominio. Decennio post initam Emphyteusim, die scilicet 19 Martii anni 1801., prodiit in vulgus notissimus Motus proprius Summi Pontificis super nova onerum realium ratione, in quo prædia omnia urbana, et rustica, quin ulla ratio haberetur dominii vel directi, vel utilis obnoxia facta fuerunt novæ indictioni *della Dativa reale*, quæ tamen pro maxima parte vectigalium ante vigentium vices gessit. Quoad enim prædia rustica sancitum fuit *art.* 21., quod = *I possessori de' fondi rustici dovranno per ogni libra, ossia per ogni cento scudi di possidenza pagare annualmente la Tassa di paoli sei da considerarsi come imposta fino dal primo di Gennajo dell' anno corrente.* = Ad urbana vero prædia quod attinet Lex ipsa demandavit = *Che tutti i possidenti di palazzi, e di case urbane pagheranno su di esse una annua Tassa minore in due terzi di quella, che si è imposta sul terratico, cioè di due paoli per ogni cento scudi del valore delle medesime, il qual valore per rendere anche la Tassa più mite che sia possibile, dovrà misurarsi non da altro, che dalle pigioni attuali, e reperibili, formando il Capitale di scudi cento sopra ogni otto scudi di pigione, che se ne percepisce* =.

Præscripta hoc modo obnlorum viginti super urbanis, ac sexaginta super rusticis prædiis in singula centena scuta eorum valoris, annuis vectigalis æstimatione, facile admodum vidit Sacratissimus Princeps orituras fore in-

ter eos quæstiones, qui super eodem prædio vel urbano, vel rustico diversa jura experiuntur, ut sunt Domini directi, ac Censuum, et compensativorum etiam fructuum creditores. Cum enim eos omnes jure quodam reali super prædiis oneri subjectis potiri compertum sit, ideoque eorumdem prædiorum commoda et fructus inter se dividant, æquum propterea erat, et naturalis justitiæ elementis maxime consonum, ut *pro rata*, ut inquiunt, *commodi* novum vectigal unumquemque percelleret. Ad hæc igitur præcidenda litigia animadvertens Legislator = *che i censi, canoni, e frutti compensativi costituiscono a favore de' Creditori di essi una certa proprietà, e diritto ne' fondi censiti, livellarj, e soggetti alla prestazione de' frutti compensativi sudetti*, = dum coegit = *i possessori de' fondi rustici al pagamento della Tassa di paoli sei per ogni libra* = justam, et æquam reputavit = *la loro proporzionata indennizzazione per mezzo della ritenzione da farsi da essi di una parte de' frutti, che pagano ai loro creditori* =, quam tamen pro rata commodi constituit, = *e non in altra proporzione* =. Ulterius etiam processit Sacratissimi ejusdem Principis providentia, qui peculiarem instituit S. R. E. Cardinalium Congregationem, quam *Æconomicam* vocari jussit, ut de iis omnibus ipsa cognosceret quæstionibus, quibus causam nova Lex de dublicis oneribus præbuisset.

Nec defuerunt sane controversiæ super pactis excitatæ, ex quibus onera tam imposita, quam imponenda in unos rejecta fuerant Emphytentas. De suo hinc oraculo rogata Sacra Congregatio, postquam rem diligenter expendit, rectissime respondit, = *che tutti i casi, nei quali fra due contraenti siasi convenuto nella formazione de' loro Contratti, che i Canoni, Censi, Livelli, frutti compensativi, ed altre simili annue prestazioni debbano farsi libere, e franche da ogni gabella, e tassa imposta, e da imporsi di qualunque genere, e natura si sia*, o con *altri termini, ed espressioni equivalenti, i prefati Creditori di censi, Livelli, e frutti compensativi non saranno tenuti a concorrere in alcuna parte al pagamento della Dativa reale, ma dovrà il pagamento della medesima intieramente rifondersi sopra i Debitori dei predetti Canoni, Censi, Livelli, e frutti compensativi* =. Adeo vero Summus Pontifex hanc Sacræ Congregationis decisionem sapientiæ, et justitiæ innixam probavit, ut publici etiam juris ex Edicto Cardinalis Camerarii diei 21 Junii anni 1806 facta fuerit, et expresse demandatum, ut futura esset = *di norma e regolamento invariabile alle Decisioni del Foro* =.

Cum probe hinc Bianchinius Emphyteuta novisset vectigal illud *Realis Dativæ* non uni dominio directo, sed integro prædio inhærere, et perspectam etiam habuisset pacti literam, ex qua ipse unus voluit ad omnium Vectigalium solutionem teneri, absque ulla ideo querela novum indictum onus jugiter publico ærario persolvit. At quantum diligens is fuerat in implendo onere Vectigalium, tantum negligens deinceps evasit in Canone persolvendo. Cum enim ob contractam fere quinque annorum moram, jam canonum debitum ad scuta *quatuor centum quadraginta quatuor* assurgeret, instituta hinc adversus eum est actio caducitatis. Sed in re trepida hoc arripuit diffugium Bianchinius utile dominium alteri cedendi, ut excessionis pretio integrum canonum nomen exsolveret, quemadmodum reapse fecit, quin aliquid sibi in ratæ commodi causam retinuisset. Postea tamen coram Juridico Collegio A. C. diem dixit Reverendissimo P. D. Francisco Serlupi jam Sacri nostri Ordinis Decano, nunc vero S. R. E. Cardinali amplissimo, ut ratæ commodi retentionem obtineret. Rejectus inimica Sententia, cum appellationem ad prædictum Sacrum Nostrum Tribunal interposuisset, exhibui Patribus hodie mane dirimendam Dubii formulam = *An, et pro qua rata sit locus retentioni ratae commodi in casu etc.* =, cui respondendum ipsi censuerunt, = *Negative in omnibus* =.

Rectissime namque animadversum est 1
petitæ ratæ commodi retentioni tum

non ambiguam tabularum Emphyteuticarum pactionem, tum disertam legis literam adversari. Ad pactum quippe quod spectat, in discrimen non revocabatur sub hac conditione initum fuisse perpetuum Emphyteusis contractum ut annuus Canon liber, et immunis penderetur, ab omnibus cujuscumque generis oneribus, tam ordinariis, quam extraordinariis, tam impositis, quam imponendis ex dato etiam, et facto Principis = *Il suddetto Canone* (sunt verba Instrumenti) *dovrà essere libero, ed immune da ogni, e qualunque tassa tanto ordinaria, che straordinaria di strade, imposizioni, gabelle, dazj tanto imposti, che da imporsi, ed altri qualsivogliano, anche ex dato, et facto Principis* =. Procul ergo a quacumque legum dispositione non poterat certe Bianchinius ad hujusce ratæ commodi retentionem directum Dominum cogere, cum numquam sit contrahentibus impermissum iis juribus valedicere, quæ sibi ex aliqua jam existenti, vel alia fortasse superventura Lege competere possunt, ac in Canonum præcipue conventione cavere, ut numquam imminui hic debeat in quolibet eventu ab impositis, et fortasse in posterum imponendis cujuscumque generis Vectigalibus, veluti sæpius statuit Sacrum Tribunal, præsertim in *Sutrina Pecuniaria* 3 *Martii* 1806 § 4 *coram R. P. D. Bussio*; *in Fanen. Solutionis Canonum* 16 *Junii* 1818 § 7 *coram Reverendissimo P. D. meo Isoard Decano, et in Sutrina Canonum super rata commodi* 17 *Februarii currentis anni coram me.*

2 Sartam itaque, incolumemque servare pactionem oportet, quam adjicere instrumenti tabulis contrahentes voluerunt, cum nihil magis fidei congruat humanæ, quam ea quæ placuerunt custodiri, ut inquit Lex *Non minorem* 20 *Cod. de Transact.*, et monet Jurisconsultus in *Leg. juris gentium* § *Praetor ait ff. de Pactis*. Sed huic conventioni, a voluntati contrahentium adstipulatur præterea litera Legis. Utique Motus proprius Sacratissimi Principis anni 1801, dum, abrogatis veteribus Vectigalibus, quæ ad illud usque tempus invaluerant; novum indixit *Dativæ Realis* onus animadvertit etiam = *che i censi canoni, e frutti compensativi costituiscono a favore dei creditori di essi una certa proprietà, e diritto ne' fondi censiti, livellarj, e soggetti alla prestazione dei frutti compensativi suddetti* =, ideoque, licet obligaverit prædiorum possessores ad novi oneris solutionem, jussit nihilominus = *la loro proporzionata indennizzazione per mezzo della ritenzione di una parte de' frutti, che pagano ai loro creditori* =. At habere hæc locum poterant, si nulla stipulationis conventio adfuisset de publicis oneribus ab uno Emphyteuta subeundis. Diversa debeat esse eorum ratio, qui ita contractus suos iniverant, ut onera omnia Vectigalium in suos rejecissent Emphyteutas.

Ipsa profecto S. R. E. Cardinalium Congregatio a Summo Pontifice ad decidendas orituras ex nova lege controversias instituta, ad trutinam revocando Contractus, in quibus pactiones hujusmodi recensebantur de Vectigalibus ab uno Emphyteuta rependendis, sapientissime mandavit, ut in hisce casibus = *i prefati creditori di censi, livelli, e frutti compensativi non saranno tenuti a concorrere in alcuna parte al pagamento della Dativa reale, ma dovrà il pagamento della medesima intieramente rifondersi sopra i debitori dei predetti canoni, censi, livelli, e frutti compensativi* =. Quod si ex jussu ipsius Summi Pontificis hæc Sacræ Congregationis provida decisio publicæ deinde legis vim, et auctoritatem adeo nacta fuit, ut adhiberi eam quoque voluerit = *per norma, e regolamento invariabile alle Decisioni de Foro* =, tanto magis dicendum est Emphyteutam prohiberi ab ulla postulanda ratæ commodi retentione, ut in casibus ferme similibus eamdem retentionem rejecit Sacrum Nostrum Tribunal in *Sutrina Pecuniaria* 3 *Martii* 1806 § 5 *coram R. P. D. Bussio in Ferrarien. Reintegrationis super Credito* 22 *Junii* 1818 § 7 *coram Emo Odescalcho, in Fanen. Solutionis Canonum* 24 *Aprilis* 1820 § 3 *coram Eodem, in Romana Pecuniaria quoad ra-* 3

tam Commodi 5 *Martii* 1820 *cor. Emo Serlupio*, *in Sutrina Canonum* 26 *Junii* 1820 § 4 *coram R. P. D. meo Tiberio*, *et in dicta Sutrina Canonum super rata commodi* 17 *Februar*. 1823 § 5 *cor. me*.

4 Bene autem hæc congruunt indoli horum contractuum. Post enim longum temporis spatium a die concessionis effluxum, maxime augetur bonorum æstimatio, et fructuum pretium, qui ex ipsis prædiis recolliguntur, summo crescit Emphyteutarum emolumento. Contra vero conventi Canones non recentis bonorum status, sed antiqui eorum valoris rationem habuerunt, ita ut non sine ingenti Domini directi damno longe minori respondeant fructuum quantitati, quam responderent, cum concessa in emphyteusim prædia ipsa fuerunt. Durum ergo, et valde asperum fuisset Canones in certa, ac constanti pecuniæ quantitate conventos imminuere, partem nuper invecti Vectigalis eis imponendo, quoties e converso uni Emphyteutæ, et Livellarii commodum sentiunt augmenti valoris prædiorum, atque ipsi uni cæteroquin ad onus omnium Vectigalium, et collectarum ferendum ex Civili jure tenentur ad *Tex. in Leg.* 2 *Cod. de jure Emphyt. Donell. in Comment. Jur. Civ. Lib.* 9i *Cap.* 14 *n.* 24 *Hasprect. in* § *Adeo* 3 *num.* 370, *et seqq. Instit. de Locat. et Conduct. Valasc. de Jure Emphyteut. quæst.* 17 *num.* 8 *Fulgin. eodem Tract. tit. de melioram. quæst.* 12 *num.* 29 *et* 30, *et Rota in Sutrina Canonum* 3 *Junii* 1802 § 5 *coram R. P. D. Bussio*. Coeterum Dativæ realis onus non novum est vectigal aliis jam existentibus superaccedens, sed nova potius ratio tributorum solvendorum constituta, quæ diversis Vectigalium speciebus jam abrogatis pro maxima parte suffecta videtur. Quemadmodum itaque veterum Vectigalium onus sustinere Emphyteutæ debuissent, si ipsa adhuc vigerent, ita quoque iis abrogatis novam contributionem ferre debet, ut alia pariter expendit Sacri Nostri Ordinis Decisio in *Ferrarien.* 6 *Martii* 1820 § 4 *coram me*.

Nihil vero turbat, quod dum annuus 5 Canon ab Emphyteuta solvendus Liber conventus est = *da ogni*, *e qualunque Tassa tanto ordinaria, che straordinaria di strade imposizioni, gabelle, dazi tanto imposti, che da imporsi, ed altri qualsivogliano* =, continuata oratione adjecta fuerint ea verba = *purchè però i dazi, e pesi non venissero imposti espressamente, e precisamente sopra il diretto Dominio, ossiano Canoni, nel qual caso sia tenuto pagarli detto Signor Marchese Serlupi* =. Pessime namque ex his verbis inferebant Bianchini Defensores, quod, cum Motus proprius Sacratissimi Principis Anni 1801. Dativæ realis onus inter Dominum directum, et utilem dividendum censuerit, ipsa propterea Nobilissima Gens Serlupia pro sui commodi rata sustinere novam intribuitionem teneatur. Si recipi enim pronis auribus hæc illatio posset, posteriora pacti verba pactum ipsum inutile redderent, et prorsus inane, quamvis alioquin in contractibus ne apex quidem, tenuisque, ut inquiunt, syllaba functione, ac ministerio suo vacare debeat ad *Text. in Leg. hanc legem* 22 *ff. de contrahen. empt. Rot. in Recent Dec's.* 194 *num.* 25 *part.* 5 *coram Molines Decis.* 579 *num.* 26., *coram Lancetta Decis* 1185 *num.* 12., *et Decis.* 6 *num.* 6 *de Donat. cor. Falconerio*. Ut autem utilis ipsa pactio sit stipulanti, congrua congruis referendo, dicendum est non aliud sibi onus suscepisse directum Dominum, quam illud tantum, quod semper uno, atque unico directo dominio a Supremo Principe imponeretur.

Huic sane interpretationi viam sternunt planissimam, tum ipsa pacti litera, tum fida rerum, et contractuum interpres observantia. Si de pacti litera sermo sit, semel ac directus Dominus in eo tantum, casu teneri ad vectigalium solutionem voluit, quo eadem vectigalia indicta fuissent « *espressamente, e precisamente sopra il diretto dominio ossiano Canoni* » nihil magis exploratum, quam quod Dativæ realis onus non seorsim a prædio super directo dominio, sed seorsim imo a di- 6

recto dominio super integro prædio, sive quod idem est, ratione rerum super bonis, non super personis ratione rerum, impositum percellere directum dominium nequeant. Quemadmodum quippe vectigalia indici possunt super prædiis tam rusticis, quam urbanis seorsim a directo domioio, ita etiam demandari eadem vectigalia valent super directo dominio seorsim a Bonis, veluti adamussim de Cambiis accidit, super quibus quoddam indictum fuit Vectigal, deinde abrogatum. Atqui Dativæ realis onus non super directo Dominio seorsim a prædiis, sed super prædiis ipsis, nulla facta inter dominium directum, et utile distinctione, impositum fuit. Ergo nihil conferre de proprio ære debet directus Dominus in vectigalium solutionem, quæ tunc tantum eum premunt, si nempe disertis verbis = *precisamente, ed espressamente* =. Super directo dominio, seorsim a prædiis, sive super personis ratione rerum imponantur.

7 Melius demum hanc pactionem declarat, si etiam ambigua esset, observantia; Nam post publici Juris factum Motum Proprium Sacratissimi Principis anno 1801 semper Emphyteuta, nunquam autem Dominus directus Dativæ realis vectigal publico ærario absque ulla querela persolvit. Non hujusmodi sane est hæc *viginti*, et ultra annorum observantia, quæ præscriptionem quodammodo secumferat. In linea tamen interpretationis cadem observantia, licet brevis admodum temporis, perbelle demonstrat partium voluntatem, et talem designat fuisseconventionem, quales dignoscuntur subsequutæ solutiones *Rota Decis.* 592 *num.* 7 *coram Penia Decis.* 97 *num.* 12 *coram Merlino, Decis.* 212 *num.* 12 *coram Rallo*, *Decis.* 68 *num.* 5 *coram Olivatio, et Decis.* 104 *numer.* 6 *coram Hertzan.* Nec ad eliminandum observantiæ argumentum Bianchinium juvit afferre notulamquamdam informem, quam ex Lotographia Familiæ Serlupiæ sese deduxisse asserebat. Cum enim hæc notula, neque ullo Ratiocinatoris ejusdem Familiæ charactere, neque ullo teste probata sit, non certe suspicione carebat ad opportunitatem, propriumque commodum eam confinxisse Emphyteutam, adeo ut nulla in judicio fidem mereri valeat. *Leg. exemplo perniciosum* 7 *Cod. de probat.* Merito igitur posthabendam notulam illam censuerunt Patres, constantissime retinentes petitam Ratæ commodi retentionem, neque ex jure, neque ex stipulatu Bianchinio competere.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA FRUCTUUM

Mercurii 12 Martii 1823.

ARGUMENTUM

Castrensia Requisita non possunt interpellari, antequam debitor sit in mora; et qui excusabili causa, judicio sese defendit, moram non contrahit, nisi post causae expeditionem.

SUMMARIUM

1. *Ubi Chirographum SSmum. jubet quod pecunia debeat erogari in creditorum dimissionem, haec conditio a subventore adimpleri debet.*
2. *Requisitorum Castrensium interpellationi non fit locus, si summa quae postulatur, vel sit illiquida, aut libere solvi non debeat.*
3. *Pactum redimendi recipit aestimationem, juxta Judicis arbitrium.*
   Nullam vim habent ii actus, qui a futuro pendent conditionis eventu - ibidem. -
4. *Nullam moram contrahit is, qui se se judicio tueri debet ab alienis jactationibus.*
   Requisita Castrencia nemo potest interpellare, absque mora debitoris - ibidem. -
5. *Pretium a Perito constitutum, justum reputari debet.*
   Inter emptorem, et venditorem, aequaliter conditiones servari debent - ibidem. -
6. *Non omnis lis, nec omne jurium experimentum, viam aperit injustas moras, damnorumque actioni.*
7. *Quaelibet causa, licet minus vera, a reficiendis damnis excusat.*
   Sententiarum discrepantia, et decretum - iterum proponatur - *ostendunt actum fuisse de re valde ambigua - ibidem. -*
8. *Requisitorum Castrensium interpellatio in exordio litis non habet vim, et tunc tantum parit*

effectum, quum litis expeditio demandata sit.
9. *Pretii usurae peti non possunt, antequam rei emptae venditae traditio sequatur.*

DECISIO CXXXVII.

Ad æs alienum luendum, quo premebatur Agapytus Grillo, e Ducibus Mondragonis, Pontificia venia accedente, die 13 Decembris anni 1818 ejus Administrator R. P. D. Præsul Carolus Alessius bona quamplura ad ipsum spectantia, quæ extant in Territorio Anguillariæ, vendidit Johanni Carolo ab Auria Duci Evoli, qui Mariæ Rosæ, filiæ Ducis Agapyti matrimonio conjungitur. Solutis autem pretii causa ab Evolio prædiorum emptore, prout Peritus Geometer ea æstimaverat, argenteis nummis fere *triginta millibus*, quæ cedero in nominum dimissionem debebant, præ cæteris convenit, ut jus esset Agapyto bona intra anni terminum redimendi, eique præterea liceret jus ipsum alios transferre adjecta conditione » *che debba notificarlo al Compratore Signor Duca d' Evoli, concedendosi al medesimo il termine di un mese, per deliberare, se gli convenga l' accettazione della prelazione* » Ad exitum pene properabat annus redemptioni constitutus, cum die 14 Decembris anni 1819. Dux Johannes Torlonia propositum suum coemendi jus redemptionis, ac argenteos ideo nummos *quindecimille* rependendi, præter pretium ab Evolio solutum R. P. D. Alessi simul, et Evolio ipsi nunciavit.

Duabus sane sub conditionibus Torlonii oblationem, quam utillimam patrimonio noverat Administrator Agapyti ratam habuit; dummodo scilicet Evolius prælatione reservata uti nollet, vel idem Agapytus jus illud redimendi in alios non transtulisset, veluti fuerat in instrumento conventum. Sed statim Evolius, ne ea bona a familia Mondragonis inconsulto avulsa viderentur, apud acta retulit declarationem de prælatione obtinenda, cui nonnullas adjecit leges, quæ amplam deinde litigandi materiam præbuerunt. Contendebat enim Torlonius, neque intra legitima tempora declarationem suam Evolium exhibuisse, neque tantum lucri ejus oblationem patrimonio Mondragonis afferre, quantum ex ea ipsius Torlonii colligebatur. Dum acerrima inde exarserat inter utrumque controversia, an uni, vel alteri concedenda esset in jure redimendi prælatio, prædictus Administrator Agapyti, fervente lite defuncti, sub die 16. Februarii anni 1820. notissima Jurisconsulti *Pauli de Castro* requisita interpellavit, ut accessiones ejusdem summæ argenteorum nummorum *quindecim millium* ab alterutro ex litigantibus in *bessi* mensura condiceret.

Vicit quoad prælationem in emptione juris redimendi apud Judices A. C. Torlonius. Rei tamen cognitione delata ad Sacrum Nostrum Tribunal propositæ Dubii formulæ, quæ ita constabat » *An, et quomodo, et cujus favore sit locus stipulationi Instrumenti in casu etc.* Post semel distracta suffragia responderunt Patres » *Affirmative in omnibus favore Ducis Johannis Caroli* » veluti testatur edita ad diem 8 Martii superioris anni Decisio *in Romana praelationis coram Me*, quæ vires Reijudicatæ nacta est, ob renunciationem liti a Torlonio emissam, quæve anteacti judicii historiam fusius enarrat. Ita dirempta, et absoluta prælationis quæstione, cum a neutro ex litigantibus consequi Maria Rosa defuncti Agapyti filia, et hæres, potuerit usuras antea petitas, utrumque vocavit in judicium coram Eodem S. Ordine Nostro; ac *Quinto* pariter, et *Sexto* ferente suffragium, interrogavi hodie mane Patres » *An, et in qua summa sit locus solutioni fructuum, et contra quem sit relaxandum Mandatum in casu etc.* » et exortam contentionem dirimendam ipsi censuerunt Responso » *Negative in omnibus* ».

Tum ea siquidem rationum momen- 1
ta, quæ Evolio, et Torlonio simul communia sunt, quam alia, quæ seorsim utrisque favent, palam ostendebant, incivilem esse fructuum petitionem, quam Maria Rosa proposuerat. Jugiter erat retinendum, empta ab Evolio bona tot hypothecarum vinculis

obrui, ut Pontificium Chirographum, quod emptionem venditionem præivit, camque, renuento Mondragonio, probavit, disertis verbis jusserit, ex pecunia ab Emptore solvenda nomina, et hypothecas, quibus Mondragonius gravabatur, extingui deberc. Idipsum plane convenit in Instrumenti tabulis, ex quo pars non minima pretii dimittendis Creditoribus assignata reapse fuit, et pars altera penes Argentarium in eamdem causam deposita. Adeo placuit revera contrahentibus Leges Chirographi sequi, ut Evolius, cum impar omnino esset pecunia soluta urgentioribus nominibus extinguendis, alia argentea *quinque millia quingenta octuaginta* ex Collybi contractu Mondragonio suppeditaverit, quæ postmodum expunxit ab eo pretio scutorum *quindecim millium*, quod, ob assequutam prælationem in emptione juris redimendi, numerare debebat, quodve, ea dempta summa, apud Nummularium Lavaggi deposuit. Ipso porro Torlonius, qui pecuniam libere sese soluturum in oblatione promiserat, si in prælationis judicio vicisset, non aliter sano potuisset hac uti prælatione, nisi pecuniam in creditorum dimissionem erogasset prout primo Chirographum, et Instrumenti tabulæ dein edixerant.

2 Hujusmodi itaque erat indoles, et natura Contractus, ut, si etiam vellent, non certe possent emptores pecuniam libere solvere, ne irritam, pessumdatis Chirographi legibus, stipulationem inirent, et sese periculo evictionis exponerent. Si enim converti in alios usus, quam in Creditorum dimissionem, et hypothecarum deletionem, pecunia potuisset, ipsa cæteroquin defecisset causa finalis, ob quam Agapyti Curator Anquillariæ bona distrahere constituit, et Ssmus Pontifex emptionem venditionem auctoravit. Si huc ergo tam Curatoris, quam Pontificis, quod maximum est, voluntas, et intentio unice spectabat, ut ex pretio venditionis hypothecæ delerentur, et æs alienum dissolveretur, ne violenta bonorum subhastatione majora damna patrimonio obvenirent; jam nullo modo consistit quidquid in interpellationo *Requisitorum Castrensium* de lucro cessanti, damnoque emergenti patrimonii Curator asseruit. Semelac namque ipsa summa argenteorum nummorum *quindecimmillium* deponi debebat, ut cæteri creditores dimitterentur, quemadmodum in eamdem dominum dimissionem tradita cesserat ab Evolio pecunia, non poterat ea certi foenori collocari, ut fructus inde conilici valerent ex interpellatione Requisitorum Castrensium, cui numquam fit locus, si summa quæ postulatur, vel incerta, vel illiquida sit, aut libere solvi non debeat, veluti post *Text. in Leg. Si per te* 9 *Cod. de Usuris, leg. pecuniae* § *Usurarum ff. eod. tit.* docuit *Leotard. de Usuris quaest.* 74. *et* 75. *per tot.*, et Sacrum Nostrum Auditorium *coram Seraphin. decis.* 92., *et decis.* 919. *per tot. coram Penia decis.* 26 *num.* 1 *et sequen.*, *et Romana pecuniaria super fructibus* 21 *Aprilis* 1820 § 13 *cor. R. P. D. Bussio.*

Queri ideo nequit Maria Rosa, quod 3
præpedita ipsi fuerit utilis pecuniæ collocatio. Sed ulterius excurrunt rationes utrinque communes. Licet enim redimendi pactum, quod servitutem, et vinculum injicit emptori, rei æstimationem, vel in tertia, vel in quarta, vel in sexta parte diminuere soleat, juxta casuum diversitatem, quod Judicis arbitrio remittitur, veluti monerit *Covaruv. var. resolut. lib.* 3 *cap.* 10 *num.* 1 *Cyriac. controv.* 255 *num.* 4., *Rot. in Rec. decis.* 94. *num.* 12. *part.* 15, *decis.* 641 *num.* 4 *et* 5 *par.* 18, *decis.* 879 *num.* 11. *coram Ubaldo*, *decis.* 455 *num.* 21 *coram Priolo et decis.* 463 *num.* 9. *coram Ansaldo*; adhuc tamen animadversione dignum occurrebat, non ex aliquo titulo, neque in pretii causam concessum venditori fuisse jus redemptionis, sed ex liberalitate, et gratia tantum emptoris. Quamobrem, si adeo grande ex hac conventione compendium filia Mondragonis retulit, ut ad alia *quindecim millia* scutata pretium, quod in summa jam soluta iustum erat, excreverit, gaudeat impetratis, nec *bessales*

quoque ejusce summæ fructus contra æquitatem postulet. Cæterum non *simpliciter*, non *pure* probaverat Administrator oblationem a Torlonio factam; voluit enim, quod hæc non aliter vires suas exerere posset, quam si Evolius jure prælationis, uti nollet, aut jus ipsum redimendi aliis non cessisset Agapytus. Donec igitur non probabantur hæ conditiones, incerta per consequens manebat oblatio, cum vim nullam habeant ii actus, qui a futuro pendent conditionis eventu, eaque non sequuta evanescunt ad *Text. in Leg. qui haeredi ff. §. fin. de condit.*, *et demonstrat. Rota decis.* 118. *num.* 15. *coram Olivatio*, *et decis.* 244 *num.* 4. *cor. Eodem.*

4 Manifestior etiam res fit, si rationes expendantur, quas Evolius, et Torlonius seorsim experiuntur. Quoad Evolium enim, hoc utique certum est in nullam moram eum incidisse, statim ac sese defendit ab oblatione Torlonii, illudque jus prælationis obtinuit, quam ei riservaverant emptionis venditionis tabulæ. Nam, quamvis Causa ceciderit apud Judices Tribunalis A. C., meliorem tamen expertus fuit sortem coram Ordine Nostro, a quo concessa ipsi fuit in emptione juris redimendi prælatio. Certum vero est, quod nullam unquam moram is contrahat, qui sese judicio tueri ab alienis jactationibus debuit, et victor ab eodem judicio discessit ad *Text. in leg. Sciendum* 21 *ff. de usuris*, *Donell. Commen. Jur. Civ. lib.* 5 *cap.* 22 § 4, *Gratian. discept. foren. cap.* 42 *num.* 42, *Rot. coram Durano decis.* 170. *num.* 1. *coram Lancella decis.* 168 *num.* 8 *et in Romana Decoctionis quoad pretium frumenti* 12 *Februarii* 1815 §. 5. *coram Emo Rusconi*, *et in confirmatoria* 9 *Februarii* 1818 § 5 *coram bo. me. Piccolomineo.* Quod si nullam moram contraxit Evolius, nulla pariter actio creditrici Mondragoniæ quæsita est ad petendos pecuniæ fructus ex interpellatione Requisitorum Castrensium, quorum præsidium nemini licet implorare absque mora debitoris *Leg. Nummis ff. de in lit. jur.*, *Scaccia de Comm. merc. disc.* 66. *numer.* 20., *Leotard. de Usur. quaest.* 81. *num.* 5. *Rota in Recen. decis.* 401. *num.* 40. *part.* 16. *et decis.* 1028 *numer.* 7 *coram Lancetta.* At instructam prælerea fructuum actionem profligabat animadversio, jus Evolium habuisse compensandi pretium redemptionis cum reliquo dotis credito, quo in Mariam Rosam in scutis *sexdecim millibus* pollebat, ut expendit Mea prædicta *super praelatione Decis.* § 15 Inita hinc compensatione, deficit hoc ipso pecunia, quæ ad foenus collocari posset.

Quas autem accessiones assequi Maria Rosa non poterat ex censura *Pauli de Castro in Leg. Non utique* 5 §. *fin. ff. de eo quod cert. loc.*, minore jure sibi asserebat ex æquitate *Leg. Curabit Cod. de act. empt.*, *e vendit.*, qua usuras rei frugiferæ exigere venditori permittitur, ne secus emptor re, et pretio fruatur. In emptione venditione profecto bonorum Anguillariæ, dum dominium, et possessionem accepit Evolius, contextim pretium rei emptæ venditæ in scutis fere *triginta mille* persolvit. Hoc pretium æquabat fundorum æstimationem, quia contractum ipsum prænarrati Periti Geometræ relatio, ad quam unice contrahentes spectarunt. Nedum vero justum, sed imo fortasse etiam immodicum putandum est bonorum pretium a Perito constitutum, cum nemo, præter Evolium, sese exhibuerit emptioni ineundæ, licet publicata fuissent Edicta, ex quibus excitaretur licitatorum æmulatio. Quare, si justum pretium bonorum inter stipulandum pensitavit Evolius, re, et pretio non caruit venditor, cui ideo condicere rei venditæ fructus ex æquitate illarum legum impermissum videtur. Si convento autem pretio addita deinde fuerunt alia *quindecimmillia* scutata ex redimendi pactione, hoc quidem augmentum, justam, et veram æstimationem excessit, de quo repeti fructus non possunt ex eadem sanctione Legis *Curabit*, quæ de justo tantum, et vero pretio intelligenda est. Alias namque ipsa æquitas in iniquitatem vergeret, nec inter- 5

emptorem, et venditorem æqualitas inveniretur, quam Leges jubent in contractibus omnino servari.

6 Hæc quoad Ducem Evolium. At eo minus ad petitam fructuum præstationem Torlonium teneri Patres existimabant, cujus gravissima visa sunt in Litigantium conflictu rationum momenta. Nulla siquidem is moram contraxit, quoties oblationem fecit *liberam*, et *puram*, in eaque juris redimendi pretium se soluturum promisit, statim ac patrimonii Curator publicas de emptione juris illius tabulas auctorasset. Ipse imo Torlonius vadimonium Mondragonio indixit, ut ad hanc stipulationem cogeretur. Ipse demum, interpellatione Requisitorum Castrensium in actis relata, declaravit promptam esse pecuniam, et moræ causam unice pendere a prælatione, qua uti volebat Evolius. Perperam vero Mondragonia regereret, ex facto, et culpa Torlonii, ac ex Lite super prælatione, cui ipse causam præbuit, et in qua deinde succubit, obicem processisse quominus pecunia solveretur foenori collocanda. Errat quippe, qui putat ab eventu Litis æstimandum esse, an quis jure, vel injuria litigaverit, ita et ad sarcienda damna, quarum loco hic veniunt fructus, omnino cogatur. Non omnis sane Lis, nec omne jurium experimentum viam aperit exprobrationi injustæ moræ, acerbæque damnorum actioni. Sicuti enim multa sunt adeo dubia, et ambigua, quæ Judicis officium reposcunt, et cum prohiberi alioquin non debeat diligens, et prudens paterfamilias, quin jura sua, procul etiam ab ulla moræ, e proterviæ nota, apud Judices experiatur, ita probari generalis regula non potest, quod is, qui a lite cecidit, veluti culposus, et temerarius litigator existimandus sit, et odiosa damnorum actione plectendus.

7 Ad Judicis officium spectat æstimare, et decernere, cujus generis quæstio fuerit, et num excusabilem, et probabilem causam victus habuerit aleam judicii tentandi. Cum autem compertum in jure sit, quamlibet causam licet minus veram, et justam a reficiendis damnis excusare ad *Text. in leg.* 22. §. *Cum per venditorem ff. de act. empt.*, *Leg.* 33 §. *Qui melius ff. locati*, et *Leg.* 151 *ff. de Reg. juris*, nostro itaque in themate petitionis fructuum, qui pro damnis a Mondragonia reposcuntur, tenendum merito est, quod eorum condictioni patere locus neqneat, nisi inexcusabilis quædam culpa in debitore concurrat, *Cancer. var. resol. lib.* 3 *cap.* 16 *num.* 70, *Gratian. discept. for. cap.* 52. *num.* 24., *Rota in Nuperrim tom.* 6 *decis.* 293 *numer.* 1 *coram Falconer. tit. de usur.*, *decis.* 4 *num.* 7., *et in Centumcellarum Pecuniaria quoad damna, et interesse* 4 *Julii* 1792 § 2 *coram bo. me. Resta*. Nec temerariam revera litem, nec injustam fovisse Torlonium, tum Sententia demonstrat, quam retulit sibi propitiam a Tribunali A. C., tum etiam ostendit Responsum » *Iterum proponatur* » quod in prima prodiit Causæ propositione apud Nostrum S. Tribunal, et ex quo palam fit de re actum fuisse ambigua non clara, ut hisco in casibus arguit *Rota decis.* 607 *num.* 13 *coram Olivatio decis.* 110. *num.* 5., *et decis.* 469. *num.* 2 *coram Riminaldo*.

Nemo itaque dixerit in moram incurrisse Torlonium, cum præcipue, 8
audita S. Ordinis sententia nuncium miserit institutæ actioni, et Patrum Judicium accepto habuerit. Cæterum disputatum jam alias fuit, an interpellatio Requisitorum Castrensium initio Litis peracta tantam vim, et auctoritatem haberet, ut jus creditori tribueret, lite absoluta, reposcendi fructus ab ipso litis exordio. Non antea tamen fructuum solutionem locum sibi vindicare iudicatum fuit, quam a die, qua litis expeditio domandatur, ut firmant Sacri Nostri Ordinis Decisiones *in Romana fructuum dotis* 4 *Martii* 1807 §. 7. *et* 8 *coram Emo Serlupi*, *et in Confirmatoria* 11 *Januarii* 1808 §. 5. *coram clar. mem. Gardoqui*. Interim enim a mora reus conventus excusandus est, si indolis sui juris incertus litem non intermisit. Quæ vero antea probabilis non deserendæ litis ratio pu-

gnabat, dein evanescit, postquam lato expeditionis Rescripto, editaque Sacri Tribunalis Sententia: definita controversia est. Tunc demum reus conventus ex allatis monumentis, et ex prolatis a S. Ordine Nostro judiciis intelligit, se non ex intrinseca amplius causa solutionem declinare posse, sed moram tantum facere ex extrinseco judicii progressu. Si ideo ipse litem prosequatur, nulla subest ratio, quæ eum a mora contracta deinceps excuset, ut optime disserunt *citatae Sacri Nostri Ordinis Decisiones*.

9 Sed alia demum ex causa ad hos fructus pensitandos Torlonium non teneri videbatur Nam si dies, qua ab emptore solvendum est pretium, non venit, nisi postquam rei emptæ venditæ traditio sequatur, ejusque possessione, et fructu potiri ipse emptor incipiat ad *Text. in Leg Julianus* 13 § *Ex vendito ff. de act. empt. et vendit.*, jam illud sponte sua fluit, ut neque pretii usuræ ante diem traditionis peti valeant, ut inquit *Ulpianus in ea lege*. Quoniam autem rei traditionem numquam Torlonium accepisse in discrimen adduci non poterat; nec pretium ideo, nec usuras pretii ab eo rependendas esse consequitur. Absonum denique videbatur ab omni justitia, et æquitate, ut ei, qui unus auctor fuerat incrementi, et lucri, quod ultra constitutum pretium Maria Rosa retulerat, damnatione ad solvendos fructus illius summæ, quæ pretio accessit, beneficium responderetur.

Et ita cum suffragio *Quinti et Sexti* jus redditum est. Partibus omnibus sua jura deducentibus.

ROMANA MANDATI PERPETUI

Veneris 13 *Januarii* 1823.

ARGUMENTUM

Creditor contra debitorem, qui in triplicem moram incidit, et contra quem triplex fuit relaxatum mandatum judiciale, jus habet ad obtinendum adversus eum mandatum perpetuum.

SUMMARIUM

1. *Ubi mandatum perpetuum contra debitorem petitur, oportet ut hic in triplicem moram inciderit, et triplex adversus eum relaxatum sit mandatum judiciale.*
2. *Neque eximit a mandato perpetuo, quod debitor ante triplicem moram, diligentissimus in solutione fuisset.*
3. *Peculiaris interpellatio tunc requiritur, cum agitur de mora quae indicitur a lege, non vero de illa quae profluit ex contractu.*
4. *Neminem laedit, qui utitur jure suo.*
   Ubi lex loquitur de triplici mora, intelligenda est de sola relaxatione mandati, minime vero de exequutione - ibidem. -
5. *Condemnatio, et relaxatio Mandati, a pronunciatione Judicis tantum pendet.*
6. *Non lex exequutionem meretur, veluti si vetustissima fuerit, cum actum sit de publica civium tranquillitate.*
7. *Nil aliud est Mandatum perpetuum, quam judicium quoddam praeventivum.*
8. *Ad alienas compescendas injurias, uti quisque potest vel remedia* legis diffamari, *vel remedio* legis si contendat 28 ff. de fidejussor.
   Creditor non potest exequi mandatum perpetuum, nisi prius dies solutionis venerit - ibidem. -
9. *Debitori qui gravatur mandato perpetuo, si forte res in contractum deducta deficit, praesto est actio condictionis indebiti.*

DECISIO CXXXVIII.

Amplum, et fructuosum Latifundium, in Agro Romano ad litus Mediterraneum jacens, quod antiquitus *Alsium* dicebant, ac modo nuncupatur *Palo*, emptionis venditionis titulo transiit anno 1780. a Carolo Loffredo, e Marchionibus Trevici, in Nobilissimam Gentem Odescalchiam, constituto pretio argenteorum nummorum *centum viginti millium*. De modo tamen solvendi sic composita res fuit, ut quoad scuta 24782 40. binos Census, quibus suberat Latifundium, in se susciperent emptores, et quoad reliquam pretii partem, quæ scutatis 95127. 70. constabat, reservativus Census initus fuerit in annuis scutis 2663. 57 † quot depactas æquabat accessiones *juliis viginti octo* in singula centum capitis respondentes. Censum ita constitutum super eodem Latifundio, quod Gens Odescalchia eme-

bat, Marchioni Carolo dedit ipsa in pretii complementum, ex quo plures deinde subortæ sunt controversiæ. Inter has vero præcipua ea fuit, cui causam dedit Pontificia Lex Motus Proprii anni 1816, quæque tam coram Gallicis Tribunalibus exarsit, quam coram Ordine Nostro, super retentione *quinti*, vel *decimi*, veluti fusius enarrat edita tunc temporis Decisio in *Romana Pecuniaria super retentione Quinti* 6 *Martii* 1815. *coram Rmo P. D. Casarei de Leonibus*, nunc merito inter S. R. E. Cardinales cooptato.

Ab hoc tempore Odescalchi, conventarum reservativi Census accessionum adeo neglexerant solutionem, ut sæpius oportuerit Judicis implorare præsidium, et instantem lictorem adhibere. Quin vetustioris ævi ad memoriam [revocentur exempla, sat est initium ducere ab Anno 1813 ex quo debires extiterant Odescalchii pro fructibus in summa scutorum 1283 57. Urbane ideo de solutione rogati, cum moras nectere cæperint, Marchio Gerardus, Caroli filius, provocavit ad Gallica Tribunalia, damnatique ad solvendum ex eorum Sententia fuerunt Odescalchii. Neque secus accidit insequentibus annuis 1814., ac 1815., quo tempore, Pontificiis Legibus restitutis, itum est ad Judicem A. C., ubi totidem, prodierunt Sententiæ Odescalchiis adversæ, quot fuerunt pro Censualibus fructibus instituta judicia. Aliquantulum post hæc diligentiores in rependendis accessionibus visi sunt Odescalchi, quod Loffredius, moræ pertæsus, ab eodem Judice A. C. *perpetuum*, ut iniquiunt Pragmatici, Mandatum postulaverat. Sed ii parum sorvarunt officium, et non ferendæ morositatis probationem postea dederunt, quippe qui licet excusarent propriam culpam ex ea lite de retentione *quinti*, vel *decimi*, in qua fortuna ipsis arrisit, in iisdem tamen adhuc perrexerunt induciis, postquam, quæstione dirempta, et ad justum modum cobibita fructuum quantitate, nulla amplius aderat solutionis distinendæ ratio.

Cesserat jam enim, et venerat anno 1820. rata portio fructuum solvendorum, cum iterum ad æs luendum lacessiti adeo cunctati sunt Odescalchii, ut actione in id parata alia prodierit ad annum 1821. Juridici A. C. Collegii Sententia, quæ eosdem debitores ad numerationem damnavit. Dum hæc agebantur, altera labitur accessionum symbola quoad annum 1821., pro qua judicium pariter instituere, et opportunam denuo Sententiam ab A. C. Triumviris obtinere necessum fuit. Idipsum evenit de cæteris fructibus ab iisdem Odescalchiis pro semestri spatio ejusdem anni 1821. debitis, ad quos persolvendos novo judicio, novaque Sententia fuere coacti. Ægre autem ferens fructuum creditor Loffredius tum inducias omnes, quas Odescalchii captabant, tum graves sumptus, quos instructa judicia requirebant,satius duxit,*progressivi*, ut dicunt, seu *perpetui* Mandati remedium postulare, quod in hisce casibus vetera suggerunt, et nova praxeos instituta. Annuit primum Loffredii votis Tribunal A,C., et appellatione dein ab Odescalchiis interposita, cum quæstio conscenderit ad Sacrum Ordinem Nostrum, proposui Patribus hodie mane dirimendam dubii formulam = *An sit locus relaxationi Mandati perpetui in casu etc.* ac retuli ab eis responsum = *Affirmative* =.

Disertissima quippe est, et casui, de quo quæritur apprime conveniens litera Legis, quæ in judiciario Codice continetur, ubi *tit.* 16. *Art.* 656. in hæc verba sancitum est = *Quello che è debitore di un'annua corrisposta*, *o altra prestazione avente tratto successivo, se sarà stato moroso nei pagamenti alle respettive scadenze potrà essere convenuto in Giudizio, perchè venga rilasciato contro di lui mandato da potersi eseguire in ogni successiva scadenza* = Qualis vero, et quanta esse debeat mora debitoris, quæ perpetuo isti Mandato viam aperiat, ipse explicat *Art.* 657., qui proxime sequitur = *Ad oggetto, che sia luogo ad una tale domanda, dovrà il creditore giustificare negli atti la triplice mora del debitore risultante dall'essersi in tre distinti termini di pagamento contro di lui*

rilasciato il mandato = Atqui non est ambigendum, in triplicem moram incidisse Odescalchios, et triplex adversus eos judiciale Mandatum obtinuisse Loffredium. Prima siquidem mora, cui primum successit Mandatum, locum habuit mense Decembris anni 1820., quo in jus vocati ad fructus Censualis nominis rependendos, nonnisi post septem integros menses, et post latam Sententiam solverunt. In secundam itidem moram, quæ alterum secumtulit Mandatum, tunc prolapsi sunt Odescalchii, cum, priori emenso semestri tempore anni 1821., nec fructuum quantitate numerata, oblatum eis est vadimonium, et distincta deinde lata Sententia. In tertiam deinque moram, ac tertium pariter Mandatum iidem incurrerunt Odescalchii, postquam, altero emenso trimestri spatio ipsius anni 1821. oportuit contra invitos debitores actionem instruere, novaque Sententia ad fructus pensitandos eos compellere.

2 Apparebant hæc omnia ex actis, et licet in discrimen non revocarentur ab Odescalchiis, perperam tamen implicare ea satagebant cum judiciis aliis, quæ tres postremas præiverant super fructuum solutione Sententias, quæque fuerant acta fervente adhuc controversia de retentione *quinti, vel decimi*. Excusare hinc contractam moram volebant, quod integros peteret fructus Loffredius, quos postea ad justum modum cohibitos, solvendos esse Sacri Nostri Ordinis Sententia decrevit. Sed quamvis hæc anteacta judicia pondus adjiciant moræ debitorum, non sunt certe in præsens necessaria ad *perpetuum* obtinendum Mandatum, quod semper erat creditori concedendum, semelac de triplici mora, triplicique simplici Mandato constabat, in hypothesi etiam, quod antea diligentissimi statis temporibus Odescalchii in fructuum solutione fuissent. Ipsa namque Lex judiciarii Codicis, nullam habens de anteacta debitoris ora, vel diligentia rationem, *pure, et simpliciter* edixit, quod = *ad oggetto che sia luogo ad una tale domanda, dovrà il creditore giustificare negli atti la triplice mora nel debitore resultante dall' essersi in tre distinti termini di pagamento contro di lui rilasciato il Mandato* = Priora igitur judicia non erant eum posterioribus commiscenda, in quibus non solum aderat triplex mora eum triplici Mandatu, sed nulla etiam ab Odescalchiis afferri poterat ratio, quæ captas excusaret inducias, cum jam penitus absoluta quæstio fuisset de retentione *quinti*, vel *decimi*.

Nec rectius urgebant Odescalchii, non 3
omnem moram reprobandam esse, ac perpetui Mandati remedio aditum præbere, sed eam demum, quam juridica interpellatio præcesserit, et injusta litis sustentatio fuerit subsequuta. In moram quippe statim inciderunt Odescalchii, cum certa esset dies adjecta solutioni, multoque magis moram contraxerunt ex omissa fructuum præstatione, qui quolibet semestri spatio erant pensitandi. Peculiaris autem interpellatio tunc requiritur, cum agitur de mora contrahenda ex dispositione Legis, non vero quando debitor in mora constituitur ex contractu, et ex certa die solutioni præfinita, quo casu dics ipsa pro homine interpellat = *Cum ea, quæ promisit, ipse in memoria sua servare, non ab aliis sibi manifestari debent* = ut his verbis inquit *Imp. Justinus in leg. Magnam Cod. de contrahen. et cammitt. stipulat.*, quam sequitur *Cenc. de Consibus quæst.* 106. *num.* 15. *Gudelin. Syntag. Reg. Jur, Cap.* 17. *num.* 44., *et Sacer Noster Ordo in Rec. decis.* 50. *num.* 12. *part.* 17. *coram Cerro, dec.* 783. *num.* 10. *coram Falconer. de dote, decis.* 4. *numer.* 4. *coram Ratta decis.* 299. *num.* 6. *in Senogallien. Emphyteusis* 29. *Aprilis* 1803. §. 6. *coram Ansaldo*, *in Urbinaten. Restitutionis in integrum* 6. *Julii* 1804. §. 9. *coram Rmo P. D. meo Serlupi Decano*, *et in Romana, seu Tyburtina pecuniaria* 23. *Martii* 1821. §. 9. *coram Me.*

Neque vero concitanda est in Lof- 4
fredium invidia quasi quod impatiens, et praeceps vix adventa die solutionis, in jus vocaverit Odescalchios, quin saltem ulla præmiserit urbanitatis officia. Quamvis enim ita se in debitores gessisset Loffredius, hæc tamen agendi ratio

nullum præseferebat obstaculum petito Mandati perpetui remedio cum exploratum in Foro sit, neminem lædere, qui utitur jure suo ad *Text. in Leg. Nullus* 95. *Leg. Nemo* 115. *ff. de reg. jur. leg. Procalus* 26. *ff. de damno infecto.* Cæterum hoc etiam animadversione dignum occurrebat cunctatum semper fuisse Loffredium in singulis instituendis judiciis, ut interim ad ufficium redirent Odescalchii, et ne fieret sumptuum jactura. Satis id colligebatur ex comparatione dierum, tum eorum, in quibus cessit fructuum solutio, tum aliorum, in quibus cessit fructuum solutio, tum aliorum, in quibus vocati ad vadimonium fuerunt Odescalchii. Sed urbanitas, et cunctatio creditoris extranea sunt ab indole Legis, quæ tantum requirit triplicem moram, et triplex Mandatum. Cum vero, neque de primo Legis extremo, neque de altero dubitari valeat, sponte sequitur, Mandati perpetui remedium locum sibi vindicare. Quandoquidem non obstat, tria illa Mandata, quæ ad Mandatum obtinendum perpetuum nova Lex judiciaria præstituit, in themate quoad exequutionem deficere. Quoties namque triplicem debitoris moram ex eo probari exigit Lex, quod fuerit = *in tre distinti termini di pagamento rilasciato contra di lui il mandato* = facillimum est conjicere Legem ipsam non requirere *exequutionem* Mandati, *sed relaxationem* tantum, ut inquiunt, seu debitoris condemnationem.

5 Differunt sane inter se Mandati *relaxatio*, ejusque *exequutio*. Relaxatio enim nihil aliud est, quam ipsa Judicis pronunciatio, reique conventi condemnatio, vel absolutio, cum alioquin exequutio quamquam fieri nequeant sine relaxatione, ab uno tamen pendeat nutu creditoris, quemadmodum optime monuit Sacrum Nostrum Tribunal in *Ravennaten. seu Pisauren. Nullitatis exequutionis, attentatorum, et Spolii* 22. *Januarii* 1819. §. 5. *coram R. P. D. Odescalcho et in Confirmatoria* 10 *Januarii* 1820. §. 8. *coram eodem*, *et in alia confirmatoria* 6. *Decembris* 1820 §. 13. *coram R. P. D. Meo Bussio*, *et in postrema confirmatoria* 19. *Februarii* 2821 §. 12, *coram eodem R. P. D. meo Bussio.* Functus hinc est officio suo Judex, postquam pronunciaverit, nihilque refert, an Judicis Sententiam, vel Tabellio, vel quilibet alius scriptis mandaverit, vel publici etiam juris fecerit, quia condemnatio, et relaxatio Mandati a pronunciatione Judicis pendet, non a calamo scribentis, qui cæteroquin nihil aliud exscribit, quam id tantum, quod fuerit ab ipso Judice definitum. Non ergo in hoc casu quærendum, utrum Mandatum a Judice relaxatum exequutioni commissum sit, vel ipsa Judicis pronunciatio in solemnis Sententiæ formam deducta. Hoc unum Lex voluit *art.* 658. *et* 659., *ut si trina* Mandata ab eodem Tribunali lata fuerint= *il Creditore ne faccia la ripetizione* = aut si forte a diversis Judicibus oriantur = *Dovrà il Creditore produrre la fede autentica* = At quoniam ab uno, eodemque Tribunali A. C. Loffredius obtinuit ea *trina* Mandata, nec alioquin in discrimen revocetur, Loffredium ipsum implevisse = *la ripetizione* = nulla ratio suberat, cur Mandati perpetui remedium a Triumviris A.C. demandatum, hodie non esset a Patribus confirmandum.

6 Deterius Odescalchii traducebant veluti inusitatum, et incognitum perpetuum Mamdatum ante Judiciarii Codicis promulgationem, a quo tantum inventum fuisse clamabant. Etiamsi namque verum esset, perpetuum Mandatum ignorasse Forenses, et Pragmaticos, antequam in lucem nova praxeos instituta venirent, non ab hoc tamen sequebatur, Legem de Mandato perpetuo non esse servandam. Quin imo nova quælibet Lex exequutionem meretur, velut si vetustissima fuisset, cum alioquin actum sit de publica civium tranquillitate, et Legislatorum imperio. Attamen non recte infertur, perpetui Mandati remedium in Foro non factitati, quod nulla de eo fortasse mentio in practico practicis, vel pratico theoricis Scriptoribus occurrat. Notissimum quiqpe fuisse, et sæpius adhibitum Mandati perpetui remedium, tum

multa monstrant exempla, quæ inter recens Loffredii factum, qui debitorum moræ pertesus coram A. C. Met postulavit, obtinuitque anno 1815. Mandatum perpetuum, quo tempore non adhuc judiciarius Codex prodierat; tum etiam monumentum præbet epigraphes ipsa præfati tituli XVI. judiciarii Codicis, qui adamussim inscribitur = *del mandato pregressivo conosciuto sotto il nome di Mandato perpetuo* =.

7 Hoc itaque unum nova Lex fecit, ut nempe Mandati perpetui judicio, quod antea incertum erat, et a Judicis arbitrio pendebat, certa extrema præfiniret, ex quibus tum illud Actori petere permissum, tum Judici injungere licitum esset. Ideo Lex eadem statuit, in moram incidere debitorem, si in eum fuerit = *in tre distinti termini rilasciato il Mandato* = Et mandatorum relaxationem probari, aut = *colla ripetizione* = *aut* authentico eorum in acta relato testimonio, prout fert casuum diversitas. Hac quoque ex causa vetuit, ne Judices perpetuum decerneret Mandatum, nisi prius probaverit creditor = *la continuata mora del debitore a tenore degli Articoli precedenti* = Propterea demum sancivit, perpetuum istud Mandatum a Judice concessum exequutioni committere non posse creditorem, nisi = *dopo le rispettive scadenze* = veluti fusius apparet in prædicto tit. XVI. judiciarii Codicis *art.* 658. 659. 660. Et revera nil aliud est Mandatum perpetuum, quam judicium quoddam præventivum, de quo innumera in jure nostro fere extant exempla. Nemo quidem invitus ad agendum compelli potest ad *Text. in leg. unic. Cod, At nemo invit. ag. vel accus. cog.* Si quando tamen contingat, quempiam alienis subesse diffamationibus, aut incertum manere rerum suarum dominium, duplex succurrit Legum dispositio, ut ii quorum interest nil timeant ab alienis jactationibus, sibique pariant in re sua securitatem.

8 Oritur prima dispositio ex *Leg. Diffamari Cod. de ingen. manumissis*, ex qua si quis ad alterius bona jus habere præsumat, eumque uti injustum redarguat rei possessorem, provocari statim potest, ut jura sua deducat intra certum tempus, ea alioquin amissurus. Dispositio alia proficiscitur ex *Leg. Si contendat* 28. *ff. de fidejussor.* in qua alterius timens molestias, promptum sese exhibere potest ad comprobandum jus suum in *præventiva* actione. At quemadmodum quis potest harum Legum dispositione uti, ut alienas compescat injurias, veluti etiam tradiderunt *Voet. in Pandect. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 7. *Heinecc. ibid. part.* 2. §. 18. *Stryk in not. ad Lauterbach pag.* 68. *Ridolphin. in praxi part.* 3. *cap.* 3. *num.* 46. *et* 47. *num.* 110. *et S. Nostrum Tribunal in Anconitana super absolutione ab abservatione judicii* 4 *Martii* 1796. §. 2. *coram cl. me. Card. Malvasia*; ita pariter uti quis potest hac actione præventiva, ubi agitur de solutione stata die consequenda. Non enim cogendus videtur Creditor, ut pro singulis pensionibus tot distincta judicia instituat, ac tot lites agat, quot sunt termini solutionum. Non immerito hinc cautum ad hæc incommoda tollenda, ut liceat creditori pensionum, quæ in annos, e t menses singulos redeunt, ante diem solutionis agere, et *præventivum* Mandatum reposcere, tunc demum exequutioni mittendum, eum ipsa dies advenerit. *Cenc. de Censibus quæst.* 96. *n.* 43 *Leotard, de usuris quæst.* 21. *num.* 31. *Fontanell. de pact. nuptial. claus.* 4. *gloss.* 18 *part.* 4 *num.* 19.

Perperam demum succensere Legi conabantur Odescalchii, quasi quod plena sit asperitatis, et naturalem defensionem præripiat. Nemo siquidem dixerit, asperam, et duram eam Legem esse, quæ homines in officio continet, et certum moræ debitorum modum constituit, eorumque pervicaciam coercet. Defensionem autem debitori tollere nequit, quia is nulla exceptione se tueri potest, dum per trina judicia, et trina Mandata damnatus ad solutionem fuit. Quod si forte contingat, ut aliqua de causa, vel quod res locata defecerit, ut in locationibus conductionibus, vel quod perierit fundus censitus, ut in Censuali contractu passim usuvenit, integram pensionem aut ejus partem reti- 9

nere Debitori liceat, præsto ei est actio *conditionis indebiti*, ex qua id repetat a Creditore, quod indebite ei solutum contendit. Provida igitur immo est Sanctio de perpetuo Mandato, quæ si etiam asperitatis, et odii notari posset, adhuc tamen servanda esset, quia Lex est *ad Text. in Leg.* 1, *ff. de Leg. Prospexit* 12 *ff. Qui, et a quibus manumissi*, *Rot. in Rec. Decis.* 103. *num.* 1. *part.* 3. *et decis.* 243. *num.* 1. *part.* 5. *et dec.* 29. *n.* 30. *cor. Ansuldo.*

Et ita utraque parte jura sua deducente, jus redditum est.

ROMANA PRAESTATIONIS JURAMENTI

Lunae 5 *Maii* 1823.

ARGUMENTUM

Jusjurandum deferri nunquam debet, ubi plenae suppetunt probationes. Ac si reus detrectat rem restituere, Actori est deferendum.

SUMMARIUM

1. *Si probationes ex parte Actoris adsunt, jusjurandum deferre nequit.*
   Nefas est de veritate testimonii dubitare, cujus interventu contractus initus fuit - ibid. -
2. *Cum de lapillis agatur, quae non sunt rudes, quovis tempore ab eorum artifice possunt recognosci.*
3. *Impium est suspicari de teste, qui deponit, in imminenti mortis periculo.*
4. *Jusjurandum Actori, et non reo, qui rem restituere detrectat, est deferendum.*
5. *Tunc tantum, ubi praefocatio est certa, ac indubia, reo convento deferre potest jusjurandum.*
6. *Quoties merces sine ulla praecedenti aestimatione traduntur, illico fraudis maxima exurgit praesumptio.*
   Quae in Rejudicata sancita fuerunt, oportet ut rata, firmaque habeantur - ibidem. -
7. *Etiam merces, quae a visu, tectuque absunt, possunt recte per Peritum aestimari.*

DECISIO CXXXIX.

Cambiale nomen Philippus Pericoli, publicis exaratis tabulis die 22 Aprilis anni 1820, cum Emanuele Giorgi inivit. Ita vero contractum hunc constat fuisse perfectum. Data nempe tantum Georgio fuit a Pericolio tessera = *bono* = pro scutis 300., traditi insuper quamplurimi diversarum specierum lapilli, aliæque id genus merces proprio arbitrio æstimatæ in scutis 1800., ac demum, futurarum per biennium usurarum nomine, scuta 400 addita, pro quibus simulatam acceptilationem ipse Pericolius emisit. Hinc per illud Instrumentum Georgius professus est sese scuta 2500 in totidem aureis argenteisque nummis recepisse, quæ infra sexennium, conventis interim bessibus usuris, ei restituere promisit. Sed Georgius, vix anno a die stipulationis Instrumenti elapso, coram A. C. Collegio de nullitate cambii conquestus, ut suum debitum ab usuraria labe purgatum ad justi, et æqui tramites redigeretur, expostulavit. Incepto statim adfuit fortuna. Equissimæ enim ejus petitioni consona incunctanter prodiit Sententia, quæ nullum irritumque renunciavit contractum, atque una simul Præsuli Colapietro mandavit, ut justo Lapillorum pretio, opera periti adhibita, cognito, habitisque in calculo pecuniis numeratis, usuris vero prorsus rejectis, quid, quantumque Georgius Pericolio vere debuerit ad liquidum perduceret. Edito huic judicio, animo non invito Pericolius acquievit; quin imo illud accepto ita tulit, ut ipse apud Judicem Relatorem institerit = *perchè si ordini ciò, che è di ragione ed opportuno, per procedere alla liquidazione, tanto pel valore degli oggetti di Arte col mezzo dei periti da deputarsi, quanto ancora delle somme sborsate ai termini della Sentenza.* = Communi partium consensu Judex in peritum Aloysium Kusterman elegit; qui de vero prædictorum Lapillorum, aliarumque rerum pretio referret.

Sed, dum a Perito æstimatio peragenda erat, acris altera exarsit contentio. Nam, cum Georgius, loco mercium illarum, quæ Neapolis a Pericolio sibi traditæ fuerant, quosdam nullius valoris alios Lapillos parum ante Romæ comparatos perito exhibuisset, machinatione Pericolius comperta, ma-

gno animo iterum A. C. Tribunal adivit, contendens ut, quoniam ex ipsius Georgii culpa, qui venditas a se merces haud servaverat, fieri amplius non poterat, ut earum pretium a perito dignosceretur, scuta 2100., quæ contenta in cambii instrumento fuerant, persolvenda sibi essent. Verum spem fefellit eventus. Conventione enim prorsus despecta, A. C. Triumviri interlocutorio decreto edixerunt, ut ad tramites cujusdam notulæ, ab ipso Georgio exhibitæ, et a Pericolio probatæ, quæ numerum, et speciem Lapillorum, aliarumque mercium continebat, earum æstimationem peritus perficeret, ac, ut rectius commisso munere is fungi posset, jusserunt = *che qualora il Giorgi giuri, che il reliquato delle pietre provenga dalla vendita fattagli dal Pericoli, il Perito se ne serva, come di guida, per determinare la bontà intrinseca delle pietre*. Aegre vero tulit Pericolius, ut identitatis Lapillorum probatio, ac eorum pene æstimatio, contra notissima omnia juris elementa, ab juramento Georgii, cui sane in re propria fidendum non erat omnino penderet, ipso idcirco ad Sacrum Nostrum Auditorium provocante, mihi commissum fuit, ut Patres de sententia rogarem. Exhibui igitur Dubium = *An sit locus praestationi juramenti in litem per Emanuel ad formam Sententiae A. C., seu potius, et in qua summa constet de credito Philippi, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* cui Responsum accepi = *Negative ad primam partem affirmative ad secundam, et esse relaxandum mandatum pro summa liquidanda juxta aestimationem faciendam a perito ad formam notulae, et juxta regulas artis*. In peritum vero confirmarunt eumdem Kustermannium ab A. C. Tribunali deputatum.

1 Et merito. Dubitandum siquidem non erat, quin rectissimum editum a Sacro Nostro Ordine judicium censendum esset; quoad primam dubii partem quod attinet, Triumvirorum A. C. revocata Sententia, juramentum Georgio deferendum esse negavit, ut is probet, an ea Lapillorum pars, quam Perito obtulit, ex iis vere fuerit, quos Pericolius ei pro aureis, urgenteisque nummis Neapolis tradiderat. Numquam enim per Leges licuit Judici libitu suo juramentum litigatoribus deferre, sed tantum hæc ei facultas tributa fuit, si causa sit dubia, atque ita probationum inopia, laboret, ut secus expediri non possit. Nam probationibus ex parte actoris suppetentibus, juramentum reo deferre aperte iniquum, et contra omnes juris regulas esset; cum convictos condemnari oportere in ore omnium vulgatissimum sit. Hæc cum ita in jure se habeant, quemadmodum planissimum est, pluribus opus non erat, ut palam fieret injustissime juramentum Georgio fuisse delatum. Luculentissime siquidem Pericolius, in hoc quo versamur, liquidationis judicio, actoris partes sustinet, quod ne in discrimen quidem revocatur, et satis superque evincit judicialis ejus postulatio, plurium testium fide demonstrat allatos Lapillos nequaquam eos esse, quos Georgio ipse ante vendiderat, atque in eo veritatis gradu rem adducit, ut nullus ambigendi locus supersit. Jacobus enim Veccia præsto est, contractus inter Georgium, et Pericolium initi conciliator, qui, iis Lapillis sedulo perlustratis, asserere haud dubitat = *che niuno sicuramente frà detti oggetti era di quelli venduti dal Signor Pericoli al Giorgi in Napoli colla mia mediazione: gli oggetti esibitimi dal Signor Kusterman erano di niun pregio, ed infinitamente inferiori a quelli venduti dal Signor Pericoli*. Quæ depositio quanti sit facienda neminem latet, cum certum exploratumque in jure sit, nefas esse de veritate testimonii eorum dubitare, quorum interventu contractus initus fuit.

Sed res longe perspicuior fit ex depositione Angeli Radunii qui, vix lapillos, qui perito exhibiti fuerant, inspexit, illico eorum partem cognovit venditam a se vilissimo pretio Georgio fuisse. Testatur enim, *aver riconosciuto che fra le corniole ve ne erano sei comprate al mio negozio a bajocchi cinque l'una; fra gl'incavetti vi erano due cal-* 2

cedonie, ed *una cornioletta abbruciata vendute circa bajocchi quindici l'una; fralle amatiste tre, una delle quali non ancora lustrata vendute parimenti in tutto bajocchi sessanta, un cristal di Monte, ossia topazio grande da me venduto parimenti al mio negozio per bajocchi quaranta* = quæ omnia sese vendidisse recordatur = *ad un tal Domenico Ortensi, che venne in mia bottega con altra persona a me incognita, bassa di statura, e magra di carne, la quale trattenevasi in disparte fuori del mio negozio* = Raduini testimonio alterum etiam Philippi Cerella, ejusdem Officinæ institoris, ad unquem cohæret, qui idipsum iisdem pene verbis affirmat, quod Raduinius narrat. Refert enim, et ipse easdem quisquilias cuidam Ortensio venditas fuisse = *essendo stato al di fuora a rondeggiare il Signor Emanule Giorgi, che benissimo conosco* =. Nec ad detrahendam hisce testibus fidem juvit opponere, eam esse illarum mercium naturam, et conditionem, ut nemini datum sit eas recognoscere, semelae ab oculis elapsæ fuerint. Sciens enim, et prudens hæc Georgius imponere studet. Nam, cum de lapillis agatur, quæ non sunt rudes = sed *lavorati e faccettati* = hos quovis tempore ab eorum artifice posse recognosci quisque facile intelligit, ipsique etiam testantur periti, qui adducti a Georgeo fuerunt.

3 Clarum ex hisce quam maxime est quæsitos aliunde a Georgio omnes profecto lapillos fuisse, qui perito oblati fuerunt. Verum, ne quid dubietatis quoad eorum differentiam, Georgeique machinationem supersit, supremum imponit culmen Dominici Ortensi depositio, qui, non solum Georgio adjutrices præbuisse manus in iis emendis a Raduinio quisquiliis testatur, sed etiam subdit sese ex ejusdem Georgei ore audivisse = *che all'occasione, che ei volle tornare in Roma, consegnò tutti gli oggetti, che gli rimanevano ad esitare ad un Negoziante Napoletano a condizione, che fra un determinato tempo dovesse, o restituirgli gli oggetti invenduti, o il prezzo convenuto* =. Nec Ortensi fides, quod antea narraverat retractantis, abjecti quamvis flagisiotique hominis, suspecta haberi potest; gravissimo namque oppressus morbo, cum mortem sibi imminere sentiret, Ecclesiæ Sacris roboratus, stimulisque conscientiæ perculsus, eo tempore testimonium illud perhibuit, quo fere impium esset suspicari in ipso falsitatem. Si igitur Proxeneta, contractus mediator, toto negat eos lapillos Perito exhibitos ex iis esse, quos Georgius a Pericolio acceperat; si eorum partem patet in Officina Angeli Raduini coemptam fuisse; si demum Georgius ipse quidquid illorum vendendum sibi supererat Neapolis reliquisse professus fuit; nil amplius sane desiderandum erat, ut perspicuum foret, allatos lapillos minime reliquum eorum fuisse, qui a Pericolio traditi fuerunt. In re itaque adeo manifesta nullus locus juramento esse poterat quoad lapillorum identitatem, quæ exclusa undique manet

Sed eo vel magis ab A. C. Triumviris erratum fuit, dum Georgium ipsum reum conventum temere Iudicem quodammodo in propria causa constituerunt, ei ad id juramentum deferentes, ut Peritus ex eo normam sumeret ad pretium lapillis tribuendum. Iuramentum siquidem in litem, rei contumaciæ coercendæ causa, qui rem, quæ reddi debuerat, restituere, vel exhibere dolose detrectat, soli defertur Actori: *Dolus, et contumacia non restituentis, vel non exhibentis ponitur quanti in litem juraverit actor.* Ita pereleganter inquit Iurisconsultus *in Leg.* 2 § 3 *de in litis jur.* Asperum vero nimis, nec ferendum esset, ut actor jus suum ex Adversarii dolo consequi non posset. Ius immo, et æquitas exigit, ut unus reus, qui habet, quod sibi imputet, is facto suo eo rem perduxit, ut, nonnisi quam solo actoris jurejurando, æstimari res debeat, culpæ dolique sui poenam luat. Actum porro esset rei, actoris indemnitate, si in arbitrio de de cujus dolo, et culpa constat, relinqueretur statuere, quid a se præstandum esset. Jusjurandum tum iniquitatis præsidium foret, ac proposito perjurii præmio, ad fraudes magis, magis- 4

que patrandas reus alliceretur. Si itaque Georgius, ut supra animadversum fuit, rei conventi in hoc judicio personam sustinet, jam patet manifestissime, nonnisi omni jure, et judiciorum ordine proculcato, jurandi in litem potestatem ipsi factam fuisse.

5 Quanti hæc sint ponderis sentit quidem Georgius. Divertens itaque ad contractus pravitatem, qui solemi rejudicata renunciatus fuit *storco, e ciavanzo*, omnibus viribus insistit regulæ quod ubi de doloso, ac usurario contractu agitur, non fæneratori, sed ei, qui necessitatibus pressus fæneratori jugulum dedit, juramentum in litem sit deferendum. Sed prorsus infelici conatu. Nam, si aliquando, ut impiæ fæneratorum machinationes detegentur, ac misero, et incauto debitori succurrendum esset, summa cum æquitate indultum ei fuit, ut, injecto Religionis metu, quid, quantumque revera a fæneratore acceperit, aperiret, id tamen nequaquam huic themati aptari potest. Nam, licet ex illius illiciti contractus indole maxima exsurgat præfocationis præsumptio, hæc tamen nec certa, nec indubia dici potest, donec periti relatio prodeat in lucem; potissime vero, cum Veccia, Ortensius, aliique testes, non modo Georgium de pretio mercium, quæ ei a Pericolio traditæ fuerunt, quæstum numquam fuisse, sed in earum venditione etiam profecisse uno ore affirment, pluresque etiam negotiatores, et artifices, lapillorum notula inspecta, de justo eorum pretio fidem faciant. Verum, hoc etiam misso, a Georgio adhibitæ machinationes ad Pericolium justo lapillorum pretio fraudandum satis superque Patribus fuerunt, ne eas tuendi ope juramenti, Georgio spes relinquenda esset. Jurisjurandi enim vis bunæ tantum fidei, morumque sanctitati innitur quæ, si deficiant, religionis fundamentum omnino corruat oportet. Quod si igitur Georgius adeo parum honestæ fidei sese ostendit, ut quam maxime verendum sit, quod magis quæ velit, quam quæ sciat vera esse, nimia lucri cupiditate incensus sit juraturus, sane non erat ei fidendum, meritoque Patres permittendum esse negarunt, quod ejus arbitrio vera lapillorum æstimatio quodammodo committeretur.

6 Re huc perducta, patens nec minus erat, rectissima æque quoad alteram Dubii partem constitutum fuisse, ut probaretur Pericolii creditum in genere, de quo nulla erat inter partes contentio, verum ad creditum in specie quod attinet, judicium differretur, donec idem Peritus Kusterman, a Triumviris A. C. deputatus, in quem utrique litigantes consenserunt, munere traditos lapillos, juxta notulam a Georgio productam, et secundum regulas artis æstimandi functus fuerit. Quin ullo in calculo haberi promeruerint Pericolii querelæ, qui omnibus contendebat viribus lapillorum pretium, ab ulla procul peritia, ad conventionis tramites esse definiendum. Nam, quoties merces sine ulla præcedenti æstimatione cum pecunia commixtæ traduntur, illico fraudis suffocationisque maxima exsurgit præsumptio; nec inconsulto idcirco probari poterat justum fuisse pretium in eo simulato cambii instrumento lapillis adtributum. Hujusmodi porro contractus multa malitia inventi sunt ad obruendos homines pecunia egentes, atque rei publicæ interest, et quam maxime interest, ne vel minime laxetur juris rigor, qui ad fæneratores ab impiis machinationibus deterrendos rectissime tendit. Quapropter, si Pericolius arbitrio suo dumtaxat Lapillis valorem scutorum 1800 constituit, ea sane æstimatio stare suis viribus haud poterat. Verum, indole etiam illeciti contractus seposita, rem omnem conficiebat solemnis Resjudicata, quæ a Perito explendam esse Lapillorum æstimationem edixit. Oportet ut rata, firmaque habeantur, quæ Rejudicata sancita fuerunt; potissime vero in themate, cum Pericolius ipse adeo accepto eam tulerit, ut ipse pro deputatione Periti coram Judice Relatore institerit, cui Lapillos æstimandi munus mandaretur. Incivile profecto est, ut quod jam ipse probavit, nunc ei grave videatur.

Pronæ nec magis Pericolio præbendæ aures sunt, dum fieri haud posse clamat, ut merces æstimentur, quæ distractæ fuerunt, quæque a visu, tactuque absunt, ideoque nil periti opera inutilius esse. Notula enim adest, quæ traditarum mercium *tum* numerum, *tum* speciem continet, quam satis esse, ut rectum de justo earum valore judicium ferri possit inficiari Pericolius non potest, cum ipse coram A. C. Triumviris plures Negotiatores, et artifices adduxerit, qui asserere non dubitarunt, quod pretium in ea notula mercibus attributum nulla excessus labe infectum fuerit. Cum igitur nulla superesse possit ambiguitas, quin maturo consilio, *tum* Georgii juramento, *tum* conventione prorsus despectis, Lapillorum æstimationem arbitrio periti viri Patres definiendam commiserint, consequens inde necessario fuit, ut, cum quid, quantumque vere Georgius debeat, non edita peritia, nec initis calculis, adhuc lateat, relaxari mandatum pro summa liquidanda debuerit.

Atque ita Utraque parte acriter decertante resolutum fuit.

ROMANA SEU LONDINEN

RESCISSIONIS CONTRACTUS

Lunae 16 *Junii* 1823.

ARGUMENTUM

Per Aedilium Edictum, cautum fuit, quod in venditione animalium, patefaci debeant a venditoribus vitia. Idque, tam si agatur de vitiis corporis, quam de vitiis animi. Discrimen maximum intercedit, inter vitium, et morbum. Illud semper praesumitur praeexistere venditioni, nisi contrarium probetur.

SUMMARIUM

1. *Lex sex mensium spatium, ad exercendam actionem redhibitoriam praestituit.*

   Aedilium Edictum, cavet, quod in venditione animalium, patefaci a venditoribus debeant vitia - ibidem. -

2. *Si in contractum deducitur partim res, et partim pecunia, dicitur contracta emptio, si pretium rei valorem excedat,*

   Sin autem res ipsa superat pretii quantitatem, permutatio censetur - ibidem. -

3. *Etiam in permutationis contractu licet redhibitoriam actionem experiri.*

   Ubi quis plures equos emit, ut ad vehiculum componeret, si quis eorum vitiosus sit, omnes simul redhibentur - ibidem. -

4. *Redhibitoria actio habet locum, tantum ob vitia corporis, quam ob vitia animi.*

5. *Etiam pro animi vitiis tenetur venditor, si pactum expressum adsit.*

   Ubi scriptura deficit, ibi maximam sibi fidem, vindicant testes - ibidem. -

6. *Testes conciliatores omnem merentur fidem.*

   Sperni debet testis, qui in mendacium prolapsus fuit - ibidem. -

7. *Testis mendax in una, talis in omnibus reputatur.*

   Si de consuetudine agitur juri contraria. rigorosae facti probationes requiruntur - ib. -

8. *Ad inducendam consuetudinem contra jus, requiritur, quod actus sint in contradictorio judicio probati.*

   Pactia expressa semper deragat consuetudini - ibidem. -

9. *Omnes fides est adhibenda perita, quum agitur de vitiis animalium.*

   Si per eum, cujus interest, stetit quominus conditia impleretur, haberi debet pro impleta - ibidem. -

10. *Actio redhibitoria competit, etiamsi venditor animalis vitium ignoraverit. -*

11. *Neminem, praeter foeminas, et minores, excusat juris ignorantia.*

12. *Ex temporis celeritate, quo vitium erumpit, praesumitur extitisse ante venditionem.*

13. *Maximum discrimen intercedit inter vitium, et morbum.*

    Vitia quaecumque semper vetera praesumuntur - ibidem. -

14. *Magis creditur testibus deponentibus super affermativa, quam testibus negativis.*

15. *Alteri ex litigantibus, non est permissum, dum lis fervet, equos mederi.*

16. *In dubio praesumitur vitii praeexistentia.*

17. *Actio aestimatoria proponi potest, etiam post quam quis egerit actione redhibitoria.*

18. *Praedicta actio, secumfert ut redhibitoria, contractus rescissionem.*

DECISIO CXL.

Geminos jugales equos a Marchione Basilio Potenziani cum emere destinasset vir æque nobilis, ac natione Anglus, Guillelmus Drummond de Lap, qui anno 1821., peregrinationis gra-

tia, Romæ morabatur, præter acceptam de sanitate sponsionem, de ineundo equorum periculo cum venditore convenit. Sed quoniam ab experimento, quod ipse summo artificio paravit, et exegit gradario cursu venditoris auriga, non ea patuere vitia, quæ postmodum inventa in altero ex equis fuerunt, deceptus emptor specie recti cessit ideo venditori in pretii partem, quod antea contrahentes in argenteis nummis *biscentum viginti* constituerant, duas equas ab Anglia ductas, et scutis *octoginta octo* æstimatas, eisque addidit alia scutata *centum triginta duo* ex numerata pecunia, de qua acceptilationem puram, et simplicem idem venditor exaravit, quia nulla de contractu scriptura confecta fuerat. Postridie tamen experimenti, et initi simul contractus, venditoris auriga remoto, remotisque fallaciis, quibus ille usus fuerat, ne vitia cognoscerentur, cum statim placuisset emptori, equos rhedæ supponere, adeo refractarius, et contumax eorum alter apparuit, ut usum redderet prorsus inutilem. Deceptionem tunc Anglus agnovit, qui illico Marchionem Basilium rogavit de emptione venditione ex æquo, do bono rescindenda. At, licet ipse primum sese paratum ostenderet novo peragendo equorum periculo, pænitentia nihilominus deinde ductus propria dicta revocavit, et multo magis petitæ restitit rescissioni contractus.

Oportuit itaque ad juris, legumque præsidium convolare, et rescissionis actionem instruere coram Advocato Chiodi, altero ex Assessoribus Tribunalis A. C., qui primum Antonium Bianchini, Sacri Palatii Apostolici equorum Magistrum, elegit, ut de vitiis equi referret, et an ea præcesserint, vel subsequuta fuerint contractum; postea vero equos ipsos in Ædem Urbanam jussit asportari. Sed, quamvis a demandato periti hominis temperamento, quod cognoscendæ veritati maxime conducebat, declinare tentaverit Marchio Basilius, potuit attamen equorum magister, juxta artis suæ regulas experimentum inire, ex quo cum compertum fuisset = *che il cavallo destro è inservibile per tiro, essendo inveterata la sua piantagine* =, meritam idcirco tulit Judex ille Sententiam, in qua postulatam contractus rescissionem tribuit actori. Compromissum hinc est duobus Arbitris, Josepho Bombelli Causidico, atque Angelo Brunelli, eisque in diversas abeuntibus sententias, itum est ad Romanæ Curiæ Advocatum Olympium Tavecchi, qui compromissi terminum elabi sivit, quin suffragium suum ederet super exorta controversia. Sic, cessata Arbitrorum jurisdictione, redierunt Partes ad alium Assessorem Tribunalis A. C., Advocatum Ferrari, qui priorem Sententiam in appellationis gradu revocandam existimavit. In hoc propterea judiciorum conflictu, cum ex Pontificia venia delata quæstio fuerit ad Sacrum Nostrum Tribunal, præviis duabus Decisionibus, ac tota Aula suffragante definienda, disputatum primo est de Dubii formula, quam jugiter a Patribus in hæc verba constitutam = *An sit locus rescissioni contractus in casu etc.* = dirimendam hisce in Comitiis *affirmativo* responso censuerunt.

Sive enim retineri velit Statutaria 1
Sanctio, quæ cæteroquin abrogata fuit, quæque *quatraginta* dierum terminum tribuebat emptori ad exercendam redhibitoriam actionem; sive melius servari placeat Communis Juris censura, quæ *sex* imo menses bujusce actionis exercitio præstituit *in leg. Sciendum* 10. §. *ult.*, *et leg. Quod si nolit* §. *Si quid ita ff. de Ædilit. Edicto*: extra omnem quoquo modo ambiguitatis aleam positum erat, intra legitimum tempus rescissoriam, seu redhibitoriam actionem ab Anglo fuisse propositam semelac de vitiis equi, nondum *quindecim* ab emptione venditione diebus elapsis, coram Judice reclamavit. Quapropter si rite hoc judicium emptor instituit, hoc unum superest expendendum, an id recte etiam, ac jure fecerit. At ad juris dispositionem quod attinet, compertissimum omnibus est vetus AEdilium Edictum, ubi

diserte cavetur, ut in emptionibus venditionibus animalium palam a venditoribus fiant, et ostendantur vitia, ac morbi, quibus animalia ipsa laborare fortasse possunt, indicta secus pæna redhibitionis. *Leg. Ædiles* 38. *ff. de Ædilitio Edict. Voet. in Pandect. lib.* 21. *Tit.* 1. *num.* 1. *Sàbell. Summ. divers. tract.* §. *venditio num.* 40. *Rot. Florent. in Thesaur. Ombros. decis.* 48. *num.* 1. *tom.* 12. *et Rot. Roman. decis.* 612. *num.* 1. *part.* 19. *tom.* 2. *Recen.* Si ergo post initum contractum reperta in equis ea vitia fuerunt quæ nullo modo venditor patefecit ante venditionem, sed callide potius occultavit; juri, ac justitiæ consonum est, ut de equis redhibendis juxta Ædilium Edictum judicium proferatur.

2 Nihil siquidem quoad hanc Juris dispositionem proderat Marchionem Basilium equorum venditorem excipere, non emptionem venditionem, sed permutationis imo a se initum cum Anglo contractum fuisse, in quo locum redbibitio non habet. Neque enim verum est de permutatione contrahentes egisse; neque ideo vetitum esset redhibitoriam actionem exercere, si permutationem stipulari placuisset. Et primo quidem, licet nullam contrahentes exaraverint scripturam, ex qua, ope pactionum, aut tituli ab iisdem contrahentibus usurpati, apparere posset cujus indolis, et naturæ fuerit contractus, et permutationis nomen inscite tantum exciderit in acceptilatione pretii a venditore confecta; adhuc tamen jamdiu regulam, et normam Jurisconsulti tradiderunt, ex qua facile dignosceretur, an contractus aliquis permutationem potius, vel emptionem venditionem præseferat. Quoties namque in contractum deducitur partim res, et partim *pecunia*, modo aliunde non constet de manifesta contrahentium voluntate, vel permutationem, vel emptionem venditionem ineundi, tunc dicitur contracta venditio, si pretium rei valorem excedat: si vero res ipsa superet pretii quantitatem, permutatio censetur. Ubi autem res, et pretium æqualis sint valoris, permutationi venditio præfertur, quæ dignior in jure reputatur. *Bruneman. od Pandect. lib.* 19. *tit.* 4. *ad leg.* 1. *num.* 2. *Perez. in Cod. lib.* 4. *tit.* 64. *num.* 6. *Mantic. de tacit. et ambig. lib.*25. *tit.* 2. *num.* 3. *et seq.* Cum igitur in eo, de quo agitur, contractu pecunia in additamentum pretii ab emptore soluta, longe excesserit rei, seu equarum æstimationem, ambigendum propterea non est, de emptione venditione, non de permutatione actum inter contrahentes fuisse.

Quod si etiam permutationem inire contrahentes voluissent, regulæ nihilominus eæ omnes, quæ normam modumque præbent emptionibus venditionibus, vires suas pariter exerunt in permutatione, cum explorati juris sit = *permutationem, utpote re ipsa bonæ fidei constitutam, vicem emptionis obtinere* =, ut his verbis monet *Imp. in leg.* 2. 2. *Cod. de rer. permut.* In jure Civili imo cautum est, ut etiam in permutationis contractu liceat redhibitoriam actionem experiri. *Leg. Aristo* 2. *ff. de rerum permut. Brunnemann. in Pandect. ad dict. leg. lib.* 19. *tit.* 4. *num.* 9. *Hevia de commerc. terrestr. et novat. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 7. *Surd. decis.* 146. *num.* 6. *Constantin. vot. decis.* 2. *num.* 24. *Sanbonnet. de animal. curr. et plaust. cap.* 11. *num.* 16. Nec ideo minus actio redhibitoria competit emptori, quod in uno tantum ex divenditis equis, non in utroque, vitium fuerit compertum. Præter enim quod individua fuit emptio venditio, ac in utrumque, non in singulos equos, pretium constitutum; accedit etiam, ea mente, eoque fine emptorem equos illos sibi comparasse, ut ad vehiculum componeret, non alioquin empturus, si vitium equi scivisset, quod alterius usum impediebat. In hujusmodi porro casibus, quamvis plures equi simul venierint, si quis tamen eorum morbosus forte, vel vitiosus sit, omnes simul redhibentur. *Leg. Cum ejusdem* 24. *ff. de Ædilit. Edict*, *leg. Ædiles* 38. §. 1. *ff. eod. tit.*, *Voet. in Pandect. lib.* 21. *tit.* 1. *num.* 4. *Constantin. Vot. decis.* 2. *num.* 13. *Sanbonnet de animal. curr.*, *et plaustr. cap.* 11, *num.* 100. 3

4 Pressius autem urgebat Marchio Basilius, recipi non posse propositam redhibitionis actionem, quia de vitiis animi agitur, et animi vitia locum redhibitioni non faciont. Sed ob maximam in jure dicundo sapientiam, optime animadvertebant Patres, quod licet Ædilium Edictum de corporalibus tantum vitiis loquatur, ut cautum est *in leg.* 1. §. *ult.*, *et leg.* 4. *ff. de Ædilit. Edicto*, addit attamen, quod = *si quid tale fuerit*, *sive vitii*, *sive morbi quod usum*, *ministeriumque hominis impediat*, *id dabit redhibitioni locum* =, ut scriptum est *in Leg.* 1. §. *Sed sciendum ff. eod. tit.* Ex hoc itaque factum est, ut summæ notæ Doctores non desint, veluti *Mangil. de evict.*; *quæst.* 25. *num.* 5. *Card. de Luc. de empt. disc.* 8. *numer.* 9. *Constantin. Vol. decis.* 2. *num.* 11. *Sanbonett. de animal. curr. et plaustr. d. cap.* 11. *num.* 66. *et sequen.*, qui redhibitionem procul etiam a pacto, ad animi vitia producunt. Cum enim corporis vitia facile cognosci ab emptoribus possint, quia sub oculis sunt, et e converso animi vitia ita lateant, ut perspecta minime esse valeant, et facilius occultentur: ita quantum venditio animalium cum omnibus suis vitiis, et absque ulla sponsione liberat venditorem a redhibitionis actione, dum agitur de corporis vitiis; tantum quæcumque protestatio magis efficax, et effrænis animalia vendendi *talia*, *qualia* sunt, ut nostrates inquiunt, impedimento esse non debet emptori, quominus experiatur redhibitoriam actionem, si de vitiis animi res sit, quæ candide debent a venditore manifestari.

5 At præter necessitatem hæc edisseruntur in themate, in quo omnia conficit pactio disertissima, qua venditor sanitatem equorum promisit. Neque enim dubium, quin etiam pro animi vitiis juxta Ædilitium Edictum præsto sit emptori redhibitionis actio, si pactum, et promissio venditoris accedat. *Animi autem vitium ita demum præstabit venditor, si promisit : in summa, si qui dem tantum animi vitium est, redhibere non posse ait nisi dictum sit, hoc abesse*, *et non abest* =, ut sunt verba *leg. Ob quæ* 4. *ff. de Edilit. edict.* Non hic quidem agitur de contractu, qui ab Instrumenti, vel Apocæ tabulis constet, sed imo de contractu emptionis venditionis equorum, qui verbis, non scriptura consistit. Ubi vero scriptura deficiat, ibi maximam sibi vindicant fidem testium depositiones, tum quoad perfectionem contractus, tum quoad ejus pacta, et conditiones, *Cap. per tuas de probat.*, *leg. Cum te Cod. de transact. Constantin. Vol. decis.* 370. *numer.* 14., *Rota decis.* 26. *numer.* 2, *coram Olivatio*, *et decis.* 38. *numer.* 7. *coram Eodem.* Atqui Testes numero plures, stipulationi præsentes, de facto proprio deponentes referunt = *Che avendo domandato al Cocchiere*, *se avevano difetti*, *e se erano sani*, *ci rispose*, *che erano sanissimi*, *e che per tali si vendevano* =; adduntque = *che il Signor Marchese Potenziani replicò più volte in tale incon.ro*, *che i suoi Cavalli erano sani*, *e senza difetti*, *e che per tali li garantiva* » Non est itaque dubitandum, quin etiam ex stipulatu exerceri valeat contra venditorem actio redhibitoria, si vitiosa reperta fuerint animalia.

6 Non solum quippe parvi pendendum, sed contemnendum omnino pluribus de causis erat testimonium cujusdam Antonii Paluzzi, quem Potentianus in medium afferebat, tamquam mediatorem initi contractus, ut inde probaret divenditos equos fuisse absque ulla vendentis obligatione. Testes quidem conciliatores, qui ea pandunt, quæ ex officio gesserunt, absolveruntque, omnem mereri fidem post *Bartholum in Leg. In omnibus Cod. de Testamentis* docent *Menoch. de Arbitr. caus.* 99. *numer.* 6. *Cardin. de Luca de empt.*, *et vend. disc.* 10. *numer.* 7. *Rota coram Tanara decis.* 26. *numer.* 4., *coram Herzan. decis.* 46. *numer.* 10., *in Fulginaten. Pecuniaria* 4. *Julii* 1817. §. 3. *coram bon. memor. Zinanni*, *et in Romana Exequutionis Laudi* 25. *Junii* 1818. §. 6. *coram R. P. D. Decano.* At nec testis mediator fuit Paluzius, nec, si talis reapse fuisset, ullam sibi propter ex-

ceptiones, quas patitur, fidem vindicaret. Simplicem enim mandatarii operam ipse gessit in eo contractu, et tamquam Potentianii Mandatarius in proprium commodum redit prolatum ab eo testimonium, quoniam jure posset mandans, si revera banc legem dedisset equos absque ulla obligatione vendendi, actione mandati adversus Mandatarium agere, quod mandati fines excesserit. Et nullam profecto fidem adhibendam esse Palutio, dum absque ulla vendentis obligatione divenditos equos fuisse testimoniu suo contendit, ex eo maxime patet, quod in manifestum mendacium prolapsus is fuerit, dum asseruit, pretium numerasse Delapium tres dies post initam stipulationem, et magis idcirco ratum habuisse contractum, cum e contrà ex publicæ nummulariæ codicibus constet, collybisticam solutionis literam eodem experimenti die eum tradidisse,

7 Quare, si testis mendax, et falsus in uno, talis in omnibus reputari jussit Sacrum Nostrum Tribunal *Decis.* 25 *num.* 14 *ad ornat. Cardinalis de Luca tom.* 1 *lib.* 7 *in Recen. decis.* 269 *num.* 7 *part.* 16, *et decis.* 73 *num.* 5 *part.* 19 *coram Carillo, decss.* 186 *num.* 11, *et decis.* 78 *num.* 22 *coram Ratto*; a judicii limine prorsus rejicienda erat ad opportunitatem conficta Palutii depositio, quia præcipue ab aliis Testibus conflictabatur, qui sanitatem equorum Potentianum spopondisse referebant, majoremque fidem sibi vindicabant. Cæterum neque verisimile videtur, quod ingenti admodum pretio emere Delapius equos voluerit absque ulla vendentis obligatione: neque præsumendum est, quod simplicem tantum acceptilationèm pretii subscribendum duxerit, qui sibi poterat ea occasione cavere, et initum absque ulla obligatione contractum declarare, si ita pactum reapse inter contrahentes fuisset. At enim Potentianus, qui jus, et pactum infensum sibi noverat, ad consuetudinem confugiebat, ac cum testibus ferramentariis, et veterinariis suadere conabatur, de calcitrosis, refractariis, ac contumacibus equis venditorem non teneri, postquam ipsi ab equili prodierint venditoris, ac recepti in ementis stabulo fuerint. Verum consuetudinis, et observantiæ materia rigorosas exigit facti probationes, quæ eo magis requiruntur, si de consuetudine agatur, ut in themate contingit, Juri, ac Legi contraria. *Rota decis.* 570 *num.* 2 *coram Caprara, dec.* 1316 *num.* 5 *coram Molines, decis.* 74 n. 4 *cor. Rezzonico, et dec.* 257 *num.* 17 *coram Riminaldo.*

Ad inducendam quippe consuetudinem, quæ contra Jus, Legemque sit, oportet primo, ut adsint revera actus positivi, quorum vi inducta consuetudo censetur: deinde etiam necessarium est, ut isti actus gesti fuerint animo consuetudinem inducendi: postremo demum requiritur, ut iidem actus frequentes fuerint, ac temporis diuturnitate, et in contradictorio judicio probati, quemadmodum præ cæteris statuit Sacer Noster Ordo *Decis.* 19 *num.* 14 *coram Buratto, decis.* 394 *num.* 12 *coram Celso, in Recen. decis.* 53 *num.* 5 *et* 6 *part.* 18, *decis.* 50 *num.* 23 *coram Ansaldo*. Sed, præterquam hæc probatio a testibus a Potentiano inductis, et fervente lite expiscatis non habetur, qui requisitis quoque carent a percelebri Glossa in *Cap. Memoria de prescrip.* in 6 ad inducendam consuetudinem constitutis, non est denique omittendum, quoad equorum, aliorumque animalium emptiones venditiones aliam antiquitus, et omnino diversam in Urbe viguisse consuetudinem, ut nimirum, = *contraria conventione non accedente, venditores animalium, et equorum potissimum teneri deberent de quibuscumque defectibus, vel casibus, qui intra spatium-quatraginta dierum contigerent, vel detegerentur, nulla facta distinctione, an defectus provenerit ex causa antiqua, et præexistenti de tempore venditionis nec ne* =, veluti his verbis docuit *Card. de Luca de empt. disc,* 8 *num.* 1 *et seqq.* Quod si etiam hanc veterem consuetudinem ab aula recessisse, et aliam, de qua testes veterinarii loquuntur, unice modo ob-

servari probaretur; adhuc tamen ea non officeret, quoties diserta patione, quæ Juri derogat, et observantiæ, equorum sanitatem venditor ipse promisit.

9 Quamobrem, si jus, et pactum emptori succurrunt, eique vel non nocet, vel prodest imo consuetudo, hoc superest videndum, an scilicet alter ex equis renuentiæ, et contumaciæ vitio laburet. Jam vero nōn testes modo a De-Lapio allati referunt, die insequenti post venditionem, illico refractarium et contumacem compertum dexterum equum fuisse, sed ipse, quod magis est, judicialis Peritus, a primarum Actionum Judice deputatus, post sedulo initum, et juxta artis suæ regulas, equorum experimentum, pro veritate deponit = *che il cavallo destro è inservibile per tiro, essendo inveterata la sua piantaggine* = At, si Peritis in qualibet re adhibenda fides est, multo magis iis credendum est, cum agitur de vitiis, ac morbis animalium, et postquam factum fuerit eorum periculum, quod omnes alias antecellit in hoc genere probationes. *Leg. Inter artifices ff de solut.*, *Mangil. de evict. quæst.* 25 num. 20, *Paulut. dissert.* 55 *art.* 4 num. 221, *Calderon. resolut.* 42 *num.* 21, *Rot. Florentina in Thesaur. Ombros. decis.* 48. Neque ideo erat fides detrahenda Perito, quod initum ab eo equorum experimentum locum habuerit quinquaginta ferme dies post contractam emptionem venditionem. Hæc namque comperendinatio judicialis experimenti ab una processit culpa, et facto Potentianii, qui obstacula omnia forensium interposuit, ne id fieret, quod comperiendæ veritati maxime proderat, quodque primus Judex summa prudentia decreverat. Cum autem = *receptum in jure sit, quoties per eum, cujus interest, conditionem impleri, non fiat, quominus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset* =, ut inquit *Ulpianus leg. In jure* 122 *ff de verb. signific.*; judicialis propterea equorum magistri relatio retrotrahi debet ad diem, quo demandata fuit a Judice, veluti ac si nullum supervenisset obstaculum ex facto Potentianii, cujus culpa in De-Lapii damnum vertenda non est. *Rot. decis.* 184 *num.* 7 *cor. Tanara*, *et decis.* 672 *num.* 7 *coram Riminaldo*.

Vis tamen, et auctoritas judicialis relationis ex eo etiam augebatur, quod Pontentianus, qui maxime renuerat, ne fieret equorum periculum, album ei deinde calculum adjecit, semelae ab edita relatione neque reclamavit, neque provocavit, quam idcirco probasse, et ratam habuisse dicendum est. *Rot. in Rec. decis.* 23 *num.* 3, *decis.* 512 *num.* 3 *part.* 14, *decis.* 201 *num.* 4 *part.* 18 *coram Molines decis.* 834 *num.* 2, *et decis.* 186 *num.* 6, *et* 7 *coram Tanaro*. Cum itaque denegari equi vitium non posset, scribentes pro Potentiano subdebant, post venditionem illud supervenisse, nec aliter locum fieri Actioni redhibitoriæ, quam si vitium ipsum venditioni præexistens, et ejusdem scientia in venditore probarentur. *Gabballin. de Ædilit. Ædict. cap.* 2 *num.* 4, *et* 5, *Ciarlin. controv. Forens. cap.* 89 *num.* 5 *tom.* 1 *Surd. decis. Mantuan.* 146 *num.* 6 *Constant.*, *vot. decis.* 3 *num.* 28, *Rot. in Rec. decis.* 456 *num.* 7 *part.* 14, *et in Fulginaten., seu Civitatis Castelli* 10 *Martii* 1755 *coram Caullac.* Verumtamen ad vitii scientiam quod pertinet, licet alias eam maxime desideraverint in venditore superius laudati Doctores, et Sacer Noster Ordo, verum nihilominus est, quod, funditus discusso articulo, minime ea requiritur ad tramites Ædilitii Edicti, ex quo actio redhibitoria competit, etiamsi venditor animalis vitium ignoraverit = *Et si ignorarit eo, quæ Ædites præstari jubent, tamen teneri debere, nec est hoc iniquum: potuit enim ea nota habere venditor: neque enim interest emptoris, cur fallatur ignorantia venditoris, an calliditate* =, ut inquit ipsa *lex* 1 § *Causa ff de Ædilit. Edict.* 10

Nimis vero a Juris ratione devium erat, quod reponebatur, hanc venditoris ignorantiam, de qua meminit Ædilium Edictum, non referri ad ignorantiam morbi, vel vitii animalium, sed 11

ad ignorantiam imo ejusdem Edicti, et earum rerum, quas jubent Ædiles. Neque enim aliquem, præter fæminas, ac minores excusat juris ignorantia *ad Text. in leg.* 12 *Cod. de jur., et fact. ignorantia*; neque unquam auditum est, ex dolo, et calliditate eum agere, qui jus ignorat, cum ex dolo potius is agat, qui animalis vitium versute occultavit, quamvis sciret, vitio animal non carere. Cæterum ea verba Edicti Aedilitii = *et si ignoravit ea, quae Ædiles praestari jubent, tamen teneri debere* = ita interpretati fuerunt Doctores, et Sacrum Nostrum Tribunal, ut ignorantia vitii, vel morbi animalium semper sub iis verbis intelligatur, et nunquam ignorantia Legis, earumque rerum, quas jubent Aediles. *Ciarlin. contror.* 112 *num.* 6, *Antonell. de temp. legal. lib.* 3 *cap.* 20 *num.* 7, *Panimoll. decis.* 35 *Annot.* 1 *num.* 2, *Rot. Florent. in Thesaur. Ombros. dict. decis.* 48 *num.* 7 *tom.* 12, *et Rota Romana in Rec. decis.* 612 *num.* 7 *part.* 19 *tom.* 2. Quamquam impune in themate præteriri posse hanc quæstionem noverunt Patres, quia tum vitii præexistentia, tum ejusdem scientia in venditore manibus ferme ipsis contrectabatur, et tam invictæ visæ fuerunt quoad utramque rem adductæ ab emptore probationes, ut fraudis fere, et doli notam in venditore secumferrent.

12 Revera, si de vitii præexistentia sermo sit, nemo unus dubitabit, quin etiam ante venditionem equus fuerit vitiosus, postquam certum retinebit, ut certum erat in themate, postera postipulationem die refractarium, et contumacem repertum equum ipsum fuisse. Cum enim fieri nequeat, ut uno die, unaque nocte vitium ab equo, dum manebat in stabulo, repente contraheretur, ex hac ideo celeritate, atque ex brevi hoc tempore, quo vitium erupit, legitima oritur juris præsumptio, ex qua vitio equum ante venditionem quoque laborasse deducitur. *Gabalin. de Ædilit. Edict. cap.* 3 *num.* 16 *Guzman de evict. quaest.* 61 *num.* 11 *Fabian. de Monte de evict. quaest.* 25 *num.* 18 *Sanbonnet. de animal. curr., et plaustr. cap.* 11 *num.* 20, *et sequen. Rota Florent. cit. decis.* 48 *num.* 17, *et Rota Romana in Romana Mercium* 13 *Januarii* 1681 § 6 *coram Ursino relat. per Constantin. post. vol.* 2. At huic Juris præsumptioni addendum præterea est Periti judicium, qui legem optime sequutus, quam ei dederat Judex primarum actionum; referendi nimirum, utrum ex artis suæ regulis cognosci possit, an vitium præcesserit, vel subsequutum venditionem fuerit, aperte inquit; = che il Cavallo destro è inservibile per tiro, essendo inveterata « la sua piantaggine = addiditque = « che se un tal difetto non lo avesse « preso da molto tempo, oppure in « natura, non avrebbe certamente « potuto resistere a tutti gli sforzi, che « faceva il Cavallo di mano sinistra « per tirare il legno, ed a quello de- « gli Uomini, che mi ajutavano =.

Inane autem erat excipere, haud 13 posse Peritos ex eorum arte cognoscere, an equus ab antiquo, vel recenti tempore in vitium inciderit. Maximum namque discrimen intercedit inter morbum, ac vitium. Morbus sane est temporalis corporis imbecillitas, quæ accedere, et recedere potest: contra vero vitium perpetuum dicitur animi impedimentum, quod in belluis originem duci a phantasia irrationali, et ab extrinseca sensuum impulsione, non a depravata ratione. *Leg. Inter. stuprum* 101 § *Verum ff. de verb. signif.* Ipsum imo vitium, quod contumaciam appellant, a natura equi provenit vel pavidi, vel ferocissimi: unde merito dixit *Ulpianus*, jumenta pavida, et calcitrosa morbosis non esse adnumeranda. *Leg. Ob quae* 4. *ff. de Ædilit. Edict.* Ratio ad rectitudinem revocatur: naturam vero quoquo modo expellas, tamen ipsa recurret. Quemadmodum nemo, ut vetus fert adagium, repente fit pessimus, ita vitia omnia suos habent gradus, et dum ad summum perveniunt, nemo putabit recens oriri, sed ducta ab antiqua radice geminare. *Laert. in Possidon. Just. Lipsius Phisiologia Stoic. lib.* 1. *dissert.* 8, *et lib.* 3 *dissert.* 4. Quod si vitia

quæcumque semper vetera præsumuntur, quia perpetua sunt animi impedimenta, multomagis antiquum in equo censebimus contumaciæ vitium, et venditioni præxistens, quoties statim post venditionem apparuit, et ad ultimum gradum ita pervenit, ut usum inutilem reddiderit.

14 Spernendos hinc merito existimarunt Patres Domini testes omnes a Potentiano turmatim adductos, qui deponebant de equi sanitate ante venditionem. Præter enim quod alii comperiebantur consanguineitatis vinculo cum Potentiano conjucti, multi in ejus famulatu constituti, non pauci hac lite fervente expiscati, cæteri ignoti, et amptitii; illud prætcrea serio animadvertendum occurrebat, quod in Testium, ac Peritorum concursu de animalium morbis, vitiisque deponentium, juxta sapientissims Juris Nostri Leges, magis, his creditur, qui deponunt super affirmativa, redduntque rationem secundum peritiam propriæ artis, qnam aliis de negativa deponentibus. *Maschard. conclus.* 635. *num.* 4. *Constantin. Vot. decis.* 2 *numer.* 17. *Rota Florent. in Thesaur. Ombros. cit. decis.* 48 *numer.* 31, *et sequen.* Eoque magis omnino postbabendi erant hi testes, quod tam Potentianus, quam ejus auriga non dubia præexistentiæ vitii dederunt indicia. Nam, si equi ante venditionem vitio caruissent, nulla ratio suberat, cur eos summo artificio rhedæ subiiceret nuriga, et postea concitaret ad fugam, dum initum est experimentum. Nulla pariter aderat ratio, cur idem auriga, equos tradens, verba mediis labiis proferret, et Angli rhedarium alloquutus, diceret, an ipse esset = *che l' aveva da lavorare, ed io gli soggiunsi: e perchè? Ma egli non volle parlar chiaro, ma in maniera interrotta disse: per una piccola cosa: ma che non è niente* =, ut iidem Testes ab Anglo adducti referebant. Nulla demum ratio erat, cur Potentianus novum experimentum, quod jam probaverat, mutato consilio probiberet et demandato dein Periti temperamento tanto conatu resisteret.

15 Sed quod maxime movit Dominos, et apertissimam exhibuit vitii præexistentiam, artes, et studia fuerunt, qua Potentianus adhibuit, ut clanculum, et ex condicto cum Ædis Urbanæ Ministris, ex fraude repènte domaretur vitiosus equus, qui una cum altero inibi sub sequestro manebat; quemadmodum ex legitimis monumentis constabat, et ipse Potentianus non inficiabatur. Non enim ferendum est, neque publicus patitur ordo, ut alteri ex litigantibus permissum sit, dum de equorum morbo, vitioque disputatur, et equi ipsi sub publica custodia reperiuntur, eos mederi, et mansuefacere, atque ita leges, et judicia deludere. Nec propriam culpam, et malitiam ex eo poterat excusare Potentianus, quod in usu sit Ædis Urbanæ equos amovere, dum in equili manent sub sequestro. Sed si in eum finem, ut mansuefieret equus vitiosus, hæc patrata non fuissent, non oportebat, ut unus tantum ex equis, et ille quidem vitiosus, pluries in gyrum per clivos. et difficiles vias ageretur, ac suppositus = *ad uno sterzo* = cum altero conjugeretur = *cavallo Marrone* = veluti de novis, et indomitis equis fieri solet. Mirum ideo non erat, si Bombellius alter ex Arbitris, dum equorum periculum, partibus non adscitis, et marte proprio fecit, placidos, et domitos eos invenit. Fecit enim experimentum istud, postquam equi quinque fere mensium spatio fame pene tabuerant in Ædis Urnanæ stabulo, et postquam Potentianus alterius vitia corrigenda curaverat.

Quantum autem hæc omnia vitii præexistentiam inducunt, tantum secumferunt scientiam venditoris, qui certe non eas adhibuisset curas occultandi, corrigendique equi vitia, si ea penitus ignorasset. Ob diuturnum vero equorum usum adeo ejusdem venditoris scientia præsumitur, ut inverisimilis omnino sit vitiornm ignorantia, ac imo dolus, ac fraus vendentis compertissimo fere in loco posita videatur. *Card. de Luca de empt. vend. disc.* 8. *numer.* 10. Duæ itaque res, vitii scilicet præexistentia, ejusque scientia in 16

venditore, quas ad obtinendam redhibitionem maxime necessaria dicebant Patentianii difensores, insimul in casu conveniunt. Attamen, si quid adhuc dubii, quod adesse ex demonstratis nequit, in themate superesset, locum semper haberet famigerata *Baldi* Theorica *in Leg. omnes peregrini Cod. Commun. de success.*, ubi cautum est, ut in quolibet dubio præsumenda sit vitii præexistentia, ac pro actione redhibitoria judicium ferendum, ne ex venditorum fraudibus læsa maneat bona fides ementium. *Mascard. de probat. conclus.* 635 *num.* 5, *et* 6, *Paolut. dissert.* 55. *art.* 5. *numer.* 45., *Fierl. in theor. part.* 3 *pag.* 28, *Rota Florent. citat. decis.* 48 *numer.* 36. At si etiam emptori, per minus veram hypothesim, actio redhibitoria deficeret, succurrendum ei esset actione *ex empto*, seu *quanti minoris*, quia = *si nihilominus maneret in eo vitio, ut circa fana baccharetur, et quasi demensa responsa daret, vitium id quidem esse, sed vitium animi, non corporis, ideoque redhiberi non posse, quoniam Ædiles de corporalibus vitiis loquuntur attamen ex empto dat actionem* =, ut de mancipio disserens inquit *Ulpianus in dict. Leg.* 1. *ff. de Ædilit. Edict.*, *et Leg.* 4 *ff. eod. tit.*

17 Actio namque *æstimatoria*, seu *quanti minoris* eumdem parit effectum, quam gignit actio redhibitoria, et contractus rescissionem secumfert, ut literalis est *Textus in Leg. Bovem.* § *quando ff. eodem tit.* Ea omnia uno, quæ jubet Ædilium edictum quoad mancipiorum venditiones, æque congruunt emptioni venditioni earum rerum, quæ soli sunt, rebusque mobilibus, et ipsis animalibus. *Leg. Ædiles ajunt.* 38 § *Loquuntur ff. eodem tit.* Nec obiiciendum, actionis æstimatoriæ præsidium quæri non posse, postquam actio redhibitoria jam fuerit instituta. Quamvis enim in judiciis quasi contrahatur, et actori non sit concessum recedere a forma judicii jam electa, et contra reum conventum instructa, qui non solum ex proprio jure exceptionum, sed ex non jure agentis legitime potest absolvi ad *Text. in Leg. Quod.* 9 § *Eligere ff. de tribut. action.*, *Polit. de renunciat. tom.* 3 *dissert.* 4 *num.* 8 *Rot. coram Ansaldo decis.* 79 *num.* 12. *coram Riminaldo decis.* 416 *num.*, 3 *in Tyburtina Locationis* 17 *Junii* 1757 §. 5 *coram Stadion.*, *et in Firmana apocæ* 4 *Februarii* 1795 § 6 *coram Priolo*; hoc peculiare nihilominus est in actione æstimatoria, ut proponi quoque valeat, postquam inutiliter quis judicio egerit actione redhibitoria. Porro actio æstimatoria destruit redhibitoriam, et qui semel in judicio usus est actione æstimatoria, non potest amplius redhibitoriam exercere, quia actio æstimatoria ex indole sua continetur in redhibitoria. Sed actio redhibitoria non destruit æstimatoriam, quæ proponi potest etiam post consumptam redhibitoriam, dummodo emptor bis non accipiat rei emptæ valorem *Leg. si quis nolit.* 31 §. *si quis egerit. ff. eodem tit.*, *Brunemann. ad dict. Leg. lib.* 21 *tit.* 1 *num.* 2.

Omnem vero conficit quæstionem 18
formula dubii ampla quidem, et generalis de rescissione contractus, quam disputari jussit Sacrum Nostrum Tribunal, quæque viam aperit cuicumque actioni proponendæ ad obtinendam contractus rescissionem. Nec refert, quod censura *Leg. Bovem* § *Aliquando ff. de Ædilit. Edicto* de gravibus morbis, ac vitiis loquatur, quæ rei, vel animalis usum, et ministerium impediant. *Voet. in Pandect. lib.* 2 *tit.* 1 *de Ædilit. Edict.*, *Maschard. de probat. conclus.* 615 *num.* 1, *et* 2 *tam.* 2. *Constantin. vot. decis.* 2 *num.* 1 *Rota decis.* 446 *num.* 21. *coram Olivatio.* Semelac enim Poritus retulit = *che il cavalla destro è inservibile per tiro, essendo inveterata la sua piantagine* =, jam quisque intelligit, casum convenire cum Lege, ac hujusmodi esse equi vitium, ut nullius sit pretii, et ne expediat quidem emptori, talem equum habere eo vitio laborantem, quod impedit utriusque animalis usum, et ministerium. Sive igitur ex actione æstimatoria, sive potius ex redhibitoria ageretur, semper erat emptori succurrendum, et re-

scissio contractus pronuncianda, cui dolus, et fraus causam unice præbuisse videntur.

Et ita, Universa Aula judicium ferente, in acri partium certamine jus redditum est.

ROMANA SEU PERUSINA LEGITIMAE

Veneris 28 *Februarii* 1823.

ARGUMENTUM

Matri super haereditate filiae, jus est detrahendi legitimam. Quae detractio est in tertia, si haeres scriptus una cum matre successisset, est tertia totius, si haeres scriptus matrem nunquam ab intestato exclusisset.

SUMMARIUM

1. *Ad statuendam legitimae quotam, inspici debet status haereditatis.*
2. *Nuptiales tabulae, recte probant patrimonii statum.*
3. *Non sunt admittendae declarationes, quae mulieris erga virum indulgentia redolent.*
4. *Lucrum dotale assequi nequit maritus, postquam simpliciter uxoris adivit haereditatem.*
5. *Praedictum lucrum, detrahi ab haereditate non potest, antequam legitima a patrimonio secernatur.*

   Omnia debita, quae habent causam voluntariam, detrahi non debent, antequam legitima praestetur - ibidem. -
6. *Alimenta, a marito uxori praestita, censentur affectionis causa tributa.*
7. *Matri legitima in tertia tertiae tribuenda est, cum haeres scriptus una cum matre successerit.*

   Assignanda est legitima matri in tertia totius, quoties haeres scriptus matrem nunquam excluderet - ibidem. -
8. *Dos est quantitativa, si dotis nomine assignata fuit* - la somma e quantità di scudi - *vel si res aestimatae fuerint traditae.*
9. *Hypothecarii juris stipulatio, conciliari nequit cum constitutione dotis qualitativae.*
10. *Fructus legitimae debentur a die obitus testatoris.*
11. *Fructus ex legitima debiti, non cadunt, nisi super rebus natura sua frugiferis.*

DECISIO CXLI.

Primo, per mortem viri Pauli Mattei, dissoluto conjugio, ad secunda migravit vota Margarita Monti cum Doctore Physico *Aloysio Bartolini*, ac, solemnibus conscriptis tabulis, ad diem primam Januarii anni 1795, dotem sibi constituit in quantitate scutatorum *termille quingentum quinquaginta*. Hæc in ipso stipulationis actu Sponsus accepit; videlicet, quoad scutata *quingentum quinquaginta* sub juramenti religione fassus fuit = *di avere avuto, e ricevuto dalla stessa sua Sposa tante gioje a lei lasciate in legato dal suddetto Paolo Mattei suo predefonto marito* =, quarum gemmarum valor, licet ad vim scutatorum *octingentum* adscenderet, ut Partes ultro agnoverant, nihilominus depressus fuit ad scutata *quingentum quinquaginta* =, *stante che sono state per scudi duecento cinquanta dal medesimo Bartolini del proprio spegnate dal Monte di Pietà, ove trovavansi impegnate fino dal tempo della morte del predetto Paolo Mattei* = Quoad reliqua vero scutata *termille*, repensa hæc fuere = *in Luoghi trenta di Monte, che ragguagliati secondo il di loro prezzo corrente di scudi cento per Luogo, formano appunto la suddetta somma di scudi tremila* = ceu prædictarum tabularum perhibent verba. Promisit demum Bartolinius, ut moris est, hanc ita a se receptam dotem semper salvam fore, eoque nomine, tum propria bona, tum etiam *triginta* ea ipsa Loca Montium hypothecæ nexui subjacit.

Nulla suscepta prole obiit Margharita die 25 Januarii 1808, ultimo conscripto elogio, quod mystica, ut ajunt, forma conceptum, jampridem Tabulario asservandum tradiderat; cujus reservatis tabulis compertum fuit hæredem sibi in universum fecisse virum suum *Aloysium Bartolinium*, huic insuper usumfructum triginta Locorum Montium, quæ in dotem sibi constituerat prælegasse, eoque vita functo, eumdem usumfructum propriis sororibus *Apolloniæ, et Catharinae Monti* assignasse; Matri autem, *Mariae Angelae Monti* quam superstitem reliquit, optionem tribuisse, ut vel sæpedictorum Locorum proprietatem accepto haberet ea sub lege ut praefatos legatarios illo, quo disposuerat, modo iisdem uti frui pateretur,

nec quidquam aliud, etiam legitimae portionis titulo, aut illius supplementi ab ejus haereditate petere unquam posset: *vel*, nisi eo legato contenta esset « *debba avere, e conseguire la sola legittima, che di ragione le compete in tutto, e per tutto sulla mia Eredità* ». Quo in themate, ne, ut ait ipsa Testatrix, super vera baereditatis suae quantitate dubium ullum excitaretur, nonnullas addidit declarationes, quae ad eam imminuendam maxime tenderunt; scilicet gemmas a se venditas fuisse exiguo pretio: hoc *Bartolinium* quidem percepisse, at non integrae quantitatis debitorem esse, quod gemmas ipsas sub pignore positas redemerat: eumdem præterea Bartolinium, quod a prædefuncto viro Mattejo Testatrix obtinuerat legatum, nondum exegisse, et scutata circiter *mille* in lite pro eo recuperando absumpsisse hujus etiam legati sortem haud integram ad se pertinere ex fiducia, quam a Mattejo sese accepisse ait, sed pro medietate usibus Piis dedicandam esse; quam postremam declarationem postmodum retractavit. Atque hæc omnia sese asserere dixit « *con mio giuramento toccate le Scritture in mano dell' infrascritto Notaro* », cum cæterum nullus, ut patet, adesset Tabularius.

Uxoris hæreditatem, nullo confecto inventario, Bartolinius adivit: interim vero, nihil adhuc ex eadem assequuta, ad plures migravit *Maria Angela*, defunctæ Mater, quæ conditio pariter testamento, hæredes scripsit *Apolloniam, et Catharinam* filias suas. Hæ legitimam matri debitam super hæreditate Margharitæ frustra a Bartolinio petierunt, quamquam hic, non sulum bona universa, qua hæres, occupasset, sed etiam eodem hæreditario nomine, inita transactione, scutata *bismille* in tot fundis, ejus valoris, exegisset pro capite, et fructibus legati, quod primus vir Mattejus Uxori reliquerat, ceu solemnes tabulæ evincunt. Quapropter judicium ea de re in Bartolinium instituendum curarunt apud Tribunal, quod Perusiæ in Prima Actione jus reddit. Totus ibi in eo stetit Margaritæ hæres, ut illius patrimonium valde imminutum ostenderet; attamen Sententia prodiit, qua Sororibus Monti, tamquam Matris hæredibus, legitimæ portionis illi debitæ nomine super hæreditate prædefunctæ Margeritæ, adjudicata fuere scutata *bismille, et septuaginta sex*; pro illius autem fructibus, ad rationem *quincuncem* supputatis a die obitus *Margaritae*, et ratione tantum habita de iis hæreditariis bonis, quæ de sui natura frugifera sunt; scutata *mille centum quinque*. Appellationis ope, ab hac Sententia interpositæ, iis ad S. Nostrum Ordinem conscendit dirimenda sub formula dubii = *An, et in qua summa constet de credito sortis, et fructuum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = cui, silente Bartolinio, Responsum hoc mane prodiit, juxta Informantium vota, scilicet = *Affirmative, et constare de credito sortis in scutis bismille septuaginta sex, et obul. 66, et den. trium, et fructuum in scutis mille centum quinque, aliorumque decurrendorum, et esse relaxandum mandatum* =.

Indubium siquidem erat sororibus 1
Monti, quæ in Matris jura successerant, debitam omnino esse quotam legitimam, quæ Matri ipsi debebatur super hæreditate prædefunctæ *Margharitæ* filiæ, ac respective illarum Sororis; idque; tum ex præcepto ipsius Margharitæ Testatricis, quo legitimæ Matri suæ præstandæ onus *Bartolinio* scripto hæredi injunxit, tum etiam ex pervulgatis nostri Juris dispositionibus. Quod cum et Bartolinius ipse in superiori Causæ discussione probe noverit, ad id unum tendens, ut patrimonii, ex quo legitima detrahenda esset, quantitatem, quoad fieri posset, imminueret; sedulo hinc inquirendum in facto supererat quanti reapse facienda esset hæreditas isthæc, ut tuto exinde ad quotam jure debitam statuendam procedi posset.

Porro superius relatæ nuptiales ta- 2
bulæ testes sunt Margharitam, tunc cum in Bartolinii Sacra concessit, in dotem sibi constituisse, atque illico eidem tradidisse scutata *Termille quingentum quinquaginta*. Item solemnis transactio ab eodem Bartolinio, post Margharitæ o-

bitum, et tamquam illius hærede, inita, evincit, scutata *bismille* persoluta eidem fuisse pro capite, et fructibus legati, quod, ex liberalitate primi viri Pauli Mattei, Margharitæ adscriptum fuerat. Tandem Bartolinius ipse notulam in Prima Actione exhibuit, qua, patrimonii universi statum activum describens, ultro fassus fuit in eodem reperiri vim scutatorum *quingentum viginti tres*, quot nempe, ut ipse ajebat, supererant ex majori quantitate, quam titulo lucri dotalis viduata Mattejo mulier adepta fuerat; rursus inter ejusdem bona adnumerari Activum Censum, quem is vocat = *Antico* = scutatorum *centum* =; demum = *due Orologi valutati scudi* 40., *una Scatoletta d'oro valutata scudi* 35 =, *sei cucchiarini da Caffè di circa un' oncia e mezza scudi* 9., *un mariage valutato scudi* 15 =, *una saliera antica di circa oncie tre scudi* 3 = Quæ omnia, una cum reliquis superius enunciatis Margharitæ bonis, veluti ex facili calculo palam est, patrimonium constituunt scutatorum *sexmille biscentum quadraginta*, super quo legitima, quam impetunt, portio Sororibus Monti, qua Matris hæredibus, denegari omnino nequit.

3 Et perperam Bartolinius, ut illius quantitatem imminueret multas in prima Causæ discussione obtendebat detractiones, quibus præfatum patrimonium quaquaversus deprimere conabatur. Detrahenda siquidem in primis autumabat scutata *biscentum quinquaginta* declarationi innixus, quam illius auctrix *Margharita* in testamento emisit per hæc verba « *egli doveva, e deve rimborsarsi di quante spese per redimere le mie gioje dal Monte di Pietà* ». Attamen hujusmodi declaratio, nimiæ mulieris erga virum indulgentiæ tribuenda, aperte puguat cum facto, cujus testimonium perhibent nuptiales tabulæ, gemmas nempe Bartolinio traditas fuisse æstimatas « *nel valore di scudi ottocento: tuttavolta riduconsi a scudi cinquecento cinquanta stantechè sono state per scudi* 250 *dal medesimo Bartolini del proprio spegnate dal Monte di Pietà, ove trovavansi impegnate sino dal tempo della morte del predetto Paolo Mattei*. Si igitur quidquid impendit in gemmis redimendis, in imminuto ipsarum valore Bartoliniua jamdiu assequutus erat, bona fide invita per eam detractionem bis idem exigere satagebat. Neque alia dimitti poterat responsione, dum contendebat scutata *sexcentum sexaginta* detrahere, quæ, altera suffultus ejusdem Testatricis declaratione, sese impendisse ajebat in vindicatione Legati, quod primus Margharitæ Vir Matthejus ejus favore scripsisse narratum est. Transactio siquidem, post ejusdem Margharitæ funus ab eo inita evincit ipsum, præter legatum, litis etiam impensas recuperasse, quarum nomine adamussim in ea deducta fuere « *scudi seicento sessanta spese rifattibili occorse nella Causa* ».

4 Aliam dein quantitatem a Patrimonio Margharitæ secernere studebat Bartolinius, lucri dotalis nomine; deductum enim fuerat in nuptialibus tabulis inter ipsum, et Margharitam initis = *il quarto dotale da superlucrarsi hinc inde secondo la disposizione del Romano Statuto* = At, præter quam quod hujusmodi conventio tunc proprie commissa dici posset, cum dos a Bartolinio esset restituenda, qua restitutione omissa nullum sibi vindicat locum dotalis lucri stipulatio, animadvertendum insuper erat sat abundeque Bartolinium assequutum fuisse, dum, qua uxoris scriptus hæres, universum illius patrimonium adeptus fuit, ita ut lucrum dotis, si quod ipsi debitum erat, satis superque compensatum dici possit integræ hæreditatis emolumento. Cæterum nulla amplius actione ad lucrum illud condicendum ipsum pollere indubium est, postquam Uxoris hæreditatem simpliciter, nulloque confecto Inventario adivit, atque ita jura sua cum actionibus, juribusque hæreditariis penitus confundi passus fuit = *ad Text. in leg.* 21 § 1 *ff. de liberat. legat.*, *Leg.* 1 *Cod. de hæred. act.*, *et firmant Brunemann. Comment. in Cod. lib.* 6 *Tit.* 30 *ad Leg. Scimus num.* 35, *Perezius in prælect. in lib.* 6 *Cod. Tit.* 30 *num.* 13 *et Rota coram Falconerio de*

Tutoribus Decis. 14 *num.* 8, *de Invent. Decis.* 5 *num.* 3, *et* 4, *coram Crescentio Decis.* 406 *num.* 2, *et* 3, *et in Fulginaten. Censuum*, *et Cauthelæ Angeli* 14 *Junii* 1737 § 17, *et* 18 *cor. Vicecomite* =.

5 Et quamvis alia qualibet de causa dotale ejusmodi lucrum Bartolinio adjudicandum esset, non idcirco sequeretur detrahendum illud esse ex patrimonio Margharitæ, ita ut minui exinde posset portio legitima ejus matri debita; quandoquidem norunt omnes lucrum illud, ad formam Urbani Statuti conventum, causam præseferre *voluntariam*, *et lucrativam*, proindeque detrahi omnino non posse, antequam portio illa ab universo patrimonio secernatur *Rota coram Molines Decis.* 50 *num.* 3 *cor*, *Rezzonico*, *Decis.* 313 § 6 *cor. Riminaldo Decis.* 34 *num.* 3, *et decis.* 429 *num.* 18, *et* 19 *et in Forolivien. Divisionis super bonis maternis* 30 *Januarii* 1730 § *fin. cor. Aldovrand.*, *et in Romana Legatorum* 5 *Junii* 1733 § 20, *et seq. cor. Eodem.* Qua ratione respui quoque merebatur alia detractio, quam Bartolinius obtrudebat pro Legato scutatorum *biscentum*, quod ejus auctricem Margharitam propriis sororibus oretenus reliquisse narrabat: idem quippe dicendum de Legatis, quod de dotali lucro dicitur, causam scilicet habere *voluntariam*; ideoque minime detrahenda esse antequam legitima præstetur *Bald. in Auth. novissima quæst.* 8 *de inoff. Testam.*, *Merlin. de legit. lib.* 1 *Tit.* 4 *quæst.* 7 *num.* 11, *et seqq.*, *Rota post eumd. Decis.* 37, *et* 38 *fere per tot.* Quod firmius in themate tenendum erat, quia Sorores Monti a successione sororia, extantibus masculis, per Statum Fulginatense *part.* 77 arcebantur; ideoque legitima Matri debita legato earum favore scripto imminui nunquam poterat, ut firmat *Rota cor. Rezzonico Decis.* 323 *n.* 3.

6 Nec quod temporum vicissitudinibus valor Locorum Montium, queis magna pars hæreditatis Margharitæ conficiebatur, multas subierit diminutiones, minoris idcirco illa æstimanda erat ad effectum, de quo in præsenti res est. Si enim Bartolinius de anno 1808; quo ejus Uxor ad plures migravit, legitimam illius matri, ut par erat persolvisset, cum nondum detinebamur Gallorum imperio, potuisset vel ipsa Maria Angela Mater creditum Locorum Montium ad liquidum nulla jactura perducere. Sua igitur mora culpaque hæres initæ Gallis imperantibus liquidationis infortunium tulit; ideoque injuria prorsus hanc negligentiæ suæ pænam in Sorores Monti, Matris nomine, legitimæ creditrices hodie retorquere conaretur. Tandem nil prorsus ex Margharitæ hæreditate subducondum Patribus visum est earum impensarum nomine, quas ad eam postremo ægrotantem curandam Bartolinius pertulisse querebatur. Hujusmodi quippe impensæ, cum alimentorum jure censeantur, nunquam viri credito adscribi possent, sed maritali potius affectioni sunt tribuendæ *per Text. in leg.* 13 *Cod. de negot. gest.*, quem sequitur *Rota in Urbinaten.*, *seu Sancti Marini Immissionis* 2 *Junii* 1817 § 17 *coram R. P. D. Meo Bussio.* Quoad impensas autem funeris placuit Perusinorum Judicum Sententia, qui cum nullam earum Bartolinius probationem afferret, jus eidem ad illas in congruo judicio persequendas reservarunt. Et pari æquitate idipsum statuerunt quoad *officium vacabile*, quod incertum erat, an Margharitæ hæreditatem actu augere posset.

Tot itaque explosis detractionibus, 7 integer manebat as hæreditarius in quantitate superius indigitata, scutatorum scilicet *sexmille biscentum quadraginta*, de qua legitima quota sororibus Monti, qua Matris Mariæ Angelæ hæredibus, erat addicenda. Ad hujus autem mensuram in jure statuendam perpenderunt Patres, Margharitam Monti hæredem ex asse instituisse extraneum, virum nempe Aloysium Bartolinium. Hoc in themate, non Bartholi doctrinam obtineri, qui Matris legitimam in tertia tertiæ determinat, censuerunt, sed diversam potius Butrigarii opinionem, qui illam in tertia totius assignandam esse docuit. Jamdiu enim, contrariis hisce conciliatis Jurisconsultorum Sententiis, invaluit distinctio, ut nempe tunc Ma-

tri legitima in tertia tertiæ tribuenda sit, cum causa testati eadem est, ac causa intestati, seu, cum is hæres scriptum est, qui æque ab intestato una cum Matre successisset. Assignanda autem sit in tertia totius; quoties is hæres nuncupatus sit, qui nunquam ab intestato matrem excludere, aut cum ea concurrere potuisset; eamque distinctionem æquitas ipsa suasit, cui optime cohæret matris legitimam in eorum gratiam tantummodo decurtari, qui, testamento etiam amoto, una cum ea defuncto successissent *Peregrin. de fideicomm. Art.* 36 *num.* 11 *Art.* 38 *n.* 14, *Bellon. de jure accrescen. Cap.* 6 *quæst.* 16 *num.* 14, *Merlin. de legit. lib.* 1 *tit.* 4 *quæst.* 7 *num.* 4, *Calcagn. de Trebell. obs.* 31 *num.* 9 *tom.* 2, *Rota in Dec.* 27 *num.* 4 *tom.* 2 *Nuperr.*, *Decis.* 8 *num.* 2 *de Leg. cor. Falconerio*; *in Romana*, *seu Ariana legitimæ* 15 *Martii* 1743 § 2 *cor. Vice-comite in Tudertina Legitimæ ex bonis Com. Annæ* 14 *januarii* 1788 § 2 *cor. Origo, in Foralivien. Legitimæ quoad Dotem Liviæ* 25 *junii* 1790 § 3 *cor. Resta, in Civitatis Plebis Immissionis* 29 *Aprilir* 1807 *cor. Emo Bardaxi de Azara, et in Romana Legitimæ* 6 *Decembris* 1822 *cor. Me.*

8 Atqui tertia pars assis hæreditarii Margharitæ, constituti in summa scutatorum *sexmille biscentum quadraginta*, ductis rationibus, haud differt a quantitate scutatorum *bismille septuaginta sex, et obul.* 66 quam adamussim hodie impetunt Sorores Monti. Inani vero studio negare assueverat Bartolinius sese teneri ad legitimam hanc in numerata pecunia præstandam, sive quia contenderet dotem Margharitæ in origine *qualitativam* fuisse, sive quia ex transactione, quam cum hæredibus *Pauli Mattei* ipse, qua Uxoris hæres, inivit, non numeratam pecuniam, quæ legati nomine Margharitæ relicta fuerat, sed illius vice tot prædia accepisset. Ad dotem quippe quod attinet, eam *in quantitate* constitutam fuisse satis exploratum erat ex iis constitutionis verbis = *costituisce, ed assegna al detto Signor Bartolini suo Sposo la somma, e quantità di scudi tremila cinquecento cinquanta moneta romana* =; nempe quoad scuta *quingentum quinquaginta* = *in tante gioje a lei lasciate in Legato dal sudetto Paolo Mattei* =, et quoad scutata *termille* = *in Luoghi trenta di monte, che ragguagliati secondo il loro prezzo corrente di scudi cento per luogo formano appunto la medesima somma di scudi tremila* = Si igitur, dotis nomine, assignata fuit *la somma, e quantità di scudi tremila cinquecento cinquanta* =, si æstimatæ gemmæ, æstimata pariter Loca Montium, pro modo tantum solutionis, tradita fuere, jam planum est, ea omnia in viri dominium transivisse *ad Text. in L. Quoties* 5, *et L. Si inter* 21 *ubi Gloss.*, *et DD. Cod. de jur. dot.*, *et sequuntur Boss. de dote Cap.* 2 *n.* 142, *alique relati per Rot. coram Falconerio tit. de dote decis.* 16 *num.* 2.

Quin aliter do hujusce dotis natura statuerint Contrahentes per pactum, quo cautum fuit = *che, fermo restando in essa Signora Margherita il Credito di detti Luoghi di Monte, si debba sopra di essi apporre la dichiarazione, e vincolo, che siano obligati per la di lei dote, e fondo dotale, ed inoltre la riserva de'loro frutti in favore del medesimo suo Sposo, al quale effetto ella fino ad ora presta ogni necessario, ed opportuno consenso, perchè sia apposto sopra detti Luoghi di Monte non solo l'anzidetta dichiarazione e vincolo, ma altresì la sudetta riserva* = Quandoquidem dos, quam sibi ab initio Margharita in quantitate constituerat, non ideo per appositas ejusmodi reservationes primævam naturam suam immutare potuit; alioquin sequoretur illam in uno eodemque stipulationis actu sibi solemniter contradixisse; voluisse scilicet dotem, quam sibi in *quantitate* constituerat, *qualitativam* etiam naturam præseferre: Rursus hoc pugnaret cum alia in iisdem tabulis expressa conventione qua Bartolinius sese obstrinxit constitutam, acceptamque vicissim dotem = *conservare per detta sua Sposa* = atque insuper addidit = *per tale effetto fino da ora l'obliga, e l'assicura, e specialmente l'ipoteca non solo sopra tutte le gioje poco anzi descritte, e sopra an-* 9

cora gli enunciati Luoghi di Monte, che, come si è detto, rimaner dovranno in credito della Signora Margherita con somigliante dichiarazione d'Ipoteca, ma inoltre sopra tutti, e singoli di lui beni presenti, e futuri. = Porro hæc hypothecarii juris a muliere facta stipulatio conciliari omnino non posset cum constitutione dotis qualitativæ, utpote quæ, cum rei in dotem constitutæ dominium constituenti præservet, hypothecam super ea stipulari non sinit: pervulgatum siquidem in jure est rem suam nemini servire. Ut igitur utraque stipulatio ita explicetur, ut potius servetur, quam pereat, dicendum est nil aliud utramque præseferre, quam = *la dichiarazione d'ipoteca* =, ad tutandas mulierum dotes in nuptialibus tabulis apponi solitam. Eaque interpretatio juris principiis; ac doctorum menti apprime consonat tradunt *Corn. Cons.* 137 *lib.* 1, *Honded. cons.* 41 *num.* 18 *et seq. lib.* 1, *aliique relati a Constantin. Vot. dec.* 99 *num.* 15. Quod autem spectat ad Legatum Mattei, quod in tot fundis sese exegisse Bartolinius obiiciebat, sibi imputare debet, si, cum creditor pecuniarius esset, prædia accipere maluit; neque hac de causa ad ea recipienda, in legitimæ satisfactionem, Sorores Monti cogere posset.

10 Tandem, quia, juxta propositam Dubii formulam, de fructibus una cum capite ipso petitæ legitimæ disserendum erat, nil Patres detinebat, quominus Primæ Actionis Judicium Sententiæ de iis latæ album calculum adiicerent. Etenim quoad hæreditaria bona, quæ de sui natura frugifera dignoscantur, deberi Sororibus Monti legitimæ portionis fructus *a die obitus Margharitae* explorati juris est. *Bald. Cons.* 222 *lib.* 4. *Alex. Cons.* 69 *lib.* 1, *Valenz. Cons.* 129 *num.* 38, *Peregrin. de fideicom. Art.* 36 *num.* 69 *de Franch. Decis.* 16 *in fin. Rota cor. Falconer. de Tut. Decis.* 14 *num.* 19 *in Ferrarien. legitimæ quoad fructus* 14 *Junii* 1793 *coram Resta, et in Fanen. legit.* 1 *Junii* 1795 §. 10 *cor. Azedo.*

11 Fructuum autem eo modo debitorum quantitas illico exurgit, si hæreditaria bona, quæ frugifera sint, ab iis secernantur, quæ fructus reddunt nullos, et super tertia parte valoris illorum calculus instituatur ad rationem *quincuncem*. Porro, quæ in Margheritæ hæreditate reperiebantur, capita frugifera, erant primum dotis ea pars, quæ in Locis Montium constituta fuerat, valor nempe Scutorum *termille*; dein Legatum Mattei in Scutatis *bismille*; denique Census, quem Bartolinius in notula vocavit *antiquum* scutatorum *centum*, quæ pecuniæ quantitates in unum collectæ vim conficiunt scutatorum *quinque mille centum*, cujus *tertia* pars *in scutis* 1700 Sororibus Monti legitimæ nomine tributa est. Reliqua hæreditaria bona, quæ in gemmis, aliisque rebus pretiosis consistunt de sui natura frugifera non sunt; ideoque nulla ex præmissis super his cadit fructuum præstatio. Ducto igitur calculo super tertia parte bonorum frugiferorum valore, scilicet *scutorum mille septingentum*, ad præfatam rationem a die obitus Margharitæ ad diem usque lati in Prima Actione Judicii; illico emergit summa scutatorum *mille centum quinque*, quæ decursorum fructuum legitimæ titulo Sororibus Monti adjudicata fuere, sine præjudicio aliorum, qui postea usque adhuc decursi sunt, quive in posterum decurrent.

Et ita etc. Altera tantum etc.

ROMANA SEU PERUSINA LEGITIMAE

Lunae 23 *Junii* 1823.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO CXLI. »

SUMMARIUM

1. *Legitima debetur matri non in tertia tertiae, sed in tertia totius, si ipsi antepositus fuerit haeres extraneus.*
2. *Ut tuto praefiniatur portio legitimae, status haereditatis effici oportet.*
3. *Non probat declaratio, quae nimia indulgentia uxoris erga maritum, redolet.*

4. *Scripturae diversae fidem sibi invicem derogantes, non probant.*
5. *Maritus qui haereditatem uxoris adivit sine inventario, amittit jus ad assequendum lucrum dotale.*

   Credita quae oriuntur ex causa lucrativa et onerosa, detrahi non possunt, donec non deducatur prius legitima - ibidem. -
6. *Maritus repetere non potest alimenta, quae ad alendam uxorem impendit.*
7. *Damnum, quod procedit ex alterius culpa nequit verti in tertii detrimentum.*
8. *Quantitativa dos aestimatur, quoties bona, in dotem constituta, fuerint pretio aestimata.*
9. *Per aestimationem vir acquirit rerum dotalium dominium.*
10. *Hypothecarii juris a muliere facta stipulatio, pugnat cum constitutione dotis qualitativae.*

    In dubio judicandum est, quod dos fuerit quantitativa - ibidem.

    Fructus legitimae debentur a die obitus testatoris, in quincunce misura - ibidem.

DECISIO CXLII.

Ex Sententia, quam pronunciavit Perusinum Primarum Actionum Tribunal, ad diem *decimam tertiam* Sextilis superioris anni, definitum fuit, Appoloniæ, et Catharinæ Sororibus Monti, tamquam hæredibus Matris, in causam legitimæ portionis huic debitæ super hæreditate defunctæ filiæ Margaritæ, solvendos esse nummos argenteos *bismille septuaginta sex*, præter alios nummos argenteos *mille centum quinque* in causam fructuum ejusdem legitimæ. Ab hac condemnatione perculsus Doctor Phisicus Aloysius Bartolini, Margaritæ Viduus atque hæres, cum appellationem interposuisset, rei propterea cognitio pervenit ad S. N. Ordinem, ubi in Comitiis diei 28 superioris mensis Februarii propositæ Dubii formulæ = *An et in qua summa constet de credito sortis, et fructuum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = eodem Bartolinio vadimonium deserente, responsum fuit pro sororibus Monti jura sua deducentibus, scilicet = *Affirmative, et constare de credito sortis in scutis* 2076 *ob.* 66, *et den.* 3, *et fructuum in scutis* 1105, *aliorumque decurrendorum, et esse relaxandum mandatum* =, prout latius patet ab edita ad eam diem Decisione coram me, quæ rerum gestarum historiam enarrat. Facta tamen Bartolinio adversus reditum judicium obloquendi potestate, cum rogaverim hodie mane Patres = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = Responsum retuli = *In decisis juxta modum in Decisione exprimendum* = Modus autem est, *ut pro constituenda Locorum Montium aestimatione prae oculis haberi debeat dies obitus Margaritae.*

1 Tria in disquisitionem veniebant: num primo *in tertia tertiae* ut inquiunt, vel *in tertia totius* sit constituenda legitima Matris Margaritæ: quanti rursus æstimari debeat Margaritæ patrimonium, ut exinde vera ejusdem legitimæ portionis quantitas cognoscatur; quænam denique ejus patrimonii pars frugifera sit, vel infrugifera, ut accessiones valeant dimetiri. Ad legitimam portionem quod pertinet, erat incontroversum, non in tertia tertiæ, sed in tertia totius eam deberi, semelac Margarita hæredem ex asse instituit extraneum, virum nempe Aloysium Bartolini. Reprobata siquidem *Bartholi* doctrina, qui matris legitimam in tertia tertiæ determinat, vires, suas exercere debet opinio diversa *Butrigarii*, qui in tertia totius legitimam ipsam constituit. Ad conciliandas enim contrarias Jurisconsultorum Sententias, merito invaluit in foro distinctio, ut tum nempe in tertia tertiæ tribuenda sit matri legitima, cum causa testati eadem est, ac intestati causa, si nimirum is fuerit ad hæreditatis emolumentum vocatus, cui jus competere potuisset una cum matre ab intestato succedendi; e converso autem tunc in tertia totius eadem legitima portio sit constituenda, cum is hæres scriptus est, qui nunquam ab intestato, aut matrem excludere, aut simul cum ea concurrere valuisset. Hanc vero distinctionem in jure probatissimam, et justitiæ, ac æquitati innixam, pluribus adductis auctoritatum exemplis mea confirmavit superior Decisio §. 10.

2 Cum itaque deberi legitimam, et eam in tertia totius constitui oportere Bartolinius haud inficiaretur, in eo po-

tius erat; ut patrimonii vires imminueret, a quo detrahi debet ipsa legitima. Hinc sedulo inquirendum est, quanti reapse Margaritæ hæreditas æstimetur, ut inde præfiniri tuto possit portio legitima, quam ex maternis juribus repetunt Appollonia, et Catharina sorores Monti. In hoc examine peragendo iterum animadvertendum occurrebat ex nuptialibus tabulis, quæ occasione matrimonii Bartolinium inter ac Margaritam initi, celebratæ fuerunt, luculenter patere, futuram Sponsam in dotem sibi constituisse, ac viro suo tradidisse *termillia quingentum quinquaginta scutata*. Ex solemni rursus Transactione, quam post obitum Margaritæ Bartolinius illius hæres ad exitum perduxit, simili modo constabat, argenteos nummos *bismille* persolutos ei fuisse cujusdam legati ejusque fructuum nomine, quod ex liberalitate primi viri Pauli Mattei eadem Margarita retulerat. A quadam demum notula status activi universi Patrimonii Margaritæ Perusinis Judicibus exhibita, et a Bartolinio exarata, apparebat ultro fassum eum fuisse, in eodem reperiri argenteos nummos *quingentum viginti tres*, quot scilicet, ut ajebat, ex majori quantitate supererant, quam dotalis lucri titulo ab hæreditate primi viri Margarita fuerat consequuta. Præter hanc summam descripsit etiam in ea notula Bartolinius activum Censum scutatorum *centum*, ac præterea = *due orologi valutati scudi quaranta = una scatoletta d'oro valutata scudi trentacinque = sei cucchiarini da Caffè di circa un'oncia, e mezza valutati scudi nove = un Mariage valutato scudi quindici = una Saliera antica di circa oncie tre valutata scudi tre*.

3 Simul autem collectis hisce summis, una cum reliquis supra descriptis, levi negocio cognoscitur, integram Margaritæ hæreditatem ad scutata *sexmille biscentum quadraginta* pervenire, ex quibus detrahenda est legitima portio in *tertia totius* Apolloniæ, et Catharinæ Sororibus Monti ex Matris juribus debita, quæ ideo in præcedenti Decisione in scutis *bismillibus septuaginta sex* constituta fuit. Ad objectas detractiones sermonem modo convertendo, spernenda primum sese offerebat summa argenteorum nummorum *biscentum quinquaginta*, quam ab Uxoris hæreditate perperam deducere conabatur Bartolinius, declarationi innixus quam eadem ejus Uxor, et Auctrix Margarita in testamento emiserat per hæc verba = *Egli doveva, e deve rimborsarsi di quanto spese, per redimere le mie gioje dal Monte di Pietà* =. Redit enim responsio, quam huic exceptioni dedit prima Decisio §. 6, ubi recte animadversum est, hujusmodi declarationem nimiæ mulieris erga virum indulgentiæ tribuendam esse. Sed præterea cum nuptialibus tabulis ea declaratio pugnabat, in quibus apparet quod, licet jocalia scutis *octingentum* æstimarentur, tradita nihilominus Bartolinio fuerunt pro scutis tantum *quingentum quinquaginta = stante che sono state per scudi* 250 *dal medesimo Bartolini del proprio spegnate dal Monte di Pietà, ove trotrovavansi impegnate sino dal tempo della morte del predetto Paolo Mattei* = Si itaque quidquid impendit in jocalibus redimendis, in imminuta ipsorum æstimatione Bartolinius jamdiu fuerat assequutus, eamdem indemnitatem per eam detractionem modo referre invita bona fide satagebat, cui nihil magis contrarium est, quam bis idem exigere, ut inquit *Sabinus in leg. Bona fides* 58 *ff. de Reg. Jur.*

Nec Bartolinium profuit urgere, Margaritam ipsam, dum erat in humanis, ea jocalia vendidisse tenui admodum pretio argenteorum nummorum *tercentum quindecim*. Nam hoc etiam aperte resistebat alteri Bartolinii testimonio, ex quo compertum erat, non ab Uxore, sed a seipso divendita fuisse jocalia scutis *sexcentum*. In hac autem monumentorum repugnantia, quantum oportebat, ut *scripturae diversae fidem sibi invicem derogantes ab una, eademque parte prolatae nihil firmitatis haberent*, quemadmodum jubet *Imp. in leg. scripturae Cod. de fid. Instrumentorum*; tantum redire oportebat ad publicas nuptiales tabulas, in quibus, cum jo- 4

calia acceperit Bartolinius scutis *quingentum quinquaginta* æstimata, hujus summæ propterea debitorem ipsum unum evasisse consequitur. Ita pariter reiiciendam censuerunt Patres aliam detractionem quam in scutis *sexcentum sexaginta* idem proponebat Bartolinius dum altera suffultus declaratione testatricis asserebat hanc summam sese impedisse in vendicatione legati, quod ex hæreditate primi viri ad Margaritam pertinebat. Quandoquidem ex diserta Transactionis litera, quam post Uxoris obitum cum hæredibus Pauli Mattei Bartolinius ineundam curavit, manifesto constat, præter legatum, litis etiam impensas eum recuperasse, quarum nomine in eadem Transactione conventa fuerunt = *scudi seicento sessanta spese rifattibili occorse nella Causa* = Iterum ergo adversus bonam fidem Bartolinius ageret, si eamdem rem bis exigere datum ei esset. Eodem vitio deinde laborabat exceptio alteræ detractionis lucri dotalis, quod ex nuptialibus tabulis ubi in pactum deductum fuit = *il quarto dotale da superlucrarsi hinc inde secondo la disposizione del Romano Statuto* = petebat ipse Bartolinius.

5 Præter enim quod hujusmodi conventio tunc tantum locum sibi vindicaret, cum ad restituendam dotem Bartolinius teneretur, et restitutione dotis omissa, jus ad dotale lucrum consequendum evaneseit; accedit etiam jam maximum compendium retulisse Bartolinium dum, tamquam uxoris hæres, universum ejus Patrimonium obtinuit, adeout dotis lucrum, etiamsi viro competeret, satis superque compensatum diei possit cum integræ hæreditatis emolumento. Postquam vero Bartolinius Uxoris hæreditatem, nullo confecto Inventario, pure, et simpliciter adivit, et proprias actiones cum defunctæ Uxoris actionibus confundi passus fuit, jus omne ad dotale lucrum condicendum amisisse probat ex Doctorum, et Tribunalium auctoritate præterita mea *Decisio* § 7. Cæterum, quamvis alia qualibet de causa tribuendum Bartolinio esset dotale lucrum, non ideo tamen sequeretur expungi illud oportere, antequam legitima portio defunctæ Matris hæredibus debita secernatur. Cum namque Dotale lucrum, juxta Urbani Statuti præscriptionem *voluntariam, et lucrativam* tantummodo Causam exhibeat, detrahi proinde non potest, donec prius deducta non fuerit ipsa legitima, quæ nullam ab hujusmodi lucri Dotalis detractionibus imminutionem pati debet, veluti expendit superior Decisio § 8. Hujusmodi vero distinctio inter caussm *necessariam, et voluntariam*, lucrativam, et *onerosam*, retinenda maximo erat ad diluendam alterius detractionis objectum a Bartolinio pariter propositum, ob legatum scutorum *biscentum*, quod ejus Auctricem Margaritam oretenus sororibus reliquisse dicebat. Nam legata quoque, ut probatum de dotali lucro est, *voluntariam et lucrativam* præseferunt causam, ideoque dispungi ab hæreditate nequeunt, nisi primum dispunctis debitis necessariis, inter quæ potissimum recensetur legitima portio matri tribuenda, ut expendit prior ipsa Decisio *cit.* § 8.

Cum vero Sorores Monti a successione Sororia, extantibus masculis, ex Fulginatensis Statuti censura repellerentur, multo minus imminui poterat legitima matri debita ex legato in carum gratiam a Margarita relicto, ceu pariter observat superior Decisio *eodem* § 8. Nec pronis auribus excipiendum visum est, quidquid de erroro Bartolinius dictitabat, quem irrepsisse in notula Status activi opponebat, dum in ea Censum descripsit scutatorum *centum*, non a Margarita, sed a se initum, antequam eam duceret in uxorem. Etiamsi namque verum esset a Bartolinio possideri similem Censum scutorum *centum*, antequam matrimonium iniret cum Margarita, non tamen repugnat, quod unus, et altera æqualis summæ Censum haberet, ut facile usuvenire potest. Non decebat deinde confessionem tam serio, et consulto emissam, post hæreditatem pure, et simpliciter acceptо habitam, per inania verba, et equivocas probationes obiter retractari. Quemadmodum tandem rejecta merito fuit alia impensarum detractio, quas 6

pro ultima uxoris infirmitate fecerat Bartolinius, quia inter onera matrimonii recensentur, et alimentorum jure veniunt, nec ideo ullum ex eis creditum sibi asserere adversus uxoris hæreditatem vir potest; ita pariter reservata jura fuerunt in congruo judicio exercenda eidem Bartolinio pro condicendis funeris sumptibus, qui nentiqnam probabantur, ceu reservata sunt Sororibus Monti pro *vacabili officio*, quod incertum erat, an actu posset augere Margaritæ hæreditatem, veluti animadvertit præfata Decisio §. 9.

7 Disjectis detractionibus omnibus ad imminuendam Legitimæ quantitatem a Bartolinio propositis, inutili conatu ipse contendebat, ex duplici causa ad legitimam hanc portionem in numerata pecunia rependendam sese non teneri, tum quia scilicet ex transactione cum hæredibus Pauli Mattei inita, non numeratam pecuniam, ut punctim, Legati nomine, fuerat Margaritæ a defuncto primo viro relicta, sed illius vice tot prædia in solutum acceperit, tum etiam quia dos, quam attulit Margarita, *qualitativa* fuerit. Ad primum namque quod attinet, imputare sibi certe debet Bartolinius, si prædia in solutum accepit, cum esset numeratæ pecuniæ Creditor. Hæc siquidem oscitantia nocere Sororibus Monti nequit, cum iniquissimum sit, ex alterius culpa, quæ, suum semper sequitur auctorem, in alios damnum venire. Quoad Dotem vero, *quantitativam* eam fuisse, non vero *qualitativam* ex eo primum eruitur, quod in nuptialibus tabulis mentio primum occurrat de quantitate, scilicet « *constituisce, ed assegna al detto Signor Bartolini suo Sposo la somma, e quantità di scudi tremila cinquecento cinquanta moneta romana* » et postea de qualitate sermo sit, de bonis nempe, ex quibus dos ipsa in quantitate constituta persolvitur. *Rot. decis.* 117 *n.* 27 *decis.* 417 *num.* 5 *coram Ansaldo*. Sed quoniam argumentum ab ordine ductum per *prius, et posterius* fallax sæpius invenitur, ideo tutior ea regula est, ut toties *quantitativa* dos existimetur, quoties bona, in Dotis causam allata, fuerint pretio æstimata, etiamsi mentio qualitatis, et speciei præcedat quantitati: contra vero tunc *qualitativa* dos reputanda sit, cum absque ulla æstimatione bona in dotem constituantur, licet mentio quantitatis in nuptialibus tabulis qualitatis, et speciei mentioni præiverit.

Per æstimationem porro specierum emptionis venditionis contractum intercessisse præsumitur, adeout vir rerum dominium assequutus, earumque æstimationis, et quantitatis Debitor effectus censetur, ut, præter allatas in superiori Decisione § 11 doctrinas, firmant *Constantin. vol. decis.* 99 *n.* 4, *Rota apud eumdem ad Stat. Urbis Decis.* 205 *n.* 1, *et decis.* 213 *n.* 4 *ad* 6 *cor. Riminaldo.* Æstimata revera in dotem dedisse Margaritam Loca Montium, et jocalia, ambigi profecto non poterat, semelac ea *scuta termille quingentum quinquaginta* ipsa Margarita viro suo tradidit, partim « *in tante gioje a lei lasciate in Legato dal sudetto Paolo Mattei*, « et partim » *in Luoghi trenta di Monte, che ragguagliati secondo il prezzo corrente di scudi cento per luogo formano appunto la medesima somma di scudi tremila* ». Dos ergo fuit vere quantitativa. Neque enim censendum secus est, quod forte in nuptialibus tabulis conventum fuerit « *che, fermo restando in essa Signora Margarita il Credito di detti Luoghi di Monte, si debba sopra di essi apporre la dichiarazione, e vincolo, che siano obligati per la di lei dote, e fondo dotale, ed inoltre la riserva de' loro frutti in favore del med. suo Sposo, al quale effetto esso fino da ora presta ogni necessario, ed opportuno consenso, perchè sia apposta sopra detti Luoghi di Monte non solo l'anzidetta dichiarazione, e vincolo, ma altresì la sudetta riserva.* 8

Primævam quippe naturam, quam dos in quantitate ab initio constituta acquisivit, amittere sane non potest per appositas hujusce generis reservationes. Si aliter censeri deberet, illud necessario sequeretur, ut manifeste sibi contradixerint contrahentes, dum voluerunt, ut dos in quantitate constituta qualitativam etiam indolem exhiberet. Pugnaret imo pactio superius recensita 9

cum alia qua convenit, ut Bartolinius teneretur constitutam receptamque vicissim dotem servare, ac in ejus securitatem ipsa jocalia, et Loca Montium hypothecæ subjicere. Conciliari profecto nequit hæc hypothecarii juris a muliere facta stipulatio cum constitutione dotis qualitativæ, utpote quæ rei in dotem constitutæ Dominium mulieri præservat, nec certe patitur, ut super ca hypotheca Dotalis contrahatur, cum res sua nemini serviat *Rot. coram Zarat decis.* 74 *num.* 23 *coram Ansaldo Decis.* 78 *num.* 51, *et Decis.* 469 *n.* 23 *coram Olivatio.* Ad utramque igitur conventionem ita explicandam, ut servetur quidem, non autem pereat, necessario dicendum est, nil aliud utramque præaeferre, quam hypothecæ dotalis declarationem, ad salvas, integrasque servandas mulierum dotes in nuptialibus tabulis interponi solitam. Hæc vero interpretatio non solum retinenda est, quia juris congruit principiis, ac Jurisperitorum doctrinæ veluti firmat præterita *Decis.* § 12; sed etiam quia in quolibet dubio judicandum est pro doto in quantitate, et specie soluta, ut docent *Conciol. Allegat.* 6 *num.* 41, *et seq. Rot. cor. Bichio Decis.* 69 *n.* 10; *et* 11 *decis.* 350 *num.* 26 *in Rec. Decis.* 10 *num.* 3 *part.* 16 *Decis.* 98 *numer.* 35. 36 *part.* 18, *et decis.* 80 *n.* 56 *cor. Ansaldo.*

10 Quæ cum ita essent, licet perspectissimum haberent Patres, quantitativam Dotem fuisse a Margarita allatam, non ideo tamen rejiciendam, ut cæteras, extimarunt querelam de imminutione valoris Locorum Montium, quæ maximam hæreditatis partem conficiunt. Cum enim ex nuptialibus tabulis Loca Montium pro dotali fundo fuerint reservata, ex quo Bartolinius de iis disponere haud proterat, eorum propterea decrementum adscribi necessario debet ipsi fundo, non autem viro, qui illum pro securitate dotis Uxoris servare tenebatur. Adjecto igitur præteritæ Decisioni *modo* justissime definitum est, ut in constituenda Locorum Montium æstimatione haberi præ oculis debeat eorum valor ad diem obitus Margaritæ, ne secus decrementum in damnum vergat Bartolinii. Supererat post hæc expendendum, an una cum legitima portione jus etiam haberent Actrices ad ipsius legitimæ consequendas accessiones: qua in re nullum dubium, quin, quoad bona hæreditaria, quæ frugifera sunt, recte postulentur fructus a die obitus Margharitæ *in quincunce* mensura, prout pluribus adductis auctoritatum exemplis advertit præterita *Decisio* § 13. In ipsa quidem præterita decisione, divisis bonis, quæ frugifera sunt ab iis, quæ infrugifera cognoscuntur, levi negocio præfinita fuit fructuum quantitas. Verum in hodierno certamine, licet quoad Legatum scutorum *bismille* ab hæredibus primi Margaritæ Viri solutum, et quoad Censum scutorum *centum*, ambigi nequeat, deberi fructus, et eorum summa statim appareat; adhuc tamen, cum incertum sit decrementum Locorum Montium, et incerta ideo eorum fructuum quantitas, quæ ratione ipsius decrementi supputanda est, hac de Causa, antequam mandatum, quod in præcedenti Decisione in præfinita summa pro capite, et fructibus decreverunt Patres, exequutioni detur, liquidandi etiam præter valorem Locorum Montium erunt fructus huic valori respondentes, ad eamdem quincuncem rationem.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA SEU VERULANA PECUNIARIA

Veneris 16 *Maii* 1823.

ARGUMENTUM

Uxor, pro sua dote hypotheca privilegiata suffulta, non potest impedire, quominus bona mariti a caeteris crediteribus sub corona vendi possiet. Sed muliari, hoc in casu, jus est tantum, sui crediti solutionem obtinere, ie concursu cum caeteris viri creditoribus juxta gradus praerogativam.

SUMMARIUM

1. *Vetitum est cuilibet, quantumvis privilegiato creditori hypothecaque suffulto, communis de-*

bitoris bona a concursu aliorum creditorum eximere.

2. *Cum super instantia, haud prodierit decretum, ex illa nullum jus oritur.*
3. *Si ex parte viri bona hypothecae subjecta fuerint, ex hoc qualitativa dotis indoles excluditur.*
4. *Etiamsi verbum adhibitum fuerit* - fondo dotale - *non ob id dici potest quod dos sit qualitativa.*
5. *Nefas est socero quantitativam dotem in qualitativam convertere absque solemniis.*

   Expedit magis mulieribus dotem in pecuniam, quam in fundis habere - ibidem. -
6. *Nemo vel adire, vel repudiare potest haereditatem, nisi certus sit de testatoris morte.*
7. *Ex conditionata haereditatis aditione, omnes legitimi actus vitiantur.*
8. *Retentio et administratio bonorum haereditariorum, non secumfert qualitatem haereditariam, si quis alio titulo pollebat.*
9. *In administratione pauperrimae substantiae, cessat praesumptio quod quis de suo credito sibi satisfecerit.*

DECISIO CXLIII.

Nuptialibus tabulis, die 11. Augusti anni 1795. exaratis, Annæ Theresiæ Renna nupturæ Francisco Xaverio Pileggi, Joannes Baptista Renna parens dotem constituit in scutis *quinque millibus*; conventum fuit de quarto dotali a superstite e conjugibus lucrando ad tramites Statuti Urbis: annua sponsæ præstatio fuit promissa in scutis *quinquaginta*, spillatici nomine: pro restitutione vero dotis, et lucri dotalis, tam sponsus, quam sponsi pater, Paulus, omnia sua bona hypothecæ nexui subiicccrunt, ac pro assequutione prædictæ dotis ac lucri, restitutionis casu adveniente, constituerunt, ac deputarunt » *loro vera, e legittima procuratrice, o procuratori irrevocabili come in causa propria la medesima Signora Anna Teresa, e suoi con la facoltà di prendere il vero, e reale possesso delli detti loro beni, e questi locare, esiggere le risposte, vendere. ed alienare, ritrarre il prezzo da durare tal facoltà finchè la medesima Signora Anna Teresa, e suoi si saranno reintegrati di detta dote, quarto, e ragioni dotali, ponendoli fin da ora in loro luogo, e trasferendogli ogni dominio, anche in virtù della clausola del costituto ec.* = Maximam hujusce dotis partem biduo post, die nempe 13. Augusti 1795., solvit Joannes Baptista Renna in scutis 4300., quæ contextim erogata fuerunt in emptionem census, pro hac summa venditi conjugibus prædictis a Communitate Velitrarum; et quæ reliqua erant scuta 700. ad integram dotis solutionem implendam numerata fuerunt ab eodem Joanne Baptista die 15. Junii 1796. et ideo sub ea die omnimodam de promissæ dotis quantitate in scutis 5000 quietantiam ipse retulit.

Posthæc publicarum rerum perturbationes, exterorum militum incursus, expilatio, et incensio Pileggiæ domus Phrusinonis sitæ, post captam ab hostibus Civitatem, imprudens rei familiaris per Franciscum administratio, ejus prodigalitas, et inconsultæ pecudum, supellectilium, pretiosarumque rerum alienationes, atque insana cupiditas sequendi Gallorum vexilla effecere, ut, quod de tempore nuptiarum Annæ Theresiæ dives erat Pileggium patrimonium, deinceps quam maxime imminueretur, ita ut vix par evaserit ad annum *tercentorum* scutorum redditum præstandum. Quibus accessit postremus Francisci cum Gallis discessus, ejusque transitus in Russiam, unde redux usque adhuc fuit. Dum vero hisce præmebatur angustiis Anna Theresia, et, pro viro absente ejus bonorum administrationi incumbens, sui, familiæve sustentationi prospiciebat, quo meliore poterat modo, impetum in hæc bona facere Eques Theodorus Ciccolinius, Nicola Ceas, Fratresque Fratellinii, ut solutionem assequerentur cambialium nominum, quæ cum eis ab anno usque 1804. contraxerat Franciscus Xaverius ex pretio tesserarum » *Certificati di Crediti Communitativi* = ab illis emptarum, ut cum iis quædam predia *Prato di Campoli*, *et Bagnara* ad Communitates Verularum, et Olybani spectantia una cum fratribus Vellucciis acquireret. Tum prædicta Anna

Theresia, ut sibi consuleret, suamque dotem, lucrum dotale, ac spillatica in tuto poneret, Monitorium anno 1808. adversus singulos illos creditores expedivit coram A. C. Ridolphio, postulans, ob viri ad inopiam vergentiam, in vim notissimæ Cauthelæ Angeli. segregationem bonorum pro suorum jurium assecuratione; sed nullum Judex ille protulit Decretum, cum Causa ab eo ablegata tantum fuerit ad *Syllabum* uti ajebant *informationis*. Deinceps vero, Ecclesiastica Ditione iterum per Gallos occupata, invectisque hypothecariis Legibus, tam ipsa, quam ii creditores solliciti fuerunt de respectivis creditis, ac hypothecis inscribendis; atque instaurato per eos creditores anno 1813. judicio apud Primarum Actionum Tribunal, in Urbe a Gallis constitutum, Sententia ipsis secunda prodiit, quæ etiam declaravit superius memoratum Monitorium ab Anna Theresia expeditum, ac tunc oppositum deberc » *soltanto tener luogo di oppasizione alla libera consegna del prezzo da ricavarsi dalla vendita giudiziale* = bonorum Francisci.

Pulsis deinceps Gallis, et Pontificio redintegrato Imperio, intermissum fuit judicium. Interim vero, cum anno *1816*. Francisci consanguinei, qui, ejus prole carentis, intestatam inhiabant hereditatem, ipsum in Russiaco bello mortuum dictitantes, quia anno 1811. Roma profectus, sub Gallis militans signis, patriam non adhuo, quamvis res essent ubique pacatæ, reviserat judicialiter adversos Annam Theresiam institissent pro ea assequenda hæreditate, hæc, cui vir, antequam discederet, amplissimum dederat mandatum administrandi ipsius bona, ac una simul tradiderat folium clausum, et obsignatum, cum hac inscriptione » *testamento olografo di Francesco Saverio Pileggi* = Judicem adiit pro illius aperitione, ut eorum averteret molestias, qui = *supponendo la morte del suo Marito pretendono dei diritti alla di lui eredità* = Eo itaque testamento resignato, patuit ipsam fuisse universalem heredem a marito scriptam: quare in administratione bonorum illius perrexit; sed non, uti ejus heres, quia, viveret ipse, an obiisset incerta, qualitatem ipsius hereditariam, nec assumere, nec respuere jure poterat. Post aliquod vero tempus, cum nil de eo audivisset, ad majorem cauthelam, mandatum procuræ dedit cuidam Diamantio, ut prædictorum bonorum inventarium conficeret, hac tamen cum declaratione » *senza che da quest' atto si possa indurre ne alcun deterioramento, o diminuzione ai suoi diritti dotali, e s'intenda con ciò giustificata la morte del suo marito giacchè, o vivente il medesimo gli è necessario per eonoscere la quantità, qualità, e valore dei beni del medesimo, che essa intende di ritenere in conto, e sodisfazione degli accennati diritti dotali ec. se poi passato all' altra vita, dichiara di ritenerli, come erede beneficiata, onde in ogni futuro tempo essa sia nel casa di far valere gli accennati suoi diritti datali, non che rinunziare a questa eredità* = ; ac reapse mense Novembris anni 1814. fuit illud inventarium confectum, citatis creditoribus Patrimonii Pileggii, quos inter Ciccolinio, Ceasiis, aliisque, et repetita in eo ad verbum prædicta Annæ Theresiæ declaratione.

Cum autem superiur relata Sententia Tribunalis Primæ Instantiæ Urbis anni 1813. exequutoria facta fuisset ab juridico A. C. Conventu, sub diebus 20., et 23. Augusti 1817., pro scutis 1166. 62. favore Fratrum de Fratelliniis, pro scutis 1788. 85. favore Nicolaæ Ceas, et pro scutis 967 75. favore Ciccolinii, actorum nullitatem apud Signaturæ Tribunal objecit Anna Theresia; sed hanc querelam illud Tribunal rejecit, et solum ei appellationem suspensivam indulsit, edito Rescripto » *Nihil de circumscriptione in reliquis si quid exequendum.* Hinc Causa cor. S. N. Ordine proposita fuit in Comitiis dici 17. Aprilis anni 1820. sub Dubio » *An, et quomodo mandatum A. C. sit exequendum in casu etc.* = et primum, ob distracta suffragia, judicium ampliatum fuit

ad *Quintum, et Sextum*. Sed in Rotali Consessu diei 13. Junii ejusdem anni resoluta ea fuit responso = *Affirmative in omnibus* = confirmato deinceps alio » *In Decisis* » reddito die 18. Junii 1821., uti monstrant binæ Decisiones a R. P. D. Meo Martinez vulgatæ, quibus accessit Rotalis Sententia ab Eodem signata. Obtinuit Anna Theresia ab hac Sententia appellationem; nec inutiliter profecto. Cum enim hodie Patribus exhibuerim resolvendum Dubium » *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* = responderunt ipsi = *Sententiam Rotalem confirmandam esse, juxta modum in Decisione exprimendum* = qui modus est, = *quod Anna Theresia e pretio bonorum viri satisfactionem assequi debeat de suo credito dotali, ac lucro, et spillatico juxta gradus prærogativam, et quod ipsa rationem reddere debeat administrationis illorum bonorum a die aperti testamenti ejusdem Viri* =

1 Nil sane hæserunt Patres quoad confirmationem Rotalis Sententiæ in ea parte, quæ spectat ad existentiam creditorum Nicolaæ Angelicæ Ceas, Fratrum de Fratelliniis, et Equitis Theodori Ciccolini, nunc defuncti, et quoad inanitatem postulationis Annæ Theresiæ retinendi Viri bona in vim Cauthelæ Angeli pro suis creditis Dotis, lucri, et Spillaticorum, et ita ea eximendi a venditione sub corona, quam prædicti urgent creditores, ut ex eorum pretio de suis creditis satisfactionem assequantur. Ad hæc siquidem creditorum prædictorum nomina quod attinet, quæ et Sententia Triumvirorum A. C., et Sententia Rotalis probavit, ea nec ipsa quidem Anna Theresia in controversiam adducit. Indubium igitur est eorum creditorum jus persequendi pro iis creditis Poleggia bona. Quo vero ad petitam per Annam Theresiam, in vim Cauthelæ Angeli, antequam creditores in ea irruant bona, segregationem tot borum bonorum, quot valorem exhibeant ejus dotali credito, lucro, ac spillaticis respondentem, ut ea in horum creditorum satisfactionem sibi addicat, ac retineat manifestissimum est bujuscemodi petitioni obstare nuper invectas Leges, ac præsertim Motum Proprium Sanctissimi Principis, quibus vetitum est cuilibet, quantum vis privilegiato creditori quavis hypotheca suffulto, communis debitoris bona a concursu aliorum concreditorum eximere, atque impedire ne hæc hastæ subiiciantur, et horum pretio ii dimittantur, qui anterioritate ac potioritate pollent, ut late disserunt præcedentes Decisiones, quæ in hac parte confirmantur, prima sub §. 6., altera sub §. 3.

Quin rem mutet Annam Theresiam ante novas illas Leges editas, nempe anno 1808. Monitorium pro bonorum segregatione ex Cauthela Angeli coram Tribunali A. C. expedivisse, ex quo dicendum sit posteriores Leges, quæ futuris tantum negociis normam dare poterant, adimere ei non potuisse jus jam acquisitum, et in judicio propositum. Nil enim quoad ejus instantiam decrevit Tribunal illud, et hanc tantum remisit ad *syllabum informationis*. Quapropter, cum nullum ea super prodierit Decretum, nulla Sententia, posthabendum omnino est illud Monitorium, et juxta superventarum legum præscripta, quæ, nil detrahentes dotalibus juribus, et privilegiis solutionis tantum modum immutarunt, agat oportet Anna Theresia ut suorum creditorum solutionem assequatur. Aliter sane tum dumtaxat sentiendum esset, cum constaret ejus instantiam per Sententiam fuisse probatam, sicuti optime dictæ statuunt præcedentes Decisiones *prior sub* §. 6. secunda sub §. 4.5. 2

In hisce itaque huc usque expositis merito Patres Rotalem Sententiam confirmandam censuerunt. Verum album ei calculum adiiciendum esse haud putarunt in ea etiam parte, qua Annam Theresiam omni jure declaravit destitutam sua exigendi credita a viri patrimonio, quia, petita apertione illius Testamenti, ejus hereditatem occupavit absque ullo legitimo inventario, ex quo dicendum sit, quod simplex ejus heres extiterit et uti talis, 3

actiones confuderit, et quia illius Patrimonii bona administraverit per annos duodecim, absque quo rationem de hac administratione reddiderit, qua non reddita vetitum ei sit sua proponere credita. Primum siquidem statuerunt dotem Annæ Theresiæ fuisse *quantitativam*. De hoc profecto dubitari nequit, cum constet in Instrumento Dotali diei 11. Augusti anni 1795. dotem ei a patre constitutam fuisse in quantitate *scutorum quinque millium*, et Pileggium sponsum una cum parente adeo in casu illius restitutionis sese obligasse ad eam quantitatem representandam, ut ad hunc effectum omnia Pileggiæ Familiæ bona hypothecæ nexui subjecerint, data etiam Annæ Theresiæ facultate illa locandi, et vendendi, ad instar dominæ » *finchè essa, e suoi si saranno reintegrati, e sodisfatti di detta dote, quarto, ed altre ragioni dotali* = ex quibus qualitativa Dotis indoles prorsus excluditur. Accedit quod prædictus sponsæ pater biduo post Instrnmentum dotale confectum, die nempe 13. Augusti 1795. scutata 4300. reapse numeravit, quæ Pileggii in emptionem Census cum Communitate Veliterna erogarunt, aliaque scuta 700., in integram Dotis satisfactionem anno 1796. rependit, quin unqoam in respectivis utriusque solutionis exaratis tabulis verbum exciderit, nec quidem excipere poterat, ex quo argui posset quantitativam dotem illam in qualitativam fuisse conversam.

4 Nec aliter sentiendum est ex eo quod *quartum* etiam confectum fuit Instrumentum, in quo, relate ad Censum, a Velitrarum Comunitate emptum, declaratum a Pilleggia fuit, quod hic Census = *sia dotale soggetto al vicolo della di lei dote* = nempe Annæ Theresiæ = *al vincolo della dote, e fondo dotale* = Primùm enim hæ dictiones optime conveniunt hypothæcæ dotali, et fundus ei subsjectus *impropriè* dicitur = *fondo dotale* =, et ad eam dotalem hypothecam magis tuendam adhibitas reapse fuisse pernecesse dicendum est; secus enim tria priora destruerunt Instrumenta, dotis, solutionis scutorum 4300 cum impositione Census superius memorati, et quietantiæ, quibus semper dos, uti *quantitativa*, qualis revera fuit, declarata constanter a contrahentibus fuerat. Et quidem hisce in terminis dictionem = *fondo dotale* = pro dotali hypotheca interpretandam esse semper tenuit S. Nostrer Ordo, præsertim *in recen. decis.* 30 *numer.* 20 *et seq. part.* 10, *et Decis.* 98 *num.* 12. *part.* 18. *tom.* 1 *decis.* 64 *num.* 7 *coram Ratto*, *et in Tolentina Cauthelæ Angeli* 5. *Julii* 1805. § 3 *et seq. coram Eminentissimo Cesareo de Leonibus.*

Præterea, qualibet etiam in falsissima hypothesi, haud licuisset nec Pileggio, nec ejus socero quantitativam Annæ Theresiæ Dotem in qualitativam convertere, nedum absque necessariis solemniis, sed etiam ea absente, contra vetitum *Glossæ ad leg.* 55 *Cod. de fundo dotali* quam sequitur *Rot. in recen. decis.* 103 *num.* 10 *part.* 18 *tom.* 1 *decis.* 889 *numer.* 9 10 *coram Molines*, *decis.* 203 *numer.* 4. *seq. coram Ratto*; ejusque conditionem deteriorem efficere. Expedit namque mulieribus magis dotem in pecunia, quam in fundis habere ut tradit *Barbos. leg. si æstimatis num.* 1 *et* 5 *ff. solut. matrimo: Molin. de rit. nupt. quæst.* 57 *num.* 9 *Fontanella de Pactis Nuptialibus Clan.* 5 *Gloss.* 8 *part.* 13 *numer.* 27, *Gratian. Discept. Forens. cap.* 435 *numer.* 3 *Mantic. de Tacitis lib.* 2 *tit.* 28 *num.* 31 *et seq. et cit. decis. Tolentina Cauthelæ Angeli* 5 *Julii* 1805 *coram Eminentissimo Cesareo* = Eoque fortius id tenendum in themate est, quia non aliquis fundus, sed incertum creditum pecuniarium dotale factum fuisset, quod facile perire poterat, sicuti in facto periit ille Census, cum fuerit extinctus ope tesseræ = *certificato* =, quam Pileggius ipse recepit, et qua usus fuit in acquisitione bonorum Communitatum in proprium omnino commodum. 5

Posita indole quantitativa dotis Annæ Theresiæ, illiusque exigibilitate in pecunia numerata, uti fuit soluta, re- 6

bus melius perpensis agnoverunt Patres nullius obicis esse jure ipsius Annæ Theresiæ, assequendi e pretio patrimonii viri, tam illius dotis, quam cæterorum dotalium creditorum satisfactionem, assertam ipsius qualitatem heredis simplicis viri, et assertam actionum confusionem. Hæc porro in ea qualitas erui nequit, nec ex petita per eam aperitione testamenti viri nec ex retentione ipsius bonorum post illud apertum testamentum, nec ex inventarii, quamvis imperfectum diceretur, confectione. Nemo quippe vel adire vel repudiare potest hæreditatem nisi certus sit de testatoris morte, nilque in ea adeunda vel repudianda agit, si tantum de vita, aut obitu ipsius dubitet = *Si quis dubitat vivat testator nec ne repudianda nil agit.* = *In repudianda hereditate certius esse debet de suo jure qui repudiat* = *Sed ita demum pro herede gerendo acquiret hæreditatem, si jam sit ei delata; ceterum ex quibus caussis nihil agere diximus repudiantem, ex iisdem nec pro herede gerendo quidquam agere sciendum est* =, quæ verba sunt *Text. in leg.* 13 § 1 *ff. de acquirenda hereditate leg.* 23 *ff. Eod. leg.* 2 § 2 *de acquirenda vel amittenda hereditate.* Idipsum docent *Vinn. in Commentar. ad Instit. lib.* 2 *tit.* 19. §. 6. *num.* 7. 9. *Bruneman. in Commentar. ad leg.* 13. *ff. de acquirenda, vel amittenda hæredit., et ad leg.* 18. *leg.* 32 *et* 33 *ff. eod. Donell. de jure Civili lib.* 7. *cap.* 5 § 1 *et seq., et Cujac. ad African. Tract.* 1 *tom.* 1 *Columm.* 1254 *et seq. Edit. Neapolitan.*

7 Id cum in jure certissimum sit manifestissimum est pariter in facto Annam Theresiam, tum, dum petit testamenti mariti absentis aperitionem, quam dum ejus bonorum, quorum administrationem de ejus mandato gerebat, inventarium confici curavit, de ejus vita vel obitu incertam prorsus fuisse. Testamentum enim aperiri postulavit non proprio arbitrio, sed ad compescendas vexationes, quas patiebatur a mariti propinquis, qui ejus prole carentis, intestatam hereditatem arripere conabantur = *Supponendo la morte del suo marito* = Inventarii vero confessionem procuratori mandavit = *senza che da questo atto si possa indurre, ne alcun deterioramento, o diminuzione ai suoi diritti dotali, e si intenda con ciò giustificata la morte del suo marito* = atque ad eum effectum mandavit; ut = *vivente il medesimo* = bona ejus retinere posset pro quantitate valoris suis creditis respondente = *passato poi all' altra vita* = ut illorum creditorum jura posset experiri, ac ei liberam esset = *rinunziare a questa eredità* = ac revera cum hac protestatione fuit inventarium. perfectum. Hinc itaque, se posita prorsus illa juris indagine, an absens per quinquennium, absque quo nulla de eo pervenerit notitia, pro mortuo haberi debeat, quæ propositio, nedum in genere dubia est, sed etiam in themate destruitur ab epistolis e Pileggio post discessum scriptis, et a reditu novissimo quorumdam, qui, uti ipsa, ad Russiacum iverant bellum, sat superque est ad exludendam in Anna Theresia prætensam qualitatem hæredis simplicis viri, atque ex hoc deductam actionum confusionem ejus in prædictis actis animi dubietas, horumque actorum non pura, sed conditionata indoles, ex qua notissimum est omnes legitimos actus vitiari, quos inter præcipue aditionem hereditatis ad *Text. in Leg.* 77 *ff. de regulis Juris leg.* 51 § 1 *ff. de acquirenda hereditate Gothofred., et Brunemann. in notis ad eam legem* 51., *et Rota in Romana Pecuniaria* 2 *Julii* 1736 § *Tantum coram Millin.*

Frustra etiam Annæ Theresiæ obiicitur bonorum viri, post ejus testamenti aperitionem, retentio, atque uti hereditarius actus proponitur In eorum enim retentione, administratione perrexit, tum, quia in ea versabatur ex procuræ mandato a viro ei relicto, tum etiam quia ea retinere posse putabat in vim allegatæ Cauthelæ Angeli; hisce itaque in ea suppetentibus rationibus illa retinendi bona, incivile prorsus est in ea fingere animum adeundi viri hæreditatem ab illa bo- 8

norum detentione, et administratione prosequuta desumptum, uti ad rem tradit *Voet. ad Pandectas lib.* 29. *tit.* 2. § 7. *in fin. resp. Holl. pag.* 3 *Vol.* 1 *Cons.* 190 *pag.* 450. *Faber. in Codic. lib.* 6 *tit.* 12 *Definit.* 9. Quæ autem inventarii vitia a Pileggii creditoribur proponuntur, etiamsi vera essent, numquam efficere possent, ut Anna Theresia simplex mariti hceres declarari deberet, et ei per actionum confusionem adimendum esset jus sua assequendi credita. Inventarium enim ab ipsa haud fuit confectum perinde ac si ageretur de viri hæreditate, ut superius vidimus; ne sciebat enim vivus ille, an mortuus esset. Si quid in inventario prædicto omissum demonstrarent ii creditores, id ab Anna Theresia condicere tantum posset, et non parte ipsius creditorum cempensare.

9 Quod vero spectat ad prætensam Annæ Theresiæ de suis creditis satisfactionem, dum bona viri administravit, quia de hac administratione rationem numquam reddidit, animadverterunt primum Patres calamitates superius enarratas, quibus subjectum fuit patrimonium Pilleggium, ac Xaverii prodigalitatem, ita hoc patrimonium imminuisse, ut cesset oportet ea satisfactionis præsumptio, quæ in paupere substantia, cujus reditus vix ad mullieris victum sufficiant, admitti nequit, nec retardare potest ejus actionem ad sua credita assequenda per Rotam *in Romana, seu Fulginaten. Restitutionis in integrum quoad Rem. Judicatam A. C. Priocca* 6 *Maii* 1806 §. 6. *coram Gardoqui, et in Forolivien. Dotis* 8 *Martii* 1819 § 6 *coram R. P. D. meo Spada*. Viderunt dein juribus creditorum patrimonii Pileggii satis consultum fuisse per onus Annæ Theresiæ injunctum reddendi rationem de administratione bonorum viri a die illius testamenti aperti, quo in judicio poterunt ipsi etiam probare, si valent, mobiles, ac pretiosas res, quæ in inventario describi debuissent, fuisse ab ipsa subtractas. Quibus omnibus perpensis, in aperto est optime fuisse a S. Ordine constitutum quod Pileggia bona sub corona vendi debeant, et quod ex horum pretio Anna Theresia, in concursu cum cæteris viri creditoribus juxta gradus prærogativam, suorum creditorum solutionem obtineat, deducto ex hisce eo omni, quod ex redditione rationis administrationis ab ipsa gestae bonorum viri, post ejus testamentum resignatum, pateat ipsam ex iis bonis, præter exhibitionem, ei debitam præsertim ad tramites fructuum ipsius dotis, ac lucri, fuisse assequutum.

Et ita cum quinti, et sexti suffragio resolutum fuit Utraque etc.

ROMANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

QUOAD

DECRETUM DIEI 30 MAII 1804

Lunae 21 *Aprilis* 1823.

ARGUMENTUM

Nunquam admittitur laesionis quaerela, nisi evidenter probatur venditorem deceptum fuisse ultra dimidium justi pretii. Ac ad metiendum justum pretium inspici debet tempus contractus, praesertim in rebus, quae valorem recipiunt ab hominum affectione, et ab extrinsecis circumstantiis.

SUMMARIUM

1. *Prius de validitate, et postea de justitia Sententia cognosci debet.*
2. *Ea est vis restitutionis in integrum, ut omnia in pristinum reducat.*

   Ubi negocium fuit ad S. Tribunal ablegatum cum clausola - pro ut de jure - *cognoscere debet etiam de nullitatibus - ibidem,* -
3. *Laesio nedum non praesumitur, sed probationes omni exceptione majores, exigit.*
4. *Ad res aestimandas valde confert, opinio, consuetudo, emptorum frequentia aut inopia, paucitas vel abundantia pecuniae.*

   In emptionis venditionis contractu, laesio metitur a tempore stipulationis - ibidem. -
5. *Temporibus Gallicae invasionis, vilescebat praediorum aestimatio, et summus erat contemptus liberalium artium.*
6. *Res tanti valet, quanti communiter emi, vendique solet.*
7. *Justum dicitur pretium, ubi impossibile est, majorem fere quantitatem obtinere.*

8. *Nunquam laesionis labe infectus dicitur contractus, ubi non probatur quod communiter majus pretium tempore contractus elici potuerit*
9. *Multae res vi sua nullum habent intrinsecum valorem, sed hoc pendet a quadam opinione, et affectione hominum.*
10. *Quodlibet scutatum argenteum de anno 1798 integra scutata eex papyraceae monetae in commercio exhibebat.*
11. *Pecuniae qualitas laesionem non inducit.*
Ubi de pretio affectionis agitur, contiscecit quaevis laesionis quaerela - ibidem. -

DECISIO CXLIV.

Sacrum postquam Nostrum Tribunal aperitionem oris tribuendam duxit filiis, et hæredibus Equitis Vincentii Pacetti adversus Decretum æconomicum Cardinalis Pro-Camerarii, Pontificia auctoritate probatum, quod non solum jura alteri quæsita graviter læserat, sed obreptionis quoque, subreptionis vitio laborabat, ut fusius ostendit coæva *Decisio super Aperitione oris corom me*, quæ factorum bystoriam enarrat, servata delegationis lege, cujus ope rei cognitio Sacro Nostro Ordine commissa fuit cum Clausula *de Causis sine proejudicio Reijudicatæ*; oportuit ad trutinam revocare contractum emptionis venditionis marmorum, atque ipsius Cardinalis Pro-Camerarii Decreti validitatem, et intrinsecam justitiam expendere, quo defunctus Eques Pacetti coactus fuit coempta signa marmorea Viro Principi Carolo Barberini, pariter vita functo, comminatis pænis, illico restiture. Concinnata in banc rem Dubii formula, cum quæsiverim hodie mane a Patribus = *An constet de Rejudicato, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* = Responsum protinus retuli = *Negative od primam partem; affirmative ad secundam.*

1 Neque secus, salva Legum reverentia, poterat judicari. Non solum enim in specie, in qua facta sit Supremi Ordini potestas de Sententiæ nullitate judicandi, sed etiam quoties de restitutione in integrum quæratur, perpetua, et constans est Sacri Nostri Auditorii consuetudo de validitate primum anteacti judicii, et de justitia postea cognoscendi. Nam si corruat anteactum judicium, quia gravibus nullitatum vitiis inficitur, numquam solet Sacrum nostrum Tribunal præteritam Sententiam, vel Remjudicatam auctoritate sua confirmare, veluti in iis omnibus Causis usuvenit, in quibus de Reijudicatæ viribus, seu de Causis restitutionis in integrum disputatur, ac infinita propemodum ostendunt exempla, et præcipue *in Romana Restitutionis in integrum* 28 *Jonuarii* 1757 *corom Canilloc. in Eugubin. Spolii* 14 *Januarii* 1805 *corom Rmo P. D. meo Isoard Decano in Romana Prælationis* 20 *Junii* 1806 *coram Eodem in Romana Societotis* 6 *Junii* 1816. *cor. Tassoni, et in Firmano Adjudicationis* 7. *Decembris* 1818 *coram R. P. D. meo Tiberi.* Tantum vero abest, quod de nullitate Decreti Cardinalis Pro-Camerarii moveri quæstio non debeat, quia rei cognitio ad Sacrum Nostrum Ordinem delata fuerit in solo gradu devolutivæ provocationis, et cum clausula *de causis sine præjudicio Reijudicatae*, ut imo ex boc ipso nova, et potior ratio proficiscatur, cur de illius Decreti nullitate disputandum sit. Cum enim restitutionem in integrum ab eo decreto petiverit Paccettus, et facultas data fuerit Sacro Nostro Ordini in devolutivo judicio Decretum ipsum ad examen revocandi, decet, jam, et omnino oportet definire, num illud tam ab *extrinseco*, quam ab *intrinseco* ejusmodi indolis sit, ut probari, aut potius deleri ex beneficio restitutionis in integrum debeat.

Ea quippe vis est, et natura restitutionis in integrum, ut omnia in pristinum reducat, totumque negocium ad eum referat statum, in quo primitus erat; perinde, ac si nibil prorsus actum antea fuisset. *Leg. Si minor § penult. ff. de minor vig. ann.s, leg.* 2 *§ Restituere ff. Ne quid in loc. public., Rot. in Rec. decis.* 156 *num.* 5 *decis.* 263 *num.* 17 *corom Bichio, in Aesina, seu Fanen.* 15 *Julii* 1753 *§* 5 *coram Stodion., et in Firmana Restitutionis in integrum* 27 *Aprilis* 1759 *§ fin. cor. Elephontutio.* Maxime quin imo repugna- 2

ret, ut tamquam validum, et judiciorum ordini conformo renunciaretur Cardinalis Pro-Camerarii Decretum, dum agitur de restitutione in integrum, quoties e converso principalis ratio, quæ Patres Dominos movit ad concedendam aperitionem oris, omissio citationis fuerit, et proculcatio regularum, quæ in quolibet judicio servatur, ut latius expendit *alia Decisio super Aperitione Oris cor. me* § 5 *ad* 8. Quo circa si patet honestum patremfamilias, posthabito judiciorum ritu, penitus indefensum fuisse damnatum, jam sponte sua consequitur, ut ope restitutionis in integrum in priorem statum reducendus sit, quasi Decretum illud tanta nullitate refertum numquam prodiisset. Quamvis igitur dici velit, generaliter loquendo, nullitatum judicia ad Sacrum Nostrum Ordinem, non pertinere, quando tamen, prout in themate contigit, totum negocium ad eumdem Sacrum Ordinem ablegatum fuit *prout de jure* definiendum, exigit omnino judicii ratio ut de extrinseca, et intrinseca ejusdem negocii justitia disquiratur, cum potissimum nulla major injustitia, quam nullitas, et in nullitate compræhensa maneat injustitia. *Scacc. de appellat. quaest.* 17 *limit.* 19 *num.* 1. *Ridolphin. in Praxi part.* 1. *cap.* 13 *num.* 280. *Sabell. Summ. divers. tract. tom.* 3 § *nullitas num.* 1 *Rot. in Rec. decis.* 298 *num.* 3 *part.* 19.

3 Etiamsi vero abstineri a nullitatis indagine necessum est, vel validum omnino declarari deberet Cardinalis Pro-Camerarii Decretum, adhuc tamen visum fuit Patribus denegari non posse Equitis Pacetti filiis restitutionem in integrum ob evidentem injustitiam, quæ in eo Decreto continetur. Postquam enim Pacettus, soluto pretio, marmorea signa ex legittimo contractu sibi quæsiverat, eorumque dominium nactus fuerat, non peterat amplius Barberinius abdicatam hoc modo possessionem iterum acquirire, et bonæ fidei emptorem rebus emptis expoliare. *Sicut initio libera potestas unicuique est habendi, vel non habendi contractus; ita renunciare semel constitutæ obligationi, adversario non consentiente, nemo potest. Quapropter intelligere debitis voluntariæ obligationi semel vos nexos ab hac, non consentiente altera parte, de cujus precibus fecistis mentionem, minime posse discedere*; = ut bis verbis eleganter inquiunt *Impp. Diocletianus, et Maximianus in leg. Sicut* 5 *Cod. de act., et obligat.* Nemo siquidem dixerit, rccipi posse querelam enormissimæ læsionis, cujus labe inquinatum contractum emptionis venditionis clamabant Barberinii defensores. Nam læsio, quæ dolum, malamque fidem redolet, numquam præsumitur, ac imo præsumptioni Juris adversatur. Difficilis itaque actio est, quæ adeo vehementes, ac omni exceptione majores exigit probationes, ut, si quid dubii, et ambigui supersit, ex ratione juris oporteat odiosam læsionis quærelam omnino rejicere. *Rot. in Rec. decis.* 6 *num.* 11, *decis.* 473 *num.* 5 *part.* 14 *in Romana Immissionis* 26 *Aprilis* 1751 §. 18 *cor. Molines, et in Lycien. Executionis Instrumenti super læsione* 26 *Aprilis* 1771 §. 2 *cor. De Verì.*

At nulla quidem mentio, aut vola læsionis occurrit in eo Decreto Cardinalis Pro-Camerarii, qui non alia de Causa rescissionem contractus indixit, nisi ob multas preces Barberinii venditoris, et ex proprii Muneris auctoritate. Incivile autem videtur atram læsionis notam inurere contractui, quia dormientis Fauni simulacrum inter primas, ac nobiliores Attici Cæli statuas ab omnibus scultoribus recensebatur, ac post emptionem venditionem rescissam argenteis nummis *octomillibus* Bavariæ Regi divenditum fuit. Nec enim amplificanda est raritas, et præstantia simulacri, ubi oporteat ad contractus epocam redire, seduloque videre, quid ejus generis monumenta per id temporis æstimarentur; quæ esset publica opinio, et consuetudo, quæ emptorum venditorumque frequentia, aut inopia; quæ denique paucitas, aut abundantia pecuniæ. Elementaris quippe Juris nostri ea non est, ad lesionem in emptionis venditionis contractu metiendam, unum spectari tempus stipulationis, nec quid postea, nec quid antea evenerit, 4

investigare, et perscrutari fas esse *leg. si voluntate* 8 *Codic. de rescinden vendit Donnell. in Comment. ad dict. leg. Cod.* §. 4 *Maschard, de probat conclus.* 960 *num.* 4 *Menoch. de arbitr. Judices eas* 149 *num.* 16 *Urceol. de Transact. quæst.* 16 *num.* 19 *Rot. in Rec. decis.* 321 *num.* 16 *part.* 4 *coram Bischio de cis* 94 *num.* 4, *et* 5 *coram Falconer. tit. de Fideicomm. decis.* 68 *num.* 16 *decis.* 94 *num.* 17 *coram Tanara in Eugubina Cambii* 14 *Martii* 1751 §. *fin. coram Bussio in Romana, seu Nepesina Læsionis* 4 *Martii* 1806 §. 1 *coram Serlupi, et in Senogallien. Læsionis* 15 *Junii* 1821 §. 5 *coram R. P. D. meo Tiberi.*

5 Recens autem adhuc est memoria tristis illorum temporum conditionis, quibus; ex invasione Gallorum ac bellorum tumultu, rebus publicis, privatisque subversis, gravissimæ ditioribus civibus intributiones imponebantur; ac imminutis agrigolationis, atque artium proventibus, commercia exerceri non poterant, et multi erant, qui ad vendendum rari admodum, qui ad emendum parati reperirentur. Has difficultates augebant tum tributorum gravitas quæ prædiorum possessores premebant, tum etiam multitudo bonorum Ecclesiæ, et Fisci, quæ a Gallis publicata vili pretio comparabantur. Frugiferarum conventionum accessiones ex tenui summa ad ingentem excreverant mensuram ob aureæ, et argenteæ pecuniæ raritatem, quæ plurimi valebat ex redundanti copia papyraceæ monetæ tunc unice in commercio vigentis. Vilescebat prædiorum æstimatio: summus erat liberalium artium contemptus, maxima veterum monumentorum abjectio, quæ difficillime emebantur, licet a Grecis opificibus eloborata. De his, cæterisque calamitatibus, quas graphice alias descripsit Sacrum Nostrum Auditorium *in Romana, seu Florentina Census* 3 *Junii* §. 13 *coram Eminentissimo Serlupi, et in Romana seu Nepesina Læsionis* 6 *Junii* 1817 *coram Eodem*, celebriores liberalium artium cultores, eximiique loquebantur artifices, dum in subjecta materia deponebant = *che nelle disgraziate circostanze di quell'epoca gli oggetti di belle Arti, benchè antiche; e preziose, erano nel massimo avvilimento, poichè non vi erano compratori di niuna sorte, ed all' opposto tutte le famiglie Nobili offrivano in vendita i migliori effetti, e cresceva sempre l' avvilimento del prezzo, se il venditore richiedeva il pagamento in Piastre effettive di Argento, mentre come ognuno rammenta a fronte di una massa enorme di Cedole, e di assegnati ridotti all'ultimo discredito, la Piastra effettiva di Argento si era resa rarissima.*

Si igitur ad tempus stipulationis remeandum est, quo genera quælibet pulchrarum artium in summa jacebant abjectione, et quanti minimi æstimabantur jam omnis corrnit, tam enormis, quam enormissimæ læsionis exceptio, quia res tanti valet, quanti communiter emi, vendique solet. *leg. Pretia rerum* 63, *ibique gloss. verb. funguntur ff ad leg. Falcid.*, *Lephal. cons.* 161 *num.* 2 *lib.* 2 *Capye. latr. consult.* 35 *num.* 44, *et* 71 *Card. de Luc. de empt. vend. disc.* 24 *num.* 5 *Zanch. de læsione part.* 1 *cap.* 2 *num.* 234 *Rot. in Rec. decis.* 668 *num.* 5 *part.* 18 *tom.* 2, *coram Ratto decis.* 162 *num.* 4 *in Romana Læsionis* 17 *Februarii* 1758 § 3 *coram Paracciano, et in Romana Manuntentionis* 16 *Martii* 1759 § 14 *coram Herrerus.* Jamvero nullam hactenus Barberinius attulit probationem, ex qua conjicere liceret, marmorea signa de quibus agitur, duplo, aut triplo pluris valuisse tempore contractus, sed imo ex proprio facto satis ostendit, pretium a Pacetto solutum justum, legitimumque fuisse. Non enim res agebatur in ora deserta, neque is erat Barberinius, qui vellet quanti minoris simulacra distrahere, si majus pretium invenire in commercio potuisset. Agebatur imo res in Urbe Romæ in frequentissima Civitate, in copioso hominum commercio, inter quos nunquam defuere Speculatores industrii, qui ex communi calamitate quærunt sibi fortunam. Erat præterea defunctus Vir Princeps Barberinius in rerum suarum Administratione tanta 6

prudentia præditus, ut nil minus suspicari de eo possit, quam quod oscitanter: et improvide res suas jactare voluisset. Si ergo marmorea signa Pacetto divendidit pretio argenteor. nummorum *milletercentum*, id non alia de causa fecit, nisi quia fere impossibile erat majorem pretii quantitatem obtinere.

7 Nec objicendum, ex gravi necessitate comparandi quam cito certam pecuniæ summam inductum Barberinium fuisse ad marmorea monumenta vili pretio distrahenda. Aut namque monumenta illa pluris vendi poterant, aut non poterant, si pluris vendi non poterant jam omnis evanescit læsionis exceptio quia nunquam læsionis labe infectus dicitur contractus, ubi concludens probatio non adsit, quod facile, et communiter majus pretium tempore contractus elici potuerit. Si pluris autem vendi monumenta illa poterant, nulla subest ratio, cur minoris id distrahere voluerit Barberinius, quud pluris communiter vendebatur, absurdumque est in alterius gratiam perdere eum rem propriam voluisse, dum e converso nemo suum jactare velle præsumatur. *Cap. quio verisimile de praesumpt., leg. Cum de indebito ff de probot.* Sed adeo quælibet læsionis, et coactionis umbra aliena fuit a contractu, ut ipse Pinacothecæ custos Mallerinius a Barberinio venditore huic gerendo negocio præcipue delegatus pretii nomine a Pacetto quæsiverit nummos argenteos *mille quingentum*, qui deinde mutuo contrahentium consensu ad *mille tercentum* redacti fuerunt. Ferendum itaque non est, quod contractus bona fide initus ac consensu finitus post quinquenni spatium rescindi deberet. *Hoc enim solum, quod paulo minore pretio fundum venditum significas, ad rescindendam venditionem invalidum est*, veluti cuidam *Evadio* respondit *Imp. in leg. si voluntate* 8 *Cod. de rescinden. vendit*, uti his verbis, quæ themati optime congruunt, deinde prosequitur = *Quod si videlicet controctus emptionis, atque venditionis substantiam cogitasses, et quod emptor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerentes ad hunc contractum accedont, vixque post multas contentiones paulatim venditore de eo, quod petierat, detrohente, emptore autem huic, quod obtulerat, addente, ad certum consentiant pretium: profecto prospiceres, neque bonam fidem, quæ emptionis, atque venditionis conventionem tuetur, pati, neque ullom rationem concedere, rescindi propter hoc consensu finitum contractum, vel statim, vel post pretii quantitatis disceptationem, nisi minus dimidia justi pretii quod fuerat tempore venditionis datum esset.*

Ambigendum vero non est pretii quantitatem non a Pacetto sed ab uno Mallerinio Barberini Procuratore constitutam fuisse, Semel ac enim exhibitis hac de re a Barberinio positionibus, interposita jurisjurandi religione, Pacettus respondit = *che non sussiste, che lo stesso rispondente stobilisse il prezzo degl'Indicoti oggetti, essendo stato all'incontro il Signor Mallerini quello, che dimandò per il prezzo totale dei medesimi la somma di* 1500 *Piastre, che venne poi limitota di comun consenso a* 1300 *Piastre effettive* = obloqui amplius Barberinio non licet, neque ei permissum est a responsionibus a Pacetto datis ullo modo divertere, et juratam ejusdem confessionem in discrimen adducere. *Rota in Romana Pecuniaria quoad partitom Rubr.* 52 *frumenti Indici* 7 *Decembris* 1807 § 4 *coram bon. memor. Piccolomini in Romana Resolutionis Contractus* 16 *Jonuarii* 1815 § 10 *coram Eminentissimo Serlupi, et in Romona Literarum Cambii* 24 *Aprilis* 1818 § 7 *corom Eminentissimo Odescalco.* Si ergo Mallerinius, horum generum æstimator eximius, non aliud pretium postulavit quam nummos argenteos *mille quingentum*, ac Pacettus scuta *millia tercentum* obtulit, et reapse persolvit; si præter Pacettum, nemo alius ad emendum accessit; si ipse Barberinius ad ineundum contractum multis precibus Pacettum induxit: jam compertissima manet æqualitas, et justitia contractus, cum præcipue de rebus agatur, quæ vi sua nullum habent intrinsecum,

8

realemque valorem, sed ab opinione hominum pendent, a conditione temporum ab emptorum concursu, a copia nummorum, ab affectione demum, aliisque circumstantiis, quæ nec recte determinari, nec ulla Peritorum ope æstimari possunt.

9 His ita constitutis, quamlibet læsionis maculam a contractu emptionis venditionis exulare compertissimum erat. Sed accedit præterea, quod ea scuta *millia tercentum* in numerata pecunia a Pacetto persoluta sexies excedebant æstimationem æneæ, et papyraceæ monetæ, quæ tunc publicæ in commercio veniebat. Quodlibet siquidem scutatum argenteum tempore contractus, mense nimirum Decembris Anni 1798 integra scutata *sex* papyraceæ monetæ in commercio communiter exhibebat, quemadmodum ad rem testabantur publici, negociatores, et argentarii. Neminem insuper latet, emptiones venditiones, non verum dumtaxat sterilium, et earum, quæ ab affectione hominum pendent, sed bonorum quoque frugiferorum, et intrinsecum realemque valorem habentium fieri eo tempore passim consuevisse, vel numerato eodem intrinseco valore in qualibet viliori moneta, vel tantum in argentea, aureaque pecunia soluto quantum ex usu, et consuetudine commercii *nominali* valori cujuslibet vilioris monetæ respondebat, nec ullam licuisse de qualitate pecuniæ læsionis querelam proponere, ut pluries, re mature discussa, definivit Sacrum Nostrum Tribunal, et precipue *in Romana Assignamenti* 15 *Junii* 1801 § 12 *coram Resta, in Æsina Pecuniaria* 15 *Januarii* 1801 § 5 *coram Eminentissimo Bardaxi, in Anconitana* 25 *Junii* 1802 § 5 *coram de Alteriis, in Romana Accollationis* 17 *Junii* 1805 § 5 *et* 6 *coram Reverendissimo P. D. meo Isoard Decano in Romana Nullitatis Contractus* 26 *Junii* 1807 § 7 *coram Eodem*, *et in Romana, seu Nepesina Læsionis quoad contractum anni* 1798 6 *Junii* 1617 § 3 *et seq. cor. Eminentissimo Serlupi.*

10 Dum ergo nummos argenteos *mille tercentum* persolvit in pretii causam Pacettus, quo tempore quilibet nummus argenteus scutatis *sex* inferioris pecuniæ æquipollebat, perinde considerari res debet, ac si integra scuta *septem millia octingentum* numerasset. Quod si hanc pecuniæ vim in papiracea moneta soluta fuisset, nemo dixerit aut ex qualitate, aut ex quantitate pecuniæ læsionis labe contractum emptionis venditionis inquinatum. Non quidem ex qualitate pecuniæ, quia pecuniæ qualitas læsionem non inducere, et decem rite emi potuisse in papyracea moneta quod decem intrinsecus valebat, jam demonstratum est. Non ex quantitate pecuniæ, quia licet constituas Fauni pretium in scutis *octomillibus*, quanti simulacrum illud sibi comparavit Bavariæ Rex, atque huic pretio addas alia scuta *duomillia* pro cæteris marmoreis signis una cum Fauno a Pacetto coemptis, adhuc tamen quævis abest læsionis umbra, sive infra bessem, sive infra dimidium, sive etiam infra trientem metiri eam velis. Aut negat igitur Barberinius argenteos nummos *mille tercentum* a Pacetto persolutos eo tempore respondisse scutatis *octomillibus* inferioris pecuniæ: aut contendit læsivum esse contractum, etiamsi scutata *octomillia* in papyracea moneta numerata fuissent. Si primum: tunc id negat, quod in commercio communiter obtinebat, et centies probatum ab Ordine Nostro fuit. Sin alterum; eo casu, ut quidquam proficiat, necessario probare tenetur, marmorea signa, de quibus agitur, scutis *viginti quatuor millibus*, aut saltem *sex decim millibus* æstimari, ut ex jure Communi vel etiam ex Urbis Statuto deduci enormissima læsio valeat. Sed hujusce valoris vestigium adeo abest, ut maximum pretium, et pretium quidem affectionis persolverit Bavariæ Rex, dum scuta *octomillia* numeravit.

Ubi autem de pretio affectionis agatur, ex receptissima Doctorum, ac 11
Tribunalium sententia conticescit omnino querela læsionis, cujus argumentum colligi ab affectione nequit. *Covarruv. var. resol. lib.* 2 *cap.* 3, *Mascard de probat. conclus.* 657 *num.* 6 *Gra-*

tian. discept. forens. cap. 461 *num.* 13 *Zanch. de Læsione part.* 2 *cap.* 7 *n.* 57 *Rot. in Lucana Pecuniaria* 30 *Aprilis* 1819 § 5 *coram Eminentissimo Serlupi, et in confirmatoria* 28 *Februarii* 1820 § 11 *coram Eodem*. Cæterum animadversione dignum quoque est, hunc emptionis venditionis contractum cum Bavariæ Rege initum fuisse, postequam non solum, mutata luctuosa temporum conditione, veteribus monumentis pristinus honor fuerat restitutus, sed ipse imo Pacettus Fauni simulacrum tam multo sumptu, grandique labore instaurandum curaverat, ut celebriores Urbis artifices reparationum pretium scutis plusquam *quatuormillibus* æstimaverint, atque iidem Periti judiciales, Barberinio cæteroquin benevoli, ac in eo decretorum tumultu deputati, in nummis argenteis *sexcentum* constituerint. Quanto magis igitur calumniæ proxima cognoscitur querela læsionis tanto iniquius pater familias industrius, qui marmorea signa sibi bona fide quæsiverat, summoque labore, et sumptu reparaverat, quasi per vim a possessione rerum suarum exturbatus fuit, ne reddito quidem pretio, nec refectis reparationum expensis. Licet enim initio deponere visus fuerit Barberinius in publica nummularia pretii quantitatem a Pacetto persolutam, postea tamen eam summam, ob aliorum marmorum Reverendæ Cameræ venditorum causam, impune recuperavit, ac reliqui pretii creditorem se fecit. Quare jura omnia clamabant, ut beneficium restitutionis in integrum adversus Cardinalis Pro Camerarii æconomicum Decretum a Barberinio obtentum concederetur, quo emptio venditio justo titulo contracta non tam improvide, quam injuste rescissa fuit.

Et ita Utraque etc.

ROMANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

QUOAD

REMJUDICATAM R. P. D. FERRARI

ANNI 1806.

Veneris 25 *Aprilis* 1823.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Ubi militat eadem juris ratio, ibi eadem juris dispositio locum habere debet.*
   Accessorium indolem, naturamque sequitur sui principalis - ibidem. -
2. *Emptor in judicio laesionis non debet privari de sumptibus impensis ad restaurandam rem emptam.*
3. *In rebus, quae ad artem referuntur, justum pretium constitui non potest, nisi per peritos.*

DECISIO CXLV.

Præter Decretum æconomicum Cardinalis Pro Camerarii, Pontificia auctoritate probatum, quo demandata fuit rescissio Contractus emptionis venditionis Statuarum inter Virum Principem Carolum Barberini, et Equitem Vincentium Pacetti in præsens vita functos initi, aliud quoque Decretum biennio post tulit Auditor ejusdem Cardinalis Pro-Camerarii Præsul Ferrari, ut demandata resolutio contractus plenius executioni committeretur. Cum enim in ea priori jussione Cardinalis Pro-Camerarii, aut concordiæ causa, aut per errorem, aut alia de causa nonnulla omissa fuerint signa marmorea, quæ deinde Pacettus Rev. Cameræ vendiderat, hoc novo propterea Decreto damnatus fuit idem Pacettus ad rependendum Barberinio pretium in scutis *mille nongentis octoginta quinque*, quanti nimirum simulacra illa Rev. Cameram emissa dicebatur. Sic potuit Barberinius pecuniæ summam recipere, quam apud Argentarium Vaccari Equitis Pacetti commodo deposuerat, eumque re, et pretio destituere, veluti narrat alia Decisio super Aperitione Oris

in præteritis edita. Sed, delatis postea ex Pontificia venia controversiis omnibus ad Sacrum Nostrum Ordinem, quantum oportuit, prioris Decreti justitiam expendere, tantum decebat de alterius Decreti viribus disputare. Quærenti autem mihi simili Dubii formula « *An constet de Rejudicata, seu potius de Causis restitutionis in integrum in casu etc.* » refugiente Barberinio certamen, responsum a Patribus hodie mane datum est « *Pro Informantibus* » scilicet « *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam* ».

1 Nec aliter profecto responderi proposito Dubio poterat, etiamsi Barberinius maxime restitisset. Concurrunt enim in themate ea omnia rationum momenta, quæ adversus primum Cardinalis Pro-Camerarii Decretum pugnabant, ut restitutio in integrum concederetur. Postquam siquidem demonstratum est, ex temporum conditione; ex qualitate pecuniæ, aliisque rerum circumstantiis, nullo læsionis vitio infici contractum emptionis marmorum, sed in æquitate, et justitia consistere; quemadmodum revocari debebat primum Decretum Cardinalis Pro-Camerarii, quod pleraque signa marmorea restitui jussit; ita etiam idem judicium ferendum erat quoad alterum Decretum ab ejusdem Cardinalis Pro-Camerarii Auditore latum, quo Pacettus distractorum marmorum pretium rependere coactus fuit. Ubi quippe militat juris ratio, ibi eadem juris dispositio locum habere debet ex *leg. Illud ff. ad leg. Aquil. leg. A Titio ff. de verb. obligat. Rot. decis.* 332 *num.* 8 *cor. Cerro, decis.* 216 *num.* 10 *cor. Herrera, et decis.*153 *n.*4 *cor. Crescentio.* Cum imo novum hoc Præsulis Ferrari Decretum omnino pedissequum, et accessorium alteri fuerit, quod pronunciavit idem Cardinalis Pro-Camerarius, juris ratio exigebat, ut pari modo adversus illud restitutio in integrum tribueretur, quia accessorium indolem, naturamque sequitur sui principalis *Cap. Accessorium de Reg. Jur. in* 6 *leg. Cum principalis ff. eodem tit. Menoc. cons.* 8 *num.* 135, *Castill. quot. jur. controv. lib.* 5 *cap.* 168 *num.* 2 *Rot. Decis.* 552 *n.* 6 *cor. Dunozzet. Jun., et decis.* 341 *num.* 36 *cor. Ansaldo.*

Sed in themate majora etiam urgebant ad concedendam restitutionem in integrum. Etiamsi namque rite, et recte rebus emptis expoliatus ob læsionem enormissimam dici posset Pacettus, adhuc tamen creditor is erat renunciandus tum pecuniæ in pretii causam ab initio persolutæ, quæ nummos argenteos *mille tercentum* exhibebat, tum compendii alicujus in lucrum ejusdem traditæ pecuniæ quod ipse Cardinalis Pro-Camerarius in scutis *tercentum nonaginta* constituit, tum denique laboris, et sumptuum, quos in reparationibus insumpserat, et judiciales Pariti, in Pacetti contumacia adhibiti, scutis *sexcentum* æstimarunt, licet jamantea prudentiores artifices scuta *quatuormillia* hoc nomine Pacetto solvenda essa duxerint. Simul ideo collectis hisce summis creditor in qualibet priori hypothesi supererat Pacettus in scutis *bismille biscentum nonaginta*, veluti calculanti patet. Non poterat itaque ab Auditore Cardinalis Pro-Camerarii debitor renunciari Pacettus in scutis *mille noningentis octoginta quinque*, quanti as serebatur empta a Rev. Camera marmorea signa fuisse, talique pacto privari illis iisdem scutis *mille quingentum nonaginta*, quæ biennio ante ipsemet Barberinius apud Argentarium deposuerat « *a libero credito, e disposizione* » ipsius emptoris Pacetti. Multo minus vero Creditor declarari poterat Barberinius reliqui pretii, quod inter summam depositam, atque alteram summam a Rev. Camera persolutam intercedebat. 2

Cæterum corruebat in facto, Rev. Cameram pretium numerasse in scutis *mille noningentis octoginta quinque*. Non enim sola signa marmorea in eo contractu venarunt, quæ Pacettus a Barberinio quæsiverat, sad deducta quoque in stipulationem fuerunt alia simulacra privata, et propria ipsius Pacetti, constituto non in singula, sed in omnia monumenta marmorea, nimirum per modum unius pretio in *scutis viginti sex millibus septingentum quadraginta qua-* 3

tuor. Oportebat itaque singulas statuas cognoscere, ut inde æstimatio colligeretur, quæ danda esset marmoreis signis a Barberinio quæsitis. Peritorum autem opera non adhibita, neque cognito singularum statuarum pretio, non poterat Barberinii simulacris æstimatio ex arbitrio constitui in scutis *mille nongentis octoginta quinque*, ut tutius integram summam depositam reciperet ipse Barberinius, et vicissim re, et pretio Pacettus destitueretur. Nec dicendum de ea vi scutorum *mille noningentum octoginta quinque* reintegratum Pacettum fuisse ex pretio Monumentorum Rev. Cameræ venditorum. Enim vero animadvertendum occurrebat, pretium inter Pacettum, et Rev. Cameram conventum, quod nonnisi post longum tempus solvendum ex pacto erat, æstimatum postea sub Gallorum imperio fuisse in nummariis tesseris, quæ vulgo nuncupabantur « *Rescrizioni* », et exilem admodum summam efficiebant. Quamvis igitur dici vellet eo pretio Rev. Cameram emisse simulacra, quod Barberinius extollebat ad dicta scuta *millia nongenta octoginta quinque*, non aliam tamen summam a nummariis tesseris Pacettus elicuisset, quam scut. *sexcentumquadraginta*, quanti nimirum nummariæ tesseræ sub invasione Gallorum æstimabantur. Ergo non ex eo solum, quod accessorium priori jussioni novum hoc Decretum visum fuit, sed ex eo etiam, quod debitorem Pacettum declaravit, qui creditor imo manebat, etiamsi ex læsionis labe corrueret emptio venditio, tribuenda omnino erat in integrum restitutio.

Et ita etc. Altera tantum etc.

SENOGALLIEN IMMISSIONIS
SUPER FRUCTIBUS
Veneris 27 Junii 1823.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. Fructum judicium, necessario pendet a judicio super immissione, tamquam effectus a causa. Ubi obstat transactio, fructus condici nequeunt - ibidem. -

DECISIO CXLVI.

Post donationem, quam Maria Nicolas Guidi de anno 1773 emiserat favore filiæ suæ Elisabeth nubentis Philippo Savelli = *della metà di tutte le sue ragioni, ed azioni, che ha colla Casa Guidi in vigore di qualunque titolo e Causa* = authumarunt horum conjugum filii *Raimundus, Dominicus Joseph, et Angelus* Savelli, jus sibi quæsitum fuisse ad semissem assequendum hæreditatis *Hieronymi Guidi* Nicolæ fratris prædefuncti, quæ cæterum hæreditas jam usque ab anno 1778 per transactionem divisa fuerat inter defuncti Sorores *Nicolaam, Annam, Floram, et Antoniam*, a qua vitam habuere fratres Angelus ac Christophorus Ceppetelli, ceu narrat contemporanea mea Decisio *Senogallien. Nullitatis Transactionis*. Hinc, dum de anno 1804 immissionem ad illum semissem Savellii postularunt, contextuale proponi Dubium eurarunt = *An et a quo tempore debeantur fructus, itaut sit relaxandum Mandatum in casu etc.*, = et quoniam immissio eis denegata fuit, hinc etiam quoad fructus dimissi fuere responso = *Negative in omnibus* = teste tunc evulgata Decisione a R. P. D. De Alteriis. In Rotali deinceps Conventu diei 2 Julii 1820, ex Lege Supremæ Delegationis, qua hæ Causæ S. Nostro Ordini commissæ fuerant cum clausula = *præviis duabus* = iterum Patres rogare debui quoad immissionem a Savelliis petitam, et Patres *in Decisis* standum esse responderunt, ut perhibet ad eam diem per me edita Decisio *Senogallien. Immissionis* = Cum vero tunc pedissequa Immissioni quæstio, quoad fructus, etsi proposita, resolvi haud potuerit, de ea idcirco assuetam exhiberi iterum hodie dubii formulam = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.*; ac, vadimonium deserentibus Savelliis, Responsum prodiit = *in Decisis* =.

Denegata siquidem immissione ad semissem hæreditatis Hieronymi Guidi, quam Fratres Savellios nullo jure petiisse ostendunt superius indigitatæ Decisiones, tum coram de Alteriis, tum 1

coram me, nil jam supererat, quod fructuum nomine Actoribus concederetur. Adeo enim hujusmodi judicia inter se connexa sunt, ut uuum ab altero necessario pendeat tamquam effectus a causa, et absurdnm esset, causa cessante, effectus manere *ad Text. in L. Julianus* 6 *§. fructus ff. de action. empt., et Rota in Anconitana Immissionis super fructibus* 5 *Junii* 1761 *coram Riminaldo, et in præcedenti Senogallien. Immissionis super fructibus* 12 *Martii* 1804 *coram de Alteriis*. Quod vel maxime in themate obtinere debet, quia Maria Nicolaa, Savelliorum auctrix, inita transactione de anno 1778 cum suis sororibus *Anna*, Flora, et Fratribus Ceppetellii prædefunctæ Antoniæ filiis, quibuscumque juribus, si quæ habebat, super Hieronymi hæreditate solemniter renunciavit, qua transactione manente, nulli fructus ab iis, qui in vim transactionis bona possident, condici possunt, ut firmat Rota *in Decis.* 86 *num.* 5 *coram Kaunitz, et in Camerinen. Immissionis in specie quoad bona Paschalis super fructibus* 21 *Aprilis* 1788 *num.* 4 *cor. Rmo Origo*. Præterea transactionem, de qua sermo est, licet a Savelliis oppugnatam, semper hucusque validam, firmamque habuit S. Ordo, non modo *in cit. Senogallien. Immissionis* 12 *Martii* 1804 *cor. de Alteriis, sed etiam in Senogallien. Nullitatis Transactionis* 23 *Julii* 1820 *coram Me*, et in alia hoc mane a me edita ejusdem tituli *Nullitatis Transactionis*.

Atque ita etc. Altera tantum etc.

SUTRINA CANONUM

SUPER RATA COMMODI

Lunae 17 *Februarii* 1823.

ARGUMENTUM

Ratae commodi retentio non habet locum favore emphyteutae, ubi per pactum expressum conventum fuerit, quod canon immunis esse deberet - *da ogni tassa imposta e da imporsi.* - Quod expressim sancitum fuit per S. Congregationem Economicam decreto diei 21 Junii 1806.

SUMMARIUM

1. *Quae, et quanta sit canonum quantitas, emphyteuticae tabulae demonstrant.*
2. *Ratae commodi retentio, locum haud habet, ubi contrahentes per pactum expressum convenerint, quod canon in quolibet eventu imminui nunquam possit.*
3. *Declaratio S. Congregationis Economicae 21 Junii 1806, constituit quod in omnibus casibus, in quibus conventum fuerit, quod canon persolvi deberat* - libera da ogni tassa imposte e da imporsi - *horum creditores* - non saranno tenuti concorrere al pagamento della dativa reale. -
4. *Fisci privilegiis, nullum inferri potest praejudicium, ex inconsultis administratoribus pactionibus.*
5. *Verba* - tasse imposte e da imporsi - *onera tam Cameralia, quam Municipalia compraehendunt.*
6. *Intributio* - dativa reale - *successit aliis contributionibus antea vigentibus.*
7. *Inefficax est Rescriptum, quod nunquam exequutorium fuit factum.*
8. *Nulla est observantia, quae brevi temporis spatio fuit in usu.*
9. *Res-judicata obstat etiam inter diversas personae, quum prodierit in causa status.*

DECISIO CXLVII.

Precibus Josephi, aliorumque Fratrum de Jordiniis, clementissime annuens Immortalis Memoriæ Pontifex Pius VI., Chirographo, signato die 9. Januarii 1793, in perpetuam emphyteusim eis, eorumque descendentibus concessit Latifundium, in Tulphensi territorio jacens nuncupatum=*Poggio Felcioso*=, ad Rev. Cam. Apostolicam spectans = *senza alcuna preventiva affissione degli Editti, senza ricevere alcuna offerta di vigesima, e sesta, e senza osservare alcuna formalità ricercata, e prescritta dalle costitutioni Apostoliche*, = pro mitissimo Canone = *di rubbia tredici, e stare quindici grano, con facoltà di pagarne il prezzo corrente in ogni anno in Civitavecchia, e Corneto* =; voluit tamen quod hujusmodi canon semper esse deberet = *libero e franco* = pro Rev. Camera, nec unquam imminui posset = *a riflesso di qualunque spesa eziandio estraordinaria, ed insolita* =; secus enim = *non si sarebbe fissato nella sola suddet-*

la quantità, di rubbia ec., ma bensì in quantità molto maggiore = Ad tramites vero hujusce concessionis, sub die 22 ejusdem mensis Januarii 1793, inter Rev. Cameram Apotolicam, sive ejus R P. D. Generalem Thesaurarium, et fratres Tordinios deventum fuit ad stipulationem publici illius Emphyteusis Instrumenti, quo cautum fuit, quoad conventum Canonem, disertissimis verbis = *che tal Canone debba esser sempre libero, e franco per la Rev. Camera, e non si possa mai diminuire a riflesso di qualunque spesa eziandio estraordinaria, come neppure per ragione di Collette Camerali, e Comunitative imposte, e da imporsi generalmente, e dalle Tasse da pubblicarsi ec.; quali tutte doyranno restare a carico di detti Enfiteuti pro tempore, giacché fissando il Canone per la presente Enfiteusi, sonosi avute in considerazione tali Collette, e tasse suddette, e tutto ciò che avvenir potesse di impensato, e non previsto accidente, altrimenti il Canone non si sarebbe mai fissato nella suddetta quantità di grano, ma in quantità molto maggiore ec.* =.

Latifundii prædicti dominium directum, ac jus exigendi prædictum Canonem, anno 1806 a Rev. Camera Apostolica, in vim Chirographi SSmi Principis, translatum fuit in Sacrum Collegium Emorum, ac Rmorum Cardinalium S. Romanae Ecclesiae, una cum pluribus aliis bonis = *in parziale compenso degli appuntamenti, ed emolumenti a detti Eminentissimi dovuti* = atque Tordinii, die 5 Februarii 1808, prælaudatum Sacrum Collegium in dominum illius Latifundii solemniter agnoverunt. Verum, ad Canonem decurtandum, retentionem ratæ commodi proponere haud dubitarunt, ac reapse illius partem hos sub prætextu solvere renuerunt. Quamobrem Sacrum Collegium vadimonium ipsis indicere debuit pro assecutione scutorum 543., et ob. 92, quote debitis Canonibus insoluta remanebant ab anno 1807 ad mensem Septembris anni 1819, et A. C. Triumviri, juxta ab Eo propositam instantiam, Tordinios ad solutionem damnarunt, ratæ commodi retentone prorsus exclusa, ut patet ex eorum Sententia, lata die 26 Februarii superioris anni 1822. Res deinceps definienda venit ad S. N. Ordinem, cui injucta fuit a Signaturæ Tribunali facultas procedendi etiam quoad Canones, lite pendente decursos. Hodie itaque Patres interrogavi = *An et pro qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum Mandatum, seu potius competat retentio, et quomodo in casu etc.* = atque, cum, præter summam in Sententia Tribunalis A. C. compræhensam, petierit Sacrum Collegium alia scuta 270: 46: ½ pro canonibus decursis, ac non solutis, ad mensem Septembris 1821, Tordiniis certamen refugientibus, Responsum prodiit = *pro informante* = sive = *Affirmative ad primam partem pro summa scutorum* 814: 38: ½, *et esse relaxandum Mandatum; Negative in omnibus ad secundam* =.

Creditum Sacri Collegii adversus Tordinios ex decursis, ac non solutis canonibns pro Emphyteusi Latifundii = *Poggio Felcioso* = ad scuta assurgere 814, et ob. 38: ½ in dubium revocari nequit. Demonstrant id rationes rite dispunctæ, e quibus liquet, quod ab anno 1807 ad mensem Septembris anni 1819, supputato tritici pretio singulis annis in commercio obtinente, quod juxta, ex tabulis Empyteuticæ concessionis, Canones a Tordiniis erant solvendi, atqua eo omni deducto, quod ipsi eorum Canonum nomine rependerunt, ipsorum debitum emergit ad scnta usque 543: 92; ab eo vero mense Septembris ad totum Septembrem anni 1821 altera conficitur debiti quantitas in scutis 270: 46: ½: quæ binæ partitæ in unum collectæ summam conflant scutorum 814: 38: ½, Sacro Collegio ad eam diem postremam Septembris anni 1821 a Tordiniis debitam, pro qua ipsi adversus debitores exequutivum Mandatum tribuendum est, sine præjudicio crediti canonum in posternm decursorum, ac decurrendorum, sicuti in re simili; immo in terminis longe durioribus statuit S. N. Tribunal in *Decis. Sutrina* 1

Canonum 26. *Junii* 1820. §. 2. *coram R. P. D. meo Tiberi*.

2 Perspicui hojusce debiti solutionem vitare, conventumque Canonem imminuere studentes Tordini, ad notissimam confugiebant SSmi Principis Legem anni 1801, qua inducta fuit intributio fundiaria = *Dativa reale* = verbo quidem nova, sed re fere in toto vectigalium antea vigentium vices gerens, et juxta hanc Legem *retentionem ratæ commodi*, sive imputationem in Canonem annorum partis illius intributionis sibi competere asserebant, multiplici utentes defensione. At quæ inutiliter coram Juridico A. C. Conventu allata ab ipsis fuere, probare nunquam potuisset S. Noster Ordo, si apud eum etiam fuissent deducta. Primum enim illius Legis dispositio suas exercere in casu vires haud posset, cum adsit in Instrumento Emphyteusis explicitum pactum quod Canon ab Emphyteutis solvendus = *debba essere sempre libero, e franco per la Rev. Camera Apostolica, e non si possa mai diminuire a riflesso di qualunque spesa straordinaria, come neppure per ragione di* collette *Camerali, e Comunitative imposte, e da imporsi generalmente, e dette tasse ec. quali tutte doveranno rimanere a carico di detti enfiteuti* =; et cum hujusce pacti justissima causa expressa fuerit, nempe = *giacchè fissando il Canone per la presente Enfiteusi sonosi avute in considerazione tali collette, e tasse suddette, e tutto ciò che avvenir potesse d'impensato, e non previsto accidente, altrimenti il Canone non si sarebbe fissato nella sola suddetta quantità di grano, ma in quantità molto maggiore.* Vetitum vero numquam fuit contrahentibus juribus, sibi in vim existentis legis competentibus, vel iis, quæ ex superventura forsan lege competere possent, valedicere, ac in specie pascisci in canonum conventione, quod hic nunquam imminui possit in quolibet eventu, et quod omina pubblica onera præferentia, ac futura uni Emphytheutæ incumbere debeant. Hæc constans fuit S. N. Tribunalis sententia, ac præsertim in *Sutrina Pecuniaria* 3 *Marii* 1806 *coram R. P. D. meo Bussio* § 4 5, *et in Fanen. Solutionis Canonum* 15 *Junii* 1818 § 7 *coram R. P. D. meo Isoard*.

Sat itaque superque esset apertissimum prædictom pactum ad quamlibet controversiam climinandam. Verum deinde accedit, ad pacti efficaciam augendam, Declaratio sub die 21 Junii 1806 edita a S. Congregatione Æconomica, cui jus erat quidquid statuendi, quaod conveniens putasset, ad quæstiones dirimendas, quæ *ortæ* essent quoad interpretationem Motus Proprii anni 1801 superius relati, data ejus declarationibus = *forza, ed autorità di legge in tutto lo Stato Ecclesiastico* = Ad eam namque diem ipsa constituit, quod in omnibus casibus, in quibus, quoad Canones, fructus censuum, aliasque similes annuas præstationes conventum fuerit, quod hæ rependendæ essent = *libere, e franche da ogni Gabella, e Tassa imposta, e da imporsi, o con altri termini, ed espressioni equivalenti.* = horum creditores = *non saranno tenuti a concorrere in alcuna parte al pagamento della Dativa Reale, ma dovrà il pagamento della medesima intieramente rifondersi sopra li debitori dei predetti Canoni, Censi ec.* Quamobrem cum expressim, non implicite tantum, ac per æquipollentia verba promiserint Tordinii quod Canon pro Emphyteusi Latifundii = *Poggio Felcioso* = solvi deberet Rev. Cam. Apostolica, in cujus jura Sacrum Eminentissimorum Cardinalium S. R. E. Collegium successit = *sempre franco, e libero, senza che possa mai diminuirsi ne pure per ragione di collette Camerali, e Comunitative imposte e da imporsi generalmente, e delle Tasse da pubblicarsi, quali tutte doveranno rimanere a carico di detti Enfiteuti* = exigit prædicta Declaratio, quam Summus Pontifex futuram voluit = *di norma e regolamento invariabile alle Decisioni del Foro* =, ut proposita a Tordiniis ratæ commodi retentio prorsus excludatur; uti in debilioribus etiam terminis constanter exclusa fuit a *S. Rota præsertim in Sutrina Pecuniaria* 3 *Martii* 1806 *coram* 3

R. P. D. meo Bussio, *et in Confirmatoria* 20. *Junii ejusdem anni coram Eodem*; *in Romana*, *seu Anagnina* 1. *Aprilis* 1808 *coram Eodem* : *in Romana Pecuniaria* 29. *Mortii* 1806, *et in Confirmatoria* 2 *Decembris* 1816, *utraque coram Eodem*; *in Ferrarien. Reintegrationis super credito* 22 *Junii* 1818 *coram R. P. D. Odescalchio in Fanen. Solutionis Canonum* 15 *Junii* 1818 *coram R. P. D. meo Isoard*; *in Ferrarien*. 6 *Martii* 1820 *coram me*; *in Anconitana Canonum* 8 *Februarii* 1822 § 4 *pariter coram me*; *in Ferrarien. Canonum super rata commodi* 17. *Aprilis* 1820 *coram R. P. D. meo Spada*; *in Fanen. solutionis Canonum* 24. *Aprilis* 1820 *coram R. P. D. Odescalcho*; *in Romana Pecuniaria quoad ratam commodi* 5 *Martii* 1820 *coram R. P. D. meo Serlupi Decano*, *et in Sutrina Canonum* 26 *Junii* 1820, *et* 10 *Februarii* 1821 *coram R. P. D. meo Tiberj*, *ac in Eadem Sutrina Cononum* 3. *Junii* 1822, *et* 13 *Januarii* 1823 *coram R. P. D. meo Bussio*.

4 Plura quidem adversus hæc apud Collegiale A. C. Tribunal Tordinii obiiciebant, sed omnia prorsus inania. Quomdam primum proferebant limitationem exclusioni retentionis ratæ commodi in superius relata Declaratione, seu Edictali Lege 21 Junii anni 1806 comprehænsam, atque ita conceptam = *In questa regola generale applicabile a tutti i contratti stipulati fra particolari, e particolari; e molto più fra particolari, ed Ecclesiastici, e Luoghi Pii, non ha creduto la Sacra Congregazione comprendere li contratti stipulati fra la Rev. Camera, ed i Particolari, come pure fra le Communità in rappresentanza di Fisco, ed i Particolari, nei quali fosse convenuto, che li predetti Particolari contraenti, o con la Rev. Camera, o colle Comunità, come sopra, in rappresentanza del Fisco dovessero percepire li Censi, Canoni, Livelli, e frutti compensativi, liberi, e franchi da ogni gabella, e tassa imposta, e da imporsi*, = atque hanc limitationem extendendam esse contendebant ad eos etiam contractus, cum privatis personis initos, e quibus Rev. Cam. Apostolica creditrix, non debitrix esset canonum, aliarumque annuarum præstationum. At hujusmodi extentioni adversatur disertissima Legis litera, quæ ratæ commodi retentionem, contra regulam superius statutam, taxative includit = *nei contratti stipulati fra la Rev. Camera, ed i Particolari ec., nei quali fosse convenuto che li predetti Particolari contraenti colla Rev. Camera dovessero percepire* = non verum solvere, = *Li Censi, Canoni, Livelli, e Frutti compensativi ec. liberi, e franchi da ogni gabella, e tassa imposta, e da imporsi* = Adversatur etiam potissima ratio, ex qua, posthabito conventionum tenore, ratæ commodi retentio Rev. Cameræ Apostolicæ semper tribuatur oportet, illa nempe eadem in lege expressa = *l' Erario del Principe ha scapitato ben molto se questo deve diminuire la sua rendita per contribuire al pagamento della Dativa* = Adversatur demum privilegium Fisci, cui nullum inferri potest præjudicium ex inconsultis ejus Administratorum pactionibus. Hinc est quod hæc eadem exceptio in Caussa simili inter Fratres Bottaonios, et Gallum Arthemundum Regny, Rev. Cam. Apostolicæ in dominio directo fundorum = *Maggiorana, e Fontana Inversa* = cessionarium, nullo, in pretio fuit habita a S. Rota, ut patet ex *Dec. in Sutrina Canonum* 10 *Februarii* 1821 §§. 5 6 *coram R. P. D. meo Tiberi*, *et in Eodem Sutrina Canonum* 3 *Junii* 1822 §§ 7 *et seq. coram R. P. D. meo Bussio*.

Obiiciebant etiam Tordinii, pactum illud de Canone solvendo » *libero*, *e franco* absque quo imminui posset = *per ragioni di Collette Camerali, e Comunitative imposte, e da imporsi generalmente, e dalle tasse* =, coercendum esse ad onera tantum Municipalia, non vero ad Cameralia protendi posse, ac præterea contrahentes præ oculis habuisse onera tantum realia, quæ super fructibus fundi sive utili dominio imponuntur, non vero ea, quæ mixta sint, et ratione etiam personarum indicantur, quibusve dominus directus, 5

proprietatis causa gravetur: demum vero contrahentium voluntatem ad incognita ferri haud potuisse, et ideo in eo pacto nequivisse compræhendi fundiarum tributum, de quo cogitari nunquam poterat, quod super fundo, præsertim Fiscali, in posterum indiceretur. Sed hæc etiam futiliter proponebantur. Quo enim ad discrimen in qualitate indoleve diversarum intributionum, seposito etiam quod ex Emphyteutici contractus natura omnia quæcumque vectigalia Emphyteutis incumbere debeant, amplissima, ac disertissima prædicti pacti verba, ex quibus Torlonii in se susceperunt omnia, tam imposita, quam imponenda onera, quamlibet eliminant dubitationem, et apertissimum faciunt intributiones cujusvis qualitatis, et quacumque ex caussa derivantes, tam vigentes de tempore contractus, quam in posterum forsan indicendas; persolvendas esse in totum ab eisdem Tordiniis; secus enim inanis illa fuisset conventio quod canon semper esse deberet pro Rev. Cam. Apostolica » *libero*, *e franco* » atque immunis a quavis imminutione etiam ex causa » *di Collette Camerali*, *e Comunitative imposte*, *e da imporsi* =, quibus sub verbis omnia quæcumque onera vel Cameralia, vel Municipalia, vel realia, vel mixta, præsentia ac futura compræhenduntur.

6 Quo vero ad novitatem tributi » *Dativa Reale* = ex qua ejus impositio nec prævideri, nec compræhendi in prædicta conventione potuerit, semper redit, ad objectum submovendum, illius conventionis amplitudo, et contrahentium explicita voluntas quod Canon imminui nunquam posset ex quolibet = *impensato*, *ed impreviso accidente* =, et ex quolibet vel Camerali, vel Municipali vectigali imposito, vel in posterum forsan imponendo. Præterea vero accedit quod intributio = *Dativa Reale* = nova dici nequit, præterquam in nomine ac ejus percipiendæ modo; non enim aliis, vigentibus ante, super accessit, sed eis, quæ fere omnes Motu proprio anni 1801. abrogatæ fuere, successit, earumque gessit vices; ex quo injuria Tordinii petebant ut quæ onera in se integre susceperant, eadem in substantia, quamvis alio sub nomine in unum collecta, ferre deberent contra pactorum fidem Rev. Cam. Apostolica, sive Sacrum Emorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium Collegium. Vero non novæ sunt eæ Tordiniorum exceptiones, sed fuerunt Bottaoni a Fratribus in superius memorata simili Causa *Sutrina Canonum* prepositæ, ac mordicus defensæ, easque omnes exclusere consultissimæ S. Rotæ Decisiones in ea Causa vulgatæ, prior scilicet sub die 10. *Februarii* 1821. §. 7. coram R. P. D. *meo Tiberj*, altera sub die 3. *Junii* 1822. §§. 4. 5. 11. *coram R. P. D. meo Bussio*.

Confugiebant denique Tordinii ad 7
Rescriptum anno 1804, emissam a R. P. D. Præfecto Ærario, aliisque Præsulibus, quibus munus dederat Sanctissimus Princeps AEconomicæ inquirendi de creditis Fisci Motu proprio Anni 1801. anterioribus, quo Rescripto, cui Resjudicatæ nomen appingebatur, admissum quodammodo fuit in quibusdam Reverendæ Cameræ Apostolicæ Emphyteutis jus retinendi ratam commodi; et assertam etiam proponebant observantiam, innixi facto Administratorum Cameralium, qui canonem, per ratæ commodi retentionem imminutum, receperant, donec Latifundii » *Poggio Felcioso* = dominium directum stetit penes Reverendam Cameram Apostolicam, nempe usque ad exitum Mensis Maii anni 1807 Perperam autem, primum enim haud probatus Empbiteusim illius Latifundii. in eo fuisse Rescripto compræhensam. Dein inefficax prorsus renunciandum est Rescriptum illud, quod nunquam, ope Sententiæ, exequutorium fuit factum, uti, ad vires ei tribuendas, fieri oportuisset. Demum, quidquid de hoc Rescripto dicendum sit, certissimum est illud prorsus eliminatum fuisse superius relata Declaratione, sive Edictali Lege S. Congregationis Æconomicæ diei 21. Junii 1806., quæ ad omnes removendas quæstiones, gene-

ratim servanda jussit pacta quoad solvendorum Canonum integritatem, et immunitatem ab impositis, vel imponendis tributis, aut explicite, aut implicite conventa, quæve ex Summi Pontificis voluntate esse in posterum debebat » *di norma, e regola invariabile nelle Decisioni del Foro* = Et hæc quoad illud Rescriptum fuit Sententia a S. Rota pandita adversus Bottaonios in sæpius citatis *Decisionibus Sutrina Canonum* 26. *Junii* 1820. §§. 4. 5. *coram R. P. D. meo Tiberj; in confirmatoria* 10. *Februarii* 1811. §§. 6. 7. *coram Eodem, et in altera Confermatoria diei* 3. *Junii* 1821. §. 10. *cor. R. P. D. meo Bussio.*

8 Ad observantiam vero quod spectat, educi hæc nunquam potest ex inconsulto facto, et ex oscitantia Administratorum Reverendæ Cameræ Apostolicæ; et uti jus esset huic sartum semper tectumque repetendi a Tordiniis, quod ipsis per errorem fuit relictum, ita hoc jure pollet Sacrum Eminentissimorum Cardinalium Collegium quoad integram Canonum assequntionem ab Anno 1807., quo in Reverendæ Cameræ Apostolicæ jura successit. Præterea adeo brevis est ab anno 1801. ad Annum 1807. temporis *lapsus*, ut futiliter proponatur observantia ad actionem præscribendam ex jure requisita. Ita ad rem statuerunt prædictæ S. Tribunalis *Decisiones in Sutrina Canonum* 26. *Junii* 1820. §§. 6. 7. *coram R. P. D. meo Tiberj, in Confirmatoria* 10. *Februarii* 1821. §§. 7. 8. *coram Eodem, et in altera confirmatoria* 3. *Junii* 1822. §§. 5. 6., *et* 12. *R. P. D. meo Bussio.*

9 Evincunt hæc omnia luculentissime actionem a S. Emorum Cardinalium S. R. E. Collegio adversus Tordinios propositam, atque a Triumvirali Juridico A. C. Conventu probatam, adeo firmam esse ut subverti nunquam possit. Verum, ad rem conficiendam, accedit potissima animadversio quod Causa hæc, specie tenus, resoluta est, contumacibus Tordiniis, sed reapse jam definita fuit per S. N. Ordinis Remjudicatam in Causa, que vere statu est, ea scilicet sæpissime superius memorata *Sutrina Canonum* inter Bottaonios Fratres, et Gallum Regny, quæ nedum huic similis est sed immo in ea Bottaonii pluribus erant rationibus suffulti, quibus Tordinii destituuntur; præsertim illa, quam magni ponderis, quod, dum Gallus Regny a Reverenda Camera Apostolica acquisivit directum dominium fundorum » *Maggiorana, et Fontana Inversa* =, illius pretium imminutum ei fuit ob retentionem ratæ commodi, quam Bottaoniis competere expressim fuit declaratum: aliaque etiam, quod Canon cum Guido Lante, Bottaoniorum auctore, conventus haud ferat, ex Sanctissimi Principis indulgentia, in modica quantitate, atque absque forma a Pontificiis Constitutionibus in hujuscemodi contractibus præscripta, uti factum cum Tordiniis fuit. Quod itaque pro Gallo Regny constanter fuit a Patribus definitum, omnibus fratrum de Bottaoniis rejectis exceptionibus, quæ, nedum eædem fuerunt, sed longe fortiores ac illæ, quæ a Tordiniis fuerunt propositæ, ac proponi possent, fieri nunquam poterit quin immotum semper firmumque habeatur pro Sacro Emorum S. R. E. Cardinalium Collegio, cujus jura contra Tordinios quam maxime potiora sunt illis, quibus prædictus Gallus Regny Bottaonios vincere potuit.

Et ita etc. Unica etc.

TERRACINEN DIVISIONIS

Lunae 23 *Junii* 1823.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Dividi non possunt, nisi ea quae jure condominii, et in communione possidentur.*

Jus, qui veniunt jure proprio ad successionem, quodlibet paternum, vel majorum factum non nocet - ibidem. -

DECISIO CXLVIII.

Post obitum Vincentii, Simon junior Altobelli, ejus consobrinus, proficere statuit a Testamento Simonis senioris, quod, vel ab ejus Patro Josepho, vel ab eo ipso malis artibus fuerat corruptum, ideoque diem dixit Sylviano juniori Vincentii filio coram Judicibus, qui de Primis Actionibus jus reddunt Frusinonis, ut bona omnia primogenialia prædicti Sylviani senioris æquis partibus inter ipsos dividerentur. Adversa Sententia repulsus, cum ad Sacrum Nostrum Auditorum provocaverit, inter alias quæstiones super *immissione et fructibus*, de quibus agunt coævæ Decisiones, ea quoque ferbuit, quæ ad divisionem spectat. Peculiari itaque Dubii formula rogati per me hodie mane Patres = *An, et quomodo sit locus divisioni* = Responsum cæteris apprime consonum dederunt = *Negative in omnibus.*

1 Dividi quippe non possunt, nisi ea quæ jure condominii, et in communione possidentur. *Leg* 1 §. *Si quis possidet ff. famil. erciscun.*, *Leg. Magis puto § fin. ff. de reb. eorum, qui sub tut., et cur. sunt, Leg. Mancipium § Communi dividundo ff. de evict.*, *Rot. in Rec. decis.* 30 *num.* 22 *part.* 9. At vero nihil magis certum, quam quod nullum dominium habeat Simon junior super bonis primogenialibus Sylviani senioris. Si enim, ut definitum est in alia Decisione super immissione, non alium poterat Simon senior ad emolumentum Primogenituræ, nisi unum Franciscum nominare; jam plane sequitur, quod nullum jus exercere valebat super ipsis bonis primogenialibus Simon junior, qui, non a Francisco descendit, sed imo a Josepho, cujus descendentes a successione repulit Testator, existentibus Francisci descendentibus. Nihil autem turbat, quod communio bonorum intercesserit inter Vincentium Sylviani junioris parentem, et eumdem Simonem juniorem. Præter enim, quod non levis suspicio adest eam communionem ex errore, et falsa causa processisse, quia reputatum fuerit, a Vincentio, utrumque Fratrem, tam Franciscum patrem, quam patruum Josephum ad Primogenituram fuisse vocatos: illud etiam accedit gravissimum, quod, etiamsi consulto, et serio animo, non ex errore, et falsa causa, inita fuisset inter Vincentium, et Simonem juniorem bonorum communio; ea nihilominus nocere futuris vocatis non potuit, qui jure proprio veniebant ad successionem. Quandoquidem iis, qui veniunt jure proprio, non jure hæreditario, ad bonorum Successionem, detrimentum afferre nequit quodcumque vel paternum, vel aliorum majorum factum, ut diserte cavit Imperator *Justinianus in Leg. Duobus* §. *Sed quia Cod. commun. de Legatis*, quam sequuntur *Peregrin. de Fideicom. Artic.* 4 *num.* 1., *Fusar. de substit. quæst.* 552 *num.* 24., *Costantin. vot.* 82 *num.* 53., *Rot. coram Crispo Decis* 57 *num.* 15 *coram Falconer. tit. de Dote; decis. num.* 2 *coram Olivatio Decis.* 20 *num.* 8., *et Decis.* 431 *num.* 14 *coram Eodem* =. Nullum ergo divisioni locum fieri, compertissimum erat.

Et ita etc. utraque etc.

TERRACINEN IMMISSIONIS

SUPER FRUCTIBUS

Lunae 23 *Junii* 1823.

ARGUMENTUM

Patet ex Sommario.

SUMMARIUM

1. *Fructus sunt accessorii capitis principalis, ejusque naturam sequuntur.*

Restituendi sunt a die, ex quo jus succedendi quaesitum est - ibidem. -

Quousque evidens non sit exceptio falsitatis testamenti, non est admittenda - ibidem. -

DECISIO CXLIX.

In jus apud Judices Primarum Actionum Frusinonis vocatus Sylvianus junior Altobelli a Simone juniore ad judicium familiæ erciscundæ, non solum immissionem opposuit ad bona primo-

genialia Sylviani senioris, sed fructus etiam ipsorum bonorum, quos immerito suos sibi fecerat ipse Simon junior, exhibito libello postulavit. Rejecta divisionis actione a Simone juniore proposita, Tribunal illud petitam immissionem ad bona primogenialia Sylviano juniori, lata Sententia coocessit, et fructuum etiam restitutionem fieri jussit a die obitus Vincentii, Consobrini Simonis junioris, quos inter perfecta intercessit bonorum communio, usque dum vixit ipse Vincentius. At, quemadmodum Simon junior ab eo Sententiæ capite provocavit, quo concessa fuit Sylviano juniori immissio, seu reintegratio, ita quoque appellationem interjecit ab altero, quo fructuum restitutio decernebatur. In hodiernis itaque Comitiis Dubii formulam ita conceptam Patribus exhibui = *An, et a quo tempore sit locus restitutioni fructuum in casu etc.* = et responsum accepi = *Affirmative a die obitus Vincentii.*

1 Semelac enim in altera hujusce diei Decisione concessa fuit Sylviani juniori immissio, seu reintegratio ad bona primogenialia Sylviani senioris, consequens omnino est, ut fructuum quoque restitutio tribuatur, qui considerantur tamqoam pars bonorum, et omnimodam capitis, cujos sunt accessorii, naturam, vicesque sequuntur. *Rota in Foroliviem. super Fructibus* 19 *Aprilis* 1793 § 2 *coram clar. memor. Malvasia*, *in Veliterna Exequutionis Contractus* 5 *Julii* 1802 § 5 *coram Eminentissimo Rusconi, in Aesina Immissionis* 9 *Februarii* 1804 § 7 *coram Eminentissimo Serlupio, et in Fanen. Pecuniaria* 27 *Ianuarii* 1805 § 3 *coram Resta.* Revera cum in hoc judicio agatur de petitione hæreditatis, fructus restituendi essent a die ipsa apertæ successionis *ad Text. in Leg.* 2 *Item veniunt* § *Fructus ff. de petit. hæredit. Leg. Non est ambiguum Cod. de famil. erciscun., Rot. coram Ansaldo decis.* 49 *num.* 41 *coram Olivatio Decis.* 492 *num.* 2., *et decis.* 10 *num.* 22 *coram clar. memor. Revarella* =. Restituendi essent itaque a die obitus Simonis senioris, quo tempore jus succedendi quæsitum est Francisco, ex cujus juribus agit ejus Nepos Sylvianus junior. Sed utcumque non levis suspicio sit de corrupto Simonis senioris Testamento, adhuc tamen, quousque evidens non sit exceptio falsitatis Testamenti, mitius agendum cum Simone juniore duxerunt Patres, inspecta communione bonorum, quæ inter Vincentium, ac Simonem ipsum juniorem viguit, et ex qua sub bona fide reus conventus dimidium fructuum percepit. Quoniam vero, mortuo Vincentio, bonorum communio dissociata est, et cessavit propterea bona fides in fructibus percipiendis, ita a die obitus ipsius Vincentii restituendos esse Salviano juniori fructus bonorum primogenialium merito definitum est.

Et ita etc. Utraque etc.

TERRACINEN IMMISSIONIS

Lunae 23 *Junii* 1823.

ARGUMENTUM

In Legatis et Fideicommissis, si haeres gravatus, omiserit designare personam successoris, successio defertur ad omnes haeredes, licet ad unum tantum haereditas fuerit a testatore delata. Verum haec juris dispositio locum non obtinet in primogenituris, in quibus si electio successoris fuerit neglecta, successionis emolumentum defertur solo primogenito proximiori.

SUMMARIUM

1. *Ei concedenda est immissio, qui vocationem suam ostendit.*
   In judicio civili, sola falsitatis suspicio pro falsitate ipsa habetur – ibidem. –
2. *Ubi institutum fuit fideicommissum individuum, successio soli primonato, ejusque lineae tribuenda est.*
3. *Non licet Successori, ubi testator unum tantum ad fideicommissum vocavit, haereditatem ad plures deferre.*
4. *Ex lege* ex familia ff de legatis 2, *si haeres gravatus omiserit electionem, successio omnibus defertur.*
5. *Praedicta juris dispositio, locum non obtinet in primogenituris, ubi si electio sit neglecta, emolumentum primogenito proximiori, non pluribus competit.*

6. *Testamentum lituris et mendis refertum, redolet falsitatis vitio, nisi probetur testatorem ipsum ita vitiatum tradidisse.*
7. *Divisio ex dolo, vel ex falsa causa inita irrita est judicanda.*
8. *Lex* diei 6 Termipheri, *licet vincula omnia fideicommissaria solverit, nihilominus Articulo* 4 *declaravit* - Non s' intendono pregiudicati i dritti competenti per titoli purificati anteriormente alla presente legge. -

DECISIO CL.

Tres habebat Sacerdos Sylvianus Altobelli, cui patria Anxur, ex prædefuncto garmano fratre Dominico nepotes; *Simonem* nempe, Franciscum, ac Josephum, quorum primus Sacerdotio erat addictus: cæteri vero duo uxorem duxerant. Adeo frugalitate, atque industria, patrimonium suum in urbanis, rusticisque prædiis auxerat Sylvianus, ut morti proximus cum esset, agnationis servandæ cupidus individuum Fideicommissum, seu Primogenituram condiderit, ad quam primo vocavit Simonem ipsum, quem ante alios maxime diligebat, hac tamen adjecta lege = *che il suddetto Signor Simeone Altobelli mio Nipote, ed Erede, come sopra instituito sostituisca, e nomini a sua libertà e piacimento alla successione della mia Eredità uno de'suddetti suoi fratelli Francesco e Giuseppe, oppure uno de'loro figli, e discendenti Maschi*. Hac de causa Testator in suis tabulis Simoni hæredi primo instituto substituit = *uno de'suoi fratelli, o nipoti de'loro figli* = ab eodem Simone nominandum, deindeque voluit, ut omnino succederent eorum filii, et descendentes Masculi in infinitum, exclusis per modum regulæ fœminis = *di maniera che la mia Eredità abbia a passare di Maschio in Maschio in infinitum in capita, et non in stirpes, cioè di primogenito in primogenito principiando dall'ordine del primo nominato, e sostituito dal detto Sig. D, Simone mio Erede.*

Ut autem bona singula hæreditatis suæ in familia perpetuo manerent, non solum confici jussit inventarium, sed disertissime quoque prohibuit quamlibet detractionem, et alienationem, inflicta secus alienanti caducitatis pœna, etiamsi de dote ageretur eis hæredum filiabus, vel neptibus præstanda, quæ Deo se voverent. Non enim aliter expungere portionem aliquam bonorum licebat, quam si quis ex vocatorum filiis, vel nepotibus Sacerdotium eligeret, cui ideo Sacrum Patrimonium constitui permisit. Quasi vero voluntatem suam satis non explicasset quoad individuæ Primogenituræ institutionem, tertio quoque verbo addidit = *che all'Erede primo nominato dal mio Erede istituito D. Simone Altobelli debba a quello succedere poi tutta la sua discendenza, sempre di primogenito in primogenito usque in infinitum, esclusa affatto la discendenza dell'altra linea di essi fratelli, che non sarà chiamata dal mio Erede* = Linea primi hæredis nominati perempta, cum eodem ordine successionis de primogenito in primogenitum ad hæreditatis emolumentum invitavit = *l'altra discendenza di quel fratello, che non sarà stato nominato* = Linea primi hæredis nominati perempta, cum eodem ordine successionis de primogenito in primogenitum ad hæreditatis emolumentum invitavit = *l' altra discendenza di quel fratello, che non sarà stato il nominato* = Utraque dein linea masculina tam Francisci, quam Josephi defecta, hoc casu præcepit, ut ordine superius expresso succederet = *il primogenito della prima figlia femina di quel fratello primo Erede sostituto, e chiamato dal detto D. Simone, e così dovrà sempre osservarsi di primogenito in primogenito* =.

Quod si etiam linea fœminarum ex primo haerede nominato descendentium deficeret, alterius faeminae lineam vocavit = *che sarà la primogenita dopo la primogenita, come sopra chiamata* = Tum Masculorum, tum fœminarum linea tandem extincta, ad eum deferri voluit hæreditatem, cui de jure competeret intestata successio = *sempre però osservando lo stesso ordine di sopra espresso* =. Elato Sylviano, Simon ejus nepos hæreditatem adivit, ac inventarium, ut ipse præceperat, reapse confecit. Ut executioni postea committe-

ret patrui voluntatem, antequam supremum diem obiret, et ipse Februario mense anni 1765. Testamentum fecit, in quo Franciscum germanum fratrem primonatum in hæredem defuncti Sylviani nominavit cum iisdem legibus, et condictionibus, quæ in tabulis Sylviani leguntur. Sed paulo post Simonis obitum, ejus pariter germani fratres, tam nempe Franciscus, cui inter cæteros adnatus erat filius nomine Vincentius, quam Joseph, qui ab uxore sua filium unum susceperat Simeonem juniorem in fata concesserunt. Nulla quoad vixit Vincentius, de hæreditate magni patrui Sylviani contentio inter patrueles exarsit, qui imo in bonorum communione vixerunt. Vix ille, unico post se, relicto filio Sylviano juniore, in minori ætate adhuc constituto, ad plures migravit anno 1811, molestias illico in immerentem nepotem excitare cæpit ipse Simon junior, qui non unum Franciscum patruum, sed eum eo etiam Josephum patrem a Simone Seniore hæredem fuisse institutum contendebat.

Innixus enim ejusdem Simonis senioris Testamenti tabulis, quæ interim corrumpere, et depravare vel Joseph Simonis junioris pater, vel Simon ipse junior curaverat, cum hæredis institutioni erga Franciscum factæ super impositum aliena manu, ac diverso atramento Josephi nomen exhibeant, post nonnullos annos ab obitu patris nepotem provocavit ad judicium familiæ erciscundæ coram Judicibus, qui de Primis actionibus Frusinonis jus dicunt. At Sylvianus junior non propositæ solum obstit bonorum divisioni, sed apud eosdem Judices adversus patruum postulavit immissionem, et reintegrationem quoque quatenus opus esset, ad bona hæreditaria Sylviani senioris. Separato insuper libello restitutionem fructuum petiit, quos immerito suos sibi fecerat patruus. Vicit in quæstionibus omnibus Sylvianus junior, quia Tribunal illud, editis tribus Sententiis, quantum ei immissionem, et restitutionem fructuum concessit, tantum Simoni juniori petitam bonorum divisionem denegavit. Ab hisce Sententiis, cum appellationem Simon junior interposuerit, omnium propterea contentionum ad Sacrum Ordinem Nostrum cognitio pervenit. Quod spectat ad immissionem, seu reintegrationem, quæ præcipua controversia est, cum quæsitum hodie mane fuerit = *An sit danda immissio, et quatenus opus sit reintegratio in casu etc.* = Responsum prodiit. = *Affirmative in omnibus* =

1 Levi negocio hujusce definitionis justitia demonstratur. Nam ex *Leg. fin. Cod. de Edict. Divi Adriani tollen.* ei concedenda est immissio, qui vocationem suam ostendit *Rot. decis.* 93 *num.* 1 *coram De Veri* = Cum autem in Testamento Simonis senioris non alius certo certius scriptus fuerit hæres, quam Franciscus, ex cujus juribus in judicio agit ejus nepos Sylvianus junior; nullum hinc dubium, quin is unus obtinere bonorum possessionem debeat, quæ ab hæreditate proveniunt Sylviani senioris, et de quibus disposuit in suo Testamento Simon senior. Quin obsit, in eodem Simonis Senioris elogio una cum Francisco institutum hæredem Josephum etiam inveniri. Licet enim præ oculis haud esset authographum testamenti, ex Calligraphorum tamen, et Notariorum testimonio, qui illud accurate explorarunt, quique omnem sibi vindicant; propter eorum munus, in judicio fidem, aperte constabat, corruptas ipsius testamenti tabulas fuisse, et contra disponentis voluntatem aliena manu, diversoque atramento intrusum, et superinductum existere Josephi nomen. Animadvertendum præterea erat non hic agi de judicio Criminali, ubi plenæ desiderantur falsitatis probationes, sed imo de judicio Civili, in quo hoc peculiare est, ut sola falsitatis suspicio pro falsitate ipsa habeatur ad *Text. in Leg. Jubemus Cod. de probat, Leg.* 23 *et* 24 *Cod. ad Leg. Corn. de fals. Menoch. de præsumpt. lib.* 5 *præsumpt.* 20, *Mascard. de probat. conclus.* 740 *num.* 37. *Genua de script. privat. lib.* 1 *quæst.* 6 *dub.* 17 *num.* 14, *Rot. in Recent. decis.* 258 *num.* 5, *decis.* 267 *num.* 4, *decis.* 272 *num.* 19 *part.* 13 *coram Ansaldo*, *decis.* 776 *num.* 10 co

ram Eodem, et decis. 583 *coram Olivatio.*

2 Verum brevi dilemmate totam confici quæstionem, juxta eorum sapientiam rectissime Patres animadvertebant. Aut enim Simon senior Franciscum primonatum tantum in hæredem designavit, et corruptum est ideo Testamentum, in quo post nominationem Francisci, adjecta est persona Josephi: Aut inscite vel temere, dum obsequi professus est præcepto institutoris Primogenituræ, huic refragatus est, Josephum etiam nominando, ipse Simon senior. In primo quidem casu missio in possessionem competit Francisco, et Sylviano Juniori, qui ab eo recte descendit cum disertissima sit eorum vocatio. In secundo autem casu, posthabita nominatione binorum fratrum simul peracta, Primogenituræ compendium Francisco primonato, ejusque lineæ tribuendum videtur. Hanc sane definitionem ipsa requirit litera Testamenti Sylviani senioris, qui nonnisi individuum Fideicommissum, sive Primogenituram instituit, dum hæredi primum vocato legem dixit, unum tantum post se nominandi vel ex germanis fratribus, vel ex eorum filiis ad Primogenituræ possessionem = *Sostituisca e nomini a sua libertà e piacimento alla successione della mia Eredità uno de' suddetti suoi fratelli Francesco e Giuseppe, oppure uno dei loro figli, e discendenti Maschi* = Nec diversimode loquutus fuit Sylvianus senior, dum fratribus, et nepotibus Simonis hæredis primum instituti substituit eorum filios, et descendentes Masculos in infinitum = *di maniera che la mia eredità abbia a passare di Maschio in Maschio in infinitum, in capita, e non in stirpes, cioè di primogenito in primogenito* = exordium ducens ab ipso Simone Seniore.

3 Id ipsum rursus inculcavit in alia parte Testamenti, ubi addidit = *che all' erede primo nominato dal mio Erede instituto D. Simone Altobelli debba a quello succedere poi tutta la sua discendenza sempre di primogenito in primogenito usque in infinitum esclusa affatto la discendenza dell' altra linea di essi fratelli, che non sarà chiamata dal mio Erede* = Idipsum denique ad nauseam usque imperavit in cæteris vocationum sedibus ac etiam, dum proximiorem, post defectas lineas Masculorum ex Masculis, et Masculorum ex foeminis, hæredem vocavit, qui ab intestato succederet. Ambigi ergo nequit, quin Sylvianus senior voluerit, ut unus tantum ex primi hæredis instituti germanis fratribus, vel Nepotibus emolumento Primogenituræ potiretur. Non poterat ideo Simon Senior disertam spernere Testatoris voluntatem, et non unum, sed plures ad Primogenituram vocare. *Cyriac. controvers. forens.* 414. *num.* 2. *Fusar. de substit. part.* 2. *quæst.* 356. *num.* 4. *Rot. coram Riminaldo, in Ferentina Primogenituræ* 10. *Maii* 1802 § 5. *coram Resta; in Tyburtina Successionis* 5. *Julii* 1802. §. 6. *coram Resta, et in confirmatoria* 4. *Julii* 1803 § 5. *coram Eodem* = Non est ei quandoque impermissum, qui rogatus fuit hæreditatem alicui ex certis personis restituere, plures ex certis personis eligere. At locum id sibi vindicat, cum nullam legem dederit Testator unum tantum ex certis personis nominandi, et a plurium nominatione ipse non abhorruerit, ut sunt casus auctoritatuum *Molin. de Primogenit. Cap.* 4 *numer.* 45, *Nigr. denominat. quæst.* 21 *numer.* 5; *Card. de Luca de Fideicom. disc.* 183. *num.* 19, = quos perperam allegabant Simonis junioris defensores.

Quoties vero Testator diserte jusserit, ut uni tantum ex certis personis successio Primogenituræ tribueretur, tunc nefas omnino est hæredi gravato plures eligere, et Testatoris mentem eludere = *Rot. coram Merlino decis.* 163. *num.* 10. *et sequen.* Quin imo primogenitum tantum nominare tenetur, quia si Testator voluit, ut unus solum ex certis personis eligatur, de primogenito eum intellexisse, comperti juris est, ad *Text. in leg. Eum, qui Kalendis* 41. § *Si autem ff. de verb. oblig. Fusar. de substit. quæst.* 384. *num.* 2. *Torr. de Primogenit. part.* 1. *Cap.* 4. *num.* 14. = Unus ergo erat eligendus Franciscus, qui fratri præcellebat ætate, ut adduci in discrimen nequibat et e 4

Baptismatis Codicibus apparebat. Cæterum, etiamsi pro irrita, et nulla habenda esset facta a Simone seniore nominatio, non ideo sequeretur, ut vires exerere debeat famigerata lex *unum ex familia ff de Legatis* 2, ubi hoc peculiare est ut, si hæres gravatus demandatam omiserit electionem, successio omnibus deferatur, omnesque legatum petant, aut Fideicommissum, veluti etiam cautum est in alia *Leg. Labeo* § *Pacuvius ff de stat. lib.*, in qua Pacuvius Clemens ajebat = *si ita sit Fideicommissum relictum: cui voles eorum, restitutas rogo: si nullum elegisset, cui restitueret, omnibus deberi, Imperatorem Antonium constituisse.*

5 Retinenda siquidem jugiter est distinctio, quæ inter Fideicommissa, et Primogenituras intercedit. Ea namque juris censura, quæ in Legatis obtinet, ac Fideicommissis dividuis, male, ac perperam ad Primogenituræ institutionem traducitur. Cum ea sane sit Majoratuum, et Primogeniturarum indoles, ut unus tantum hæreditatis emolumentum consequi debeat: si is, cui eligendi onus a Testatore datum est, electionem neglexit, Primogenitura ipsa uni tantum, eique primogenito proximiori, non autem pluribus competit, quia res ipsa vetat, ne hæreditas dividatur, ac nominationis defectum juris ministerium, ac Judicis officium supplet. *Torre de Primogenit. part.* 2 *quæst.* 43 *num.* 28. *Fusar. de subst. quæst.* 5 *num.* 3. *Molin. de Primogenit. lib.* 2 *cap.* 4 *num.* 41 *et* 42. *Cyriac. controv. jur.* 56 *num.* 6, *Rot. post Torre de pact. fut. success. decis.* 150 n. 6 *cor. Peutinger., decis.* 326 *num.* 8 *et* 9 *coram Ansaldo, decis.* 627 *num.* 2, *et in Perusina Immissionis quoad Primogenituram Cæciliæ Fioravanti* 24 *Aprilis* 1795 § 16 *cor. Priolo.* Aut igitur Simon senior Franciscum tantum nominaverit, aut Franciscо adjecerit etiam Josephum, semper certum est Primogenituræ possessionem uni Francisco competere, penitus Josepho posthabito. Nam, præter hæc omnia; accedit etiam quod, si Simon junior contendit una cum Francisco nominatum fuisse Josephum; ideoque si vult, tamquam filius, et hæres Josephi, ad Primogenituræ possessionem immitti una cum Francisci filio, ex compertissima juris dispositione necesse est, ut exhibeat competenti Judici Testamentum *non cancellatum, neque abolitum, neque ex quacumque suæ formæ parte vitiatum, sed quod prima figura sine omni vituperatione appareat, ut ait Lex* 3 *Cod. de Edict. Div. Adrian. tollen. quam late exornant Gloss. ad eamdem leg. Menoch. de adipiscen. possess. remed.* 4 *num.* 651, *et sequen., Rota decis.* 135 *num.* 6 *part.* 1 *cor. Molines, decis.* 1224 *num.* 4, *et decis.* 509 *num.* 1 *cor. Olivatio.*

Nec ipsi autem designabant Simonis 6
junioris defensores, Testamentum Simonis senioris lituris, et mendis adeo refertum esse, ut hæredis institutioni superimpositum Josephi nomen aliena manu, ac diverso, et recentiori atramento comperiatur, veluti etiam testabantur Periti Calligraphi, et Tabelliones. Sed in hoc toti erant, ut contenderent, Testamentum ipsum cum iisdem mendis, et lituris apud acta relatum fuisse a Simone seniore, qui eas idcirco approbasse præsumitur. Attamen hæc responsio nil aliud redolebat, nisi miseram principii petitionem, quæ solvit quæstionem cum eo ipso, quod in quæstione est. Quousque itaque plenæ non afferantur probationes, ex quibus constet, ipsum Simeonem seniorem Notario corruptum Testamentum tradidisse, ac ipsum pariter hæredi instituto super induxisse Josephi nomen, singularem numerum in pluralem convertendo; semper erit a consuccessione repellendus Simon junior Josephi filius, etiamsi per falsissimam hypothesim admitteretur licuisse Simoni seniori duos nominare substitutos, et ei semper obstabit disertissima legis sanctio superius adducta. Nec pariter prodesse poterat Simoni juniori, quod post obitum Simonis senioris inita fuerit inter ejus fratres bonorum divisio, ac unusquisque bona sibi obventa in publicas Censuales tabulas proprio nomine recensuerit. Præter enim quod nullæ aderant objectæ istius divisionis tabulæ; si eæ quidem existerent, non ideo jus aliquod ex hac divisione quæsitum Josepho, aut ejus descendentibus fuisset ad dimidium eorum bonorum oc-

cupandum, quæ ad unum pertinent Francisci filium, et hæredem.

7 Ea siquidem divisio vel erronea fuisset, et ex falsa causa inita, ex quo falso putaverit Franciscum, bonorum dimidium ad Josephum pertinere ope nominationis a Simone erga utrumque fratrem expletæ: vel dolo et fraude extorta renuncianda esset, quia nempe tabularum corruptio inducere Franciscum potuit ad communicandam cum fratre Sylviani senioris hæreditatem. Utroque autem in casu hujusmodi divisio nulla, atque irrita judicanda esset, retractari proinde omnino deberet ad expressum *Text. in Leg. Cum putarem* 37 *ff famil. erciscun., Card. de Luca de hæred. disc.* 30 *numer.* 10 *Rot. cor. Lancetta decis.* 164 *num.* 1 *coram Olivatio decis.* 438 *numer.* 7, *et decis.* 759 *num.* 1 *coram Riminaldo.* Futilius demum erat ad Gallicas Leges confugere, quæ Fideicommissorum, et Primogeniturarum nexus abrogarunt, et bona libera in iis fecerunt, qui actu, dum Leges prodierunt, eadem bona possidebant. Non enim rite inde inferri potest, quod bona Primogenialia Sylviani senioris libera evasérint tam in Vincentio Sylviani junioris parente, quam in Simone juniore. Gallicæ siquidem Leges, ut naturalis ipsa ratio suadet, non de quibuscumque etiam injustis bonorum possessoribus intellexerunt, sed tantum de illis, qui possessores erant juris, et bona ipsa a quocumque injusto detentore vindicare in posterum valebant.

8 Hoc ipsum vero apertissime explicavit celebris illa Gallorum Lex diei 6 Termipheri anni 5, quæ licet vincula omnia Fideicommissorum « *sotto qualsivoglia denominazione* » penitus delcverit, nihilominus Artic. 4 declaravit «*che colla premessa abolizione de'vincoli Fideicommissarj non s'intendono pregiudicati i diritti competenti a qualsivoglia persona, sia contro dell'attuale possessore, sia sulla sostanza stata affettata dai vincoli suddetti per titoli purificati anteriormente alla presente Legge, dovendo rimaner salvo l'esperimento di tali diritti nelle vie regolari di giustizia, sempre che sia pratticabile a termini di ragione* » Cum igitur jura Francisci Primogeniti in ejus nepotem Sylvianum juniorem successionis titulo translata, originem ducant ab anno 1765, quo mortem obiit Simon senior primus hæres gravatus; ideoque longe præcedant Gallicas Leges de Fideicommissorum abrogatione, quæ anno 1809 publici juris factæ fuerunt in Ditione Pontificia; plane hinc sequitur, quod eadem jura sarta, et tecta permanserint, ut rite non solum, sed etiam juste possessor juris ab injusto detentore bona ipsa primogenialia, a legibus libera effecta, vindicare modo possit. His ita animadversis, merito immissio ad bona primogenialia Sylviani senioris, uni concessa fuit Sylviano juniori, quolibet repulso Josephi descendente.

Et ita etc. Utraque etc.

TUDERTINA

JURIS PASCENDI, LIGNANDI ET VENANDI

Mercurii 12 *Martii* 1823.

ARGUMENTUM

Jus lignandi, pascendi et venandi competit tam civibus originis, quam civibus domicilii, Et domicilium acquiritur, per decennalem mansionem, e ubi quis bona retinet, tributaque solvit.

SUMMARIUM

1. *Nequeunt Municipiorum Decuriones, lites nomine Municipii instituere, absque venia S Congregationis.*
2. *Actus possessorii, qui probati manent ex Auctoritate Re-judicatae, nequeunt amplius in discrimen revocari.*
3. *In Judicio petitorio, reo convento sat est vincere per non jus Actoris.*
4. *Jura lignandi, pascendi, et venandi, ubi contrarium expresse non fuerit statutum, censentur tributa tam civibus originis, quam domiciliariis.*
5. *Sub nomine Universitatis, atque hominum, veniunt tam cives originis, quam domicilii.*
6. *Non repugnat, quod aliquis duplici civilitate donetur, una originaria, altera adscititia, ex incolatu quaesita.*

7. *Ubi quis retinet domicilium, bona poseidet, et tributa persolvit, pro cive illius loci habetur.*
8. *Privatio habitum praesupponit.*
9. *Tabellas abrasae, corruptas, nullum fidem vindicant.*
In juribus lignandi, pascendi, et venandi, observantia maximum argumentum praebet - ibidem. -
10. *Sola decennalis mansio actionem suppeditat ad acquirendam civilitatem.*
11. *Distingui oportet inter eos, qui jus venandi exercent jure precario, ab eis qui exercent jure proprio.*

DECISIO CLI.

Non procul ab Oppido *Monticuli*, aliisque conterminis Umbriæ Regionibus assurgit Montium corona, quam olim possidebat Nobilissima Gens Sabellia, ac dein in inclytam transiit Corsinorum Familiam. Cum anno 1563 Bernardinus Savellus horum montium partem, annuo convento canone in perpetuam Emphytheusim concessisset Universitati, atque hominibus præfati Oppiduli, jussu postmodum Sacræ Congregationis Boni Regiminis, ad dirimendas controversias, quæ cum finitimis prædiorum possessoribus interim exarserant, ampliata Emphyteutica concessio fuit cum eodem canonis onere ad alia quatuor proxima Castra sub obscuro nomine *Melezolis*, *S. Restitutæ*, *Murrium*, *et Morutiarum*. Ab eo itaque tempore quinque eorum Pagorum cives, et incolæ, depactam solventes quolibet anno pensionem, quam vocant = *riparto della dativa de'Monti* =, perfrui cæperunt singulis juribns ab Emphytheusi conjunctim manantibus, quæ inter tria præcipua recensentur, *lignandi* nempe, *pascendi*, *et venandi*. Hoc vero peculiare est quosd jus venationes, quæ adversus turdos, et palumbes copiose illic exercetur, ut quem locum sibi quisque ex Monticuli incolis, a nemine antea occupatnm, ad venandum destinaverit, ibique casas, tabulatum, scalas, cellulasque construxerit, hunc proprinm sui faciat, ex quo non possit nisi per injuriam exturbari.

Pene in umbilico horum montium culmen adest venationi palumbarum præ cæteris aptum, quod apud incolas antiquitus audiebat = *la Femmina morta* =, et modo ex diuturna possessione, atque usu Nobilis Familiæ de Laurentis nuncupatur = *il posto dei Signori Laurenti* =. Cum enim in Territorio Monticuli prædia plurima, domumque possideret Johannes Franciscus Laurenti, ac non solum inter civium ejusdem Castri numerum cooptaretur, sed Municipalia munia etiam obiret; ideo canonis quotam = *della dativa dei monti* = in annos singulos persolvit, ut juribus omnibus lignandi, pascendi, et præsertim venandi, sicuti cæteri cives, uti posset. Erat autem is venationis amantissimus, ac sibi locum, et positionem, ad quam nemo antea accesserat, in eo culmine montium, quadraginta circiter ab hinc annis elegit, ibique exercuit aucupium, donec vixit. Mortuo dein Johanne Francisco, successit ei Filius, cui nomen Aloysius, qui æque venandi cupidus, quæsiti Familiæ juris diuturnitatem adeo curavit, ut peculiarem quoque veniam a directa Domina Corsiniorum Familia, ad magis suam possessionem fovendam, retulerit, ac conatus, implorata Judicis auctoritate, rejecerit cujusdam Oppidani, qui tabulatum pro nova venatione prope eum locum construere valebat.

In pacifica hinc juris venandi possessione, atque usu manebat Aloysius, et palumbarum venationem, sub Januario Mense anni 1816 parabat, quo tempore nonnulli illius Castri cives, quos inter Johannes Baptista Dominici, Petrus Pacifici, ac Joseph Scaramini, uti illegitimam Laurentii possessionem objurgantes, ac propriam ipsorum asserentes, armata manu, atque impetu facto locum occuparunt. Ad incitas redactus Aloysius, jura sua experiundi consilium cæpit, judiciumque revera instruxit apud Eminentissimum Camerarium, ac manutentionem in privativo jure venandi in eo situ = *la Femmina morta* = postulavit, inhibitione cæteroquin occupantibus indicta,

ne interea ibi venarentur. Ita in possessorio judicio acta controversia super privativo jure venandi, licet adversam sortem expertus fuerit Aloysius coram Eminentissimo Camerario, circumductis tamen actibus ex jurisdictionis defectu, atque ex Decreto Pontificii Auditoris integra rei cognitione ad Sacrum Nostrum Tribunal delata, binæ in disquisitionem venerunt Dubiorum formulæ. In prima quidem, quæ ad manutentionem spectabat, cum proponeretur = *An, et cui sit danda manutentio in casu etc.* =, quæstionem omnem sustulit Sacer Ordo Responso = *Affirmative, et Manutentionem dandam esse Aloysio.*

Quoad alteram vero, quæ attentata respiciebat ab occupantibus patrata, venationem exercendo, dum inbibitio pendebat, cum quæsitum a Patribus fuerit = *An constet de Attentatis, et quomodo sint purganda in casu etc.* =, responderunt Ipsi = *Affirmative per viam nullitatis* =, veluti binæ demonstrant Sacri Nostri Ordinis Decisiones in Comitiis editæ diei 23 Junii 1817 coram nunc Eminentissimo Cesarei, quæ deinceps confirmatæ fuerunt in aliis Comitiis diei 15 Maii insequentis anni coram R. P. D. meo Marco. Absoluto demum manutentionis judicio per renunciationem liti ab occupantibus omissam, servatum aliquantulum silentium est, usque dum iterum excitati Monticulenses Oppidani, ac eorum aliqui, illius Municipii asserta jura rursus proferentes, diem Laurentio in actione petitoria dixerunt coram Perusino Tribunali, ubi = *tanto nella rispettiva qualità di Consiglieri di detta Comune, quanto in nome proprio, e particolare per via di azione popolare* = declarari petierunt = *non competere al citato alcun diritto, ed azione su i beni situati nel Territorio di Todi presso Montecchio, e segnatamente, non aver diritto alcuno sul pascolo, sul taglio della legna, e sull'esercizio della Caccia* =. Inimica Sententia repulsi, provocarunt ad Sacrum Ordinem Nostrum, ac commissa mihi Causa, cum disputandam exhibuissem Dubii formulam hisce ver bis conceptam = *An, et cujus favore constet de jure lignandi, venandi, et pascendi in montibus Emphyteuticis Montecchi, communibus cum Castris S. Restitutae, Melezzolae, Morrae, et Morrutiarum, nec non exclusive venandi in situ nuncupato = la Femmina morta = in casu etc.* =, incunctanter Responsum retuli = *Affirmative in omnibus favore Aloysii* =.

Quidquid sit, an liceat hodiernis Op- 1
pidanis sine peculiari Procuræ mandato litem adversus Laurentum agere nomine singulorum Municipum, vel, tamquam de re, quæ ad singulos spectat, et singulis in Emphytheusim concessæ fuit[1], quilibet ex populo possit, inscia prorsus, et inconsulta Communitate, propria jura defendere actione quadam populari, de qua disserunt *Cohell. ad Bull. Bo. Regim. cap.* 26 *num.* 19; *et Rota in Nuperr. tom.* 7 *decis.* 319 *num.* 5 *coram Molines decis.* 871 *num.* 33, *et in Romana* 14 *Januarii* 1784 § 6 *coram Origo*, illud primo loco expendendum occurrebat, non posse Decuriones, Municipiorum impensis, et nomine lites instituere, nisi bona cum venia Sacræ Congregationis, quæ negociis Municipiorum præposita est. Cum enim sæpissime non ad publicam quærendam utilitatem, atque ad protuenda singulorum jura, sed ob privatas tantum causas, ot plerumque etiam ob odii, et inimicitiarum rationem, iniustæ agantur, et calumniosæ controversiæ, Municipiorum sumptibus; ex hoc recte factum est, ut nequeant Decuriones, et Consiliarii judicia adversus quemlibet instruere, nisi obtenta prius venia, et auctoritate Sacræ Congregationis, ut pluries Sacra ipsa Congregatio decrevit, queinadmodum videre est penes *De Vecchi de Bo. Reg. Tom.* 2. *pag.* 79. Adeo vero necessaria hæc venia est, ut quandoquo soleat, si minus ei probetur lis instituenda, Sacra Congregatio prohibere, ne agatur Communitatis impensis, sed ipsi sumptibus occurrant controversiæ fautores, veluti idem monet *De Vecchi in Decis. ad Mater. Bo. Regim. Decis.* 170 *num.* 10.

2 Etsi autem Sacræ Congregationis facultas, quæ omnino desideratur, in themate adfuisset, non ideo aliquid proficerent in hoc judicio Monticulenses. Retinendum namque est, non posse hodie dubitari de possessione Laurentii in jure pascendi, lignandi, et precipue venandi in eo loco, qui supereminet montibus, et audit = *la Femmina morta* =. Nec pariter revocari in discrimen valent actus li omnes, qui Laurentii possessionem constituunt, cum probati fuerint a duabus Sacri Nostri Ordinis Decisionibus, quæ in lucem prodierunt, dum de his juribus disceptabatur in possessorio judicio, nec novo subsunt examini. Quidquid igitur in ipsis Decisionibus statuitur, pro lege habendum est, a qua desciscere non licet. *Rota in Rec. Decis.* 487 *n.* 5 *part.* 18 *tom.* 2, *in Auximiana Immissianis super Date* 10 *Junii* 1746 § *Tametsi caram Malino*, *in Carnetana Reintegrationis super exequutiane Rei judicatae* 12 *Junii* 1751 § 7 *coram Migazzi*, *et in Ramana Datis super credita* 23 *Aprilis* 1784 § *fin. coram Resta*. Eoque magis obstant Actoribus editæ Decisiones, quod perfectissimæ Rei judicatæ vires eæ naetæ sunt, semel ac accepto illas habentes, nuncium institutæ liti miserunt Monticulenses, adeo ut insurgere contra proprium factum, propriamque confessionem modo non possint ad *Text. in Leg. Pomponius scribit ff de negoc. gest. Rata in Rec. Decis.* 048 *num.* 7, *part.* 16; *Decis.* 253 *num.* 20, *part.* 18, *Decis.* 680 *num.* 23 *caram Caprara*, *in Toletana Cappellaniae* 27 *Junii* 1765 § 4 *coram Elephantutia*.

3 Firma ideo manente Laurenti possessione, partes erant Actorum indubiis, ac urgentibus probationibus evincere, nullo prorsus titulo eum pollere, ex quo Jura lignandi, pascendi, et venandi rite, ac legittime in Montibus Emphytheuticis exerceat, veluti cæteri cives Monticuli, et quatuor aliorum circumjacentium Oppidorum. Nam si in probationibus suis vel leviter quidem deficiant, ab intentata actione cadant oportet, ac servanda omnino est Laurentii manutentio, cui satis est vincere per non jus Actorum ad *Text. in* § *Retinendae Instit. de Interdict.*, *Rota in Ramana, seu Partuen. Tenutarum* 20 *Januarii* 1723 § *Meliora coram Crispoldo, in Alatrina Molendini* 26 *Navembris* 1756 § 2 *coram Stadion*. Repelli itaque ab Judicio possent Actores unica exceptione et juris adagio = *Quaad te, liberam rem possideo* = Neque enim nocet, quod quæstio de possessione non sit, sed de titulo, ac bono jure, potius agatur Notissimum quippe est Imperatoris monitum *in Leg.* 1 *Cod. de rei vindicat.*, *ubi* = *res alienas possidens*, *licet justam tenendi causam nullam habeat, nannisi suam intentianem implenti restituere cogitur* =; veluti etiam docuit Sacrum Nostrum Tribunal in *Tusculana super bana jure* 3 *Julii* 1801 § 3, *et* 4 *coram Eminentissima Bardaxi*.

Sedulo tamen rimatis Empbytenticis tabulis, illud certo patebat, nullam factam fuisse a Concedente distinctionem et differentiam inter cives *originis*, et cives *allectos*, ac Utriusque fuisse jus tributum lignandi, pascendi, et venandi. Non aliter namque censetur, cives *allectos* frui non posse privilegiis, quæ civibus *ariginis* concessa sunt, quam si expressa mentio de civibus *originis* in concessione fiat. *Barbosa in Leg. Hæres absens* § *Prainde de faro ratione originis num.* 58 *ff de Judic.*, *Rota caram Ansaldo Decis.* 366 *num.* 28. Atqui nullum verbum, nec ulla vocula in Emphyteutica concessione a Sabellis facta Monticulensibus occurrit, ex qua contemplati tantum cives *ariginis* dici valeant, et *allecti* omnino posthabiti. Verbis imo generalibus celebrata fuit Emphyteusis, et concessa jura fuerunt lignandi, pascendi, et venandi = *Universitati*, *atque hominibus Castri Monticuli Comitatus Tuderti* =, sub qua formula dicendi veniunt tam cives *arigniarii*, quam cives allecti, iique simul vocati ad civica jura fruenda reputari debent: Quin imo ex hoc ipso, quod ad jorgia, et litigia tollenda, quæ excitaverant finitimorum Pagorum cives, Emphyteutica concessio a Sacra 4

Congregatione Boni Regiminis ampliata fuit ad conterminas Regiones *Melezolis, Murrium, S. Restitutae, et Horutiarum*, quarum cives, etsi originarii non sint Castri Monticuli, iisdem juribus gaudent pascendi, lignandi, et venandi, manifeste apparebat, non solis Civibus *originariis* Monticuli, sed domiciliariis etiam eadem jura fuisse tributa.

5 Nec erant in contrarium exemplum adducenda Sacri Nostri Ordinis oracula *in dec.* 328 *cor. Rezzonico*, ac in alia *dec.* 982 *cor. Molines*, in quibus potiores babiti fuerunt cives uriginis, quam cives allectionis, et domicilii. De iis siquidem dispositionibus agebatur, in quibus, nedum una tantum persona dispositionis compendium acquirere debebat, quo in casu originarius proferendus videtur *allecto, et domiciliario*, sed ex ipsa etiam disponentium voluntate constabat originarium civem, non domiciliarium fuisse vocatum, cum verba *directe* ad originarium civem spectaverint. Aliud sane est, quando alicujus Loci cives in *genere* nominantur, ac quando civium dictioni peculiaris aliqua additur vocula, quæ indiget cives unico originarios fuisse contemplatos. Uti autem Emphyteutica concessio in *genere* tributa fuit Universitati, atque Hominibus Castri Monticuli, hæc utique verba tam cives originarios, quam domiciliarios amplectuntur. Nam si sub nomine *Civium* tam cives originis, quam cives domicilii continentur ad tradita per *Lotter. de re benefic. Lib.* 1., *Rot. dec.* 548. *n.* 4. *cor. Coccino, et dec.* 13 n. 5 *cor. Cerro*, multo magis sub nomine *Universitatis*, atque *hominum*, quæ dictiones latius patent, quam vocula *civium*, venire necessario debent cives originis, et domicili, cum nulla præsertim occurrat peculiaris mentio, quæ originem denotet.

6 Licet vero Familia De Laurentis *originariam* civilitatem ab Oppido Monticuli non duxerit, pollet nihilominus civilitate *domiciliaria* Monticuli. Cum enim acquiratur status civitatis *jure* naturali, *primo ex nativitate, si quis nimirum a patre cive ex justis nuptiis nascitur, secundo pacto, quando quis in Civitatem, ejusque jura recipitur, qui actus vulgo naturali satio vocari solet*, ut inquit *Henricus Coccejus Disert. præmial.* 12 *ad Grotium de jure Personarum Lib.* 3 *cap.* 5 *de Stat. Civitat.* § 201. in jure propterea non repugnat, quod aliquis duplici civilitate donetur una *originaria* altera *adscititia*, ac ex incolatu quæsita ad *Text. in Leg. Assumptio, Leg. Labeo, et Leg. Ejus ff. ad Municipalem Card. De Luca de Renunciat. dis.* 18 n. 8. *Ferrar. Bibliothec. verb. Civilitas n.* 52., *Rot. in Rec. dec.* 137 *n.* 12 *part.* 5 *cor. Olivatio dec.* 322 *n.* 27 *et dec.* 74 *n.* 13 *cor. Herzan.* Sunt etiam plures casus, in quibus aliquis non duplici tantum, sed quadruplici civilitate potitur, veluti si in una civitate sortitus fuerit allectionem, et privilegium, in altera domicilium, in tertia nativitatem, in postrema demum originem, ut docent *Alciat. Respons.* 12 n. 7 *Lib.* 4 *Menoch. consil.* 329 n. 38 *Card. De Luca de Præminen. disc.* 37 n. 5., *Rot. cor. Durano dec.* 31 *n.* 2 *in Rec. dec.* 459 *n.* 17 *part.* 19 *et dec.* 366 *n.* 54 *cor. Ansaldo.* Quapropter, si Familia De Laurentis civilitate allectionis, et domicilii gaudet in Oppido Monticuli, gaudere etiam debet iis juribus, quibus gaudent Monticulenses cives originarii. Ut vero cives domiciliarii, et allecti melioris conditionis esse non debeant, quam cives originis ceu inquiunt *Cyriac. controv. forens* 21 *n.* 84; *Panimoll. dec. Eccles.* 151 *n.* 28. *tom.* 3., *Paitell. dec. Urbin. in adnot. ad dec.* 96 *n.* 2.; hoc tamen compertissimum apud omnes est, cives *domiciliarios, et allectos* vere Cives haberi, veluti ac si cives essent originis, iisdemque frui privilegiis, et honoribus, quibus fruuntur, et quorum participes sunt cives originarii ad *Text. in Leg. Cives Cod. de incolis de Marinis resolut. jur. Lib.* I *cap.* 336 *n.* 6 *Constantini Vot.* 17 *n.* 3 *Rot. in Rec. dec.* 107 *n.* 11 *cor. Olivatio, dec.* 627 *n.* 5.; *et dec.* 558 *n.* 4 *cor. Riminaldo.*

7 De Civilitate domiciliaria, et allectitia in Familia de Laurentis dubitari neutiquam poterat. Constabat enim per Testes domum apertam in Castro Mon-

ticuli retinere eam Familiam de Laurentis, ibique etiam ejusdem Familiæ Majores publica, et municipalia munera obtinuisse, prædiaque possedisse, ac in præsens ipsum Aloysium prædia possidere, ac vectigalia pro iis, ac pro pecore pendere, quod in montibus Emphyteuticis pabulatur. Ubi qui vero retineat in aliqno loco domicilium, ibique bona possideat, et publica tributa persolvat ex communi omnium Doctorum, et Tribunalium opinione pro cive illius loci habetur, et civibus originariis æquiparatur, veluti si natus in ea Civitate fuisset. *Gratian. Discept. forens.* 623 *n.* 26 *Raitell. decis. Caus. Civil. annot.* 97 *n.* 28 *Giurb. observat.* 75 *et* 76., *Card. De Luca de Praeminent. disc.* 37 *n.* 3 *Rot. dec.* 1113 *n.* 7 *et* 8 *cor. Lancetta, dec.* 332 *n.* 4 *cor. Royas, et dec.* 366 *n.* 17 *cor. Ansaldo.* Quod si, præter hæc omnia, Emphyteuticum canonem domino directo cum cæteris Monticuli Civibus persolvit Aloysius, multo fortius potiri iis privilegiis debet, quæ correspectiva sunt canonum solutioni. Quandoquidem nihil refert, vel quod ipse in Municipalibus Codicibus adscriptus inter Consiliarios non reperiatur, vel quod alibi domicilium habeat, vel quod denique in Emphyteutarum tabellis, quæ quolibet anno de solutis canonibus exarantur, recensitus non appareat. Non sola quippe adscriptio inter Consiliarios quem civem constituit, qui aliunde civilitatem suam probat; itidemque demonstrat Majores suos municipalibus muneribus functos in ea Civitate fuisse, in qua se civem esse contendit.

8 Spernenda vero videbantur Comitia habita = *dalla Comune de' Baschi* =, quæ Aloysium interdixerant jure lignandi, pascendi, et venandi in Montibus Emphyteuticis. Præter enim quod servata a Decurionibus ea solemnia non fuerunt, quæ in Comitiis habendis jugiter servanda sunt, destituti præterea ii erant, qui Comitiis interfuerunt, auctoritate decidendi de istorum jurium competentia. Cæterum favebant potius, quam adversabantur Aloysio ostentata illius Municipii Comitia, semel ac Apostolica Perusiæ Delegatio, reprobans eorum Decurionum factum expresse declaravit = *irrita, e nulla la indicata risoluzione Consiliare di Baschi, e quindi di niuno effetto* =. Et reapse, si conabantur ii Decuriones Aloysium amovere a Civis juribus fruendis, hoc ipso ostendebant, gavisum cum antea iisdem juribus fuisse, cum juxta Philosophicum, non minus quam juridicum adagium privatio habitum præsupponat ad *Text, in Leg. Legatum* 21 *ff. de adim, vel auf. Legat. Leg. Decem stipulatus* 106 *ff. de verb. obligat. Rot. in Rec. dec.* 607 *n.* 20 *part.* 19 *et dec.* 441 *n.* 1 *cor. Ansaldo.* Æque explorata res erat quoad domicilii exceptionem, quod Aloysium retinere in proximo *Thenaliæ* Oppido pariter objicitur. Purro si ipse alibi moratur, quam in Castro Monticuli, ibi tamen habet domum apertam, ad quam sæpius inter annum accedit, aut rusticationis gratia, aut negociorum causa, quia in ejusdem præcipue Castri Territorio prædia possidet.

Ad Canones demum quod spectat, 9
perperam Montinculenses excipiebant, solutos ab Aloysio non fuisse, cum nunquam in Tabellis occurrat inter cæteros Emphyteutas ejusdem Aloysii nomen. Nullam namque fidem vindicare sibi poterant allatæ Emphyteutarum tabellæ, quæ abrasæ, corruptæ, et mendis pluribus refertæ dignoscebantur a Testibus, qui cæteroquin deponebant, tum Aloysium, tum ejus Majores canonis quotam diu, semperque numerasse. Non levis ergo aderat suspicio, qua ipsi Monticulenses attulerint tabellas clanculum, et ad opportunitatem frabrefacta, ut iis juribus Familiam de Laurentis fraudarent, quæ communia ci sunt cum aliis Monticuli Civibus originariis: Et pronius hæc jura civica tribuenda esse tam civibus, quam incolis existimari debet, quia pascuorum usus, inspecta etiam Romanorum jurisprudentia, communis, est omnium Civium, et Incolarum *Leg. omnes* 12 *Cod. de oper. pub. Leg. Omnes Territorium* 4 *Cod. de Cens. Avendam de execut. mandat. cap.* 40. *n.* 20. *Antonell. de loc. legal. Lib.* 2 *cap.* 27 *num.* 1 *Rot. cor.*

Olivatio decis. 626 *n.* 7 *in Balneoregien. Juris pascendi super bono jure* 25 *Jan.* 1752 § 3 *cor. Bussio, et in alia Balneoregien. Juris pascendi* 26 *Martii* 1756 § 5 *cor. Elephantutio.* Sed quamlibet dubietatem, quæ nulla alioquin esse poterat in re clarissima, removebat jugis, et constans observantia, et acquiescientia Monticulensium, qui a quadraginta annorum fuga ultro libenterque siverant, ut Familia De Laurentis juribns frueretur lignandi, pascendi, ct venandi in Montibus Emphitheusi subjectis.

10 Quantum sane ex hac observantia recte inferri potest comprehensos in Emphyteutica concessione tam cives originis, quam cives allectionis, et domicilii fuisse, tantum ea impedimento erat, quominus a jurium possessione exturbaretur Familia de Laurentis. Si sola etenim decennalis mansio titulum, actionemque suppeditat ad acquirendam in aliquo lococivilitatem *ad Text. in Leg. in Urbe Romae ff. de Stat. homin. Leg.* 2 *Cod. de Incol. Andreol. controv.* 339 n. 37 *Ansald. de Commerc., et Mercat. disc.* 10 *Rot. in dec.* 182 *n.* 7 *part.* 15 *et dec.* 366 *n.* 14 *cor. Ansaldo,* majori certe jure pollere eadem civilitate is debet, qui a quadraginta annis civis privilegiis fruitur, nec ullum unquam boc toto tempore passus fuit in privilegiis fruendis aliorum civium obstaculum. Hæc ipsa ideo quadragenaria possessio opitulatur Familiæ De Laurentis, ut sese magis in venatione confoveat, quam in culmine montium exercet, quod vulgus appellat = *la Femmina morta* = Nam ex inveterata consuetudine receptum est inter Monticulenses, ut quem quisquis ex ejus Pagi Civibus situm sibi, locumque ad venationem paraverit a nemine antea occupatum = *non possa essere occupato da niun'altro, ancorchè sia delle rispettive Comunità, se non gli venga ceduto, o venduto, oppure se questo venisse del tutto abbandonato, o che sia stato acquistato per Contratto.*

11 Et revera adeo sui propriam fecit Familia de Laurentis eam positionem, ut non solum, qui locus antea nuncupabatur = *la femmina morta* =, dein vocari ex possessione ipsa, ac venandi usu cæpit = *il posto dei Signori Laurenti* =; verum etiam idem Aloysius, Prætore vindice, quemdam Oppidanum Scaraminium, hujusce litis consortem, repulerit, qui prope eum locum tabulatum construxerat ad venationem exercendam. Nec retorqueri in Aloysii detrimentum poterat, quod Literas Patentales, seu venandi veniam, post multos annos ab occupatione loci, obtinuerit a Corsinis. Cum enim ipse non precario, sed jure proprio jus venationis exerceat in Montibus Emphyteuticis, nil idcirco ei obfuit, quod ad jus suum magis, magisque confirmandum Viri Principis Corsinii placitum, et auctoritatem possessioni suæ addere quoque voluerit, veluti arguit prima Decisio *Tudertina juris venand: super manutentione* 23 *Junii* 1817 § 10 *cor. Emo Cesarei.* Explorati hinc juris est; actus ad cauthelam, ut inquiunt, gestos nocere nemini posse. *Rota in Rec. dec.* 205 n. 5 *dec.* 110 n. 14 *part.* 10 *cor. Emerix dec.* 1139 n. 11 *dec.* 475 n. 28 *cor. Crispo et dec.* 193 n. 4 *cor. Rezzonico.* His ergo positis, de bono jure Familiæ De Laurentis lignandi, pascendi, et venandi in montibus Emphyteuticis, quod Patres merito probarunt, ambigendum certe non erat.

Et ita etc. Utraque etc.

URBEVETANA EMPHYTEUSIS

SUPER APERITIONE ORIS

Lunae 1 *Decembris* 1823.

ARGUMENTUM

Aperitio oris adversus Rescriptum Principis, tunc admittiturr, quum vel iaedat jura tertii quaesita, vel falsis precibus innitatur. Et preces putantur semper subreptionia, et obreptionis vitio laborare, quoties in iis vel vera reticita sint, vel falsa fuerint exposita. Jus quaesitum nunquam censetur per Rescriptum Imperantis sublatum, nisi derogatum expresse fuerit Regulae XVIII Cancellariae.

SUMMARIUM

1. Oris aperitio est admittenda, quoties Rescriptum Principis vel laedat jura quaesita, vel falsis precibus innitatur.

2. Subreptitiae, et obreptitiae preces habentur in quibus vel vera reticita, vel falsa fuerint exposita.

Donatio stipulata sub conditione, si filii suscepti forent, statim ac donator improlis decessit, bona donata ad donantem redeunt - ibidem. -

3. Paternum arbitrium non nocet filiis venientibus jure proprio.

4. Donationes in pias causas collatae, revocantur ubi agitur de favore filiorum erga liberos.

Consensus falsas causae innixus, actum vitiat - ibidem. -

5. Juris error tunc nocet errantibus, cum agitur de lucro captando, non vero de damno vitando.

6. Quaevis substitutio, aut sub fideicommissi, aut sub legati nomine ordinata, a Pontificia lege abrogata fuit.

7. Obreptionis vitium praesumitur, si Principi non fuerit exhibitum integrum exemplar testamenti.

8. Unusquisque est suae rei moderator, et arbiter.

9. Ut censeatur jus quaesitum sublatum per Rescriptum Principis, necesse est ut expresse derogetur Regulae XVIII *Cancellariae.*

10. Non potest praesumi, quod Princeps valuerit imperare transactionem, nisi ageretur de re dubia.

Error juris praesumi nequit in Suprema Imperante, sed potius error facti - ibidem. -

DECISIO CLII.

Quod definitum fuit in Comitiis diei *vigesimæ primæ* Mensis Februarii hujusce anni, concedendam nimirum esse Juliæ Missini, sive ejus matri tutrici, et Curatrici Annæ De Solis, aperitionem oris adversus Pontificium Rescriptum Emphiteutici contractus, super quibusdam bonis ab hæreditate Advocati Josephi Aurelii Missini provenientibus, stipulationem demandans, ut prima narrat Causæ Decisio a R. P. D. Bussio ad dictam diem evulgata; idipsum hodie, Causa iterum proposita Patres Domini merito confirmarunt. Cum enim ego, laudato R. P. D. Bussio, priori Causæ Ponenti, suffectus, assuetam exhibuerim resolvendam Dubii formulam = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* Rmo Episcopo Urbevetano, et S. Leonardi Parocho vadimonium deserentibus, ab Universa Aula Responsum = *In Decisis* = incunctanter accepi.

Non aliter profecto, salva justitia, 1
responderi poterat, etiamsi Rei Conventi iterum jura sua deduxissent. Quamvis namque venerari unusquisque debeat Pontificia Rescripta, eaque pretinus exequutioni mandare; si tamen jus alteri quæsitum lædant, falsisque precibus innitantur, admittenda utique est adversus ea oris aperitio, quia præsumendum non est, Summum Pontificem justitiæ, et æquitatis cultorem, et vindicem, si rei veritatem novisset, Rescripto suo nocere cuiquam voluisse. *Cap. Super literis de Rescriptis leg.* 7 *Cod. de precibus, Jov. de contract. minor. gloss.* 16 § 7 *num.* 99, *Marchesan. de commiss: aperit. oris part.* 2 § *unic. num.* 2 *Rot. coram Ansaldo decis.* 578 *num.* 23, *in Romana Aperitionis Oris* 2 *Decembris* 1776 § 3 *coram Origo, et in alia Romana Aperitionis Oris quoad decretum* 30 *Maii* 1804 *diei* 21 *Lunæ hujus anni* § 4 *coram me.* At vero ad trutinam revocato Rescripto S. M. Pii VII, quo jussit, ut Emphiteuticæ bonorum fideicommisso subiectorum tabulæ ex officio celebrarentur ab Antistite Viterbiensi, amplissimo S. R. E. Cardinali, plusquam fando exprimi possit, apertissime patet, gravi subreptionis, obreptionisque vitio Rescriptum ipsum infici, et summam injustitiam continere.

Ut autem ab obreptionis, et subre- 2
ptionis vitiis exordias, si ex coæva Decisione *super Emphyteusi* demonstratum est verum agnatitium, ac masculinum fideicommissum ab Advocato Missinio institutum fuisse, et bona prætera vinculo restitutionis obnoxia ex Pontificia lege Motus Proprii anni 1816 libera evasisse in Severino, qui rite, ac legitime potuit de iis disponere, et ad hæredes transmittere, nulla penitus ratione a labe subreptionis, et obreptionis excusari valent preces a Piarum Causarum Moderatoribus exhibitæ, in quibus nimia confidentia proposuerunt = *che il caso attuale non sia colpito dalle*

disposizioni del Moto Proprio dei 6 *Luglio* 1816 *rapporto ai fidecommissi, perchè si tratta piuttosto di un Legato di suffragi, e limosine* = Subreptitiæ enim, et obreptitiæ preces semper habentur, in quibus vel vera reticita, vel falsa fuerint exposita, veluti probat Decisio, quæ confirmatur § 3. Sed alia prætcrea accedunt obreptionis, subreptionisque capita. Alienum namque a vero est, quod expositum legitur in precibus, fideicommissaria bona libere ad Franciscum pertinuisse, et satisfuisse consensum, quem ipse Franciscus, ejusque uxor præstiterant ut directum bonorum dominium in Pias Causas legitime transiret. Quo tempore sane in lucem venit Motus Proprius anni 1816, ex quo soluta fideicommissorum vincula fuerunt, simplici potiebatur usufructu, et precariam tantum bonorum possessionem retinebat Franciscus, quæ toties corruebat, quoties idem Franciscus decessisset improlis. Sub ea siquidem expressa conditione donationem erga germanum fratrem Severinius exaravit, dummodo scilicet ille filios ab uxore sua suscepisset. Semel ac autem mortem obiit Franciscus, nullis adnatis filiis, donatorum bonorum dominium ad donantem protinus rediit, ut fuerat pacto conventum.

3 Duo itaque sunt, quæ falsum in precibus narratum fuisse demonstrat. Primum est quod donatio illa, quam Severinus in Franciscum contulerat, nullum afferre poterat descendentibus masculis detrimentum, qui forte oriri a Severino potuissent, quique, non ex patris persona, sed jure proprio vocati fuerant ad fideicommissi compendium. Explorati porro juris est, filiis jure proprio, ac ex propria persona venientibus nocere non posse paternum arbitrium. *Rot. in Romana seu Reatina Cambiorum super cauthela Angeli* 10 *Maii* 1743 § 4 *coram Peralta*, *in Romana Spolii, seu Reintegrationis* 3 *Junii* 1746 § 3 *cor. Lana, et in Melevitana Primogeniturœ* 6 *Decembris* 1776 § *ult. cor. Herzan.* Alterum est, quod ipsa donatio, cum nullam in *affirmativo*, ut inquiunt, sensu renunciationem contineret dispositioni *leg. si unquam Cod. de revocan· donationibus*, irrita mansit, et invalida, statimac Severino adnata fuit filio ex conjugio inito cum Illustri fœmina Anna De Solis. Naturalis quippe pietas, quo majores, erga suos ducuntur, nullo modo sinit, ut admittatur, donantem rem, et substantiam suam conferre in alios voluisse, si liberos, forte ei superventuros, mente agitasset, dum donationem exarobat, prout argumento *Text. in leg. Cum acutissimi Cod. de Fideicommissis* docent *Connan. in Comment. Jur. lib.* 5 *tit.* 10 *nomer.* 3. *Faber lib.* 7 *conjectur. cap.* 14, *Rot. coram Crispo decis.* 32 *num.* 1 *in Verulana Donationis* 29 *Junii* 1747 § 2 *coram Clemente, et in Reatina Divisionis* 9 *Maii hujus anni* § 13 *coram Me.*

4 Adeo vero filiorum favor, et parentum erga liberos dilectio in pretio semper apud omnes fuit, ut revocatæ passim reperiantur ipsæ donationes in Pias Causas collatæ, quia Pia Causa loco extranei, concurrentibus filiis, habetur, *Fusar. de substit. quæst.* 393 *num.* 6 *Mantic. de conjectur. ult. volunt. lib.* 4 *tit.* 12 *num.* 2 *Rot. decis.* 92 *num.* 5 *ad* 15 *cor. Herzan.* Non ergo dicendum erat in precibus ad Franciscum, ac post Francisci obitum ad ejus uxorem controversorum bonorum dominium spectare; sed palam imo fateri oportebat, elato sine filiis Francisco, ad Severinum bono ipsa remeasse. Multo minus asserere poterant Piarum Causarum Moderatores, assentitum vere fuisse Franciscum Emphiteuticæ stipulationi. Dum enim consensum suum anno 1809 præbuit Franciscus, non immerito putabat, sicuti reapse tunc ita se res habeat, integra mansura fore fideicommissa, ideoque quamprimum, desideratis filiis masculis tam a Francisci, quam a Severini conjugio, bona fideicommisso Advocati Missinii subjecta ad Pias Causas ex testatoris volantate fore perventura. At ubi anno 1818 intellexit Franciscus demandatam a Gallicis Legibus Fideicommissorum abrogationem ex Pontificis Sanctionibus probatam fuisse, et libera propterea evasisse bona fideicommissaria in Severino,

adeo alienum se ostendit ab Emphiteutica stipulatione probanda, ut statim cum Severino ipso fœdus inierit, et una cum eo Sacratissimum Principem exoraverit quo facilius eadem bona, veluti, ex jure erat, ad Juliam unicam Severini filiam redirent. Non est ergo efferendus Francisci consensus, qui falsæ causæ innixus comperitur, cum falsa causa actum vitiet, nullumque eum reddat, perinde ac si gestus minime fuisset. *Leg.* 1 § *Hæc verba ff. Ne vis faciat ei*, *et leg. si ex falsis Cod. de Transact. Cyriac. controv. jur.* 257 n. 21 *cor. Molines dec.* 499 *n.* 9, *et dec.* 116 *num.* 15 *cor. Olivatio.*

5 Nec vitio tam Severini, quam Francisci vertendum est quod ipsi, Piarum Causarum jus ad successionem quodammodo probantes, antequam has preces S. M. Pontificis Pii VII. exhibuissent, supplici alio libello eumdem Pontificem obtestati fuerint, ut auctoritate sua Advocati Missini Testamento derogaret in ea parte, qua Piarum Causarum substitutionem continebant. Hujusmodi siquidem opinio ex juris errore processit, quo iidem germani fratres versabantur, sub generali nempe fideicommissorum deletione ea fideicommissa non contineri, in quibus Piæ Causæ substitutæ fuissent. Quamvis autem in jure civili cautum sit, neminem excusare, præter minores, ac fœminas, juris ignorantiam *ex leg.* 12 *Cod. de juris, et fact. ignorantia*, adhuc tamen juris error, de quo revera in themate quæstio est, tunc demum nocet errantibus, cum agitur de lucro captando, non si de damno vitando res sit ex celebri *Papiniani Doctrina in Leg.* 7 *et leg.* 8 *ff. de jur.*, *et fact. ignorant.* quas late enucleat *Cujac. in Comment. ad lib.* 19 *quæst. Paninian. in aict. leg.* 7 *tom.* 4 *pag.* 503 *Litt. D edit. Neapol, Cyriac. controv. forens.* 225 *num.* 20 *et* 21 *Naguerol.*, *allegat. jur.* 2 *num.* 96, *et Sacer Ordo in Romana Assecurationis super primo dubio* 21 *Februarii hujus anni* § 10 *coram me.* Cæterum parvi pendendum videtur, quidquid in precibus, quæ nullum cæteroquin sortitæ fuerunt effectum, narrandum curaverint ipsi Franciscus, et Severinus, qui postea, errore detecto, preces renovarunt, ut fideicommissaria bona ad tramites Pontificiæ Legis libere possent ad Juliam transire.

Quamobrem falso dixerunt in precibus Piarum Causarum Moderatores, Emphiteuticæ stipulationi Franciscum vere consensisse. Sed in eo etiam preces ab eis exhibitæ peccarunt, quod narratum est, Advocati Missini dispositionem Pontificiæ Legi abrogationis fideicommissorum non subesse, quia bona ab eo relicta tam in institutos, quam in substitutos sub Legati nomine collata fuerant. Sive namque per legatum, sive per fideicommissum bona relicta fuerint a Testatore, hoc semper certum est, nonnisi per substitutionis medium pervenire ad Pias Causas ea potuisse, Atqui substitutio quævis, aut sub Fideicommissi, aut sub Legati nomine ordinata, a Pontificia Lege abrogata fuit. Ergo dispositio quoque Advocati Missinii Pontificiæ Legis censuræ subjicitur, quemadmodum probat altera hujusce diei *Decisio super* Emphiteusi § 8 et 9, At vero si scivisset Pontifex, sub novæ Legis censura contineri dispositionem Advocati Missinii, si non ignorasset bona ab eodem Missinio relicta, non in Francisco, sed in Severino tantum libera evasisse; si cognovisset erroneum fuisse, falsæque causæ innixum consensum a Francisco præstitum; non est certe credendum, Pontificem ipsum demandare voluisse, ut emphyteutica stipulatio ab Antistite Viterbiensi S. R. E. Cardinali, ex officio celebraretur. Quod si minus veræ istæ omnes assertiones Pontificem impulerunt ad indicendum Empbiteuticum contractum, non est amplius dubitandum, quin obreptitiæ, et subreptitiæ fuerint preces exhibitæ, et adversus Pontificium Rescriptum tribuenda sit oris apertio, veluti sapienter animadvertit prima hujusce Causæ = *Decisio coram R. P. D. Bussio* §. 4. 6

Neque regerendum est, circumventum ex minus veris assertionibus nullo modo dici posse Pontificem, qui perperspectam habuit Advocati Missinii 7

dispositionem, Legemque suam de abrogatione fideicommissorum ignorare non poterat. Hactenus enim nulla ratione evincere potuerunt Piarum Causarum Moderatores, innotuisse Pontifici Advocati Missinii testamentum, cujus exemplar, neque adnexum in precibus apparet, neque in iisdem precibus recitata illius verba fuerunt, in quibus hoc tantum expositum est, rem scilicet agi = *di un Legato di suffragi, e limosine* = Neque prodesset Piarum Causarum Moderatores urgere, testamenti exemplar exhibuisse Pontifici Franciscum, et Severinum, dum primo loco postularunt, ut idem Pontifex substitutioni erga Pias Causas factæ derogaret. Ea quippe occasione, in qua germani fratres non denegabant fideicommissi existentiam, et progressivitatem usque ad Pias Causas, non certe oportebat, ut Pontifex testamenti contestum expenderet, qui imo, nulla suscepta juris indagine, ab æquitate tantum inductus proposuit Emphyteuticam stipulationem ex qua tum Testatoris consanguineis; tum etiam Causis Piis consultum manebat *Gradirebbe Nostro Sig.* (sunt verba Pontificii Audit.) *di conciliare l' una, e l' altra cosa, e non conoscerebbe miglior maniera di conciliare, che quella di formare un' enfiteusi dei due predj controversi in favore dei Missini medesimi* = Evidens igitur est vitium obreptionis, et subreptionis in Rescripto Pontificis.

8 Sed huic vitio accedit etiam manifesta injustitia Rescripti, quod jus alteri quæsitum graviter læsit. Si namque Lex Pontificia, quæ fideicommissorum nexus abrogavit, libera fecit bona = *nell' attuale possessore* = hoc utique patet, liberum ipsorum bonorum dominum evasisse Severinum, qui legitime ad Juliam ea transmisit. Non erat ergo Julia sine ullo emolumento, sed imo cum maxima rerum suarum jactura cogenda ad agnoscendas in illorum bonorum Dominas, tum Episcopalem mensam, tum S. Leonardi Pareciam Urbisveteris, cum e converso res sua nemini serviat, et unusquisque sit rei suæ moderator, et arbiter, ut ait *Imp. in leg. In re mandata Cod. Mandati et Barbosa in Axiom.* 199. *num.* 1 Præterquam autem non solent Summi Pontifices juri alteri quæsito derogare, ut eam probat coeva hujusce diei *Decis. § ult.* non voluisse reapse S. M. Pontificem Pium VII. Juliæ juribus detrimentum inferre ex eo constat, quod notissimis derogationis clausulis, quamvis ageretur de rei alienæ dispositione, usus minime fuit, nec expresse derogavit *Regulæ XVIII Cancellariæ* de jure quæsito non tollendo, quamadmodum necessarium esse, ut censeatur jus quæsitum sublatum, optime docent *Fagnan. in Cap. Causam de Rescriptis num.* 35. *Rigant. in Reg. Cancell. num.* 3. *Rot. cor. Pamphil Dec.* 81 *n.* 12. *decis.* 1082. *n.* 6. *cor. Seraphino, et in Romana, seu Januen. Aperitionis Oris*, 15. *Maii* 1020 § 3. *cor. R. P. D. Bussio.*

Quin imo adeo abest jus Juliæ quæsitum præcipere Pontificem voluisse, ut Emphiteuticam stipulationem ex æquitate proposuerit, licet in primo supplici libello germani fratres Missinii fideicommissi existentiam, ac progressivitatem admiserint, et derogationem substitutionis erga Causas Pias imploraverint. Fieri ergo nullatenus potest, ut Pontifex qui fratrum Missini favorem, et utilitatem præ oculis habuerat, dum fideicommissariam bona ad Pias Causas perventura putabat, tantam eisdem Missiniis voluerit ex demandata Emphiteusis stipulatione cladem inferre, si illorum jus agnovisset, atque omnem actionem ad acquirenda ea bona ex novis Legibus Causas Pias amisisse non ignorasset. Inutilius hinc repeniretur in re dubia voluisse Pontificem transactionem et concordiam litigantibus injungere, Res enim vix dubia dici tunc tantum potuisset, si Franciscus liberos procreasset. At Franciscus nullis relictis filiis, jam mortem obierat, quo tempore prodiit Pontificium Rescriptum, de quo disputatur. Nulla ergo dubitatio, quin bona ad Severinum redire deberent. 9

Sic pariter per modum Transactionis demandatam minime fuisse stipulationem Emphiteuticam ex eo maxime constat, quod Pontifex indubium putavit 10

jus Causarum Piarum ad successionem, et quadam solum æquitate motus = *per una certa equita* = utile bonorum dominium Severini filiæ tribuere voluit. Transactio enim locum non habet, nisi in re dubia, cum de perspicuo certoque jure Transactiones fieri Leges nostræ non patiantur. *Leg.* 1. *ff. de Transact. Leg. Præses Cod. eod. tit. Valeron. de Transact. tit.* 2. *quæst.* 3. *num.* 1. *Urceol. eod. tract.* 2. *num.* 45. *Rot. cor. Falconerio tit. de Fideicommisso decis.* 75. *num.* 30. *cor. Ansaldo dec.* 110. *num.* 4. *et* 5. *et dec.* 309. *num* 8. *cor. Riminaldo.* Non itaque juris error, qui præsumi in Supremo Imperante nequit sed error facti, ex quo reputavit Pontifex Missinii dispositionem novæ abrogationis fideicommissorum Legi non subiicii, veluti in precibus exposuerunt Piarum Causarum Moderatores, in causa fuit, cur Pontifex ipse Rescriptum illud ederet tantæ injustitiæ nota, ac tam gravi obreptionis, subreptionisque vitio inquinatum, adversus quod concedendam omnino esse defuncti Severini filiæ, sive ejus Matri Tutrici, et Curatrici Annæ De Solis oris aperitionem Patres Domini denuo censuerunt.

Et ita, omnino confirmata priori Decisione, ab Universa Aula responsum est altera tantum etc.

URBEVETANA EMPHYTEUSIS

Lunae 1 *Decembris* 1823.

ARGUMENTUM

Non aliter Pontifex fideicommissa servavit, quam, si in rebus soli, nummos argenteos quindecim mille attigerint. Et etiam ubi agatur de Causa Pia, non praesumitur quod Pontifex voluerit laedere jura tertii quaesita, ac derogare regulae contentae in Noniesima Constitutione XVIII Cancellariae.

SUMMARIUM

1. Gallorum Leges, libera bona fideicommissaria declararunt - nell' Attuale possessore. -

Ex Motu Proprio diei 6. Julii 1816, non aliter servata fuerunt fideicommissa, quam si eorum aestimatio in rebus soli, ad nummos argenteos quindecim mille perveniat - ibid. -

2. Ubi Valor depromitur ex tabulis censualibus, aestimatio augetur triente.

3. Solum Fideicommissi nomen a Testatore adhibitum, idoneum est ad inducendum fideicommissum.

4. Non debet quaestio voluntatis admitti, ubi nulla in verbis ambiguitas est.

5. Substitutio vulgaris est, quando institutus non est haeres, vel quia noluit, vel quia non potuit.

Pupillaris substitutio adest, ei pater filium impuberem haeredem instituat, eique impuberi decedenti alium substituit - ibidem. -

6. Prohibitio alienationis, ac detractionis sive Falcidiae, sive Trebellianicae, probat progressivitatem Fideicommissi.

In interpretandis voluntatibus, non sunt verbuscula spectanda, sed ex toto contextu defuncti voluntatem oportet haurire - ibid. -

7. Si Testator utrumque verbum indistincte adhibuit, hujus verbi ea est vis, ut simul conjuncta exaequet, et confundat.

8. Discrimen intercedit inter indolem relicti, et illius erogationem.

Justinianaeus legata, et fideicommissa in omnia et per omnia adaequavit - ibidem. -

9. Motus Proprius, qui Substitutiones omnes delevit, etiam illas in pias Causas favorem institutas substulit.

Argumento sumpto a discretivo loquendi modo, plurimum confert ad interpretandam legumlatorum voluntatem - ibidem. -

10. Pontificia lex, quae libera fecit bona fideicommissaria - nell' Attuale Possessore - non de aliis possessoribus intellexit, quam de illis qui jure possidebant.

11. Qui precario possidet, non sibi, sed pro domino possidet.

12. Novatio nunquam censetur inducta, nisi id palam verbis exprimatur, vel actus fiant inter se repugnantes.

13. Pontifices non solent Regulae XVIII Cancellariae derogare.

DECISIO CLIII.

Jure optimo visum fuit Sacro N. Tribunali libera in Urbevetano cive Severino Missini, nuper vita functo, evasisse bona, quæ moriens peculiari fideicommisso subjecta Anno 1796. reliquit Joseph Aurelius Missini, non incelebris in Urbe Advocatus, nec cogendam propterea esse unicam ipsius Severini filiam, cui nomen Julia, ope Emphiteutici Instrumenti, ex auctoritate Judicis conficiendi, ut jusserat

Pontificium S. M. Pii VII. Rescriptum ab Antistite Viterbiensi S. R. E. Cardinali exequutioni commissum, ad agnoscendas indirectas bonorum dominas tam Episcopalem Mensam, quam Paræciam S. Leonardi Urbis Veteris, in quas ultimo loco, masculina Massiniorum sobole defecta, fideicommissi compendium contulerat Testator, veluti fusius enarrat superior Causæ Decisio, quam ad diem *vigesimam primam* elapsi Mensis Februarii in vulgus edidit R. P. D. Bussius, Auditoris Cameræ munere in præsens auctus. Cum vero ex altero Rescripto S. M. Pii VII. cognosci hæc controversia debeat ab universa Aula, præviis duabus Decisionibus factum proinde est, ut Causa a me, prælaudato R. P. D. Bussio subrogato, proposita in hodiernis Comitiis pro nova definitione fuerit; ac omnes Domini, ab judicio, tum Urbis veteris Episcopo, tum etiam S. Leonardi Parocho absentibus, sub assueta Dubii formula consulti, responderunt » *in Decisis* ».

1 Vix siquidem erat amplius ad examen revocandum, utrum ea bona, quæ fideicommissi nexui obnoxia fecerat Aurelius, libera omnino evaserint in Severino, adeo ut rite potuerit de iis vel inter vivos, vel mortis causa disponere. Compertissimæ namque sunt Gallorum Leges, quæ fideicommissa, ac substitutiones omnes abrogarunt, et libera declararunt bona fideicommissi, ac substitutionis vinculo subjecta = *nell' attuale possessore, che ne potrà tosto disporre, come di ogni altra sostanza* = Restituto autem Legitimi Principis Imperio, publicæ utilitatis ratio exquirere visa fuit ut ea omnia, quæ de Primogeniturarum, ac Fideicommissorum peremptione jusserunt Guidi, pene integra servarentur ex Pontificiis Legibus, quæ abrogationem ipsam confirmarunt. Facto sane discrimine inter Provincias primæ, et secundæ reversionis voluerunt Pontificiæ Leges, ac præcipue Motus Proprius diei 6. Julii 1816. Art. 132. et 133. ut sarta tecta manerent fideicommissorum, aliarumque substitutionum vincula in Provinciis primæ reversionis. Sed non aliter servata iis in locis fideicommissa ipsa fuerunt, quam si eorum æstimatio in rebus tantum, quæ soli sunt, ad nummos argenteos *quindecim mille* perveniat. Cautum quin immo fuit, ut eadem æstimatio ad fideicommissorum conservationem necessaria depromi debeat = *dalle stime Catastali accresciute d' un terzo. riguardo ai fondi rustici, e riguardo agli Urbani da quelle del Censimento, se vi sarà, ed in mancanza di questo*, o *dai precedenti Istromenti di acquisto, o dal reddito delle pigioni calcolate al cinque per Cento, e finalmente in difetto di questi dall' apprezzamento de' Periti* =: prout idem Motus Proprius edixit *loc. cit.* et pluries judicavit Sacer Ordo, ac potissimum in *Auximana Primogenituræ* 4. *Julii* 1817 §. 5. *cor. bo. me. Zinanni.*

At qui prædium rusticum » *la Molinella* », quod peculiari fideicommisso subjecit Aurelius, vix valorem attingit, ut patet ex Censualibus tabulis, argenteorum nummorum *octingentum quatraginta unius, et assium sexaginta octo*, quibus si triens, ad Legis tramites, addatur in scutis *tercentum octuaginta, obolisque quinquaginta sex* tota prædii æstimatio scutorum *millium centum viginti duo*, et assium *viginti quatuor* quantitatem non excedit. Sic pariter ædes, quæ intra mœnia Urbis veteris extant, et una cum prædio rustico fideicommissum constituunt, scutis *quingentum septuaginta quinque* dumtaxat æstimantur, veluti ex Municipalibus ejusdem Civitatis Codicibus apparet. Si itaque unam, et alteram æstimationem simul colligas, non aliam summam habebis, quam scutorum *mille sexcentum nonaginta septem*, et obulorum *viginti quatuor*, etiamsi posthaberi, contemnique velint onera illa celebrationis centum, et amplius Missarum, ut præcepit Aurelius, quotannis explenda, quæ detrahi a bonorom capite deberent, ac borum valorem imminuunt. Quamobrem planum erat, inter substitutiones a Pontificia Lege servatas recenseri minime posse fideicommissum ab Advocato Aurelio Mis- 2

sini creditum, quod non solum æstimationem ab eadem Lege præfinitam non æquat, sed ab ea ex demonstratis longissime distat, ut ad rem optime arguit superior Causæ decisio §. 7.

3 Inutile vero prorsus fuisset Episcopalis Mensæ, et Paræciæ defensoribus iterum objicere, non hic agi de fideicommissaria substitutione, cui ideo noceat Pontificia Lex, sed de Legato potius ad Piam Causam, de quo lex ipsa non loquitur. Institutum namque masculinum fideicommissum revera fuisse, tum Testamenti litera, tum etiam mens Testatoris aperte demonstrant. Quod attinet ad Testamenti litteram, fideicommissi vocabulum in eo pluries usurpavit Aurelius, dum primo Severinum, Patruelem suum, nominavit = *Legatario*, *ed Erede particolare* = eique deinde in iisdem bonis substituit » *volgarmente*, *pupillarmente*, *e per via di reale*, *e particolare strettissimo fidecommisso i suoi Figli maschj*, *e discendenti maschj da maschi* =, cum ordine primogenituræ. Neque vero hunc loquendi modum Testator adhibuit de Severini progenie tantum agens, sed iisdem ferme verbis usus fuit, dum vocavit, extincta Severini linea, Franciscum, alternm Patruelem, eidemque vulgariter, pupillariter, ac per fideicommissum pariter substituit ejus filios. Deficiente demum tam Severini, quam Francisci masculina descendentia, ad fideicommissi compendium invitavit eodem succudendi modo, nimirum, » *volgarmente*, *pupillarmente*, *e per via di Fidecommisso*, *e Legato*, = Episcopalem Mensam ac S. Leonardi Paræciam Urbisveteris. Quod si bos omnes non aliter in iisdem bonis succedere voluit, quam » *volgarmente*, *pupillarmente*, *e per via di Fidecommisso* =, de fideicommissaria dispositione ambigi profecto nequit, cum merito receptum in jure sit, ut solum Fideicommissi nomen a Testatore adhibitum satis aptum, ac idoneum sit ad inducendum Fideicommissum, ne alioquin ociosa maueat pluries usurpata Fideicommissi mentio, veluti ex plúribus adductisauctoritatum exemplis prima probat causæ *Decisio* §. 9.

Licet autem = *non debeat quæstio voluntatis admitti*, *ubi nulla in verbis amguitas sst* », veluti inquit *Paulus in leg. Ille aut ille* 25. §. 1. *ff. de legat.* 3., res fit magis perspicua, dum verborum significationi porbelle respondet disponentis voluntas, quæ cæteroquin, quemadmodum in quibuscumque aliis dispositionibus, sic etiam in fideicommissariis substitutionibus unice spectari solet, ut ex puriori juris doctrina docet præcedens Decisio §. 10. Ac toties constat de voluntate Testatoris fideicommissum instituendi, et toties inductum reapse censetur fideicommissum, quoties post adeptam, retentamque bonorum possessionem, hæredi onus imponitur eadem bona alteri restituendi; quemadmodum se gessit Aurelius, qui primo Severinum hæredem instituit, eique substituit ejus filios, et descendentes; deinde fideicommissi emolumentum, Severini prole defecta, contulit in Franciscum, ac ejus filios: utraque demum linea exhausta, in iisdem bonis Episcopalem Mensam, ac Paræciam S. Leonardi Urbis veteris succedere jussit. Tunc enim sola restitutio, post primo, et secundo loco substitutorum obitum præscripta, satis est ad constituendam fideicommissariam substitutionem, etiam quoad Pias Causas, ut magis disponentis voluntas effectum suum assequatur, veluti prosequitur ex doctrina Sacri Tribunalis ipsa Decisio, quæ confirmatur *d.* §. 10.

Multu magis tamen hæc omnia locum in themate sibi vindicabant. Quia 4
neque per vulgarem, neque per pupillarem, sed per fideicommissariam tantummudu substitutionem eædemCausæ Piæ Aurelii hæreditatem acquirere potuissent. In hoc sane differt substitutio vulgaris a pupillari substitutione, quod ex prima ad hæreditatis emolumentum vocatus Substitutus, quando institututus non est hæres, vel quia noluit, vel quia non potuit hæreditatem adire, si mortem obeat, antequam decesserit ipse Testator, ut post *Modestinum in leg.* 1 *ff de vulgari, et pupillari substit. monent Odd. de Substi-*

tut. compend. in *praelud. part.* 2 *quaest.* 3 *Cyriac. controv. jur. cap.* 695 *num.* 5 *Barry de Success. lib.* 3 *tit.* 2 *n.* 3 *et sequ. Rota coram Dunozet Jun. Decis.* 861 *num.* 20 *coram Ansaldo*: altera vero tunc dicitur ordinata, cum pater filium impuberem hæredem instituat, eique impuberi decedenti alium substituat. Non enim jura nostra prohibent = *ut, cum ejus aetatis filii sint, in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt parentes eis fariant* =, veluti scriptum est § *liberis* 1 *Instit. de pupillar. substitut.* At non quidem per vulgarem substitutionem controversa bona addiccre sibi valerent Causæ Piæ, quia Severinus hæreditatem reapse adiit, eamque ad mortem usque possedit. Non item per pupillarem, quia Severinus ipse pubertatem excgit, senioque confectus diem vidit Supremum. Cum una ergo supersit fideicommissaria substitutio, jam recte consequitur aut vocatione carere Causas Pias, aut non alium eis potuisse succedendi modum, quam ope fideicommissariæ substitutionis. Eo ipso itaque, quod Piæ Causæ prædiorum possessionem totis viribus inhiant, invitæ fatentur, nonnisi de fideicommissaria substitutione rem esse, factoque proprio fideicommissum admittunt.

6 His omnibus, quæ maximi cæteroquin momenti sunt ad inducendum fideicummissum, accedit etiam expressis verbis injuncta, tam primis vocatis, quam cæteris descendentibus a Testatore cujuscumque alienationis, ac detractionis sive Falcidiæ, sive Trebellianicæ prohibitio, ex qua novum descendit argumentum, ad probandum fideicummissum, ejusque progressionem etiam quoad Causas Pias, quæ inter vocatos recensentur, cum fieri nequeat integra bonorum restitutio, nisi præcedentes adsint substituti eodem restitutionis onere gravati. *Fusar. de subst. quæst.* 277 *num.* 11, *et quæst.* 441 *num.* 55 *Petr. de Fideicom. quæst.* 1 *num.* 130, *Simon. de Pret. de ultim. volunt. fol.* 300 *num.* 5 *Rota in Rec. Decis.* 316 *num.* 8 *part.* 10 *Decis.* 360 *num.* 9 *part.* 17 *coram Octobono Decis.* 113 *num.* 21 *Decis.* 233 *num.* 7 *coram Carillo, et prima Causæ Decisio* § 12. Certius vero ab hoc Testatoris interdicto argumentum fideicommissi deducitur, quia detractioni Trebellianicæ locus esse nequit, nec ex vulgari, nec ex pupillari, aut alia quacumque directa substitutione, sed tantum ex fideicommissaria *Rota coram Arguelles Decis.* 54 *num.* 32 *coram Emerix. Jun. Decis.* 538 *num.* 9, *et Decis.* 164 *num.* 19 *et* 20 *coram Rezzonico.* In manifestam igitur contradictionem eædem incidebant Causæ Piæ, dum bonorum possessionem postulabant, et insimul fideicommissariæ substitutionis existentiam inficiabantur, ex qua unice jura sua desumere poterant. Nec enim refert verbusculum illud = *Legato* = in exaratione testamenti tabulis adhibuisse Testatorem. Quandoquidem in interpretandis defunctorum voluntalibus, non huc illuc inronsulto jacta spectanda sunt verbuscula, sed ex toto tabularum contextu defuncti voluntatem oportet haurire, unaque testamenti pars conjungenda est cum altera, in qua clarius mentem suam Testator aperuit *Leg. qui filiabus in princip., et Leg. si servus plurium fin. ff de Legat.* 1 *Mant. consult.* 197 *num.* 35 *Rota coram Molines Decis.* 687 *num.* 32, *et Decis.* 12 *num.* 4 *coram de Veri,*

Cæterum, si totius dispositionis contextus sedulo expendatur, manifestum fit, nullum discrimen, inter legatum, et Fideicommissum a Testatore constitutum fuisse, qui utrumque verbum indistincte adhibuit, simulque conjunxit per particulam illam, et cujus ea vis est, ut simul conjuncta exæquet, confundat, ac similia reddat, et subsequenti orationi communicet qualitates omnes in præcedenti oppositas *Leg. si ita stipulatus ff de verb. obligat. leg. Sejæ* § *Cajo ff de Fund. instruct. Barbos. tract. var. dict.* 110 *num.* 3, *et sequ. Rota coram Cerro Decis.* 356 *n.* 16 *coram Ansaldo Decis.* 166 *num.* 23 *et Decis.* 184 *num.* 10 *coram Olivatio.* Eodem autem in sensu Fideicommissi, Legatique nomine usum Testatorem 7

fuisse, ex eo clarius evincitur, quod in ea quoque tabularum parte, qua Severinium hæredem instituit, prælegatarii situlo = *mio prelegatario* =, eum donavit, jubens præterea, ut quod in prima Substitutorum serie demandaverat, idipsum in secunda, et tertia quoad cæteros substitutos omnino servaretur. Aut ergo adversus explicitam Testatoris voluntatem dicendum est plures eum nominasse Legatarios, nullumque hæredem instituisse: aut sub legati vocabulo quid diversum a simplici Legato Testatorem intellexisse concludi debet, ut optime expendit sæpedicta Causæ decisio *citat.* § 12 *in fin.*

8 Inutilius vero opponeretur simplex reapse Legatum præoculis Testatorem habuisse, quia collatum emolumentum in pias causas jussit erogari. Multum siquidem discriminis intercedit inter indolem, naturamque relicti, et illius erogationem; nec in jure repugnat quempiam condere fideicommissum, ac deinde mandare in pias causas fideicommissi emolumentum converti. Nemo immo dixerit, siquid in pias causas relinqui velit, nonnisi per Legatum relinqui posse: cum quomodolibet, ac quocumque titulo relinquatur, id ratum, firmumque ex lege servetur. Post invectum denique ab Justiniano Imperatore novum jus, veteri sublata differentia, quæ inter Legatum, ac Fideicommissum intercedebat, legata, et particularia fideicommissa, veluti est illud ab Advocato Missinio conditum, in omnibus exæquata fuerunt, ut unum pro alio accipi merito possit, quin ullum inter ea discrimen exoriatur. Cum enim, una eademque Justiniano visa fuerit Legati, et particularis Fideicommissi indoles, et natura, ideo voluit, ut quod de Fideicommisso, idem de Legato, et quod de Legato, idem de Fideicommisso sentiendum esset, uti, allatis juribus animadvertit superior *Decisio* § 13. Sed præter necessitatem hæc edisseruntur in themate, semel ac Pontificia lex Motus Proprii Anni 1816 superius relato *Art.* 132 fideicommissorum, et primogeniturarum, ac alterius cujuscumque substitutionis vincula delevit, quemadmodum pariter fecerat Gallorum *Codex art.* 896 hac in re a Pontificiis Legibus deinde probatus.

Nihil hinc interest, utrum Fideicommissi, vel Legati nomine Causæ Piæ fuerint substitutæ, cum omnes in universum substitutiones, quocumque nomine proponerentur, æqua lance lex Pontificia percuterit. Neque ex eo, quod nulla mentio in eodem Motu Proprio de Piis Causis occurrat, ideo servata dicenda sunt fideicommissa, si in Pias Causas fuerint colluta, quasi ob privilegium, quo ipsæ fruuntur, sub generali deletione non contineantur. Quoties namque substitutiones omnes e medio sustulit Motus Proprius, necessario infertur, etiam substitutiones illas in Piæ Causæ favorem institutas sub generali providentia comprehendi ex notissima juris regula, ex qua edocemur, quod ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. *Leg. non distinquemus ff de recæpt. arbitr.*, *et seq. de pretio ff de pub. in rem action.* Certius quia lex ipsa, dum aliquid de Piis Causis statuere voluit, id disertis verbis expressit. Licet enim Art. 143 vetera, quæ servavit, et nova fideicommissa ultra quartum gradum progredi haud permiserit, in sequenti tamen Articulo casum nominatim excepit, quo Pia Causa fuerit postremo loco substituta, eoque in themate ad *quintum* usque gradum fideicommissum produxit. Si igitur, ubi voluit legislator aliquid de Piis Causis disponere, id expresse, et peculiariter declaravit, jam illud sequitur, ut a communi fideicommissorum deletione excipere non voluerit Causas Pias, de quibus nihil dixit, argumento sumpto a discretivo loquendi modo, qui ad interpretandam, tam privatorum, quam Legumlatorum voluntatem plurimum confert. *Card. de Luca de Legat. Disc.* 45 *num.* 5 *Rota coram Remboldo Decis.* 475 *num.* 5, *Decis.* 1213 *num.* 18 *coram Molines, Decis.* 501 *num.* 2 *coram Olivatio*, *in Anagnina Divisionis et Redditionis Rationis* 6 *Maii* 1822 § 11 *coram Me, et in præterita Causæ Decis.* § 14. 9

10 Quæ cum ita se habeant, absurdius objiceretur, controversum fideicommissum expirasse in Francisco, in eoque liberum evasisse, ac ejus idcircu viduam, et hæredem Comitissam Virginiam Simonetti, dum stipulationem tabularum Emphitensis approbavit, omnem propterea obsistendi facultatem Severino, ejusque Filiæ Juliæ præripuisse, ad quam amplius pertinere nequeant bona fideicommissaria, ob irrevocabilem donationem ab eodem Severino erga germanum Fratrem Franciscum intuitu Matrimonii factam. Utique Pontificia lex, quæ fideicommissa, et substitutiones abrogavit, libera fecit bona hisce vinculis obnoxia « *nell'attuole Possessore* » At sub hoc nomine non alios intellexit lex illa possessores, quam eos, qui bona possidebant jure fideicommissi cæteris vocatis restituenda: non autem illos, qui bona ex alio titulo, ac seorsim ab institutoris testamento retinebant sub certa conditione dimittendi bonorum dominium, si extitisset prævisa conditio. Hoc namque in casu, et sub hujusce conditionis eventu, nemo negabit bonorum detentorem, non sibi, sed stipulatori possidere, ac proinde sub illius Legis censura contineri non posse. Cum itaque bona donata in Franciscum sub eo pacto transiverint, dummodo nempe filios suscepisset, adeo ut ipso jure, ipsoque facto nulla, et irrita, ejus sobole deficiente, censenda donatio esset; nemo proinde non videt, eumdem Fanciscum interim, et precario, donec ei filii nascerentur, pro donante Severino possedisse, ad quem remeare, conditione non eveniente, filiisque, desideratis, bonorum dominium ex donationis pacto debebat.

11 Ut primum autem improlis mortem obiit Franciscus donatarius, commissa statim est donationis stipulatio, et eadem donatio irrita ipso jure mansit, bonorumque dominium ad Severinum rediit, qui civiliter bona possidebat, quamvis precario a Francisco retineretur, cum ex vulgato juris axiomate non sibi, sed pro domino possideat, qui precario possidet *Menoch. de retinen. bon. possess. remed.* 3 *num.* 19 *Cord. de Luc. de servitut. disc.* 84 *n.* 3. *Posth. de manuten. observ.* 52 *num.* 21. *Rot. post eumdem decis.* 214 *num.* 6 *et decis.* 353 *num.* 3 *cor. Ansoldo.* Quare, si Franciscus nec libere, nec sibi bona possidebat, de quibus agitur, eo ipso non potuit eorum proprietatem sibi vindicare, nec eadem bona in eo libera evaserunt. Bonorum namque libertas contingere ex Pontificia Legis censura debebat « *nell' attual possessore* » qualem absolute, et civiliter Franciscum fuisse absurdum esset asserere, ut arguit citata *Decis.* § 15. Sed, etiamsi per minus veram hypothesim dici vellet, libera evasisse bona in Francisco, idem nihilominus judicium proferendum in themate esset. Hæc enim bonorum libertas solum exemisset Franciscum a necessaria eorum restitutione, quam fideicommissi auctor indixerat: numquam tamen poterat donationis pacta destruere, quæ integra immo Lex Pontificia servavit. Sive igitur libera, ob appositæ conditionis defectum, in Severino evaserint bona, sive illorum proprietatem a fideicommissi nexu solutum Franciscus sibi quæsierit: utroque semper in casu eadem bona erant ex donationis lege Severino reddenda.

12 Futilior vero videbatur exceptio, priorem donationem fuisse novatam, et pactionibus in ea adjectis valedixisse Severinum, semelac ultro sivit, ut controversa bona retineret Franciscus, licet is, exarata retrodonatione, cætera bona sibi donata in ipsum Severinum contulerit ex Matrimonii Causa, quod propediem erat initurus. Non enim Franciscus fundos illos sibi in retrodonatione reservavit, ut sibi eorum dominium, et proprietatem adscriberet, sed ut plenius impleretur enixa fideicommittentis voluntas, et ne a fideicommisso ipso censerentur avulsi, quemadmodum ex retrodonationis tabulis luculenter evincitur. Nulla hinc novatio, ac nulla, vel minima derogatio facta fuit conditionibus appositis in prima donatione, cujus vi bona donata, Francisco sine filiis obeunte, ad donantem erant reversura, sive fideicommissum consisteret, sive illud ex Lege de-

leretur: Quod si novatio numquam ex jure censetur inducta, nisi id palam verbis exprimatur, vel actus fiant inter se repugnantes, uti post disertum *Text. in leg. fin. Cod. de novat.*, *et in § Præterea Instit. quib. mod. toll. oblig. docent Capyc. Latr. consult.* 120 *num.* 2. *Capan. de pact. et Stipulat. disput.* 6 *nu.* 20. Et Sacrum Nostrum Tribunal *in Rec. decis.* 122 *n.* 1, *et* 2 *part.* 14 *cor. Caprara dec.* 403 *n.* 12 *et dec.* 821 *num.* 5 *cor. Olivatio*; multo magis exclusa remanet ipsa novatio ex explicatissimis verbis, quæ in retrodonationis Instrumento leguntur, et ex quibus Franciscus, cujus maxime intererat, deficientibus ei filiis, novationem induci, expresse declaravit « *che con tal'atto non resti fatta innovazione alcuna alla precitata donazione rispetto a tutti gli altri beni qualsisiano del patrimonio Missini* » quam incolumen consistere voluit, ut in re simili expendit *Rot. decis.* 405 *num.* 5 *et sequ. cor. Riminaldo.*

Neque dicendum demum est, S. M.
13 Pontificem Pium VII, dum ex una parte probe novit fideicommissum ab Advocato Missinio ordinatum, et ex altera non ignoravit peremptum ex Sanctiune sua ipsum fideicommissum fuisse, legi tamen abrogationis fideicommissorum hoc in casu derogasse, semelac Emphiteuticum contractum de bonis fideicommisso subjectis jussit ex Officiu stipulari. Si enim nullum in Rescripto verbum derogationis excidit, invictis undique probationibus opus est, ut ea in themate probetur, cum præsumendum nunquam sit tam recentem Legem, et pro rerum circumstantiis adeo providam, hoc uno in casu Pontificem voluisse infirmare. Inutilis qu n immo fuisset ea derogatio, quoties ipsi Piarum Causarum Moderatores, errore fortasse dueti, non dubitarunt asserere, sub illius Legis censura non contineri Advocati Missinii dispositionem. Sed tantominus credendum est, voluisse Pontificem Legi suæ derogare, quu gravius erat detrimentum, quod in Severinum ex derogatione redundabat, cui statim, fideicommissis abrogatis, bonorum proprietas ipso jure quærebatur.

E converso autem numquam solent Supremi Principes, et Summi præcipue Pontifices, ex Sanctione *Regulæ decimæ octavæ Cancellariæ* juribus alteri aut per stipulationem, aut alio quocumque titulo quæsitis ullo modo derogare. *Card. de Luc. de Regal. disc.* 4 *num.* 20 *Lotter. de Re Benefic. lib.* 2 *quæst.* 20 *numer.* 104. *Kochier ad Regul. Cancellar. tit. de derogat. Jurisp. in Addit. lib. R. Rigan. eod. tractat. reg.* 18 *num.* 1 *et seq. Rot. decis.* 280 *num.* 17 *cor. Riminaldo.* Si ergo libera in Severino evaserunt fideicommissaria bona, legitime ea in Juliam pervenerunt, quæ cogenda propterea non est, uti rei suæ moderatrix, et arbitria, ad Emphitentiei Instrumenti celebrationem, ex quo alios super hac sua re dominos agnoscat.

Et ita, in omnibus probata superiori Decisione, ac Universa Aula suffragium ferente, decisum est.

Altera tantum ecc.

VELITERNA SEU TERRACINEN.

SOLUTIONIS FIDAE

Veneris 11 *Aprilis* 1823.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Solum possessionis factum in judicio summarissimo est attendendum.*
   Sententia in causa universali, jus facit quoad omnes, qui in eadem versantur conditione – ibidem. –
2. *Unus etiam testis sufficit ad possessionem probandam.*
3. *Protestationes ad bonum jus, et petitorum judicium spectant.*
4. *Qui ad fidam sua dat animalia, pretium herbarum depastarum solvere debet.*
   Quaestio utrum jus pascendi competat nec ne jure civico, proponi debet in congruo judicio super bono jure – ibidem.

DECISIO CLIV.

A remotissimo oevo, quo Prænobilis Cajetana Gens Feudali jurisdictione

pollebat super pluribus Castris, quae inter super Oppido Trium Tabernarum, vulgo Cisterna et Castro diruto nympharum nec non super eorum Territoriis, horum Cives donati a ea Gente erant jure pascendi in peramplis Latifundiis ad ipsum spectantibus, ac existentibus in iis Territoriis, tenui repensa fida, ut ex pecuaria negociatione possent, si vellent, proficere, ac ita magis Baroni addicerentur. Est inter hæc Latifundia et illud amplissimum nuncupatum-*di Pescinara*-in quo prædicta Gens jus habet, quod dicitur = *di Dogana* = Hoc in Latifundium Cisternenses sua animalia depastum libere immittebant sub mitissima fida = *di bajocchi trenta annui per ciascun corpo grosso di bestiame* =, quod tantae eis utilitatis erat, ut cum timerent Cajetanios, pos Feudalia jura abrogata, herbarum pretium ad justam mensuram fore evecturos, diem eis dixerunt anno 1819 coram Assessore A. C. Advocato Chiodi, pro obtinenda manutentione in possessione prædicti juris pascendi sub ea tenui fida, et votis consonum in possessorio Judicio Sententiam retulere.

Extat in prædicto Oppido Trium Tabernarum Ven. Capitulum, quod vocant S. Mariæ, ac Pauli Nympharum' quia ab anno usque 1582. a diruto Nympharum Castro in illud Oppidum fuit translatum. Hoc etiam Capitulum, uti Cisternenses Cives in superius memoratum Latifundium Piscinariæ pecus suum pastum immittere semper assuevit pro ea, de qua dictum est, mitissima fida, quod ab eo factum fuit etiam annis 1818 1819 1820, uti demonstrant ipsius repetita acta judicialia, quibus denunciatum fuit Administro Generali Ducis Cajetani annis 1818 et 1820. quod ipsius Capituli Animalia ad pascendum immittebantur in illud Latifundium sub assueta fida. Hanc vero fidam quam semper antea persolverat, rependere negavit pro annis 1819, et 1820 quo itaque nomine, cum deberentur ab ipso Cajetana Domui scuta 26: 83: ½. Dux ei vadimonium indixit anno 1821. coram Rmo Vicario Generali Velitrarum pro hujusce summæ assequutione = *in vim Summariissimi possessorii* = consonumque obtinuit Instantiæ decretum. Tum ad remorandam mandati exequutionem, judicium in petitorio super bono jure instituere coram eodem Rmo Vicario Capitulum tentavit, sed repulsum fuit Decreto = *Utatur jure suo in congruo judicio* =. Adiit postea R. P. D. Auditorem Generalem Emi Cardinalis Decani, Velitrarum Principis, postulans appellationem ab illo Decreto; pro fida annorum 1819., et 1820. et prælaudatus Auditor hanc ei indulsit Appellationem, ac Causæ cognitionem ad S. N. Ordinem remisit. Hinc, me hodie proponente, *uti Prælato*, dubium, = *An sit locus solutioni Fidæ in casu etc.* = quæstio definita fuit responso = *Affirmative* =.

Agitur sane in summarissimo Possessorio exequutivo Judicio; hinc, quavis boni juris investigatione seposita, 1
nudum attendendum est possessionis factum per *Rota in Sabinen. 4. Julii* 1781 § 3 *coram Origo*; *Pignin. Jurispascendi super manutentione* 29. *Aprilis* 1803 § 2 *coram Resta*, *in Confirmatoria* 24 *Februarii* 1804 § 2 *coram Eodem*, *in Sabinen. Manutentionis* 22. *Martii* 1805 § 3 *coram nunc Eminentissimo Serlupi*, *in Nepesina Manutentionis* 18. *Junii* 1807. §. 3. *coram R. P. D. Bussio nunc Generali Auditore R. C. A.*, *et in Veliterna Manutentionis* 5. *Julii* 1822. §. 4. *coram me uti Prælato*. Secus enim prætextu mali juris, de quo non constat, possessori interciperetur commodum possessionis, quod fieri vetat *Text. in Leg.* 13 *Cod. de rei vindicatione*, *et Rota in citatis dec. Sabinen. Manutentionis* 22. *Martii* 1805 §. 6 *coram Eminentissimo Serlupi*, *et Veliterna Manutentionis* 5. *Julii* 1822 §. 4 *coram me uti Prælato*, Cajetanæ vero Gentis possessio, quoad exactionem fidæ pro Animalibus a Cisternensibus, et idcirco etiam a Capitulo S. Mariæ et Pauli immissis ad pascendum in Latifundium Piscinariæ in dubium revocari nequit. Probant eam primum acta judicilia Communitatis Cisternæ, quæ Judicium instruxit coram

A. C. adversus Cajetanum Ducem pro manutentione in possessione, in qua = *si trova di fidare i suoi bestiami alla pubblica Dogana di Piscinara pagando baj.* 30 *annui per fida per ciascun ca po grosso di bestiame* =, quo in Judicio secundam votis obtinuit sententiam. Seitissimum est autem Sententiam in causa universali jus facere quoad omnes, qui in eadem versantur conditione, ac ille, qui eam obtinuit, et si judicio haud adfuerint *Rota decis.* 843 §. 4. *coram Molines*; *decis* 949 *num.* 16. *coram Eodem*, *in Prænestina Herbarum* 20 *Januarii* 1736. §. *final. coram Calcagnino*, *et in Ferrarien. Manutentionis* 27 *Aprilis* 1772 *coram Cornelio.*

2 Præterea Capitulum reapse semper ad fidam sua Animalia tradidisse, ut pascerent in Latifundio Piscinariæ atque fidam semper rependisse, bini deponunt Testes de Auditu ab ipsius Capituli Archipræsbitero, ac in jure certissimum est, unum etiam Testem sufficere ad possessionem probandam, et manutentionem obtinendam *Rot. post Posth. de Manutentione decis.* 243 *numer.* 1 *decis.* 26 *num.* 3 *part.* 53 *in Recent. Adden. ad Greg. decis.* 160 *numer.* 3, *decis.* 88 *coram Molines*, *decis.* 964. *numer.* 1. *coram Eodem*, *et in Asculana Manutentionis* 17. *Junii* 1791 § 3 *coram Parracciano.* Cajetani Ducis possessionem adstruunt etiam Capituli incontroversa facta, cum ex ipsius actis judicialibus constet, quod ipsum tribus repetitis vicibus anno 1818 1819 et 1820 = *assegnò in fida nella pubblica Dogana* = Piseiuariæ sua animalia. Contra vero banc suam Judicialem confessionem nefas semper erit Capitulo insurgere, ad *Text. in Leg. Generaliter* 15 *Cod. de non numer. pecunia*; *Cap. per tuas* 10. *de probationibus*; *Rot. decis.* 62. *num.* 2. *coram Molines, decis.* 648 *num.* 3. *coram Ansald. decis.* 141 *numer.* 6 *coram Riminald.* Nec regerere valet Capitulum sese ea emisisse acta, cum protestatione, quod ex iis nullum inferri posset præjudicium cuicumque suo juri non solvendi fidam. Hæ enim protestationes ad bonum jus et petitorium judicium spectant; et sat est, quod ex iis actis probetur in hoc possessorio Summarissimo Judicio Cajetani Ducis possessio in exactione Fidæ ad quam probandam, et manutentionem ei tribuendam unicus etiam actus sufficeret per *Rot. decis.* 368. *num.* 2. *part.* 5. *tom.* 2, *et decis.* 51. *num.* 3. *part.* 11. *in Recen. decis.* 21 *num.* 10 *coram Priolo decis.* 920 *num.* 2. *coram Molines*, *et in Romana traditionis literarum Patentiam super manutentione* 4 *Julii* 1796 § 2 *cor. Soderino.*

Posthabitis itaque illis protestationibus eoque magis, quia contrariæ sunt 3
Capituli facto immissionis Animalium depastum in Pis Mariæ Latifundium ideoque = *di fidare* = quod secum fert obligationem solvendi fidam, ex quo prorsus sunt spernende per *Rot. dec.* 388 *num.* 5 *coram Buratto decis.* 791 *num.* 2. *coram Molines*, *in Forosempronien. Manutentionis* 25 *Julii* 1759. §. 5. *coram Herreros*; *in Senogallien. Juris Territorialis super jure accatastrandi*, *et collectandi* 19. *Maii* 1760. *coram Cornelio*, *et in Civitatis Castelli nullitatis renunciationis* 10 *Maii* 1793 § 16 *coram Acciajuoli*, pernecesse concludendum est, quod constat de Ducis Cajetani possessione exigendi fidam prædictam; et cum incontroversum sit, Capitulum immisisse in sæpius memoratum Latifundium Piscinara suum pecus pascendum annis 1819 et 1820, ac pariter incontroversum pro iis duabus tempestatibus fidam haud solvisse, quam anteacto tempore solverat, ipsum ideo ad hanc fidam pro scutis 26: 83 non solutam rependendam adigendum est, quia qui ad fidam sua dat Animalia, hanc fidam præstare debet, quæ pretium est depastarum herbarum per *Rondell. de Pascuis cap.* 16 *numer.* 1 *pag.* 17 *Oter. de Pascuis cap.* 39 *numer.* 6 *de Vecchis de Bono Regimine tom.* 2. *verb. affidatura pag.* 33., *et Rot. post. eumdem decis.* 193 *num.* 1, et susceptam obligationem, judiciali ter etiam agnitam, impleat Capitulum oportet per *Rot. decis.* 1192. *numer.* 6 *coram Molines*, *decis.* 193 *numer.* 7

coram Herrera decis. 2. *numer.* 1. *coram Olivatio in Romana Dotis* 18. *Aprilis* 1760 §. 11. *coram Cornelio*, in *Eugubina*, *seu Pergulen. Archipræsbiteratus* 23. *Aprilis* 1784. §. 9. *coram Azedo*, *et in Nullius*, *seu Farfen. Immissionis* 5 *Julii* 1784 § 5 *coram Soderino*.

4 Hæc omnia negare haud valens Capitulum confugit ad assertum jus Civicum ipsius Capituli pascendi in Latifundio Piscinariæ, ad hujus Latifundii existentiam in Territorio Nympharum, ad suam civicam qualitatem in hoc Territorio, quam servatam dicit, etsi, Nympharum Castro diruto, translatum ab anno 1582. fuerit in Oppidum Trium Tabernarum, aliaque id genus, de quibus in præsenti judicio nil prorsus Patres sollieiti fuerunt, nec ullum de iis examen suscipiendum esse duxerunt, quia hæc proponi tantum posse censueerunt in congruo judicio super bono jure, quod jam pendet quoad Cisternensem Comunitatem, et ad quod Capitulum sese admitti postulare potest. Nec ullius ponderes eis visa est objectio desumpta a formula Dubii, qua quæritur, an sit locus solutioni fidæ, quæve ad boni juris indaginem revocare videtur. Etenim cum res inter Cajetanos, et Capitulum acta sit in Possessorio Judicio, et in hujusce Judicii terminis commissa ad S. N. Ordinem fuerit, post Appellationem Capitulo indultam, Clausula = *in casu etc.* =, addita de more illi formulæ, exigit, ut quæstio perpendatur, et definiatur intra limites Possessorii hujus judieii, quod de ea fuit institutum, et nunc prosequitur in gradu appellationis.

Et ita meo etiam accedente suffragio, Jus redditum fuit utraque etc.

UTI PRELATO

VELITERNA SEU TERRACINEN.

SOLUTIONIS FIDAE
Veneris 11 *Aprilis* 1823.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario

SUMMARIUM

1. In Judicio possessorio spernendae sunt omnes exceptiones, quae altiorem requirunt indaginem.
2. Protestatio super reservatione jurium, spectat tantum ad judicium petitorium.

DECISIO CLV.

Administrationi Rmi Capituli S. Mariæ, et Pauli Nympharum, quod, hoc diruto Castro, anno 1582 translatum fuerat in Oppidum Trium Tabernarum = *Cisterna* = uti contestualis mea narrat decisio *Velit. seu Terracin. solutionis Fidæ* = subest Pium opus in Levamen. Animarum Purgantium institutum, illique Capitulo quodammodo adnexum. Plura Opus Pium hoc animalia possidet, quæ ejus Administrator semper in Latifundium ad Excellentissimum Ducem Cajetanum spectans, dictumque *Pescinara*, pascendum immittere consuevit, tenuissima soluta Fida. Anno 1818 prædictus ejus Administrator, ut fidæ mensura haud augeretur, judiciali actu nunciavit Cajetanæ Gentis Administro quod = *assegna in fida numero sessantadue Vacche ec. a condizione di pagare secondo il solito baj.* 50. *per ogni bestia grossa in tutta la Stagione Doganale, cioè dal* 1. *Ottobre corr. a tutto Settembre* 1819.

Verum nec ea, nec sequiori tempestate anni 1820. fidam persolvit, pecus quamvis pastum in illud Latifundium immittere perrexisset; quare debitor Ducis evasit in scut. 78. 83. ½ pro quibus Dux a Generali Vicario Velitrarum mandatum contra ipsum petiit, et obtinuit, spreta ab boc Judiee ipsius Pii Operis instantia proposita super prætenso bono jure pascendi absque ulla fidæ solutione, eaque dimissa Rescripto = *Utatur jure suo in congruo Judicio.* = Deinceps. per appellationem a R. P. D, Auditore Emi Velitrarum Principis indultam a prædicto Rmi Vicarii Decreto, et Causæ remissionem ad S. N. Tribunal, mihi *uti Prælato* commissa fuit propositio Dubii = *An sit locus solutioni fidæ in casu etc.* = quod resolutum hodie fuit Responso – *Affirmative*.

1 Quod annis 1819. et 1820. Pium Opus suum pecus pascendi immiserit in Latifundium *Piscinara*; quod nullam pro binis iis tempestatibus solverit fidam; quod demum Ducis Cajetani creditum exinde ad scuta assurgat 78. et ob. 83. ½ in controversiam adduci nequit. Consequitur itaque ad hanc rependendam summam Pium opus esse damnandum juxta Rmi Vicarii Velitrarum Decretum. Frustra autem ad boni juris præsidium recurrit Pium Opus: agitur namque in terminis Judicii Possessorii, ideoque spernendæ sunt omnes exceptiones quæ altiorem requirant indaginem, per Rotam *Decis.* 774. *num. ultim. coram Molines, et in Aquipendien. manutentionis* 8. *Martii* 1734 §. *final coram Copilliac.* ut in contemporenea simili Causa inter prædictum Capitulum S. Mariæ, et Pauli Nympharum, ad quam spectat contemporanea Decisio, spretæ fuerunt ex rationibus ibi late expositis; nullum namque tantummodo possessionis factum inspici debet.

2 Quod vero in possessione exigendi predictam fidam versetur Cajetanus Dux constat ex judicio a Communitate Cisternæ instituto pro manutentione in possessione immittendi animalia pastum in latifundium *Piscinara* tenui assueta repensa fida, et ex instantiæ consona Sententia. Constat etiam ex judiciali actu Pii Operis anni 1818, quo professum fuit sese assignare = *in fida n.* 62. *Vacche Cordesche* 15. *e Cavalle* 2. *a condizione di pagare secondo il solito bajocchi cinquanta per ogni bestia grossa - a tutta la Stagione Doganale, cioè dal* 1. *Ottobre corr. a tutto Settembre* 1819. cui actui nil detrahit protestatio super reservatione jurium, quæ spectant tantum ad judicium petitorim. Constat demum ex Domus Cajetanæ Codicibus et ex Depositione Administratoris Pii Operis, qui testatur sese anteacto tempore fidam solvisse = *in mano del Sig. Luigi Palmieri affittuario dell' Eccma Casa Caetani per conto di essa Pia Istituzione.* Possessione posita, juxta eam Judicium ferendum est, et, quæ de bono jure Pium Opus disserit, ad congruum judicium sunt amandanda cum præterea hoc jam pendeat, et ad illud admitti possit, si velit, Pium Opus, Quin aliter exigat formula Dubii de solutione fidæ in genere agens; clausula namque in *casu* ei adjecta, et Possessorii Judicii indoles, quod coram S. Ordine prosequitur in appellationis gradu, secum fert. ut ad trsmites tantum possessionis hoc Dubium, ut aliud simile de quo contemporanea agit Decisio, resolvatur.

Et ita me quoque suffragante resolutum fuit utraque etc.

ALBANEN AFFICTUS

SUPER SOLUTIONE MERCEDIS

Lunae 21 *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

Conductor publici furni alicujus Comunitatis debet pensionem promissam persolvere, nec potest sub quolibet protextu, etiam damnorum illam retinere, nec compensare Comunitas enim frui debet iisdem privilegiis, queis gaudet Fiscus, prout Motus proprii, Bullae, et Constitutiones Romanorum Pontificum disponunt.

SUMMARIUM

1. *Conductor debet pensionem promissam persolvere, et pacta conventa servare.*
2. *Quantitas pensionis ex publicis tabulis contractus comprobatur.*
3. *Debitum pensionis non potest, cum damnis compensari, eo magis quando alia pars damna pertulit. Damna enim cum damnis, non cum pensionibus compensanda.*
4. *Creditum liquidum cum illiquido non compensatur.*
5. *In causis vectigalium tributorum et proventuum quae in tabella adnotantur Comunitas habet privilegia Fisci, nec etiam ex justissima causa contra Comunitatem compensatio opponi potest.*

DECISIO CLVI.

Exercitium publici Furni Marianæ Villæ Comunitatem die 11 Octobris 1821 ad annum locasse Antonio Tofinio, mercede ab ipso præ cæteris in licitatione oblata scutorum Centum supra

mille, nempe = *Scudi cinquanta per l' affitto del Locale, e scudi mille, e cinquanta affitto di privativa* =, contemporanea mea narrat Decisio *Albanen. Damnorum*. Ex peculiari autem contractus lege persolvenda pensio erat = *di mese in mese anticipatamente la sua giusta rata parte* di scudi 91. 68 *mensuali nelle mani del legittimo Esattore Comunitativo pro tempore liberamente, e rimossa qualunque speranza di poter domandare, ed ottenere compenso, o buonifico di sorte alcuna, non ostante qualunque casualità, o altro infortunio impreveduto, qui non espresso, e necessario ad esprimersi, e chiuso nel corpo della legge*, di *modo che giammai potrà esimersi* (conductor) *dal pagamento della suddetta corrisposta* =.

Dissidiis subinde a conductore, ejusque cessionariis adversus Communitatem, in spretum initæ stipulationis excitatis super conventionum observantia, quæ panis conficiendi species, pondus, et qualitatem respiciebant, ea omnia evenerunt, quæ late exponit præfata Decisio. Cum vero Partes ab R. P. D. Auditore Sanctissimi ablegatæ fuerunt ad Sacram Boni Regiminis Congregationem de *voto Rotæ*, ejusque R. P. D. Præsulem a Secretis adiverunt pro deputatione Administratoris; Judicem consuluit selectus Administrator = *Sopra il modo, con cui dovrà esercitarsi l'Amministrazione del Forno della Terra di Marino* =, et die 5 Julii 1822. Decretum prodiit = *che l'Amministratore proceda nell' Amministrazione del Forno a tenore del Contratto, e della Tariffa in quello convenuta* =, relictis = *in sospeso le rate future dell' annua corrisposta a tenore dello stesso contratto dovuta fino all'esito, ed alla decisione della Causa, se, e come il detto Contratto eseguir si debba* = Cessavit exinde Tofinius in pensionis promissæ solutione; atque ita in exitu contractus Communitatis debitor eo nomine effectus fuit scutorum 275, quæ compensanda sibi esse contendebat cum damnorum sarcitione; quam seorsim adversus Communitatem impetebat. Hinc in Comitiis diei 10 elapsi Maii, in quibus de dubiorum formulis disceptatum fuit, tertium proponebat dubium = *An sit locus compensationi* =, quod tamen nullum meruit plausum. Itaque, hoc pensionis residuum vindicante Communitate, Patribus hodie hanc resolvendam proposui Dubii formula = *An, et pro qua summa sit locus solutioni affictuum, ita ut sit relaxandum mandatum manus Regiæ in casu etc.* = atque absente Tofinio ejusque cessionariis fratribus Frezzoliniis responsum accepi juxta vota Communitatis *Informantis*, nempe = *Affirmative pro scutis* 275, *et esse relaxandum mandatum manus regiæ*=.

Ex contractu enim locationis conductionis sponte sua descendebat actio ad assequendum quidquid pensionis nomine conductor promiserat. Illam vero contrahentes præstituerant in annuis *scutis mille, et centum*, persolvendam = *di mese in mese anticipatamente la sua giusta rata parte* =, ita ut conductor = *giammai potrà esimersi dal puntual pagamento della sudetta corrisposta* = Patebat igitur conventionis hujus dispositio omnino servanda, ob pervulgatum illud Jurisconsulti *in Leg.* 1 *ff. de pactis*, nil scilicet humanæ fidei tam congruum esse; quam ea quæ placuerunt servare. Accedit *Leg.* 8 *ff. eod. t., et passim Rota, ac præsertim in Romana Legitimæ super liquidatione Stat. act.* 27 *Januarii* 1755 § 18 *coram Caprara, et in Auximana Laudemii super rejudicata* 27 *Martii* 1755 *coram Elephantutio*: Quod juris, ac naturalis etiam æquitatis axioma, si locum sibi vindicat etiam in pactis ab indole contractuum nonnihil aberrantibus, ceu monet *Text. in Leg.* 44 *ff. de pactis, et Voet. in Pandect. de contrah. empt. lib.* 2 *tit.* 14 *num.* 5, eo fortius in themate obtinebat, quia res erat de pensione ex natura localitii contractus a quolibet conductore promittenda, et persolvenda. 1

Quoad quantitatem vero residui pensionis, quod in præsenti Marianæ Villæ Communitas condicebat, nullas nec in antecessum sive Tofinius, sive ejusdem cessionarii acceptilationes protulerant, ex quibus præcipua pensionis adhuc solvenda quantitas tuto innotesceret. Verum quousque majorem debiti sui quantitatem exsolvisse conductor 2

haud evinceret Communitatis intentio pro residuo scutorum 275 omnino erat admittenda, utpote quæ satis valido fundamento, publicis nempe contractus tabulis innitebatur, ad *Text. in Leg.* 1 *Cod. de probat. in Leg.* 12 *ff. cod. tit. Constantin. Vot. decis.* 311 *num.* 4, *et Rota in decis.* 139 *num.* 1, *et sequen. coram Ludovisio, dec.* 353 *num.* 4 *cor. Celso, et dec.* 296 *num.* 1 *cor. Olivatio.*

3 Nec recte objecisset conductor, quod antea objicere consueverat, hujusmodi nempe mercedis reliquæ debitum cum damnis a se passis esse compensandum. Etenim, ut in prædicta mea contemporanea Decisione animadverti, in necessariis afferendis damnorum probationibus Tofinius, ejusque cessionarii omnino defecerunt, quapropter damnorum minime extantium sarcitio nec per rerum naturam concipi poterat, nec compensationis subjectum constituere, ut firmat *Text. in L.* 14 *ff. de compensat.* Quatenus autem damna nonnulla Tofinius datis probationibus ostendere valuisset, haud idcirco hinc sequebatur ea protinus obsorbere debitum pensionis, quia, eadem teste Decisione, longe majora damna pertulerat a Tofinio Communitas in durissimam conditionem ab eo adducta, ut ob Annonæ angustias, populares tumultus pertimescere debuerit, licet providissimis conventionibus sibi consuluisset, quas tamen ipse Annonæ conductor Tofinius nunquam impleverat. Porro si de compensatione loqui licuisset damna eum damnis, minime vero damna cum pensionibus fuisseut compensanda, ut perbelle *Voet. in Pand. lib,* 16 *tit.* 2 *num.* 18.

4 At liquidum erat ex parte Communitatis creditum minime numeratas pensiones respiciens; turbida autem, altiorique indagini submittenda actio pro damnorum sarcitione, quam Tofinius proponere valuisset; ideoque alterum cum altero, seu liquidum cum illiquido compensari vetabat Justinianus *in L.* 14 *Cod. de compensat.*, cui consonant *Voet. in pand. lib.* 16 *tit.* 2 § 17, *et Rota in Romana Affictus Luci* 27 *Februarii* 1621 *coram Pirovano, et in decis.* 421 § 2 *cor. Molines.* Præterea diversa est utriusque crediti natura. Pensionis quippe solvendæ jamdiu venerat dies; damnorum vero sarciendorum neque cesserat, neque venerat, quia illa, nec in genere prubata, neque in specie liquidata fuernnt. *Text. in L.* 6 *ff. de compensat.*, ubi *glossa in princ.* atque idem *Voet. in pand. lib.* 16 *tit.* 2 *num.* 17. Tandem ipsa utriusque judicii diversa indoles accedit cum pro pensionibus exequutiva, et privileginta, pro damnis vero nonnisi ordinaria via patuisset *Angel. in L.* 1 *num.* 1 *ff. Nil. nov. appell. pond. Bald. in L. Si quando* 7 *num.* 5 *Cod. de Ordin. cognit. in L. Appellatione* 3 *num.* 10 *Cod. de Appellatione, et in L. Unic. num.* 1 *et* 6 *ne liceat in una eadem Caus. Alex. in L.* 4 § *condemnatum num.* 32 *ff. de Re jud. Philip. Franc. in Cap.* 63 *num.* 32 *de Appellat. Vantius de nullit. tit. quot, et quib. mod. nullit. num.* 29 *Contard. in L. Unica limit.* 7 *num.* 19 *Cod. si de moment. possess. a Lancellot. de Attent. Cap.* 17 *num.* 17 cæterisque omissis *Carleval. de jud. lib.* 1 *tit.* 3 *Diss.* 16 n. 21.

Quibus adstipulabatur Communitates 5
omnes iisdem frui privilegiis, queis gaudet Fiscus, ut bene firmat *de Vecch. de bon. regim. Tom.* 2 *pag.* 120, *et* 132, interque Fisci privilegia numerari, ut nunquam adversus eum in causis vectigalium, tributorum, vel proventuum, quæ in Kalendario, seu tabella, qua et Communitates utuntur ex dispositione Art. 173 Motus proprii 6 Julii 1816 adnotata dignoscantur, opponi valeat compensatio, uti ad rem *Text. in L.* 3 *Cod. de compensat.* Item speciale illud eoncurrit, quod Communitatem favore sancitum prostat in Constitutione S.M. Clementis VIII. vulgo nuncupata *Bulla Boni Regiminis* nunquam scilicet ejusmodi compensationes Communitatibus opponi posse, ne ex fortuito quidem casu, aut alia præter dolum, qualibet etiam justissima jurique probata causa. Tandem rem conficit conventio juris dispositione potentior, qua conductor nuncium miserat = *a qualunque speranza, di poter domandare, ed ottenere compenso, e buonifico di sorte alcuna, non ostante qualunque casualità, o altro in-*

fortnnio impreristo, qui non espresso, e necessario ad esprimersi, e chiuso nel Corpo della Legge.

Atque ita etc. me quoque suffragante. Altera tantum etc.

ALBANEN DAMNORUM

Lunae 21 *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Qui pacta in altsrius cantrahentis damnum non implst tenetur ad quanti interest.*
2. *Ei plsna fides habenda, qui ragatus de rs ad proprium munus pertinente judicium praebet.* - Et num. 3. -
4. *Conductor violans pacta ad damnorum sarcitionem tenstur.*
5. *Qui actiane nulla probationum fundamento innixam praponit amnino rejiciendus.*
6. *Nullum jus compensatianis paetendae est illi, qui in ipsa stipulatiane speciali pacta sidem renunciavit.*
7. *Non potest quis sarcitionsm damnorum urgere si uni sibi imputari illa dsbuerit.*

DECISIO CLVII.

Ad facillorem, tutioremque annonam Civibus procurandam, publicum Furnum privative locatura exeunte anno 1821 Communitas Villæ Marini, ut cæterarum pene omnium Communitatum mos est, multo ante licitationem Contractus ineundi conditiones evulgavit, quas inter præcipuum obtinebant locum, quæ panis pro Populo conficiendi species mundus, et qualitates moderabantur. Harum æquitate, atque illecti plures adfuere oblatores; at longo sane certamine eos omnes vicit Antonius Tofinius, oblata annua pentione scutorum *Centum supra Mille* cui idcirco publicis exaratis Tabulis ad diem 10 Octobris 1821., locavit Communitas prædicta privativam panis confectionem ad annum, legibus tamen in antecessum evulgatis; nempe = *Il peso del pane da fabricarsi, e vendersi in detto Forno dovrà essere regolato dalla Tariffa formata dal Computista dell' Annona di Roma, come risulta dalla risoluzione Consiliare del di 24 Luglio prossimo passato, alla quale si debba avere una piena relazione* = Item = *Il detto Affittuario sarà obligato fabricare il Pane di ottima qualità, e di diverse specie, cioè pane bajoccante, pane Casareccio, e pane decinante, tanto di solo Fiore, quanto di grossumi, e di questo darne un perfetto sfamo alla Popolazicne senza farlo giammai mancare* =.

Normalem Tabellam, vulgo = *Tariffa* = ut convenerat, illico habuit Conductor ab Annonæ Urbis Ratiocinatore; quam artis Peritus judicavit = *vantaggiosa pel Fabricatore, e Spacciatore del Pane anche per la ragione, che le spese di lavorazione, ed altro in Marino, come qui in Ariccia, ed in altri Paesi circonvicini sono minori di quelle contemplate nell'anzidetta Tariffa* =. Hanc tamen post aliquot dies una cum contractus legibus adeo deserere cæpit Conductor, ut odium plebis in se ipsum, atque etiam in Magistratus concitaverit. Tunc Dominicus quidam Frezzolinius, epistola ad Gonfalonerium missa, nonnullas postulavit contractus modificationes, ut in locum Tofinii consentientis subingrederetur. Mox tamen Tofinius, accitis etiam Frezzoliniis, tamquam cessionariis, inscia Communitate, a S. Congregatione Boni Regiminis obtinuit, ut Tabella prædicta normalis per pistorem Venerati ad examen revocaretur. Nova a Venerato exarata vix prodierat Tabella, cum Communitas solemni protestatione contractum servari postulavit, hinc Venerati relatione oculis subjecta Ratiocinatoris Annonæ Urbis, perutilis hæc quidem conductoris, Populo autem, et Communitati exitialis apparuit. Quapropter prudentissima Communitatum Tutrix prælaudata S. Congregatio die 2 Januarii 1822 præcepit = *che previa la revoca degli ultimi Ordini, sia osservato, e adempito lo stipolato Contratto in tutti i patti, e condizioni, che vi si contengono colla riserva delle ragioni a facore della Communità per l'emenda dei danni.*

Nihilominus Tofinius Venerati normam sequi perrexit, ideoque S. Congregatio, ut rem quo fieri posset modo definiret, optionem Conductori dedit, ut declararet intra triduum utrum vellet ab inito Contractu resilire, sive illum adamussim servare; et jugiter silente Conductore, Communitatem iterum commonuit = *non essendosi dal Tofini emessa verun̄a dichiarazione, ed essendo decorsi i tre giorni, spetta a codesta Magistratura prevalersi delle facoltà, e diritti concessi dalla S. Congregazione, e di astringere il Tofini all'osservanza del Contratto, avendo dichiarato la Sagra Congregazione, che nel resto si serra il Tofini delle sue ragioni* = Sed hæc aliaque subsequuta excitamenta in irritum cessere. Tofinius enim adeo in proposito perstitit, ut Communitatis Moderatores, popularem aliquem tumultum pertimescentes, Emum ab Arcanis Principatus adiverint, qui, auditis = *gli arbitrj, che si prende Antonio Tofini privatario del publico Forno, ed il suo arrogante contegno verso le Autorità locali* = Albanesi Gubernatori mandavit = 1. *chedichiari il Tofini onninamente decaduto dall'essere privatario del Forno Publico di Marino* = 2. *Che proceda contro il medesimo con tutto il rigore delle Leggi per le fraudi eseguite a suo carico. 3 Che lo dichiari inabilitato a conseguire la privativa di qualsiroglia publico prodotto durante l'anno corrente.*

Cum vero Magistratui contextim præcepisset = *d'istantaneamente procedere allo sfamo della Popolazione, onde non nascano inconvenienti, e sollevazioni Popolari* =, hinc, pro rei angustia, die 15 Martii 1822 Furnus ad sex Menses locatus fuit cuidam Benedettiu, necessariis in hujusmodi Contractibus solemniis omissis. Exinde occasione arrepta, Tofinius, et Frezzolini penes R. P. D. Auditorem SSmi steterunt de Spolio conquesti, et reintegrationem urgentes, atque undecim vix interlapsis diebus, die nempe 26 ejusdem Martii novi Conductoris expulsionem ex defectu solemnitatum obtinuerunt, nec non Decretum = *Remisit Causam, et Causas ad S. Congregationem Boni Regiminis, quæ procedat de voto Rotæ Deputato interim per modum provisionis Administratore, cujus nominationem R. P. D. Secretario Boni Regiminis delegavit* = Administrator delectus fuit Cæsar Zampara post renunciationem Joannis Fioravanti. At cum Zampario rem omnem miscebant Frezzolini, et Tofinius; hinc = *non cessarono tali disordini, continuarono bensì fino al fine dell'Affitto divisato, ginecchè il Pane, che ivi si vendeva, e si fabbricava fu sempre di cattiva qualità, specialmente poi si ravvisava tale difetto in quello bianco così detto di lusso, e nel Casareccio, che sembrava Pane Canino, e di grossumi da non potersi trangugiare, motivo, per cui la detta Popolazione non vedeva il momento, che terminasse tale affitto* =. ceu primarii Villæ Marii Sacerdotes narrabant; hinc rursus prælaudata S. Congregatio conqueri debuit, *che non ostanti gli ordini tante volte emanati, non sono affatto osservati i termini, e le obbligazioni del Contratto sulla qualità del grano da spianarsi, e sulla quantità, e peso del Pane* = ac sæpe sæpius loci Gubernator fraudes legitime comperit. Itaque cum disputari hoc mane oporteret, tum de damnis, tum de solutione mercedis, scorsim de hac Patrum Sententiam quæsiturus, quoad illa formulam proposui non sine quæstione concinnatam « *An, quomodo, et cujus favore, et in qua summa sit locus emendationi damnorum ita ut sit relaxandum Mandatum in casu etc.* » Solaque Communitate Causam orante, Responsum accepi, illius votis consonum « *Pro informante* « nempe » *Affirmative favore Communitatis in summa liquidanda, et esse relaxandum Mandatum* ».

1 Eum qui pacta in detrimentum alterius contrahentis implere non curat, teneri illius favore ad quanti interest pacta servata non fuisse, sive quod idem est, ad damnorum sarcitionem, docet *Barthol. in L.* 44 *ff. mandati vel contra, Card. de Luca de locat.*, *et cond. disc.* 18 *num.* 2 *et Rota dec.* 263 *n.* 4 *coram Molines.* Porro indubitatis conficii probationibus videbatur conducto-

rem Tofinium, sive illius cessionarios Frezzolinios, sive etiam postea suffectum gestorem, demptis primis conductionis diebus, eas numquam servisse leges, queis Contractus initus fuerat; numquam scilicet normam in eo præstitutam « *la Tariffa formota dal Computista dell'Annona di Roma* » sequutos fuisse, sive quoad qualitatem panis conficiendi, atque in vulgus venditandi.

2 Quandoquidem tempore inspecto, quod effluxit a die 11 Octobris 1821 qua locatio conductio suum habuit initium, ad diem 2 Januarii 1822., qua erronea Venerati relatio, et tabella e medio sublata fuit, indubiæ fidei monumenta omnimodam a stipulata norma defectionem evincebant. Et primo quidem Frezzolinii epistola, quinque diebus post contractum ad Gonfalonerium missa, quæ Tofinium, ex condicto forsan, carpit, quod cœperat « *a disimpegnare la Privativa con condizioni impossibili a porre in salvo l'interesse, e la quiete, e contentamento del Magistrato, e Popolo* » Rursus ipsius Tofinii machinationes apud Sac. Congregationem Boni Regiminis, queis Venerati Tabellam in locum illius, quam contractus præstituerat, et supponere ipse voluit. De ea autem Tabella deputatus postea Peritus declaraverat « *se ne distingue ad ogni tratto l'improbito* » quia præseferebat » *la differenza di una quarta parte del prezzo* » itemque « *la differenza nel peso egualmente di un quarto*, *cioè di oncie due a Pagnotto, ciò che è enormissimo* » atque ita de cæteris etiam fuerat vir peritus prosequutus, cui ideo erat plena fides habenda, quin, rogatus de re ad proprium munus pertinente, judicium dederat. *Cord. de Luc. de Regul. Disc.* 14 *num.* 5 *Rota Decis.* 51 § 3 *et Decis.* 1573 § 26 *coram Lancetta*; hine Sac. Boni Regiminis Congregatio, dum veriori relationi innixa præceperat « *precia la revoca degli ultimi Ordini sia osservato, e adempiuto lo stipolato Contratto in tutti i patti,e condizioni, che vi si contengono* « addiderat » *colla riserva delle ragioni a favore della Comunità per l'emenda de'danni* » quæ nempe senserat haud levia illa perpeti debuisse.

In altero autem temporis intervallo ab eo scilicet Sacræ Congregationis Decreto diei 2 Januarii 1823 ad diem usque 16 Aprilis ejusdem Anni, qua Tofinius a conductione fuerat ejectus, deterior etiam inciderat propositæ normæ subversio; ac rerum omnium perturbatio. Jussa siquidem Sacræ Congregationis adeo despexerat Tofinius, ut die 16 insequentis Mensis Februarii iterum pertractare illa debuerit =*delle questioni insorte fra la Communità, e quell'Affittuario del publico Forno Antonio Tofini circa l'osservanza della Tariffa del Pane* « ac præcipere » *si prefigga al Tofini il termine di tre giorni a dichiarare se intende di rescindere il Contratto, scorso il qual termine, e non fatta tale dichiorazione, si costringa ad osservare il Contratto stesso* = Item die 2 Martii iterum conquesta fuit = *Quell'Affittuale del publico Forno continua a regolare a suo capriccio la Tariffa del Pane, ad aggravare in conseguenza quella Popolazione*, *ed a compromettere la tranquillità malgrado etc.* =, ac tantem Emus ab Arcanis Principatus, Populi, ac Magistratuum clamoribus permotus epistola diei 12 ejusdem Mensis illum a publici Furni conductione omnino ejicere debuerit. 3

Nec demum religiosus pacta, normamque servaverat, licet ea præcipue lege suffectus in locum Tofinii Administrator; quod quidem evincit, vel ad exitum usque ejus conductionis easdem vexationes, eademque damna Communitatem, Populumque afflixisse. Populi Moderatores panes nonnullos, tum ad S. Congregationem Boni Regiminis, tum ad Emum a Secretis Status miserant: hine Præsidi Albanensi præceptum fuerat «*di fare la visita del Forno, di verificare tutto ciò*, *che faccia di mestieri sulla qualità. e peso del Pane* » ex quibus inspectionibus eadem teste S. Congregatione innotuerat « *che non ostante gli Ordini tante volte emanati non sono affatto osservati i termini, e le obligazioni del Contratto sulla qualità del grano da spianarsi, e sulla quantità, e peso del Pane* » eaque testabantur etiam, nedum Annonæ vigiles, sed et 4

Ecclesiastici viri Marianæ Villæ inquientes « *entrato in progresso nell'Amministrazione di detto Forno il Signor Cesare Zampara non cessarono tali disordini: continuarono bensì fino al fine dell'Affitto divisato*; *giacchè il Pane*, *che ivi si vendeva, e si fabricava fù sempre di cattiva qualità*, *che sembrava Pane canino* ». Quæ omnia perennem pactorum violationem Patribus sat perspectam faciebant; hinc damnorum, quæ exinde Communitati obvenerant, sarcitionem conducto; rem vitare non posse censuerunt.

5 Et Tofinius damnorum auctor, hoc judicium pertimescens, illud in Communitatem primus instituerat, ut contra damnificatam damnorum querelam converteret. Nam, juxta monitum notissimi *Text. in L.* 4 *Cod. de eden.*, ideo rejiciendas omnino erat, quia actionem suam nulli innixam probationum fundamento proposuerat. Reque vera nonnisi temere alias carpere aggressus fuerat, tamquam nimis prægravantem, normalem tabellam a Ratiocinatore Annonæ Urbis confectam, quam cæteroquin, multo ante stipulationem promulgatam, probe noverat, ad severissimam trutinam revocaverat, et, tamquam sibi per utilem, alacri licitatione ac peculiari demum conventione probaverat. Præterea optione eidem facta a Sac. Congregatione Boni Regiminis, utrum vellet pacta servare, seu potius a contractu resilere, omnino siluerat, atque ita contractus ejusdem, et stipulatæ normæ utilitatem iterum agnoverat; neque eum contra proprias agnitiones insurgere fas erat per *Text. in Leg.* 13 *Cod. de non num. pec.*

6 Cæterum sæpedicta Tabella, vulgo = Tariffa =, peritissimi viri oculis subjecta fuerat, qui = *dopo fatte le più minute*, *e scrupolose osservazioni* = illam invenerat = *vantaggiosa per il Fabricatore, e Spacciatore del Pane anche per la ragione, che le Spese di lavoro*, *ed altro in Marino, in Ariccia, ed in altri Paesi circonvicini sono contemplate nell'anzidetta Tariffa* =. Tandem, quatenus etiam contra hujusmodi probationes, ac sæpius iteratas ipsius Tofinii agnitiones quoad Tabellæ utilitatem, aliquid detrimenti ex ipsa Conductor sentire potuisset, nullum tamen jus eidem addici poterat compensationes petendi, sive quia ex superius recensitis monumentis in propatulo erat ipsam tabellæ normam, durante contractus tempore nunquam servasse, atque omnia ex proprio lubitu gessisse; sive etiam quia in ipsa stipulatione speciali pacto nuncium miserat = *a qualunque speranza di poter domandare, ed ottenere compenso, o buonifico di sorte alcuna* = quod etiam congruere notum est Constitutioni Sanctæ Mem Clementis VIII de Bono Regimine.

Post hæc nullum obtendere damnum, 7
vel sarcitionem urgere valuisset Tofinius pro undecim illis diebus per quos Furnum exercuit novus Conductor Benedettius; neque enim expulsionem suam Communitati recte imputasset, quæ necessario sibi consulere debuit, ne in Annonæ angustiis populari tumultu opprimeretur = *nemo quippe damnum facit nisi is, qui fecit*, *quod facere jus non habet* = verba sunt *Text. in Leg.* 151 *ff. de Reg. jur.* Multoque minus Gunfalonerium jure criminatus esset, qui omnia gesserat ex præcepto, sive Communitatis, sive Emi ab Arcanis Principatus per *Text. in Leg.* 50 109 *et* 169 *ff. eod. Tit.* Quapropter, si quid damni reapse sese passum ostendisset, id uni sibi imputare debuisset.

Atque ita etc. meo quoque accedento suffragio Altera tantum etc.

ANAGNINA RETRACTUS

Lunae 5 *Julii* 1824.

ARGUMENTUM

Tria sunt, quae simul concurrere debent, ut locum sibi vindicet dispositio *legis si quis sepulcrum ff. de relegios et sumpt. fun.* Vera necessitas Ecclesiae emere volentis: Ecclesiam contiguam esse aedibus retrahentis: ne grave damnum vicino inferatur.

SUMMARIUM

1. Gregoriana Constitutio, inter Urbis tantum incolas locum habet.

Ad jus praelationis exercendum, requiritur pretii depositum, obligatio aedes reficiendi, et ornandi intra certum tempus – ibidem. –

2. *Ut locum habeat* lex si quis sepulcrum ff. de releg. et sumpt. fun., *demonstrandum, Ecclesiae necessitas, contiguitatem aedibus retrahentis et quod grave damnum vicino non inferatur.*
3. *Loci angustias, et aeris insalubris, non sunt causas sufficientes ad obtinendum retractum praelationis.*
4. *Ex praefata lege si quis sepulcrum, non tribuitur actio civilis, sed facultas tantum datur officium judicis implorandi.*
5. *Vicinas tantum dicuntur aedes, quas parietibus aliqua ex parte conjunguntur.*
6. *Judex ex arbitrio boni viri expendere debet, an grave, vel leve sit damnum, quo vicinus afficitur ex retractu coactivo.*
7. *Qui semel oblatam praelationem recusavit, nequit amplius eam impetere.*

DECISIO CLVIII.

Quas ædes Anagniæ in Hernicis Emphiteutico jure possidebat Doctor Medicus Ignatius Carticoni, eas, accedente directi Domini Aloysii Lauri consensu, vendidit Alexandro Capo ex Oppido Vallis Cursiæ privata primum syngrapha Anno 1820. die *decima octava* Decembris obsignata, et publicis deinde tabulis quarto Kalendas Maii insequentis Anni confectis, ac pretii nomine emptor argenteos nummos *tercentum quinquaginta* persolvit. At, quamvis nulla non modo lex Anagniæ vigeat, quæ vicinis jus retrahendi tribuat, sed nulla præterea adsit inter ædes alias Seminarii Anagniæ vicinitas, satius tamen duxerunt, tum Emphiteuta, tum etiam dominus directus, antequam contractus inirctur, ipsarum ædium venditionem Seminarii Moderatoribus amice proponere, quam omnino recusarunt. Mox autem, deserto Oppido Vallis Cursiæ, distractaque domo, quam ibi habebat, cum Anagnium sese contulisset una cum uxore, et septem liberis Alexander, ut fere quotidianas latronum incursiones patriam suam vexantium effugeret, repente accidit, ut Seminarii Moderatores, qui emptioni antea propositæ abnuerant, pænitentia ducti, solliciti esse cæperint de ædibus illis retrahendis. Actum de hac re primo fuit apud Sacram Congregationem, negociis Episcoporum, et Regularium præpositam, inter Seminarii Moderatores, et Alexandrum Capo ædium emptorem. Re nihilominus adhuc integra, delata petitae praelationis cognitio fuit ad Judices AC. a quibus inimica Sententia rejecti Seminarii Moderatores ad Sacrum Nostrum Ordinem provocarunt. Mihi itaque commissa Caussa, dirimendam hoc mane Patribus exhibui Dubii formulam = *An sit locus praelationi in casu etc.* = et Responsum = *Negativum* = incunctanter accepi.

Recte siquidem visum est, neque vulgatissimam Constitutionem S. M. Gregorii XIII. neque celebrem ecusuram *leg. Si quis Sepulchrum ff. de Religios. et sumpt. funer.* praesidio esse posse Seminarii Moderatoribus, ut imploratam aedium praelationem obtineant. Ut enim est doctis indoctisque notissimum, Gregoriana Constitutio, quae praecedentes S. M. Pii V. Sanctiones abrogavit, cum propter Urbis ornatum in vulgus edita fuerit, ideo inter Urbis tantum incolas locum habet, nec ultra progreditur. Quod si etiam opitulari Gregoriana Constitutio posset Seminarii Moderatoribus, non solum in themate haud ea concurrunt, extrema, quae Pontifex ille praestituit, sed ne servarunt quidem Seminarii Moderatores eas conditiones, quae necessario requiruntur ad jus praelationis exercendum; pretii nempe depositum, et obligatio aedes reficiendi, et ornandi intra certum tempus, et juxta certum modum. Seposita igitur Gregoriana Constitutione, unum supererat expendendum, an hoc jus praelationis experiri valeant seminarii Moderatores *ex leg. Si quis Sepulchrum ff. de relig. et sumpt. funer.*, ubi cavit *Ulpianus*, *quod: Si quis Sepulchrum habeat, viam autem ad Sepulchrum non habeat, et a vicino ire prohibeatur, Imperator Antoninus cum patre descripsit, iter ad Sepulchrum peti precario, et concedi solere: Ut quoties non debetur, impetretur ab eo, qui fundum conjunctum habeat. Non tamen hoc Rescriptum, quod impetrandi dat facultatem, etiam actionem civilem inducit Sed extra Ordinem interpelletur Præses*

etiam compellere debet justo pretio iter ei prestari, ita tamen ut Judex de opportunitate loci prospiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum ».

2 Nullum sane dubium erat, quin hæc legis dispositio, quamvis loquatur solum de cogendo vicino ad vendendam viam, ad Sepulchrum eundi Causa, ex identitate tamen rationis ita a Doctoribus interpretata fuerit, ut vires suas æque exerat quoad constructionem, ac ampliationem Ecclesiae, Cænobii, Collegii, Gymnasii, Seminarii, aliorumque similium locorum, veluti monent *Capon. controv. forens.* 1. *num.* 4. *et sequ. Cyriac. controv. forens.* 231. *num.* 12. *Gratian. discept. forens. cap.* 896. *num.* 2. *Giurb. decis.* 86. *num.* 8. *Constantin. ad Statut. Urb. Annot.* 24. *Art.* 8., *quibus adhæret Rot. decis.* 372. *n.* 1. *part.* 1. *Rec. Decis.* 213. *num.* 4. *part.* 2., *et decis.* 746. *num.* 3., *et* 4. *cor. Cerro.* Sed oportet extrema Legis evidenter ostendere, ut Judex Officium suum interponat. Quemadmodum enim, hisce deficientibus extremis, vetitum erat vicinum cogere ad viam justo pretio vendendam, quæ duceret ad Sepulchrum; ita moribus nostris nefas est invitum dominum compellere ad rem vendendam Ecclesiæ, Monasterio, cæterisque Piis Locis, nisi constet omnia confluere, quæ ab ipsa lege necessario requiruntur. At vero tria sunt, quæ simul concurrere debent, ut locum habeat dispositio Legis, veluti etiam a conceptissimis ejus verbis eruitur. Demonstranda primo loco est vera necessitas Ecclesiæ, vel Monasterii emere volentis; tum evincendum, Ecclesiam, vel Monasterium *contiguum, et proximum* esse ædibus retrahendis: demum prospiciendum, *ne grave damnum* vicino inferatur, qui ad vendendum cogitur. *Gratian. discept. forens. cap.* 742. *num.* 25. *et sequ Gusmon. de evict. quæst.* 52. *num.* 33. *Giurb. decis.* 86. *num.* 9. *Constantin. ad Statut. Urb. Annot.* 23. *Art.* 8. *Rot. decis.* 428. *num.* 3. *et* 4. *cor. Manzanedo.*

3 Ad necessitatem ampliandi ædes Seminarii Anagnini quoad pertinet, inquiebant ejus Moderatores, hujusmodi esse angustiam loci, ut adolescentuli æstivo tempore sæpe debeant, vel ad patrios lares remeare, vel noctu deserere cubicula, levamen alibi ut quærant. Addebant præterea, novis ædibus opus esse ad alumnos continendos, quorum numerus excrevit. Caussabantur rursus, obsitas esse tenebris scholas: morbis affici juvenes ex aeris insalubritate: parandum denique esse Gymnasium, ubi. Alumni non modo, sed cæteri omnes Anagniae incolæ una cum ludi Magistris excipiantur, ut inter ipsos Seminarii Moderatores, et Anagninos Municipes convenit. Verum nullius momenti hæc omnia esse Patres censuerunt. Constabat enim multo magis, quam in præsens, retroactis Annis floruisse Seminarium Anagninum, ubi Anno 1795. Septuaginta, et amplius adolescentuli numerabantur, licet eum Seminario conjungeretur Gymnasium publicum, eademque esset angustia loci, aeris insalubritas, Scholarum obscuritas. Modo autem præter quod alibi patet Anagninis incolis Gymnasium publicum, quam penes Seminarium, et facta est non ob Angustiam loci, sed alias ob caussas utriusque divisio, illud etiam accedit, minorem esse alumnorum frequentiam, quorum numerus ad sexaginta unum vix nunc pervenit. Quocirca si de Angustia loci non querebantur Seminarii Moderatores, dum major erat juvenum multitudo, et Gymnasium publicum Seminariu conjungebantur; multo minus licet querelas ullas excitare, dum imminutus est alumnorum numerus, et inita Seminarii, et Gymnasii publici divisio.

Cæterum, ut deponebant plures testes fide dignissimi, quorum nonnulli Sacerdotali charactere fulgent, non deest Seminario loci amplitudo. Nam uti commode possunt Seminarii Moderatures binis amplis cubiculis, quæ æstivo solum tempore patefiunt Uti pariter possunt aula magna ludicris spectaculis olim destinata. Quod si placet, possunt etiam ex testimonio periti hominis fabricam extruere, vel ex latere eavædii controversarum aedium, vel quoque supra hortum Alexandri Capo, cum praecipue non desit, qui, pietatis, et religionis ergo, paratum sese exhibet obeundis sumpti- 4

bus constructioni necessariis, dummodo datum ei sit, vice fructuum pecuniae, pensiones exigere illius partis novi aedificii, quae, post deducta cubicula, et diaetas, quibus indiget Seminarium, locanda supererit. Si igitur nulla urget necessitas retrahendi aedes ad Alexandrum Capo spectantes, quae commodum, et utilitatem tantum Seminario afferrent; jam planum est, nullum jus praelationem petendi, Moderatoribus Seminarii competere. Cum enim in dispositione praefatae *legis si quis Sepulchrum* nulla tribuatur actio civilis, sed facultas tantum detur officium Judicis implorandi, propterea Judex, ubi quaeritur de retractu, tenetur rei circumstantias sedulo perpendere, et non ad commodum petitoris, sed ad veram, propriamque necessitatem *respicere Gratian. disc. forens. cap.* 722. *num.* 26. *Rot. decis.* 217. *num.* 2. *et* 3. *cor. Benincasa*, *et dec.* 27. *n.* 2. *cor. Eodem.*

5 Quantum vero deficiebant Seminarii Moderatores in demonstranda necessitate retrahendi ædes, tantum vicinitatis probatio ab eis desiderabatur. Vicinæ quidem sunt illæ, quæ parietibus aliqua ex parte conjunguntur *Leg. Sed loci* §. *ult. ibique glossa verb. confinia ff. de fin. regond.* At adeo abest parietibus conjungi controversas ædes cum ædibus Anagnini Seminarii, ut imo, veluti patebat ex ichnographica tabula, et iidem Seminarii Moderatores ultro fatebatur, via publica inter eas intercedat, quæ de sui natura impedit vicinitatem *Patrichell. de distant. cap.* 6. *memb.* 9. n. 4. *Mantuan. consult.* 103. *num.* 1, *Rot. in Rec. dec.* 555. *n.* 18 *part.* 18., *et dec.* 141. *n.* 46. *coram Ansaldo.* Nulla ergo adest vicinitas, ac nullum per consequens retrahendi jus. Nam si quando retractus jura, impellente necessitate, exercere liceat, exercenda profecto sunt inter proximos, et vicinos, non autem inter dissitos possessores, ut ipsa innuit superius citata lex *si quis Sepulchrum.* Nugatorium hinc erat objicere, constructo fornice, unum alterumque ædificium facile conjugi posse. Hoc quippe remedio, fornicibus utique constructis, universæ Civitatis Anagniæ Domus erunt Seminario Vicinæ; qua sane re nihil futilius excogitari potest.

Nec prætereundum denique est maximum damnum, quod in Alexandrum Capo veniret, si is cogeretur ædes vendere Seminario. Non alia porro de causa domicilium suum una cum uxore, et liberis Anaguiam transtulit Alexander, nisi, ut latronum periculum anteverteret, qui in Vallis Cursiæ Pago, et circumjacentibus Oppidis impune grassantur. Ideo patrios lares divendidit minimo pretio, et fatiscentes Ignatii Carticoni ædes sibi comparavit Anagniæ, ubi tutus a nequissimorum hominum insidiis liberali, et religiosæ filiorum educationi operam dare possit. Quare valde asperum, et inhumanum Patres Domini censuerunt honestum, et frugem patrem familias, qui plures sumptus erogavit in ædium instauratione, post tot compellere ad ædes deserendas; easque Seminario vendendas. Judex enim, cujus arbitrio n Legibus remissum est expendere, an grave, vel leve sit damnum, quo vicinus afficitur ex petito retractu, ut monent *Capon. contror.* 1. *num.* 41. *Card. de Luc. de servit. disc.* 83. *n.* 4., *Constantin. ad Stat. urb. Annot.* 24. *art.* 8. *n.* 156., *Rot. decis.* 373. *n.* 2. *part.* 1. *Recen.*, nunquam solet Officium suum interponere, ubi videat, non leve detrimentum vicino fore allaturam incundam ex auctoritate sua venditionem. *Rot. in Romana Prælationis* 23. *Junii* 1732. §. *Exclusis cor. Gamaches in Romana Extirpationis Arborum* 4. *Junii* 1779 §. 7. *cor. Azedo*, *et in Firmana domus super coactiva venditione* 14. *Maii* 1784. §. 2. *et sequ. Flangini.* 6

Idque eo magis retinendum erat, quia Seminarii Moderatores antequam contractus emptionis venditionis cum Alexandro celebraretur, urbanitate summa rogati fuerunt, an vellent in emptione venditione præferri, et oblatam prælationem constantissime recusarunt. Si itaque data occasione, renuerunt accepto habere contractum, nequeunt hodie proprium factum in discrimen revocare, et privilegio uti legis *Si quis* 7

Sepulcrum, quæ cæteroquin adversatur dispositioni alterius *leg. dudum Cod. de contrahenda empt.*, *et vend*,, ex qua liberum cuique arbitrium conceditur, quibus magis vult, res suas vendendi: Propterea extraordinarium istud privilegium odiosum in jure reputatur, ac stricte intelligendum est, adeo ut in quolibet dubio reicienda sit prædictæ legis dispositio, et pro libertate vendendi pronunciandum. *Capon. dict. controv.* 1. n. 37. *Constantin. dict. Annot.* 24. *art.* 8. *n.* 559. *Devot. de not. in jur. leg. edit. Rom.* 1816. *pag.* 206., *Rot. in Recen. decis.* 373, *n.* 7., *decis.* 676, *n.* 2. *part.* 1. *decis.* 428. *n.* 2. *cor. Mansanedo*, *et decis.* 217. *et* 218. *n.* 8. *et* 9. *cor. Benincasa.*

Et ita, utraque parte dimicante decisum est.

ASCULANA IMMISSIONIS

Veneris 12 *Martii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO LXXII. »

SUMMARIUM

1. *In donatione inter vivos, dominium statim transit in donatarium.*
   Ubi adjecta fuerit clausula Constituti, *civilis possessio statim transfertur, etiamsi materialis penes Constituentem maneat - ibidem.* -
2. *Insinuatione non indiget donatio emissa intuitu certi, ac determinati matrimonii.*
3. *Veritas actus nequit in discrimen revocari, si fuit exaratus Judice Auctorante, ac coram Testibus.*
4. *Donatio correspectiva et onerosa, perfici potest absque solemniis.*
5. *Motus Proprius* 6 Julii 1816, *duo copulative exigit, ad irrevocabilium donationum validitatem, nempe instrumentum publicum, atque insinuatio.*
6. *Quod sub una conditione datur, sub contraria censetur ademptum.*
   Pater non gaudet usufructu super bonis donatis filio intuitu matrimonii - ibidem. -
7. *Dictio* - che se - *conditionem, non paenale pactum importat.*
8. *Ubi cui ex pacto non damnum sed lucrum obvenit, pactum dici non potest paenale.*
9. *Quisque invitus in comunione, et convictu cum alio manere non debet.*
10. *Si bona donata non attingunt aestimationem conventam, jus est ad petendum supplementum.*
11. *Fructus rei donatae debentur a die motae litis.*

DECISIO CLIX.

Bonorum, quæ dicta fuerunt = *di valore in somma di scudi sedicimila quattrocento sette* = quæve, cum accurata eorumdem designatione, intuitu certi, et determinati matrimonii ineundi, ac reapse deinceps initi, inter Nicolaum Vulpiani, et lectissimam puellam Lucretiam Odoardiam, sponsi pater Philippus donaverat in hujusce matrimonii solemnibus tabulis, coram Judice ejusque Decreto accendente, exaratis, ad diem 17 Februarii 1821, ut matrimonii = *che altrimenti non seguirebbe* = onera facilius idem ferret sponsus, quorumve, promissa sponsis, eorumque superventuræ proli, omnimoda decora exhibitione administrationem, ac usumfructum sibi reservaverat *nello stato di unione ed armonia con li Signori Sposi* =, ea donatario statim sese daturum promittens, = *in proprietà* = cum = *pieno godimento*, ed *usofrutto* =, præter alia plura sponsis præstanda, ac in prædictis tabulis recensita, si forte = *per inaugurata combinazione andasse a mancare l'introitatasi piena armonia ed unione* = cum traditionem conventam implere ipse renueret donator, quamvis eum inter, ac sponsos dissolutus extitisset mense Julio prædicti anni 1821 convictus et cohabitatio ex ejus facto, ob promissa ab eo non servata, invito quidem animo debuit Nicolaus una cum uxore judicio adversus eum agere, ut eum ad pactorum exequutionem adigeret; ac ut ejus tergiversationibus finis imponeretur, obtinuit a R. P. D. Auditore SSmi rem definiendam deferri una cum aliis quibuscumque quæstionibus, ab ea provenientibus, ad S. Nostrum Ordinem = *Videntibus omnibus*, *prævis duabus, appellatione remota, tamquam in prima cum facultatibus A. C.* Hinc die 9 Decembris anni 1822 pro-

posito per me Omnibus Dominis Dubio = *An sit locus immissioni ad possessionem bonorum comprehensorum in Instrumento Donationis diei 17 Februarii 1821, restitutioni fructum a die motæ litis, et assignationi habitationis instructæ mobilibus et utensilibus, ita ut sint relaxanda Mandata de immittendo, de restituendo et de assignando in casu etc.* responsum fuit datum, Philippo vadimonium deserente = *Affirmative in omnibus* = sicuti, ex Decisione patet, quam ad eam diem vulgavi, quæve factorum, ac judicialium actorum seriem fusius exponit. Ad tramites superius memorati Rescripti Auditoris SSmi, rursus hodie Patrum Sententiam super hac controversia requisivi, ac in irritum cessare Philippi conatus ad præcedentem convellendam Decisionem; nam de hujus viribus Universa Aula interrogata; sub assueto Dubio = *An sit standum, vel recedendum a decisis* = mihi ulla absque bæsitatione, respondit = *In Decisis.*

1 Manifestissimum siquidem est jure meritoque postulare Nicolaum, et Lucretiam Vulpianos Conjuges a parente ac respective socero Philippo, *tam* absolutam liberamque traditionem bonorum, quæ descripta, ac comprehensa videntur in ejus donatione diei 17 Februarii anni 1821 una cum restitutione fructuum eorumdem bonorum a die motæ litis, *quam* assignationem habitationis, necessaria, decentique supellectili instructæ, cum hæc omnia ipsis debeantur in vim irrevocabilis prædictæ inter vivos donationis. Ad petitam primum quod spectat immissionem ad ea donata bona, tenendum firmiter est ea bona statim, emissa donatione, in donatarii dominium transiisse, cum hic sit irrevocabilium inter vivos donationum effectus, *ad Text. in Leg.* 35 37 *Cod. de donat. et Vinn. Instit. lib.* 2 *Tit.* 7 in *Proemio num.* 2 cum præterea agatur de donatione expleta intuitu certi, ac determinati matrimonii = *che altrimenti non seguirebbe* = qua utriusque Conjugis et superventuræ prolis interesse respexit, nullumque ideo donanti pænitentiæ locum reliquit per *Leg. Perfecta Cod. de Donation. quæ sub modo etc.*; cum demum donationi adjecta fuerit *clausula Constituti* erga donatarium, per quam in Constitutarium, transfertur civilis, et manutenibilis Bonorum possessio, materiali tantum penes *Constituentem* remanente. *Leg.* 18 *ff. de acquirenda possess. Barbosa de Clausulis, Claus.* 31, *num.* 2 *Card. De Luca de Jure Patronatus Disc.* 63 *num.* 38 *et de Feudis Disc.* 127 *num.* 8 *Rot. post Posth. de Manutent. Decis.* 89 *num* 5 *Decis.* 233 *num.* 5 *part.* 18 in *Recent. Dec.* 437 *num.* 1 *cor. Ludovis. Decis.* 95 *num* 11 *coram Otthobon. in Romana Pecuniaria* 14 *Martii* 1755 §. 6 *coram Borull. et in Viterbien. Manutentionis* 20 *Junii* 1790 §. 6 *coram Cornelio* =. Vulpianiis itaque conjugibus, qui donatorum bonorum illico per donationem dominium, civilemque possessionem acquisivere, merito immissio tributa fuit ad materialem illorum possessionem ad firmata per *Rot. Dec.* 24 *num.* 10 *coram Cerro Decis.* 187 *num.* 2 *cor. Molines Dec.* 2 *num.* 6 *coram Falcouer. Tit. de retinenda possessione, et in Auximnua Donationis* 3 *Martii* 1795. §. *final. cor. Priolo,* uti animadvertit præcedens Decisio, quæ confirmatur, *num.* 6.

Hanc ut effugiat bonorum traditionem, filiumque, ac norum acerbissima lite divexet; nil intentatum reliquit Philippus. Primum ipse summis viribus adversus donationem insurgit, eamque nullam renunciandam esse contendit ex asserto insinuationis defectu. At ei factum, et jus incluctabiliter restitunt. Jubente enim S. Nostro Ordine insinuationis donationis monumentum a Vulpianis conjugibus proferri, illico ipsi præcepto paruerant, et exhibitum apud S. Tribunalis acta documentum prostat, ex quo patet die 28 Mensis Septembris anni 1821 donationem fuisse rite insinuatam, antequam lis initium baberet, cum hæc mota fuerit die 2 Octobris 1821. Verum, hoc etiam, quod omnem removet quæstionem, seposito, plura in jure concurrunt, quæ nulla quoad donationem, de qua agitur, insinuatione 2

opus fuisse demonstrant, ita ut hæc supervacanea prorsus et ad abundantiam expleta dicenda sit. Occurrit primum eam donationem emissam a Philippo fuisse per solemnes tabulas, adstante, et auctorante Judice; fuisse ab ipso Philippo juramento vallatam; et fuisse ab eodem Judice quoad insinuationem declaratum, quod omnia in ea donatione contenta = *intanto per insinuate le vuole avere, supplendo a tutti i difetti, se mai vi fossero* = quibus in terminis insinuationis necessitatem omnino exulare sæpissimo firmavit S. Noster Ordo, præsertim in *Setina Immissionis* 26 *Junii* 1797 §. 4 *coram Malvasia* = Hæc autem prætermitti etiam possent ullo absque Conjugum de Vulpianis præjudicio. Ad rem enim propius accedendo animadverterunt Patres, Philippum non simpliciter, et ex liberalitate tantum donasse, sed = *a titolo di antiparte* =, et intuitu certi, et determinati Matrimonii = *che altrimenti non seguirebbe* =, contrahendi inter ejus filium Niculaum, et Lucretiam Odoardiam, quæ, cum haud exigua Dote prædita esset: nunquam absque ea donatione assensum illi Matrimonio præstitisset.

3 Et sane in nuptialibus tabulis exaratis = *innanzi il Presidente del Tribunale Civile di Prima Istanza di Ascoli ad interporre i Decreti ne Contratti simili Giudice Ordinario, e competente* =, coram Notario, ac Testibus, conspicua videtur dos, = *in tutti i Beni stabili, che essa ha* = sibi a Lucretia constituta, ac dein expressum legitur. *Dall'altra parte a contemplazione di questo certo e determinato Matrimonio, che altrimenti non seguirebbe, il Signor Filippo Vulpiani Padre dello Sposo Sig. Niccola cede ed assegna a titolo di antiparte, e con atto di donazione fra vivi e così con la clausola, ed effetto del Costituto in forma gl' infrascritti fondi del valore, come si giustificò, in somma di Scudi sedeimila quattrocento sette* =; accedente donantis renunciatione = *a tutte, e singole Leggi, favori privilegj in qualsivoglia modo competenti a favore dei donanti, e specialmente ec.* =, ejusque de promissis semper reservandis juramento; atque interposito ab Judice decreto, qui = *Sopra le quali cose tutte ha comandato, che abbiano da valere, e tenere di ragione, ed insinuare si debbano per gli atti di qualunque Notaro, ed intanto per insinuate le vuole avere, supplendo a tutti i difetti se mai vi fossero.*

Hujusce stipulationis tenor, qui potius in antecessum portionis hæreditatis erga Nicolaum « *a titolo di antiparte* » a solemnium necessitate exemptam, quam donationem præseferre dici posset, etiam si verum donationis actum exhibere admittatur, non aliam hinc esse donationem, quam correspectivam, onerosam, et intuitu certi, ac determinati Matrimonii emissam, ita ut vere contractus sit « *do ut facias* » ac relatis Instrumenti verbis perspicuum est. Hæc itaque ejus qualitas effecit, ut nullæ ad ejus validitatem requirerentur, solemnitates, cum hæc sit cujuslibet cerrespectivæ, et onerosæ donationis indoles, quæ absque solemniis, ac etiam insinuatione validæ sunt, cum fuerint ab eo expletæ, qui libera contrahendi facultate pollet *Rot. in Auximana Donationis super Negotio Principali* 21 *Februarii* 1752 § 25 *coram Caprara*; *in Romana Assignamenti* 16 *Jun.* 1795 § *fin. coram Stadion*; *in Albanen. Manutentionis* 22 *Aprilis* 1757 § 7 *coram Frangipane, et in Fanen. Immissionis* 16 *Martii* 1790, § 8 *coram Acciajuoli* ». Quod eo magis in themate procedit, in quo agitur de donatione, cujus correspectivitas in eo stetit, ut fuerit a Philippo emissa intuitu certi, ac determinati Matrimonii Nicolai filii cum Lucretia Odoardia », *che altrimenti non seguirebbe* =; nam receptissimi juris est in donationibus, quæ fiunt contemplatione certi, et determinati Matrimonii, solemnitates impune præteriri posse, uti præsertim quoad insinuationem, tradit *De Luca Disc.* 66 *num.* 55 *ad Donat.*; *Surd. de Alimentis tit.* 27 *num.* 4, *Constant. de Stat. Urbis Annot.* 44 *num.* 94, *Alexandr. Cons.* 12 *num.* 15. *Adden. ad Buratt. Dec.* 638 *num.* 5 *part.* 4 *tom.* 1, *et De-* 4

cis. 58 *num.* 48 *part.* 6 *Decis.* 76 *n.* 6 *et seqq. Tom.* 4, *et Decis.* 185 *num.* 1 *tom.* 7 *in Nuperr. Dec.* 229 *num.* 8 *coram Merlin. Dec.* 397 *num.* 24 *coram Ansaldo*; *in Setina Sponsalium super damnis, et expensis* 4 *Martii* 1754 § 3 *coram Elephantutio, in Romana, seu Spoletana Donationis* 2 *Maji* 1760 § 3. 4 *coram Cornelio, in Farfen. Exequutionis Apocæ* 4 *Decembris* 1761 § 4. 7 *coram Herreros, et in Firmana Manutentionis, et Reintegrationis* 28 *Martii* 1803 § 7 *coram Strasoldo* ». Cessat ergo omnino in jure oppositus in hac, de qua agitur, donatione assertus insinuationis defectus, qui cæteroquin, ut superius fuit demonstratum, nullo modo iu facto subsistit; accedente præterea quod donatio per solemne Instrumentum, intercedente Judicis Decreto perfecta fuit; ex quo fortius insinuationis necessitas excluditur; ad tradita *per De Luc. de Donat. Disc.* 60 *num.* 39 *Mantiss. ad Card. De Luca Decis.* 4 *num.* 23 *et Rot. Decis.* 4 *num.* 3 *coram Falconer. de Donat. Decis.* 1363 *num.* 4 *coram Lancetta, Decis.* 558 *num.* 2 *et decis.* 614 *n.* 2 *coram Olivatio, et in Auximana Donationis super Negotio Principali* 21 *Februarii* 1752 § 25 *coram Caprara*; *et superius cit. Setina Immissionis* 26 *Junii* 1797 § 4 *cor. Malvasia* ».

5 Nec aliter sentiendum est ob sanctionem Motus Proprii 6 Julii anni 1816 sub Art. 126, 127, ex qua inducere Philippus vellet abrogatas fuisse veteres leges, quibus donationes correspectivæ, ac intuitu certi et determinati Matrimonii emissæ, a necessitato insinuationis eximebantur, ac insinuationem fuisse præscriptam quoad umnes donationes cujuscumque sint generis, ideoque, insinuatione deficiente, irritam fuisse donationem a se emissam post prædictum Motum Proprium vulgatum. Si namque prædicti *Articuli* una simul, et accurate perpendantur, illico patet extraneam prorsus a themate esse eorum censuram. Articulo siquidem 126, constitutum fuit, quoad donationes *in genere*, excedentes summam scutorum *quingentorum*, quod = *non saranno valide se non saranno fatte per istromento pubblico, ed insinuate nelle solite forme* = Duo itaque copulativo exigit Motus Proprius ad irrevocabilium donationum *in genere* validitatem; earum, nempe, perfectionem = *per istromento pubblico* = atque quod sint = *insinuate nelle solite forme* = At quoad donationes *in specie*, quæ præcipuæ sint ob = *il giuramento*, *il favore del Matrimonio* = ac = *altro titolo qualunque* = subsequens articulus 127 jubet quoad hæc omnia = *non possino convalidarle, qualora siano fatte per atto privato*, *o manchino dell' insinuazione* = Ergo, cum disjunctive per verbum = *O* = nullas voluerit Legislator hasce donationes in specie = *fatte per atto privato* = aut quæ = *manchino d' insinuazione* = plane consequitur, argumento ductu a contrario sensu, quod irrita dici nequeant in uno, vel altero casu, qnod scilicet non sint emissæ = *per atto privato* = sed per solemne Instrumentum, aut haud = *manchino della insinuazione* = Quamobrem, cum donationem emiserit correspectivam, atque intuitu certi, ac deternati matrimonii Philippus per solemne Instrumentum, adstante, atque auctorante Judice, sat hoc superque est ad eliminandam ejus de asserto insinuationis defectu futillimam diatribam, Præterea animadverterunt Patres, Pontificem loquutum fuisse generatim de » *favore del matrimonio* » qui sit non est ad reddendam correspectivam donationem ob eum perfectam; ad hoc enim efficiendum oportet quod donatio fuerit expleta intuito certi, ac determinati matrimonii, ut nostro in themate evenit. Hinc cohibenda, non amplianda est veterum Legum per Motum Proprium correctio; cum præsertim agatur de servandis indemnibus iis, qui matrimonium contraxere sub bona fide; et ad donationem, qua sine illud = *non seguirebbe* = et qui ab eo indissolubili vinculo sese expedire haud possunt.

Constituta ex hisce omnibus validitate donationis, in falsissima etiam hypotbesi quod non fuerit insinuata, audiendus non est Philippus, dum eam exequi renuit, donatorum bonorum tra- 6

ditionem filio, nuruique denegans, quia ipsorum administrationem, et usumfructum sibi quousque viveret, reservavit. Hæc enim reservatio non pura, sed conditionata fuit; progressura nempe tantum = *nello stato di unione, ed armonìa con i Signori Sposi* =: dissolutoque inter Philippum, ac Sponsos convictu, administrationis etiam, et usufructûs ea resèrvatio cessare debuit quia quod sub una conditione datur, sub contraria censetur ademptum, uti, post *Text. in Leg. Si post mortem ff. de Legat. Donell. in Comment. Juris Civilis lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 9. *Averan. Interpret. Jur. Civ. lib.* 4 *lib.* 32 *num.* 18 *Rota in Nuperrimis decis.* 37. *num.* 4. *tom.* 6. *in Tuden. Parochialis* 19 *Februarii* 1759 § 13 *coram Herroros, in Sedunen. Juris Patronatus* 9 *Junii* 1777 § 2 *coram Litta, et in Forolivien. Ligitimæ quoad Paraphernum* 25. *Junii* 1790. §. 4. *coram Resta*, advertit præcedens *mea Decisio*, quæ confirmatur, § 7. Eoque magis in casu id obtineat oportet, quia disertissimis verbis in donationis solemni Instrumento fuit cautum = *che, se per inaugurata combinazione venisse a mancare l' introitatasi piena armonìa, ed unione, e si dasse luogo alla separazione, in tal caso lo stesso Signor Niccolò Sposo, oltre la proprietà dei beni, ai quali si riferisce la fatta donazione a titolo di antiparte, ed a contemplazione di matrimonio dovrà avere, come espressamente si conviene anche il pieno godimento, ed usufrutto* =. Donantem itaque inter ac Donatarios animorum concordia, ac domestica quies cum infeliciter cessaverit, et cum Sponsi a paterna domo recedere debuerint, statim, in vim prædictæ stipulationis jus ipsi acquisiverunt ad retrahendum bonorum usumfructum, ac administrationem a Philippo, qui neutrum amplius retinere poterat ex conventis = *se per inaugurata combinazione andasse a mancare l' introitatasi piena armonia, ed unione, e si dasse luogo alla separazione* =.

7 Donationis validitatem, ac relatae conventionis efficaciam optime sentiens Philippus, summo studio suadere conatur probandum a filio, nuruque esse convictus dissolutionem ex ipsius Philippi facto, qui ei causam intolerabilibus agendi modis dederit, provenisse, secus enim locum esse haud posse petitæ ab ipsis traditioni bonorum, ac assequutioni borum usufructus, et administrationis, contendens hæc adversus ipsum, non conditionis, sed pænæ nomine conventa fuisse. Verum ejus argutationes Patres facili, brevique juris, ac facti responso eliminari viderunt. Perspexerunt enim in jure, quod verba = *che se per inaugurata combinazione andasse a mancare ec.* = manifestissimam conditionem non pænale pactum important, cum hæc sit vis indubia dictionis = *che se* = per *Text. in Leg. Stich. qui meus erit ff. de Leg.* 1 *Leg. qui promisit. ff. de condictione indebiti Leg. si Titio in princ. ff. quando dies legati cedat Surd. Cons.* 308 *numer.* 51 *Rota decis.* 305 *num.* 1 *part.* 2 *et decis.* 77 *numer.* 3 *part.* 7 *in Rec., et in Ravennaten. Retractus* 4 *Maii* 1755 § 2 *cor. Acciajuoli.*

Perpenderunt vero in facto quud, 8
dum Philippus sibi reservavit donatorum bonorum usumfructum, et administrationem = *nello stato di unione, ed armonìa con li Signori Sposi* = hæc reservatio non ei lucrosa, sed potius onerosa fuit, quia sese obstrinxit = *durante questo stato somministrare alla Signora Sposa a titolo di spillatico scudi sessanta, ed allo Sposo a titolo di vestiario annui scudi cento; provvedere in pari tempo al di loro sostentamento con tavola proporzionata alla loro nobile condizione, mantenendo costantemente a servizio della Signora Sposa l' uso, e commodo della carrozza con cavalli da tiro, e cocchiere, oltre un servitore di livrea, ed una cameriera di speciale di lei servizio, obbligandosi eziandio a tutte, e singole spese per l' educazione dei figli, siasi in patria, siasi fuori di essa, e per il basso vestiario dello Sposo Signor Niccola* = atque addidit = *lo che dovrà aver luogo nello stato di unione, ed armonìa di essi Signori Sposi* = cum ipso donante. Quo statu ces-

sato, et facto loco traditioni bonorum Nicolao cum » *pieno godimento*, *ed usufrutto oltre la proprietà* » cessare etiam cum deberent prædicta onera a Philippo ferenda, manente apud ipsum usufructu, et, bonis traditis, cum nil aliud conjugibus, eorum proli præstandum ab ipso esset, quam » *l' appartamento libero con corrispondente mobilio, biancherìe sì di tavola, che di letti, di utensili, ed attrezzi convenienti nel modo stesso di destinazione ol primo ingresso della Signora Sposa nella caso moritale del Signor Padre Filippo* » sarcta tecta servata assignatione currus cum equis, ac jocalium erga Lucretiam » *con titolo di proprietà senza poterne rimanere in alcun modo, ed in qualunque evenienza spogliata siasi per fatto proprio* » ipsius Philippi » *sia per fatto altrui* »; patuit idcirco resolutionem reservationis ususfructus prædicti, et administrationis, non gravem, sed imo quam maxime utilem Ph lippo esse futuram, quia una cum ea resolvenda erat ejus obligatio ferendi tot superius relata onera, quæ procul dubio impleri haud poterant solo reditu dictorum bonorum, cujus valor ne ad scuta quidem *decemmillio* adscendebat, quamvis Philippus ea, ut facilius Lucretiam ad conjugium cum filio incundum alliceret callide dixisset valoris scutorum 16407. Quare manifestissimum Patribus fuit pænale nunquam dici posse pro Philippo pactum illud liberae traditionis bonorum Vulpianiis Conjugibus, ex qua ipsi lucrum, his damnum obveniret.

9 Si itaque reservatio ususfructus, et administrationis donatorum bonorum pro Philippo, eorumque per ipsum retentio alligata fuit conditioni permanentiæ status » *della piena armonia, ed unione* » inter ipsum, et filium, nurumque, disrupta hac animorum concordia, convictuque cessato, non erat a Patribus investigandum ex cujus facto, culpave id processerit, quia conventio ad factum tantum respexit, numquam vero ad illius originem, et causam; et quia jura vetant quemquam invitum in communionene, et convicto cum alio manere debere, sicuti, innixa *Text. in Leg. In hoc* § *si conveniot ff. commun. dividundo, Leg. final. Cod. eod. Decion. resp.* 97. *num.* 8. *et seq. vol.* 2. *Mantic. de tacit. et ambig. lib.* 6 *tit.* 23 *num.* 4. *Michalor. defrotr. pag.* 2 *cap.* 37 *num.* 17 *Jor. de Contractu Minor. Gloss.* 25 §. 13. *numer.* 297., *et sequen. et Zanch. de Societate Part.* 3. *Cop.* 8. *numer.* 44 », animadvertit præterita Decisio § 8. Nec ullo in pretio Patres habuerunt testium dicta, ac Nicolai declarationes, quibus Philippus evincere vellet conventum inter partes fuisse; quod ad resolvendam reservationem ususfructus, et administrationis, quam sibi ipse stipulatus fuit, necesse erat convictus dissolutionem oriri ex = *forti e giusti motivi derivanti da insopportabili trattamenti del Padre* =. Missis enim exceptionibus, quibus obnoxii sunt adducti testes, quorum dicta aliis testibus a Vulpianiis conjugibus productis præterea refelluntur; sat est in solemni Instrumento, Judice adstante, et suo probante Decreto, confecto, nil prorsus hac de re dictum fuisse. Ad Nicolai vero declarationes quod pertinet, præterquamquod hæ ex reverentiali saltem metu ipsius Nicolai erga patrem emissæ censendæ sunt, nulla eis vis tribui potest, cum tendant ad imminuendum effectum donationis in præjudicium Lucretiæ, Nicolai Conjugis, et prolis ex ipsorum matrimonio superventuræ, de quorum proprio jure ad donata bona ex ea donatione, intuitu illius certi et determinati matrimonii emissa, dubitari nequit, cui juri absque necessariis solemniis nil detrahi poterat = *per Text. in Leg. final. Cod. de revocand. Donation. Fontonell. de Pactis nuptialibus Gloss.* 4. *Gloss.* 9 *pag.* 5 *numer.* 7 *Rota coram Riminaldo decis.* 770 *numer.* 1 *in Urbevetana Consuccessionis* 9. *Decembris* 1814. §. 5. *coram Emo Serlupi, et in Confirmatoria diei* 10 *Mortii* 1815 §. 4 *cor. Eodem* =.

Quamquam, si deveniendum esset 10
ad perscrutandam originem prædictæ

dissolutionis convictus, ulla absque hæsitatione Patres statuendum esse viderunt causam huic Philippum dedisse. Sepositis quippe testibus hinc inde adductis, quibus una pars in alteram disruptæ animorum concordiæ culpam rejicere conatur; certissimum in facto est, Philippum decepisse filium ac nurum, dum bona donata adscendere juravit ad valorem scutorum 16407., quamvis ne scutis *decem millibus* æstimari possint, ut ineluctabiliter Vulpiani conjuges demonstrant, ex quo jus eis erit agendi ad supplementum, cum res sit de donatione onerosa, correspectiva, et intuitu certi, ac determinati matrimonii emissa, *per Text. in Leg. Julianus §. qui fundum ff. de verborum obligationibus Barth. ad eam leg. num.* 5. *Cravet. Cons.* 64. *num.* 3. *Sabell. in Summa verbo evictio* §. 12. *in fin. Rota cor. Seraphin. Dec.* 534. *num.* 3. *Duran. in Disc. ad Dec.* 285. *num.* 34. *Decis.* 64. *num.* 1. 2. *Part.* 16. *et Dec.* 101. *num.* 2. *par.* 17. *in Recent.*; certissimum in facto est Philippum totis viribus præpedire curasse bonorum transcriptionem in nomen Nicolai; certissimum in facto est ipsum induxisse Nicolaum ad superius memoratas exarandas declarationes adversus donationis tenorem solemni Instrumento conscriptum; certissimum denique in facto est eumdem, quæ in donationis tabulis promiserat, haud servasse. Quisque ex hisce intelligit, non prudentis consilii tantum, sed necessitatis etiam fuisse Vulpianis conjugibus convictum cum ipso dissolvere, ac ab ejus domo secedere. Emicat igitur justitia resolutionis S. Ordinis pro relaxatione mandati de immittendo ad bona donata erga Vulpianios conjuges, juxta præcedentem Decisionem, cui hodie albus calculus adjectus fuit.

11 Merito etiam, præter hoc Mandatum, alia eisdem Conjugibus, ad tramites prædictæ Decisionis tributa fuere pro restitutione fructuum prædictorum bonorum a die motæ litis, et assequutione habitationis decora suppellectili instructæ, una cum aliis rebus, quæ assignata conjugibus fuere, quæve ipsis, convictu dissoluto, præstanda a Philippo erant. Ad fructus quod spectat, hi ei debentur, qui ad fundos jus habet; dominii namque sunt accessorii *ad Text. in Leg. Ex diverso*; *Leg. in fund. ff. de rei vindicatione Leg. Si dominium Cod. de pignoribus Leg. Julianus* 25. *ff. de usuris*; *Rot. Dec.* 48. *num.* 4. *de Fideicom. cor. Falconer. in Firmana donationis super proprietate bonorum quoad fructus* 6. *Martii* 1818. *coram Piccolomini* §. 3. *et in Hortona Nullitatis Testamenti super Fructibus* 18. *Junii* 1819. §. 2. *coram R. P. D. meo Marco.* Hi vero fructus a die saltem motæ litis a Vulpianis Conjugibus coram Asculano Tribunali adversus Philippum pro bonorum assequutione sunt eis restituendi, uti, post *Text. in Leg. qui scit fundum ff. de usuris, et fructibus Leg.* 1. *et final. Cod. de fruct. legat.*, sæpissime firmavit S. Tribunal præsertim in *Viterbien. Immissionis super Fructibus* 21. *Junii* 1712. §. 2. *coram de Vaiis, in Ariminen. Fideicommissi Randi de Bandis* 21. *Martii* 1763. §. 3. *coram Riminald.*, *et in Firmana Donationis super proprietate bonorum quoad fructus* 6. *Martii* 1818. §. 4. *coram Piccolomini* =. Quo vero ad domum suppellectili, reque lintearia instructam, quam Conjuges seorsim a Philippo inhabitare queant, aliaque eis in casu separationis convictus ab eodem Philippo præstanda, cum de hisce prostet solemne, explicitum pactum in donationis tabulis, quod superius jam fuit relatum, hoc ad unguem servetur oportet per *Text. in Leg. cum precibus Cod. de Probationibus, et Rota Decis.* 1. *num.* 6. *coram Falconer. de pactis*; *in Tyburtina Societatis, et redditionis rationis* 4. *Maii* 1774. §. 5. *coram Canillac, et in Auximana Donationis* 6. *Martii* 1795. §. 2. *coram Priolo*; uti quoad hæc duo posteriora mandata perpendit superior Decisio, in omnibus a Patribus confirmata §§. 9. 10.

Et ita etc. Omnibus Dominis suffragantibus resolutum fuit Uraque etc.

ASCULANA NULLITATIS

ET INOFFICIOSITATIS DONATIONIS

Veneris 12 Martii 1824.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Filiis nullum est jus vivente patre insurgendi contra actum donationis ab eo factum.*
2. *Quaerela inofficiosi eo tendit, ut filii assequantur super paterna haereditate legitimam ipsis ab intestato debitam.*
3. *Quaerela inofficiosi non habet locum ubi donatio fuit correspectiva et onerosa.*
4. *Maxime si habeatur declaratio patris asserentis, se habere alia bona, ita ut nullum praejudicium juribus filiorum oriatur.*
5. *Liberum est patri sua bona distrahere vel aere alieno gravare, quin filii conqueri possint.*

DECISIO CLX.

Præter controversiam super exequutione Instrumenti Donationis, a Philippo Vulpiani erga filium Nicolaum nituitu certi, ac determinati Matrimonii, cum Nobili, conspicuaque dote prædita puella Lucretia Odoardia, emissæ, die 17. Februarii anni 1821., de qua agit mea contemporanea Decisio, alia etiam, nomine filiorum natu minorum ejusdem Philippi, excitata fuit super prætensa nullitate, ac inofficiositate prædictæ donationis. Hæc etiam a R. P. D. Auditore SSmi remissa fuit ad S. Nostrum Ordinem, definienda, uti altera, *prævii's duabus Vid. OO. DD.*, *et appellatione remota.* Cum vero Dominis placuerit, ut binæ Causæ una simul ipsorum subjicerentur judicio, hinc hodie aliud, ad hanc spectans quæstionem, dirimendum ipsis exhibui Dubium = *An constet de nullitate, seu inofficiositate donationis, ita ut sit locus rescissioni, vel reductioni, in casu etc.* =, cui, nemine pro iis Philippi filiis vadimonium obeunte, responsum accepi = *Pro Informantibus* = Vulpianis Conjugibus nempe » *Negative in Omnibus.* »

Rejicienda profecto est actio filiorum 1
natu minorum Philippi Vulpiani super nullitate donationis ab hoc expletæ, cum nullum eis jus sit, patre vivente, insurgendi adversus hunc ejus actum. Præterea vero donationis validitas adeo in contemporanea Decisione *Asculana Immissionis* demonstrata fuit, ut nullum de ea rationabile dubium extare possit. Fuit namque correspectiva, atque onerosa hæc donatio utpote emissa intuitu certi, ac determinati matrimonii = *che altrimenti non seguirebbe* = Fuit per solemne Instrumentum perfecta coram Judice, ejusque Decreto probata. Quamvis autem, tam ex ejus indole, quam ex modo, quo expleta fuit; nulla indigeret insinuatione, tamen hæc etiam insinuatio die 28. Septembris anni 1821. peracta legitime fuit. Hinc nulla nunquam dici poterit hæc donatio, quam ejus qualitas, solemniaque in ipsa perficienda adhibita, ejusque, etsi haud necessaria, insinuatio firmam omnino volunt.

Inutiliter etiam inofficiositatis que- 2
rela adversus hanc donationem proponitur. Ut paterna siquidem donatio inofficiosa a filiis dicatur, probandum ab eis est hanc donationem eorum juribus ad legitimam, vel in toto, ut ea rescindatur; vel in parte, ut ea reducatur præjudicium afferre. Cum itaque in themate non agatur de donatione a patre emissa de omnibus suis bonis præsentibus, et futuris, sed de donatione tantum particulari; et cum divinare nequeant filii quid de paterna substantia ante patris obitum, futurum sit, cum ea, ipso vivente, augeri, quam maxime etiam possit, hinc receptissimi juris est, ac rationi omnino consonum, quod, quoad pater in humanis est, nequeant filii inofficiositatis arguere donationes ab ipso expletas; ad tradita per *Perez. Nov.* 42. *et in Lib.* 3. *Cod. tit.* 29. *num.* 7. *Gomez ad Leg.* 24. *Tauri num.* 35. *Cutell. disc.* I. *sp.* 7. *de donatione Inofficiosa num.* 45. Eo præterea tendit inofficiosi querela, ut filii assequantur super paterna hereditate legitimam portionem ipsis ab intestato debitam, cujus por-

tionis quantitas cum nequeat dignosci, nisi patre pefuncto; hinc neque ante ejus obitum patere potest an inofficiosam ipse perfecerit donationem; *per Voet. ad Pandectas lib.* 39. *tit.* 5. *numer.* 38. *Merlin. de legitima lib.* 1. *quæst.* 1. *num.* 11. *et Rota in Recent. Decis.* 235. *num.* 14. *et Dec.* 439. *n.* 1. *part.* 4.

3 Accedit ad eliminandam ab hac donatione inofficiositatis querelam ejus donationis natura. Non fuit enim ipsa actus liberalitatis, filiorum jura ad legitimam lædens, qui mortuo patre, illi obnoxius sit querelæ, juxta *Auth. Unde et si parens Cod. de Inofficioso testamento, et nov.* 92., sed fuit actus correspectivus, onerosus utpote expletus certi, ac determinati matrimonii = *che altrimenti non seguirebbe* = gratia, ac intuitu, ex quo naturam habet contractus = *do ut facias* = qui inofficiosi querelæ subjici haud potest, ac retractari nequit, ut tradit *Connanus Comment. Juris Civilis lib.* 5. *cart.* 10. *num.* 5. *Torre de Pactis futuræ successionis lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 1½. *coram Crispo in Spoletana Reintegrationis, et Immissionis* 17. *Januarii* 1755. §. 8. *cor. Stadion. in Anconitana, seu Senogallien. Donationis* 8. *Junii* 1792. §. 3, *coram Paracciano, et in Urbevetana Donationis* 3. *Julii* 1803. §. 8. *cor. Altieri.*

4 Illud demum omnem rem conficit, quod, si examen suscipi posset de asserta donationis Philippi inofficiositate, hæc prorsus excluderetur ex ipsius declaratione emissa in donationis tabulis, fulcita testimonio Censualium Codicum, ac Peritorum relatione ab ipso allata, quod præter bona, quæ ipse Nicolao donabat, asserti valoris sc. 16407., alia ei remanebant ad scuta usque 51634., ut ita constare, aliorum filiorum juribus nullum ex ea donatione præjudicium inferri = *per ogni buon fine* » ita ipse sese expressit » *ed effetto, dichiara che in relazione agli altri suoi figli, che ha, oltre il detto Sig. Nicola Sposo rimangono in suo potere tanti diversi capitali, che ascendono a sc. cinquantun mila seicento trentaquattro, e baj.* 80. *in tanti fondi rustici, non compresi li fondi urbani, che egli possiede, come dalli documenti, che si uniscono al presente Istromento* = Ex confessione itaque Philippi patet tot bona præter donata ei superfuisse, ut ex iis sat superque sarta tecta manserit legitima portio Philippi natu minoribus filiis debita.

Inutiliter vero proponeretur erroneam Philippi fuisse declarationem, falsam peritorum relationem ab eo productam, vel ipsum post donationem plura distraxisse bona et grave contraxisse alienum æs. Ad declarationem enim, et Peritorum relationem quod spectat, nullum de earum erroneitate documentum affertur. Immo, cum ex censualibus tabulis constet bona donata in iis descripta fuisse, uti valoris sc. 5548. et bona rustica, quæ donatione excepta fuere relata in his videantur pro summa sc. 16820. et ob. 16. nil aliud requiritur, ut in aperto sit Philippum vix *Quadrantem* suæ substantiæ in bonis rusticis donasse, manentibus præterea penes ipsum compluribus fundis urbanis. Quo vero ad bonorum distractionem, assertumque æs alienum ab eo contractum, etiamsi hæc vera, ac legitimis probata monumentis dignoscerentur, nil tamen donationi officerent, quia uti liberum erat Philippo bona ante eam donationem expletam distrahere, vel ea pro alieno ære obligare quin de hoc ejus filii queri possent, ita conqueri ipsi nequeunt si Philippus, post donationem emissam, ea distraxit; vel ære alieno gravavit. Quaquaversus igitur res spectetur, tam nullitatis incusatio, quam inofficiositatis querela adversus prædictam donationem propositæ, semper erunt rejiciendæ. 5

Atque ita etc. Universa Aula suffragante, altera etc.

BONONIEN PECUNIARIA

Veneris 25 *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

Qui solvere promisit, si debitor intra certum tempus non solverit, non est simplex fidejussor, sed correus debendi, ac expromissor principalis. Et ubi solutioni praefenita fuit dies certa, nulla opus est interpellatione, quum dies interpellet pro homine.

SUMMARIUM

1. *Ei qui negat, nulla incumbit probatio.*
2. *Qui fidejussoriam obligationem suscepit, non pure et simpliciter se obligat, sed in subsidium tantum.*
3. *Opus non est excutere debitorem, ubi fidejussor pure ac simpliciter intra certum tempus solvere promisit.*
4. *Obligatio in diem concepta, interpellationis necessitatem excludit.*
5. *Ubi quaestio est de contractus interpetratione, respici debet tempus contractae obligotionis.*
   Contractus subjicit legibus, quae vigent in regione, ubi res gesta est - ibidem. -
6. *Si tempus tantum solutioni praefenitum sit, id non reddit obligationem fidejussoriom.*
7. *Obligotio Camerolis continet renunciationem beneficiis Ordinis, et divisionis.*
8. *Est expromissor, qui solus spondet pro alio, sive antea obligato, sive nunquom obligato.*
9. *Fidejussor liberotur, si creditoris culpa, facta est deterior ejus conditio.*
10. *Inutile est hypothecam inscribere odversus decoctum.*
11. *Adversus decoctorem, vel proxime decocturum, invalida est hypothecae inscriptio.*

DECISIO CLXI.

Multo pressus ære alieno Joseph Faccius de Libiis, dives olim Bononiæ mercator, ut aliquam sibi pararet securitatem adversus Creditorum impetum, eorum coacto cætu, hoc consilium cæpit, ineunte anno 1801 bonorum suorum administrationem abdicandi. Hac de re, cum ex vetere consuetudine, quæ vigebat in patrio foro, tamquam decoctus publice haberetur, datus ei fuit ab Ordinario Judice curator Vir Nobilis, et Bononiæ Patricius Nicolaus Fava Ghislerius, qui, ratus ex patrimonii fructibus, et ex fundis postea distrahendis omnia nomina dimitti posse, conciliationis modum Creditoribus proposuit, et præsertim hypothecariis, a quibus duodecim annorum induciās certis sub legibus imploravit. Inter hypothecarios creditores principem locum occupabant Angelus Turrius, et Marchio Franciscus Calvius; qui postremus, cum esset cognationis fædere debitori conjunctus, omnem ideo lapidem movebat, ut ad exitum perduceretur a patrimonii Curatore proposita conciliatio, quæ debitori ipsi maxime profutura videbatur. Sed Turrius, qui patrimonii creditor erat ex duplici collybo argenteorum nummorum *sexmillium* una cum quincuncibus inter usuriis hypothecæ insistens, accepto habere concordiam renuebat.

Mox tamen, Calvii gratia, et iteratis precibus inductus, hoc pacto assentibus fuit oblatæ conciliationi, ut, nisi intra duodecim annos, quot fuerant dissolvendis nominibus patrimonii curatore præstituti, integram solutionem retulisset, ipse Calvius libellas *vigintimille*, seu argenteos nummos *quatuormille* ei numerare teneretur. Quo circa die 15 Februarii anni 1802 scripta est hujusce obligationis syngrapha, in qua Calvius, non modo promisit = *come in ogni caso, che il Cittadino Angelo Torri Creditore nello stato del Cittodino Giuseppe Facci Libbi di due Capitali di Cambio uno di Lire* 16000 *creato li* 22 *Novembre* 1775., *e l'altro di Lire* 14000 *creato li* 9 *Gennaro* 1782 *non venisse a conseguire tutte; ed intiere le surriferite somme coi convenuti frutti entro il dodicennio decorso dal* 1 *Gennoro prossimo passato di supplire egli del proprio, e senz'alcuna eccezione sino alla sommo di Lire* 20000., *e non più oltre* =; sed adjecit præterea huic syngraphæ pactionem expressam, et amplissimis clausulis fulcitam = *di garantire questa suo promessa sotto l'obligo di se stesso, suoi beni, ed eredi si presenti, che futuri anche in forma guarentigiata colla rinuncio a quolunque eccezione, e beneficio* =. His ita compositis cum creditore Turrio; obsignatæ deinde fue-

runt conciliationis Tabulæ cum universo Creditorum cœtu die 10 Maii ejusdem anni 1820., quibus conventum fuit præ cæteris, ut duodecim annorum induciæ ab hypothecariis creditoribus concederentur, data eis cautione, seu pignore super compluribus patrimonii bonis, ex quorum fructibus interea liceret creditores alios dimittere, quos esse præferendos in eadem concordia fuerat constitutum.

His vero dimissis, quoniam de creditoribus hypothecariis satisfaciendis cogitare oportebat, peculiari ideo pacto cautum est = *che tale francazione, o francazioni debbano seguire secondo l' ordine e l'anteriorità di tempo riferita nell'enunciare i respettivi loro titoli di credito* = adeout unicuique ea sedes tribuenda esset, quam dies, et annus singulorum nominum suapte indole demonstrasset. Quod si demum contigeret bona illa venundari, quæ pignori data fuerant hypothecariis Creditoribus, tunc itidem cautum, ut iidem hypothecarii creditores pro emptorum securitate deberent nuncium mittere = *a qualunque vincolo d'ipoteca, anteriorità, o altro privilegio indotto sopra i medesimi beni nella creazione del rispettivo loro credito* = Invita nihilominus harum pactionum auctoritate, et vi jam exierant induciæ in concordia præfinitæ, quin aliquid Turrius in sui crediti satisfactionem a patrimonii curatore consequi potuisset. Cum itaque conditio extitisset, a qua obligatio Calvii pendebat, eum urbane rogare cœpit Turrius de solutione scutorum *quatuormillium*. At nihil ex adhibitis officiis se proficisse videns, diem ei dixit coram Judicibus; qui de primis actionibus Bononiæ jus dicunt, ab eisque facili negocio pro petita summa mandatum obtinuit. Infirmata postea horum Judicum Sententia a Tribunali Appellationis ejusdem Civitatis, gradum quæstio fecit ad Sacrum Ordinem Nostrum, ubi in hodiernis Comitiis propositæ Dubii formulæ = *An constet de credito, itaut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Patres Domini responderunt « *Affirmative, et constare de credito in sc.4000, et esse relaxandum mandatum.*

1 Omnem plane exequutionem mereabatur obligationis syngrapha a publico tabellione recognita, in qua nisi intra duodecim annos Turrius assequeretur a patrimonii Curatore integram sui crediti satisfactionem, Calvius spopondit = *di supplire egli del proprio, e senz'alcuna eccezione sino alla somma di Lire ventimila, e non più oltre, garantendo questa sua promessa sotto l'obbligo di se stesso, suoi beni, ed Eredi, sì presenti che futuri anche in forma guarantigiata colla rinuncia a qualunque eccezione o benefizio.* At jam ab anno 1814 effluxi sunt duodecim anni in eadem syngrapha constituti. Nisi ergo Calvius invictissimis probationibus ostendat Turri creditum fuisse satisfactum, salva fide pactorum, profecto nequit expromissam solutionem amplius remorari, cum nihil magis fidei congruat humanæ, quam ea, quæ olim placuerunt, religiose custodiri *Rota decis.* 129. *Num.* 1 *cor. De Veri.* Perperam autem contendebat Calvius haud satis esse, quod negavit Turrius sese a Faccio, ejusque bonis quidquam accepisse, nisi negativa probatio ab eo afferatur. Nulla siquidem probatio incumbit, ei qui negat, ut traditum est *in leg.* 2 *ff. de probat.* Si itaque Calvius asserit Turri creditum jam dimissum fuisse, nullo modo audiendus est, nisi monumenta proferat objectæ solutionis = *quia interdum probationes quædam a reo exiguntur. Nam si creditum petam, et ille respondeat, solutam esse pecuniam, ipse hoc probare cogendus est* = ut eleganter inquit *Celsus C.* 12 *ff. de probat.*

2 Certius vero hujusce probationis onus rejiciendum erat in Calvium, quia ipse unus auctor fuit, cur Turrius propositæ concordiæ subscripserit, et ipse præterea una cum aliis patrimonii creditoribus administranda debitoris bona suscepit. Nihil hinc facilius, quam quod tamquam socius illius administrationis bonorum, ex quibus satisfactionem suam assequi tenebantur patrimonii creditores, apprime noscat, num Turrius vel integrum, vel ratam sui crediti portionem ab ipsius patrimonii curatore retulerit. Cujus rei veritatem cum ipsi

cognoscerent Calvii defensores, ideo reponebat fidojussoriam obligationem ab eo susceptam striete esse interpetrandam, nee *pure, ac simpliciter*, sed sub conditione, et in subsidium sese Calvium obligasse, adeo ut *ex leg. Omissis* 17 *Cod. de fidejussor.* contra cum agere nequeat Turrius, nisi prius excusso patrimonio debitoris. Sed hæc, et alia hujusmodi non dimoverunt Patres a Calvio condemnando ad petitam solutionem scutorum *quatormillium*. Etiamsi enim fingi vellet, fidejussionem simplicem præstitisse Calvium, neque eum habendum esse, ut reapse est, alieni nominis expromissorem, et principalem reum, verba nihilominus emissæ obligationis suadent, nullo modo inquirendum esse, utrum debitor pecuniam numerare posset, sed utrum præstituto tempore revera persolverit.

3 Promisit quippe Calvius = *come in ogni caso, che il Cittadino Angelo Torri del fu Carlo creditore nello stato del Cittadino Giuseppe Libbi di due capitali di Cambio non venisse a conseguire tutte, ed intiere le riferite somme coi convenuti frutti entro il dodicennio decorrendo dal primo Gennajo prossimo passato, di supplire egli del proprio senz'alcuna eccezione* =. Nudum ergo factum spectarunt in hac conventione contrahentes, an scilicet Turrius, elapso duodecim annorum spatio, nihil accepisset a patrimonio debitoris, quo in casu, utcumque debitor solvendo esset, tenebatur Calvius expromissam summam scutorum *quatuormillium* absquo mora numerare. Inutile proinde erat excutere debitorem, eum utroque in casu, sive debitor solvendo esset, sive solutioni impar, eadem semper maneret fidejussoris obligatio *Rot. in Auximana, seu Anconitana Reintegrationis, et Associationis* 31 *Januarii* 1803 § 6 *cor. Altieri, et in Romana Pecuniaria* 5 *Julii* 1816 § 7 *et* 8 *cor, Emo Odescalch. Nec insolitum in jure est hoc genus fidejubendi, cujus exemplum nostro simillimum refert Vulpianus in L.* 17 § *fin. ff. de fidejussor.*, ubi ait = *cum fidejussor hoc modo acceptus esset, si reus quadraginta, quae ei credidi non solverit, fide tua esse jubes; verisimile est, id esse factum, ut cum interpellatus reus non solvisset, fidejussor teneretur. Sed etsi reus, antequam interpellares, decessisset, fidejussor obligatus erit, quasi hoc casu verum esset, reum non solvisse.*

Unum itaque in isto easu lex exigit, reum non solvisse ac vix jubet, ut quoquo modo reus moneatur antequam eommissa stipulatio censenda fuit. Neque vero, ut fidejussor despecto penitus reo, ad solutionem adigatur ullo modo oportet, hanc monitionem esse judicialem, eum ad tramites hujusce legis, quæ de simplici fidejussore loquitur, satis sit, debitorem fuisse monitum *in judicio*, vel *extra*, ut explicat *Gloss. ad dict. Leg. verb. reus*. At, præterquam ne ipse quidem Calvius inficiabatur pluries extra judicium rogatum de solutione debitorem fuisse, illud etiam accedebat, rem hie esse de obligatione *in diem* eoncepta, quæ indole sua interpellationis neeessitatem excludit. Nam qui fidejubet, si pecunia, exempli gratia, intra Kalendas Maii soluta non fuerit, Kalendis inutiliter elapsis, tenetur fidejussor, etiam si non interpellatus, quia hoe in easu dies interpellat pro homine. *Rot. in Firmana Pecuniaria* 8 *Maii* 1795 § 2 *cor. De Bayane:* Nee officit huic thesi *Textus in Leg.* 16 *ff. de verb. oblig.* quem allegabant, qui Calvio patrocinabantur. In easu siquidem prædictæ legis non agebatur de stipulatione *in diem* concepta, neque de debitore, a quo exigi non poterat. Quocirca non simplieem moram, aut simplex factum non expletæ solutionis, sed solvendi potentiam præ oculis habuit Jurisconsultus, ut ostendunt ea verba legis = *si decem stipulatus a Titio, postea quanto minus ab eo consequi posset, a Mævio stipuleris* = Hinc ut constaret, quid minus ereditor a Titio eonsequi potuisset, præmittenda necessario erat exenssio debitoris, unde Mævius nosset, quid, et quantum solvere teneretur. 4

Gravissimum autem illud est, non simplicem fidejussorem Calvium se constituisse, sed expromissorem, et debendi eorreum. Quo enim tempore, anno 5

scilicet 1802 obligationem suam emisit, vigebant adhuc Bononiæ Statutariæ Leges, quæ *in* § 1 *de privilegiis fidejussorum*, vel *correorum* fidejussores simplices correis debendi, et expromissoribus æquiparabant, nullamque requirebant principalis debitoris excussionem = *Ordinamus* (inquit Statutum), *quod si quis pro aliquo fidejusserit, vel obligatus fuerit solus, vel cum alio in solidum, vel pro parte Communi Bononiensi, vel alii cuicumque, conveniri possit, et exigi ab eo, non obstante, quo principalis debitor non fuerit excussus, vel ejus bona* = Quin obsit Municipales Sanctiones primum a Gallicis, deinde a Pontificiis Legibus abrogatas fuisse. Nam quantum certum in facto est primam abrogationem locum habuisse ex Decreto anni 1806 atque alteram ex notissimo Motu Proprio diei 6 Julii 1816 post emissam nempe a Calvio obligationem, tantum exploratum manet in jure quod ubi quæstio est de contractus interpretatione, semper respici solet tempus contractæ obligationis, et id intelligitur, procul ab expressa pactione, conventum, quod in Regione, in qua gesta res est, eo tempore servabatur, veluti pluries Sacer Noster Ordo definivit, et præcipue *in Urbevetana Pecuniaria quoad expensas extrajudiciales* 20 *Januarii* 1817 § 7 *coram Emo Odescalchio.*

6 Nec indoli, et qualitati correi debendi, et expromissoris repugnare videtur, quod Calvius ad solutionem teneri voluerit = *in caso, che il Signor Angelo Torri del fu Carlo creditore nello stato del Cittadino Giuseppe Facci Libbi di due Capitali di Cambio non venisse a conseguire tutte, ed intiere le surriferite somme* = ut totidem verbis in syngrapha legitur. Nam facile erat intelligere, ea verba superius expressa non *conditionalem* fidejussionem reddere, sed tempus ostendere, quo incipere Calvii fidejussio debuisset. Quod si duodecim annorum spatium effluxisset, quin principalis debitor obligationi suæ fecisset satis, tunc statim jus creditori quærebatur, non ipso prius excusso principali debitore, fidejussorem ad solvendum cogendi. Idque potissimum retinendum in hoc themate est, quia Calvius obligationi suæ amplissimam adjecit guarentigiæ clausulam = *garantendo questa sua promessa sotto l'obligo di se stesso, suoi beni, ed Eredi, si presenti, che futuri, anche in forma guarentigiata colla rinuncia a qualunque eccezione, o beneficio* = quæ sane *guarentigiae* formula æquipollet formulæ Camerali, quæ juxta Fori nostri consuetudinem, olim in contractibus passim occurrebat. *Rot. cor. Falconer. tit. de Invent. decis.* 17. *n.* 5 *coram Ratto decis.* 134 *num.* 18 *in Toletana Census* 12 *Decembris* 1808 § 5 *coram bo. mc. Tassoni, et in Faventina Graduationis* 23 *Martii* 1821 § 13 *coram R. P. D. Meo Marco.*

At Cameralis obligatio generalem 7
continet renunciationem cuicumque juris beneficio, et præcipue beneficiis omnibus, sive ordinis, sive divisionis, quibus ex epistola Divi Adriani, de qua loquitur *Textus in* §. 4. *Instit. de Fidejuss. Leg. si plures* 28. *ff. eod. L.* 3. *Cod. eod. tit.*, perfruuntur fidejussores ad tradita per *Fabr. in Cod. lib.* 8. *tit.* 28. *definit.* 22. *Zacc. de oblig. Cameral. quaest.* 32. *num.* 9. *et seq. Rot. post eumdem Zacch, decis.* 118. *num.* 8 *coram Falconer. de Senatus consult Vellej. dec.* 4. *num.* 12. *in Setina Evictionis* 14. *Maii* 1751. §. 15. *coram Cortada, in Hortana Cambii* 27. *Junii* 1803. §. 7. *coram Strasoldo, et in Senogallien. Emphiteusis quoad solutionem Canonum* 14. *Januarii* 1822. §. 5. *coram Rmo P. D. meo Isoard. Decano.* Firmum itaque manet, tamquam expromissorem, et debendi correum sese Calvium obligasse. Sed etsi *guarentigiæ* vinculum in syngrapha desideraretur, non ideo minus expromissor, et debendi correus Calvius habendus esset. Is namque seorsim a debitore, non veteri accessit obligationi, sed novam, et principalem visus est contraxisse, si forte Turrius intra duodecim annos nihil fuisset a debitore consequutus. Hinc ex ære proprio « *del proprio* » et praeterea = *senz' alcuna eccezione* = sese soluturum promisit scuta *quatuormillia*, nullumque jus in eadem syngrapha sibi

reservavit adversus bona debitoris exercendum, quem decoctum noverat.

8 Nil igitur minus cugitavit Calvius quam fidem suam puro, ac simpliciter interponere, et alienæ accedere obligationi, cujus implendæ dies jam venerat usque a tempore initæ fidejussionis. Quare cum alienam obligationem sibi susceperit Calvius, expromissorem se certe constituit, qualis est, qui solus spondet pro alio, sive antea obligato, sive nunquam obligato *Leg.* 1. *et tot. tit. ff. ad S. C. Vellej. Faber in Cod. lib.* 4. *tit.* 13. *definit.* 1. *in gloss. num.* 2. *Vinn. Commen. ad Instit. de Fidejussor.* §. 1. *num.* 2. Ex natura itaque fidejussionis, quam emisit Calvius, haudquaquam adigebatur Turrius, et qui ab eo ex obtenta nominis cessione causam habet Aloysius Jussi, debitorem excutere, aut bona persequi pignori data, cum etiam ex jure *Novell.* 4. *de fidejuss. et mandat.* §. *Sed neque* creditor, cujus indemnitati consultum per debitorem fuerit, ope fidejussoris, et pignoris babeat electionem, utrum plus persequi velit pignus, an fidejussorem, sive an velit personali, vel hypothecaria actione agere, nec urgeri possit, ut, vel missa actione personali, pignus persequatur, vel, missa pignoris persequutione, debitorem actione personali conveniat.

9 Post hæc confugiebant Calvii defensores ad exceptionem *cedendarum actionum*, qua, tam ex jure nostro Civili. de quo scite disputat *Averan Interpretat. jur. lib.* 2. *cap.* 8. §. 40, tum ex Gallicis legibus uti potest fidejussor, ut agentem creditorem repellat, qui, aut nullas habet actiones, quas cedat, aut eas inefficaces reddidit. Inquiebant ideo, ex Turri culpa, qui hypothecam super bonis principalis debitoris sero nimis inscripsit, deteriorem factam fuisse fidejussoris conditionem, ipsumque Calvium propterea absolvendum esse, inspecta potissimum earumdem Gallicarum Legum censura, ex qua art. 2037 Civilis Codicis sancitum erat, quod « *il fidejussore è liberato, allorchè per fatto del creditore non può avere effetto a favore del fidejussore medesimo il subingresso nelle ragioni, ipoteche, e privilegj del debitore* =. Etiamsi enim nunquam in publicis hypothecarum tabulis creditum suum Turrius recensuisset, *ex stipulatu* tamen non poterant alii creditores præjudicium ullum Turrii juribus inferre. Pacto siquidem conventum fuerat in concordia inita die decima Maii 1802. cum universo creditorum cætu = *che la francazione, o francazioni debbano seguire, servato l' ordine, e l'anteriorità di tempo, come sopra riferita nell'enunciare i rispettivi titoli di credito* = itaut quisque ex creditoribus satisfactionem assequeretur juxta temporis ordinem, quo celebrata fuerant Instrumenta. Pacto rursus cautum, ut pro emptorum indemnitate, si prædia hypothecis obnoxia venui subjicerentur, ipsi creditores valedicere deberunt = *a qualunque vincolo d'ipoteca, anteriorità, o altro privilegio indotto sopra i medesimi beni nella creazione del loro rispettivo credito* =.

Inutile ergo erat, saltem intra duodecim annorum inducias, hypothecam inscribere adversus cæteros creditores, quorum nemo e sedibus, quas eis tribuebant singula Instrumenta dejici poterat. Inutile pariter erat, hypothecam ipsam inscribere adversus tertios possessores, quoties eorum gratia singuli creditores hypothecarii nuncium mittere hypothecis suis ex prædicta pactione cogebantur. Inutile demum erat, hypothecam inscribere ex ipsa juris disciplina. Non enim dubium, quin Faccius de Libiis usque ab anno 1801. publice decuxisset, et publice decoctus haberetur ex veteri Fori Bononiensis consuetudine, ex qua = *l'epoca del fallimento stesso si è sempre desunta, o dal giorno, che è stata chiusa per tre giorni la Bottega, o negozio del Cessante, o dal cessare di pagare, o dal giorno della fuga, ed occultazione del debitore, o dalla prima convocazione fatta ad istanza, e per parte dello stesso debitore, senza che venisse fatta in prevenzione alcuna dichiarazione giudiziale del seguito fallimento* », prout testabantur pluries Bononiæ tabelliones, et in jure pariter observatur, veluti monent *Gra-* 10

tian. discept. forens. cap. 391. *numer.* 22. *Rocch. de decoct. not.* 40. *Card. de Luca de Cambiis discept.* 25. *num.* 8. *Ansald. de Commerc. discurs.* 4. *num.*19 *Rot. apud Cenc. de Censibus decis.* 85. *num.* 5., *et in Romana decoctionis quoad ejus epocham, et nullitatem* 14. *Junii* 1816 §. 9. *cor. Emo Serlupi.*

11 At vero non modo creditorum cætus coactus fuerat a debitore Faccio, sed bonorum quoque curatorem auctoritate Prætoris bono animo ferre ipse tenebatur, ut eadem pandit creditorum concordia. Ut igitur ex nostris Legibus compertum est, ab uno, aut altero ex creditoribus cæterorum jura hisce in casibus labefactari non possent *cum jam conditio omnium creditorum par facta sit* « ut inquit Ulpianus *Leg. Qui autem* §. 6. *sciendum in fin. ff. quæ in fraudem creditorum* ; ita ex Legibus Gallicis haud licebat hypothecas inscribere, cum, aut debitor decoxisset, aut proximus esset decoctioni « *Le iscrizioni* (sic se habet *art.* 2146. Civilis Gallorum Codicis *) non producono alcun' effetto, quando siano eseguite entro quel tempo, in cui gli atti fatti prima del fallimento siano nulli*» Non secus censuit Sacer Noster Ordo, qui semper ad tramites Gallicarum Legum definivit, inscriptionem, nedum adversus decoctorem, verum etiam contra proxime decocturum invalidam esse, atque ita habendam, veluti ac si inita non esset, prout videre est *in Romana, seu Mœceraten. Prœlationis* 5. *Maii* 1820. §. 9. *coram R. P. D. meo Marco, in Narnien. Dotis, et Assignamenti* 8. *Februarii* 1822. §. 8. *coram R. P. D. meo Spada, et in confirmatoria* 17. *Junii ejusdem anni* §. 13. *coram Eodem.* Quapropter neque ex pacto, neque ex Jure profutura inscriptio fuisset. Quod si demum placeat Marchioni Clavio de damnis agere adversus Turrii hæredes ob non factam opportuno tempore crediti inscriptionem, quæ ut superius demonstratum est, neque ex pacto, neque ex juris disciplina fieri debuisset; is quidem fortasse poterit, separatam actionem congruumque judicium instituere, *prout, et quatenus de Jure,* ut nempe damnum repetat, si quid damni passus est, et *quatenus* damni aliquid vel ex jure, vel ex pacto reficiendum videatur.

Et ita utraque parte jura sua strenue deducente, decisum est.

BONONIEN SEU FERRARIEN

PECUNIARIA

Lunae 29 *Martii* 1824.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMADIUM

1. *Haeres ex testamento succedit etiam in jura hypothecaria sui auctoris.*
2. *Decreto* Napoleonis 25 octobris anni 1808, *statutus fuit terminus, quem intra veteres hypothecae erant inscribendae.*
3. *Necessitas designationis bonorum ad bona pertinet, quae de tempore promulgationis Codicis hypothecarii penes tertium possessorem extarent.*
4. *Obligatio Cameralis rejicit exceptionem excussionis.*
5. *Tertius possessor bonorum, vel debita solvere debet, pro quibus adest hypotheca, vel haec bona distrahuntur sub corona.*

DECISIO CLXII.

Bina collybistica nomina sub *bessi* usura, alterum die 15. Decembris 1794. *in scutis mille biscentis*; alterum sub die 15. Decembris 1795. in scutis *mille octingentis* per solemnes tabulas, Camerali obligatione accedente, contraxit Joseph Salani Ferrariensis erga Petrum Antonium Mantovani, sortis restitutione conventa, quoad primum intra annos *duodecim*, quoad secundum intra *novennium*. Bona inter, quæ Joseph possidebat, et in vim Cameralis obligationis hypotecæ pro iis nominibus obnoxia fuere facta incontroversum est, extitisse prædia *Perinelli, Azzolini, Braglia, Bassa, Nepoti.* Venit annus 1807., quo tempore utriusque cambii capita jam a debitore restituta esse debuissent; verum, ne dum ea reddere hic neglexerat, sed etiam in

usurarum solutione moram per plures annos fecerat, quare Petri Antonii filius, Joannes Mantovanius; ut sibi, quo melius posset, prospiceret, Paulo Salanio, Josephi filio, ejusque Conjugi Angelæ Scardova die 13. Julii prædicti anni 1807. cessit ea credita in scutis 3000. quoad sortem, et in scutis 599. quoad fructus decursos, et non solutos convento pretio scutorum *mille octingentorum*, quæ rependenda essent cum semissi usura intra terminum annorum *quatuordecim*, atque tam Paulus, jam a patria potestate solutus, quam ejus uxor Angela, ab ipsa, juxta illius ævi Leges, necessaria facultate donata, per solemne Instrumentum obligarunt, ac hypotecæ subjecerunt ad Mantovani cauthelam, quoad primum = *li di lui effetti quasi Castrensi* =, quoad alteram = *li di lei effetti dotali* =; hac tamen Conventione noluit Mantovanius quidquam detrahi ejus juribus adversus originarium debitorem Josephum ex Instrumentis annorum 1794., et 1795, ac expressim cautum fuit, quod = *Protesta il Signor Mantovani, ed acconsentono i Signori Conjugi Solani, che relativamente alla suddetta somma di scudi 1800. come sopra convenuto, per prezzo della presente cessione di non pregiudicare mai ai suoi dritti di anteriorità, e poziorità contro gli effetti del Patrimonio Salani primo debitore, ma anzi di volerle riservate contro il medesimo; e di esser passato al presente controtto per aggiungere ragioni a ragioni, per acquistare più correi debendi a goranzia del presente contratto da lui stipolato pro solvendo e non pro soluto come dichiara, e ripete* =.

Anno postea 1809. prædium *Perinelli* venditum ab Josepho Salani fuit Felici Nonnini, in quem etiam annis 1813. et 1817. alia transierunt emptionis titulo prædia, hypotecæ nexu pro Mantovanii creditu devincta; *Azzolino*, nempe, *Braglia*, *Bassa*, *Nepoti*. Interim die 25, Maii anni 1809. Johannes Mantovanius suam hypotecam inscripsit super bonis Conjugum Salani, et Scardova ex Instrumento anni 1807., quam ejus Uxor ac hæres Marianna Masi, quæ ad secunda transierat vota cum Advocato Augustino Monti, anno 1719. renovavit; ac eadem Marianna die 2. Julii 1813. sollicita fuit de inscribendis contra bona Josephi Salani hypotecis ex binis collybisticis nominibus contractis, ut superius fuit dictum, annis 1794., et 1795., quarum renovatio expleta fuit die 25. Aprilis anni 1823., paremque curam, basce inscribendi hypothecas super Josephi Bonis, eaque renovandi habuerunt conjugea Salani, et Scardova Mantovani cessionari diebus 29. Decembris 1809. ac 28. Decembris 1819.; Nonninius vero prædictorum bonorum *Perinelli*, *Azzolino*, *Braglia*, *Bassa*, *Nepoti* emptor adeo negligens fuit in peragenda corum erga se transcriptione, ut hanc distulerit ad dies 4. Maii 1818., et 19. Maii 1819., quo tempore Marianna Mantovanii hæres, rite jam sua inscripserat hypotecas contra ea bona, quæ in censualibus tabulis adscripta manebant patrimonio ipsius originarii debitoris Josephi Salani.

Hoc erant res in statu, cum anno 1821: sæpius memorata Marianna, quæ ad suum creditum in sorte scutur. 1800. una cum fructibus exigendum, inutiliter excusserat, post opportunas relatas Sententias a Tribunali Ferrariensi, obærata patrimonia conjugum Salani, et Scardova ac Josephi Salani, convertere se debuit adversus Nonninium, qui hypotecæ pro eo credito subjecta bona acquisiverat, et a Tribunali Primarum Actionum Ferrariæ contra ipsum die 9. Martii prædicti anni 1821. Sententiam obtinuit, quæ ei præfixit = *il termine di un mese entro il quale debba aver pagata all'Attrice la somma di scudi 2837. 85. ½ ed i frutti decorrendi in pendenza dello lite alla ragione di annui scudi 108., scorso il quale senza effetto esser lecito all' Attrice di oppignorare, e far metter all'asta il fondo Perinelli, Azzolini, Braglia, Bassa, Nepoti per erogarne il prezzo come di ragione* =. At hujus Sententiae infirmationem a Tribunali Appellationis Bononiae assequi potuere Felicis Nonninii, interim defuncti, filii, Antonius, et Johannes Baptista: In hoc Sententiarum conflictu res ad Sac. Nostrum Ordinem definien-

da conscendit. Proposito hinc a Me in hodiernis Comitiis dubio = *An, et in qua summa constet de credito, et quomodo sit relaxandum, et respective contra quos, et quæ bona exequendum mandatum in casu etc.* responsum dedere Patres = *Affirmative, et constare de credito in summa scutorum* 1800. *una cum fructibus in summa liquidanda, et mandatum esse exequendum super Prœdiis Perinelli, Azzolini, Braglia, Bassa, Nepoti* =.

1 Non etenim ambigendum de credito, et hypoteca, quibus, ex juribus primi sui viri Joannis Montovani in ipsam ex testamento translatis, pollet Marianna Masi, nupta nunc Advocato Monti super bonis a patrimonio Josephi Salani provenientibus. Publicis sane solemnibusque tabulis annorum 1794, et 1795. Joseph Salanius duo collybistica debita contraxit ad scuta usque 3000 cum Petro Antonio Mantovani, Johannis patre, ac auctore, sub usuris octuncibus, et camerali accedente obligatione; cum generali omnium bonorum debitoris obligatione, et hypoteca. Selemni pariter deinceps Instrumento diei 13 Julii 1807. Josephi debitum iis contractibus manans, tam pro sorte, quam pro fructibus decursis, et non solutis ad summam usque scut. 5599 in totum susceperunt in se Paulus Sulani, et ejus uxor Angela Scardova, rependere promittentes Johanni Mantovanio, Petri Antonii filio, scuta tantum 1800 intra quatuordecim annorum terminum, simissibus interim persolvendis usuris, cum obligatione omnium ipsorum = *effetti* =, ac firmis manentibus pro *Mantovanio* = *i suoi dritti di anteriorità, e poziorità contro gli effetti del Patrimonio Salani primo debitore* = pro ea scutorum 1800 quantitate. Hinc manifestissimum est, Johannis Mantovani, sive ejus hæredis Mariannæ Masi creditum cum hypoteca in hac summa scutorum 1800 assequendum super prædictis Josephi Salani bonis, una cum semisse usura a die 13 Julii 1807. decursa ac non soluta: et, cum hæc inter bona incontrovesum sit, prædia extitisse = *Perinelli, Azzolini, Braglia, Bassa, Nepoti* =, indubium est, hæc persequi Mariannæ omnino licere. 2

Quamvis autem hæc prædia emptionis titulo in Nonninium transierint, tamen, cum in vim obligationis Cameralis generalis hypothecæ vinculo obstricta fuerint pro credito Mantovani, cum hoc onere in ipsum pervenere Nonninium, ita ut nequeat ipse ea a Mariæ Annæ actione eximere, quia = *distractis a debitore pignoribus creditores potestatem habere, utrum ne personali obligatos sibi, an pignora possidentes in rem actione convenire velint, non est incerti juris* = quæ sunt verba Textus in *Leg.* 14 *Cod. de Pignoribus, et hypothecis*, cui consonant *Leg.* 4, *et Leg.* 14 *Cod. eod. tit.* Quæ vero plura ad hanc Mariæ Annæ actionem eliminandam Nonninii proponunt nullo in pretio Patres habuere. Inani namque studio primum ipse contentunt, Mantovani hypotecam ex defectu inscriptionis evanuisse. Extat enim inscriptio in hypothecarios Codices a Marianna relata die 5. Julii 1813. hypotecæ manantis ex cambiali contractu anni 1794. alterave anni 1795 » *sopra i beni presenti, e futuri del fu Giuseppe Salani debitore* » Extat hujusce Inscriptionis renovatio sub die 25 Aprilis anni 1823 Quin obsit hypotecas inscriptas fuisse post diem 1 Julii 1809, quæ Decreto Napoleonis diei 25. Octobris anni 1808 statuta fuerat pro termino, quem intra veter hypothecæ in hypothecarios Codices erant referendæ, ut originarium anterioritatis, ac potioritatis gradum servarent. Utiliter namque, eo etiam elapso termino inscribi poterant = *in concorso pure dei terzi possessori per le alienazioni seguite avanti il primo Luglio* 1809 *ed anche per le posteriori nelle quali non siasi eseguita la trascrizione, e le cautele prescritte nell' Art.* 31 *e seg.* = quo in casu eodem decreto statutum fuit, quod hypothecæ = *si conservano coll' iscrizione il rango, e privilegj, che potevano loro competere ai termini delle leggi veglianti sotto le rispettive epoche dell' attivazione del Codice Napoleone* = Nil itaque obiicere jure valent Nonninii adversus

inscriptiones a Marianna expletas: cum Felix ipsorum pater acquisitionem fundi *Perinelli* empti die 30. Decembris anni 1809 non ante transcripserit diem 19 Maii 1819, ac transcriptionem fundi *Azzolino* expleverit sub eadem die 19. Maii 1819. eamque quoad fundos *Braglia*, *Bassa*, *Nepoti* peregerit die 14 Maii anni 1818. Accedente præterea quod Felix acquisivit fundum *Azzolino* die 25. Octobris anni 1813. et fundos Braglia, Bassa, Nepoti die 9. Junii 1817. nempe post inscriptas a Marianna super iis fundis hypothecas.

3 Nec inscriptionum nullitas exinde desumi potest, quod Marianna in eis perficiendis generaliter expresserit bona omnia ad Josephum Salani spectantia anni 1794., et 1795., quæve in posterum spectare potuissent, ac prædia spectatim haud designaverit, quæ in tertium possessorem Nonninium fuerant traslata. Hæc enim designationis bonorum necessitas ad bona pertinet, quæ jam de tempore promulgationis Codicis hypotecarii penes tertium possesserum extarent, non vero ad ea, quæ a debitore distracta fuerint post hypothecarium regimen invectum, quorum respectu nulla erat indicatione opus. Cujus distinctionis ratio manifestissima est; ea scilicet quod, nondum transcriptionis lege vulgata, oportebat creditorem, qui contra tertium bonorum possessorem vellet suam hypotecam tueri, bona designare, quibus super eam servare intellibebat. At quoad bona a debitore alienata post diem 1 Julii 1809, ad quam epocam se refert Lex super inscriptionibus hypothecariis, cum creditor in actu inscriptionis ea haud videret in alterius nomen transcripta, ipsa uti penes debitorem existentia habebat, et valido suam inscribebat hypothecam super iis, ulla absque eorum indicatione. Non poterat namque tertius bonorum possessor aliter suam illorum acquisitionem incolumem servare adversus alienantis Creditores, nisi ope transcriptionis, uti constitutum fuit superius relato Decreto diei 15 Octobris anni 1808 Art. 6 §. 1. 2. = *Egualmente non darà luogo una tale iscrizione ad esercitare alcun dritto di ipoteca, o privilegio in concorso del terzo possessore per le alienazioni seguite dopo il primo Luglio 1809, per le quali l'acquirente abbia fatto eseguire la correlativa trascrizione* =.

Inutili itaque labore Mariannam pro 4
suo credito persequentem fundos prædictus *Perinelli*, *Azzolinio Braglia*, *Bassa*, *Nepoti* repellere conantur Nonninii, proposita nullitate inscriptionis hypothecariæ ab ipsa expletæ. Frustra etiam obiciunt ipsam adversus hæc prædia agere haud posse, nisi præmissa excussione Patrimonii Joseph Salani, ac Conjugum Salani Scardova. Prætermisso enim quod obligatio Cameralis rejicit exceptionem prædictam excussionis per *Zacch. de Oblig. Camerali quæst.* 15. *num.* 16. *Rota decis.* 147. *num.* 8. *part.* 7. *tom.* 1. *et decis.* 30. *num.* 24 *part.* 10 *in recen.*, *decis.* 437 *num.* 12 *coram Crescent. Romana Salviani* 10 *Januarii* 1815 § 9. *cor. Ruconi*, *et in Romana Salvioni* 9 *Junii* 1815 § 12 *cor. Emo Serlupi*, omnem eliminat quaestionem incontroversum factum, quod, antequam sese contra bona a Nonninio acquisita converteret, præcedentibus Tribunalis Primarum Actionum Sententiis, Marianna, tam Josephi Salani, quam Conjugum Salani, et Scardova patrimonia excussit, sed inutiliter prorsus ob eorum oberationem; uti inutilis fuisset excussio Fidejussoris Perini, qui accesserat contractibus Josephi Salani annorum 1794 et 1795 ob eamdem obærationis causam; accedente præterea, puod hic a sua fidejussione liberatus extitit per contractum anno 1807. initum inter Johannem Mantovanium, et prædictos Conjuges Salani, et Scardova, et quod ex art. 2170 Codicis Gallici fidejussor excuti non debet, antequam contra tertium possessorem bonorum a debitore distractorum agatur.

Quod demum Nonninii contendunt, 5
sese nempe bona, do quibus agitur, retinere posse tam ex anterioribus Creditis Felicis eorum parentis adversus Josephum Salani, quam ex juribus contra eumdem Josephum ipsi Felici

cessis a conjugibus Salani, et Scardova, Patres omnino sprevere, quia hæc spectant ad aliud judicium concursus super pretio, quod è bonis sub hasta venditis retrahi poterit, ab ipsis Nonniniis, si velint, postea instituendum; Nam articuli 2168. et 2169. Gallici Codicis aperte præscribunt, quod tertius bonorum possessor, vel debita solvat, pro quibus hæc bona hypothecæ obnoxia sunt, vel ea sub corona distrahi creditorum favore sinat. Animadvertendum insuper est, quod Conjuges Salani Scardova disponere haud poterant de eorum quibuscumque juribus contra Josephum Salani, eaque in Nonninium transferre, quia anno 1807. jam obligaverant per publicum Instrumentum favore Johannis Mantovani omnes ipsorum = *effetti* = quos inter ea etiam asserta jura, dum Josephi debitum pro scutis 1800 in se susceperunt, atque Mantovanius die 25 Maj 1809. suam adversus eos, eorumque bona hypothecam inscripserat. Patet ex hisce omnibus summa cum justitia Patres decrevisse, quod Mariannæ Masi mandatum sit tribuendum, cujus executio fieri debeat super fundis *Perinelli*, *Azzolini*, *Braglia*, *Bassa*, *Nepoti quæ* Nonninii possident, ut suum assequatur creditum in sorte scutorum 1800 una cum fructibus in summa liquidanda: In hac vero perficienda liquidatione videbitur quid, horum fructuum nomine, ipsi Mariannæ debeatur.

Et ita etc. Utraque etc.

BONONIEN SEU FERRARIEN

PECUNIARIA

Lunae 5 *Julii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CLXII.

SUMMARIUM

1. *Creditor hypothecarius agere potest adversus tertium possessorem, vel ut solvat, vel ut fundum dimittat.*
2. *Terminus a lege gallica constitutus, pertinet ad tuendam anterioritatem hypothecae, minime vero ad eam de medio tollendam.*
3. *Super bonis, quae a debitore distracta sunt post hypothecarium regimen, et quae transcripta non fuere, opus non est speciali bonorum designatione.*
4. *Transcriptio est unicum remedium, quo emptor tuetur fundi libertatem adversus alienantis creditores.*
5. *Nil vetat, quominus contra jacentem hoereditatem expleri possit inscriptio.*
6. *Cameralis obligatio excludit necessitatem excussionis.*
7. *Articulo 2167 Gallici Codicis praescribitur, ut tertius possessor, si fundi transcriptionem omiserit, vel eam serius expleverit* - rimane esposto a tutti i debiti ipotecarj. -

DECISIO CLXIII.

Cum Marianna Masi, Joannis Mantovani Vidua, et hæres, inanem experta fuisset ex inopia, *tum* Josephi Salani Originarii ipsius, sive ipsius defuncti Viri, et auctoris, ex binis collybisticis nominibus, horumque fructibus, debitoris, *tum* conjugum Salani Scardova, qui deinceps hujus obligationem in se susceperant, actionem reddi contra ipsos intentatam pro satisfactione sui crediti in summa Scutorum 1800 cum hisce conjugibus conventa una cum fructibus ad rationem semissem ab anno 1807 usque ad eam diem decursis nec solutis, hypothecariæ illi actioni innixa, qua Mantovanius ipsius auctor pollebat, et quam ipsa tempestiva inscriptione in tuto ponere cauta fuerat, necessitate cogente, in illud consilii venit, ut bona originarii debitoris sibi hypothecæ nexu obstricta penes tertios possessores persequeretur; proindeque Felicem Nonninium, qui ab Josepho, et Paulo Salani quædam prædia nempe = *Perinelli*, *Azzolino*, *Braglia*, *Bassa Nepoti* = unum post alterum diversis temporibus emerat, in judicium adduxit, postulans, ut, vel sibi integrum creditum una simul cum fructibus numeraret, vel ut prædia sibi obligata sub corona distrahenda dimitteret. Faustis auspiciis a creditrice pugnatum est coram Ferrariensibus Judicibus, qui nil hæserunt, quin rem

pro actricis votis prorsus definirent. At secus statuere placuit Bononiensi Tribunali Appellationis. Uno itaque cum altero pugnante Judicato, Vidua Mantovania provocandi facultate usa fuit ad Sacrum Nostrum Ordinem, nec inani labore. Patres enim per me in præteritis Comitiis diei 29 Martii currentis anni interrogati = *An, et in qua summa constet de Credito, et quomodo sit relaxandum, et respective contra quos, et quæ bona exequendum mandatum in casu etc.* = Responsum dederunt = *Affirmative, et constare de credito in summa scut.* 1800 *una cum fructibus in summa liquidanda, et mandatum esse exequendum super prædiis Perinelli, Azzolino, Braglia, Bassa Nepoti* = sicuti edita monstrat a me Decisio ad eam diem, quæ factorum seriem fuse narrat. Nec quidquam profecerunt hoc mane Nonninii, licet omnes vires suas intenderint, ut editæ Decisionis fundamenta convellerent. Rejectis enim omnibus ab iis prolatis exceptionibus, nullum Patribus dubium fuit, quin quærenti mihi = *An sit standum vel recedendum a Decisis* = responderent, persistendum esse = *in Decisis* =.

1 Et sane nil consultius definiri poterat, cum omnia confluerent in themate actionis hypothecariæ extrema, quibus tuto innixa Marianna Masi, ex juribus defuncti sui viri Johannis Mantovani, in ipsam ex testamento translatis, penes tertios possessores bona Josephi Salani originarii debitoris persequi possit. Nam ex solemnibus tabulis, annis 1794, et 1795 exaratis, apprime constat, bina collybistica nomina usque ad Scuta 3000 Josephum Salani Antonii Mantovani favore contraxisse, conventis octuncibus usuris, et Camerali interposita obligatione, quam vi sua hypothecæ vinculum super omnibus bonis *tum* præsentibus, *tum* futuris secumferre neminem latet. Rursus ex solemnibus tabulis diei 13 Julii anni 1807 pariter ab omni procul dubio constat, Mantovanium transtulisse in Paulum Salani Josephi Debitoris filium, jam sui juris factum, ac in ejus uxorem Angelam Scardova creditum suum, quod, initis calculis ad Scuta 3599 assurgebat, pro exigua summa Scut. 1800 intra quatuordecim annorum terminum persolvenda sub mitissimis semissibus usuris, et cum obligatione ipsorum omnium bonorum, ea tamen sub explicita conditione, quod minime ista novatio pro ea Scut. 1800 quantitate ullum debuisset præjudicium inferra = *ai suoi dritti di anteriorità, e poziorità contro gli effetti del patrimonio del Sig. Giuseppe Salani primo debitore* =. Dubitari igitur non potest de hypothecario credito Joannis Mantovani, sive ejus hæredis Mariannæ Masi in dicta summa Scut. 1800 una simul cum fructibus a die Stipulationis instrumenti decursis, et non solutis, super omnibus Josephi Salani bonis assequendo. Sed, cum neque in discrimen revocetur, quin vidua Mantovani die 2 Julii anni 1813 suum hypothecarium nomen inscribere cauta fuerit, atque prædia illa, quæ persequitur, ad patrimonium debitoris pertinuerint, multum sane adlaborandum non est, ut perspicuum undique fiat, optimo jure ipsam adversus bonorum possessores, quæ sibi erant obligata, actionem suam nunc convertere, ut ipsos, vel ad hoc nomen hypothecarium persolvendum, vel ad prædia dimittenda, ut sub corona vendantur compellat, ut recte statuit mea *præter. decisio* §§ 4 *et* 5.

Perperam vero, ut Mantovaniæ actionem eluderent plura objiciebant Nonninii adversus inscriptionis validitatem, quæ omnia nullius momenti, nulliusque ponderis esse merito Patres censuerunt. 2
Reque vera ineptissime primum obtrudebant, inscriptionem illam hypothecariam diei 2 Julii anni 1813 extra tempus fuisse peractam a lege ad inscribendum præfinitum, nimirum post diem 1 Julii anni 1809 quod postea ad diem 1 Januarii insequentis anni prorogatum fuit, atque ideo nullam fuisse, et illegitimam. Terminus namque ille a Gallica Lege initio constitutus pertinebat quidem ad tuendam, conservandamque originariam tituli anterioritatem, haud tamen ad hypothecam ipsam in genere et in universum de medio tollendam,

quatenus ea intra præfinitum illum terminum inscripta baud fuisset. Edixit siquidem Lex, quod si hypothecæ ad publicum tabularium intra tempus præstitutum deferrentur a die tituli, e quo menant, anterioritatem servarent; eo autem lapso termino, nonnisi quam ab inscriptionis die gradum suum tenerent. Ergo etiam post inscribendi tempus evolutum, nil inscripti creditores habent, quod pertimescant, nil impedit, ne juxta inscriptionis diem suus cuique gradus tribuatur, etiam in concursu tertii possessoris, qui, antequam inscriptio sequeretur, acquisitionis suæ titulum transcribere omisisset. Interprete non indiget Napoleonis Decretum diei 25 Octobris anno 1808 quo sancitur = *in concorso pure dei terzi possessori per le alienazioni seguite avanti il 1 Luglio* 1809, *ed anche per le posteriori, nelle quali non siasi eseguita la transcrizione, e le cautele prescritte nell'art.* 31, *si conservano coll' iscrizione il rango, e privilegio, che potevano loro competere ai termini delle leggi veglianti sotto le rispettive epoche dell'attivazione del Codice Napoleone* =. At emptores Nonnini non prius annis 1818 et 1819 prædia, quæ emerant, transcriptionis ope in suum dominium transferre curarunt. Contra vero Marianne Masi usque ab enno 1813 jus suum per inscriptionem hypothecæ incolume servare sollicita fuit. Quare si ipsa inexpugnabili tempestivæ inscriptionis monimento suam hypothecam vallavit, si Nonninii sero nimis ab hypothecariis actionibus per transcriptionem bona liberare curerunt, jam late patet, quod vetus illa hypotheca, ab originariis cambiis profluens plene vires suas adversus tertios possessores exercere potuit, et quod Nonninii suæ tantum, et Patris socordiæ imputare debet, si prædium *Perinelli* usque a die 30 Decembris anni 1809 emptum, celeri transcriptione ab futurarum inscriptionum periculo liberatum subtractumque non fuit, et si inexcusabiliori negligentia reliqua prædia post inscriptas super iisdem a Marianna Masi hypothecas acquisita, ab inhærente onere, quod ignorari non poterat, haud purgata extiterunt.

Deterius post hæc obiciebant Nonninii, haud rite Viduam Mantovani nomen suum in publico Tabulario retulisse, quia in inscriptione tantummodo generaliter bona omnia, quæ ad Josephum Salani annis 1794 et 1795 spectabant, quæve in posterum spectare potuissent, expressit, haud vero juxta legis præceptum nomen, et qualitatem bonorum indigitavit super quibus, jam in tertium possessorem translatis, actio hypothecaria exerceri vellet, unde concludebant, hypothecæ privilegium prorsus evanuisse. Profecto, si res esset de bonis, quæ ante novas vulgatas hypothecarias leges penes tertios possessores extarent, non injuste objiceretur iste in perficienda inscriptione formæ defectus. At cum de iis bonis sermo sit, quæ a debitore distracta fuerunt post hypothecarium regimen invectum, quæque transcripta non fuerunt, nemo dixerit magis in iis opus esse speciali bonorum indicatione, quam in cæteris omnibus bonis, quæ apud debitorem existunt, in quibus, ut statuit ejusdem Decreti diei 25 Octobris anni 1808 superius relati Articulus 22 = *non si richiede nè presentazione dei documenti, nè indicazione della situazione, e qualità dei stabili del debitore, nè alcun'altra forma* =. Requevera ex novissimis legibus non emplius, neque secus tertius possessor prædia, quæ emerat, e dominio alienantis subtrahere, ac in suum transferre poterat, ita ut ea eb omni hypothecaria actione ob æs alienum venditoris libera manerent, nisi *transcriptionis* præeunte solemnitate, uti constitutum fuit in eodem super citato Decreto *art.* 6 §§ 1 *et* 2 = *egualmente non darà luogo una tale inscrizione ad esercitare alcun dritto d'ipoteca o privilegio in concorso del terzo possessore per le alienazioni seguite dopo il primo luglio* 1809 *per le quali l'acquirente abbia fatto eseguire la correlativa transcrizione* =. Cum igitur Vidua Mantovani tempore inscriptionis debitoris bona haud vidisset in alterius nomen transcripta, recte putavit, ea semper apud debitorem existere, ac jure meritoque eorum designationem impune potuit amittere.

4 Quin obicem faciat quoad prædium *Perinelli* defectum ejus transcriptionis in hypothecariis codicibus minime nocere, cum illius alienatio Viduæ Mantovani facillime innotescere potuerit ex censualibus tabulis, in quibus hoc prædium in suum nomen referre Felix Nonninius jam usque a die 31 Martii 1810 sollicitus fuerat. Gallicæ enim leges, si a summo ad imum evolvantur, clamant omnes, transcriptionem esse unicum, et taxativum remedium, quo emptor tueri possit fundi libertatem adversus alienantis creditores. Cum vero nullo prorsus loco de censualibus tabulis ibi mentio facta fuerit, neque in hac hypothecarum materia, ne civium fortunæ temere in discrimen adducantur, novas leges, novasque obligationes inducere deceat, jam illico manifestum fit, mutationem nominis in tabulis censualibus transcriptionis vices haud potuisse per æquipollens supplere, neque ideo Mariannam redarguendam fuisse, si nulla lege id jubente, censuales tabulas prescrutari neglexit. Satis id unum, superque esset, ut quævis prorsus in thematc exularet dubietas. Sed majora etiam urgent, quæ inanissimam objectionem magis magisque prosternunt. Reque vera, si immutatio nominis in censualibus tabulis a transcriptionis onere eximeret, inutilis, et supervacanea fieret transcriptio tanto studio a legibus hypothecariis inculcata, cum præsertim a nemine nominis mutatio in censualibus tabulis omittatur ob metum rigorosæ multæ, qua ii plectuntur, qui eam intra præstitutum tempus perficere prætermiserint: Quin imo de universa hypothæcarii Regiminis salutari providentia actum esset, cum impossibile penitus sit ex censualibus tabulis, quibus non veteris possessor, sed novus acquirens tantum inscribitur, cognoscere, penes quem debitoris bona migraverint. Quamobrem, ni novam Jurisprudentiam inducere, ni creditorem insontem ob alienam culpam pœna afficere; ni demum omne hypothecarium regimen funditus evertere velimus, necessario sane fatendum est, inscriptionem nominis in censualibus tabulis requisitam ad unicum effectum solutionis vectigalis fundiarii, cum transcriptione nil commune omnino habere, nec habere posse. Ingens vero error est, atque immanis æquivocatio, vix responsione digna, quam Nonninii insinuare laborant, falso supponentes prædium *Perinelli* ab eorum Patre emptum fuisse, antequam hypothecariæ leges plenas suas exerentes vires transcriptionis necessitatem induxissent. Nam si non controvertitur emptionis tabulas diem præseferre 30 Decembris 1809, si indubium alioquin est, jam a die 1 Julii, vel si libet a die 15 Octobris. transcriptionem non amplius negligi potuisse, teste art. 2 Decret. diei 25 Junii anni 1809, fieri profecto nequit, ut Nonninii transcriptionis omissionem excusent, ac viduam Mantovani redarguant, quia inscriptionem super eo prædio perfecit, veluti ac si numquam e debitoris dominio fuisset avulsum.

Hisce perstricti, haud meliori consilio Nonninii extollebant articuli 2146 Gallici Codicis censuram, qua præscribitur, quod = *le iscrizioni non producono alcun effetto fra i Creditori d'una eredità, se l'iscrizione non siasi fatta da uno di essi, che dopo aperta la successione, e nel caso, in cui l'eredità sia stata accettata col benefizio dell'Inventario* =, ut inde inferrent Viduæ Mantovaniæ creditum qualibet hypotheca esse destitutum, cum ejus inscriptio expleta fuerit tempore, quo hæreditas Josephi Salani, ob ejus obærationem, a legitimis hæredibus repudiata, sed curatoris ab Judice deputati administrationem jacens erat. Objectio enim, nec in facto, nec in jure consistit. Non in facto, quia minime de Josephi decoctione constat. Fratres enim Salani, ut adversus bona parentis Josephi demortui, sibi jam pignori data, nomina sua opponerent, hæredum personam sustinere non poterant. Hac igitur veste abjecta, effecerunt, ut curator jacenti hæreditati designaretur. Verum una curatoris constitutio, procul ab ullo creditorum concursu, tanti non est, 5

ut necessario secumferat hæreditatis decoctionem, proindeque creditores jure interdicat suum nomen adversus hæreditatem inscribendi, perinde ac si bona, non amplius in debitoris patrimonio, sed sub banca Judicis extarent. Quamvis autem de decoctione Josephi reapse constiterit, extranea haud minus a themate foret proposita exceptio. Illius enim articuli dispositio baud prohibet, quominus contra jacentem hæreditatem expleri possit inscriptio; sed tantum summa cum æquitate statuit, quod, ubi expleta fuerit, nil detrahat juribus aliorum creditorum ejusdem hæreditatis. At Vidua Mantovania nunc non certat cum cæteris Salani creditoribus, ut eis præferatur in vim inscriptionis contra ejus jacentem hæreditatem expletæ, quibus tantum in terminis locum sibi vindicat ejus articuli dispositio, cuique, legis verba legenti primo oculi ictu patet ut atque rem magis illustrando advertunt *Persil. Regim. hypoth. T.* I *pag.* 51 *et Poitier Trattato delle Ipoteche Tom.* I *pag.* 415. Certat tantum cum tertiis possessoribus, qui cum prædia transcribere usque ad annum 1818, et 1819 neglexerint, nullum parare impedimentum potuerunt, quominus creditrix die 2 Julii anni 1813 jura sua in tuto posuerit. Ea igitur omnia, quæ fortasse non inutiliter disputarentur, si quæstio esset inter creditores, ab hac causa omnino aliena sunt.

6 Neque melius Nonninii in præterita concertatione confugere consueverant ad dilatoriam excussionis exceptionem contendentes Mariannam Massi patrimonia, tum Josephi Salani, tum conjugum Salani Scardova insequi debuisse, priusquam actionem suam adversus bona a Nonninio adquisita converteret. Quandoquidem primo compertissimum est, Cameralem obligationem Actori electionem impertiri agendi contra quem velit absque ulla excussionis necessitate, ut, pluribus adductis auctoritatibus, statuit mea præterita Decisio § 7. Deinceps, etiamsi id donari vellet, quævis tamen difficultas prorsus præcideretur ex ineluctabili facto, ex quo constat, minime objectam excussionem desiderari. Quandoquidem Vidua Mantovania neutiquam actionem suam contra primarios debitores experiri omisit, quæ tamen ob debitorum inopiam inanis, effectuque vacua evasit. Neque minus utilis, atque inepta erat altera exceptio, qua magno animo asserebant, excuti etiam debuisse fidejussorem Perini, qui contractibus Josephi Salani annis 1794 et 1795 expletis pro majori securitate accesserat. Nam primum ubi creditori satis cautum et consultum aliunde esse potest, nedum æquitatis ratio, sed ipsa *art.* 2170 Gallici Codicis expressa censura exigunt, ut fidejussores nulla prorsus actione impeti possint. Præterea etiam accedit, jam usque ab anno 1807 per contractum inter Johannem Mantovani, et Conjuges Salani Scardova initum Perinium a fidejussione omnino liberatum extitisse. Quodlibet demum, ne aliquid dubietatis supersit, in casu de quo agitur, prætensæ excussionis subjectum deerat. Nulla enim bona apud Fidejussorem superesse in dubiam facit fidem solemnis Sententia Ferrariensis, quæ illum obiisse decoctum omni dubietate vacare declaravit, ita ut ejus nomen excutere frustraneum omnino fuisset.

Vix demum erat, ut altera quæstio 7
diluenda esset, quam excitabant Nonninii, contendentes hypothecam, qua ipsi pollebant super emptis prædiis, de quibus agitur, tam ex propriis creditis Felicis eorum parentis adversus Josephum Salani, quam ex juribus ipsi Felici contra eumdem Josephum cessis a conjungibus Salani Scardova longe ea anteriorem potioremque esse, quam vidua Mantovani proferebat, ideoque sese e possessione prædiorum deiici non posse. Quælibet enim probatio desiderabatur, quod jactata ista credita, vel tituli vel inscriptionis anterioritate Mariannæ Masi creditum vinceret; accedente præsertim, quod nullum sibi possunt Nonninii mutuari præsidium ex juribus cessis a conjugibus Salani Scardova, qui, cum omnia bona sua anno 1807 Joannis Mantovani fa-

vore obstrinxerint, dum Josephi debitum in se susceperunt, ea deinceps amplius non poterant in Nonninium transferre. Verum, hoc etiam misso, quamvis etiam fingi vellet Nonninios evincere posse, sese anteriores et potiores esse vidua Mantovania, haud tamen a bonis, quæ possident, actionem hypothecariam, quam adversus ea vidua prædicta experitur, declinare valerent. Præscriptum siquidem est ab *Art.* 2167 *et seqq.* Gallici Codicis, ut tertius possessor, si vel fundi transcriptionem omiserit omnino, vel eam serius expleverit = *rimane esposto a tutti i debiti ipotecarj* = ac proinde tenetur = *a pagare tutti gl' interessi, e capitali scaduti, o a rilasciare l' immobile ipotecato senz' altra Riserva* = quod si ipse *manca di sodisfare pienamente ad una di tali obligazioni, ciascun creditore ipotecario ha diritto di far vendere l'immobile ipotecato* = Persolvant igitur Nonninii quibus serotina transcriptio anni 1818 et 1819 prodesse nequit, collybi debitum Mantovaniæ, vel hypothecata prædia ei dimittant. Ubi neutrum horum perficiant, sinant, ut creditrix ad fundi subhastationem progrediatur, atque super pretio, quod e bonis sub basta venditis retrahi potuerit, jura sua, si quæ habent, congruo judicio experiantur. Quæ igitur omnia, cum ita sint, et nil prorsus obstet, quuminus Marianna Masi hypothecaria actione Nonninios urgeat, summa justitia Patres decreverunt, ejus favore relaxandum esse mandatum, qnod exequutioni detur, super fundis *Perinelli, Azzolini, Braglia, Bassa Nepoti*, quæ Nonninii possident, ut suum creditum in summa scut. 1800, una simul cum fructibus, quos ei deberi ex perficienda liquidatione constiterit, ipsa assequatur.

Et ita in acerrimo Partium conflictu jus redditum est.

CALLIEN FEUDI

Veneris 18 *Aprilis* 1824.

ARGUMENTUM

Ex legibus fideicommissorum, et primogenitararum abrogatoriis, quamvis regalia in feudis fuerint abrogata, tamen successionis ordo nunquam deletus fuit. Idque nedum ratione personarum, sed etiam linearum, et familiarum.

SUMMARIUM

1. *Ad bellum profectus, qui post quinquennium nunquam nuncium de se misit, mortuus praesumitur.*
2. *Feudum in bonis immobilibus consistit, jurisdictia ae regalia, sunt ejus accessoria, et non substantinlia.*
3. *Defectis primis vocatis, successionem ad bona feudalia, assequi debet descendentin masculina.*
4. *In feudis etiam impropriis, masculus a primo investito descendens, foeminns illi proximiares excludit.*
5. *Lex* 6 Termipheri anni 5, *et lex* Pontificia anni 1816, *circa fideicommissa, non respiciunt feuda.*
6. Feudum, *quod ex investitura hacreditarium non sit, ad instar est emphyteusis pactitiae.*
7. *Lex* 21 Maii 1808, *dum regalia a feudis sustulit, bona sarcia tectaque servavit.*
8. *Generi per speciem deragatur.*
9. *Investiturae in feudis, nedum ratione personarum, sed linearum quoque, et familiarum servatae fuerunt.*
10. *Absque assensu domini directi, nequit inverti successio in feudis.*
11. *Aliud est disponere de bonis feudalibus, aliud efficere novam investiturne successionem.* - Et num. 12.-

DECISIO CLXIV.

Bona inter quamplurima, quæ Nobilis possidebat Familia Brancaleonia in Urbinate Provincia, Castrum erat *Plobici* una cum Palatio, et Agris, quibus nomen *Montis Neroni*, et quibus ea Familia potiebatur cum titulo Comitatus, ac jurisdictione sub Urbini Ducibus, ac deinceps sub Pontificio Imperio. Exaruit Brancaleonia Agnatio anno 1729., per obitum Comitis Petri Mariæ. Binas hic reliquit filias, qua-

rum primo natam, Annam Juliam nuptam Comiti Bonaventura, secundogenitam vero Mariam Lauram, quæ in Sacra transiit Domus Sbrotiæ. Gravis tum inter Rev. Cameram Apostolicam, ac prædictam Annam Juliam controversia ortum habuit quoad successionem in iis bonis; nam Rev. Camera ea ad se devoluta contendebat, uti constituentia Feudum *proprium*, ad mares tantummodo progressurum, hisque defectis ad se reversurum; tuebatur e contra Anna Julia ea fuisse *allodialia*, aut saltem Feudalia *impropria*, ad quæ, in masculorum defectu, fœminis successio denegori baud posset. Res fuit transactione composita, qua auctorante Chirographo S. M. Pontificis Clementis XII., signato die 5. Julii anni 1732., conventum fuit, quod Costrum *Plobici* et bona adnexa haberet Anna Julia titulo *improprii* et hereditarii Feudi = *per se, suoi eredi, e successori in perpetuo* =, præstito per ipsum, ejusque successores homagio, solutoque tenui tributo Apostolicæ Sedi, cui semper esset » *salva, e riservata la proprietà, diretto, e supremo dominio del sudetto Castello del Plobico, e sue aderenze* ».

Tres vero cum haberet filias Anna Julia, Christinam, Camillam, ac Magdalenam, primonatam Christinam nuptu dedit Comiti Antaldio anno 1744. eaque occasione Feudalia illa bona primogenturæ masculinæ subjecit, favore masculorom, primum ob eadem Christinu descendentium, dein illorum, qui ab aliis duabus filiobus orirentur; Atque, cum nulla soboles, tam Christinæ, quom sedulo natæ Camillæ fuisset, sed e Magdalena tantum, nupta Comiti Alexandro Materozzi, plures ortum habuissent mares, hinc codem Anna Julia, anno 1760. Uldericum Materotium, ex iis primo natum, primogenituræ compendio donavit, sub conditione » *di riportare dalla S. Sede Apostolica l' approvazione della detta primogenitura, unitamente alla concessione della nuova investitura* » Oblatis itaque S. M. Pontifici Clementi XIII. hac de re precibus, Feudi Ipse Investituram, quæ una succedeudi jus, ac modum ad illud Feudum constituere poterat, Chirogrspho signato die 18. Aprilis anni 1761. concessit » *al detto Conte Ulderico Matterozzi, e di lui figli, e discendenti maschi, con l' ordine di Primogenitura, ed in manconza di questi ad Anton Francesco, e Pietro Maria, Emiliano, ed Apollinare altri figli maschi della detta Contessa Moddalena, ed i loro figli, e discendenti maschi, sempre però coll' ordine della detta primogenitura in perpetuo sotto l' obbligo per se, e suoi discendenti, e primogeniti, come sopra chiamoti, di riconoscere in Feudo il detto Castello con le sue pertinenze a favore della Sede Apostolica, e Camera, e di prestare il solito giuramento di fedeltà, e quello rinnuovare in ogni caso di mutazione di possessore, come anche di pagare annuolmeute alla nostra Camera in ricognizione del di lei diretto, e supremo dominio il detto annuo Canone etc.* =; Atque ad hujus Chirographi tramites die 11. Maii ejusdem anni 1731 ab Emo Cardiuali Camerario investitura fuit data.

Post Uldericum, qui Ecclesiæ nomen dedit, Feudum obtinuit Magdalena secondogenitus Antonius Franciscus, cui vita functo, successit ejus primogenitus Vitus. In illius Feudi possessione hic versabatur, dum in Urbinate Provincia a Gollis occupata, ac Italico Regno adjuncta ex Decreto Mediolani edito die 20. Maii 1808., vim suam exeruit notissima Lex 6. *Thermipheri anni* 5. respondentis anno 1797. quæ deleverat Fideicommissa; ac primogenituras, bonaque els subjecta libero fuerant in eorum possessoribus; aut illis, qui ad ea tum temporis jus habebant. Quia vero ex Thermipheri Lege Feuda, quorum indoles, ac natura longe distat ab illa Fideicommissorum, quæ sarcta tecta fuerant servata, ex quo die 12. Januarii 1807. præscriptum fuerat omnibus, qui in Italiæ Regno Feuda possidebant, sive jus sibi ad ea asserebant, ut propria nomina publice profiterentur, ac designarent = *la natura del Feudo; se, e quali Linee Famiglie, e persone siano*

chiamate al Feudo alla morte del Possessore attuale =, una cum = *la qualità, quantità, e situazione dei beni, redditi Feudali, le obbligazioni inerenti al Feudo, come l'obbligo di investitura, Laudemi, e Canoni etc.*, » hinc eidem Urbinati Provinciæ propria fuit facta alia etiam Lex, quæ Mediolani pariter, die proxime sequenti eam qua prædicta Thermipheri Lex ad eamdem Urbinatem Provinciam fuerat ampliata, die nimirum 21. Maii 1808. prodiit, ab illa diversissima, et ad Feuda tantum spectans, qua fuit constitutum, quod » *la giurisdizione, i dritti di privativa i dazj, ed i dritti regali di ogni natura concessi a Feudi sono, e s'intenderanno avocati allo Stato col primo di Giugno prossimo* = et cum regalium abrogato nil officeret juri, ac modo succedendi in bonis Feudalibus, quoad personas vocatas, ad tramites investituræ, additum in ea fuit, quod = *i beni, e le rendite Feudali indipendenti dall'esercizio di un dritto regale rimarranno presso i possessori attuali, conservate per ora le obbligazioni inerenti ai detti beni, tanto a favore dei chiamati, che dello Stato.* = Expressim etiam Mediolani præscriptum fuit die 31. Maii 1808., quod in Urbinate eadem Provincia, comprehensa = *nei Dipartimenti del Metauro, Musone, e Tronto sarà publicato il Decreto dei 12. Gennaro 1807. per la notificazione dei beni, e rendite attuali* =, ea nempe superius memorata Lex, sive Decretum illius diei, et anni, quæ ante ejusdem Provinciæ occupationem fuerant a Gallo Imperatore edita.

Rerum hic erat status, cum mense Julio anni 1811. diem vidit supremum Vitus, Feudi *Plobici* cum adnexis possessor, improlis, atque intestatus, relicto fratre Alexandro juniore, ac Matre Christina Leopardia, duabusque Sororibus, Magdalena, et Secundina; ac Alexander, qui inter regios excubitores in russiacam expeditionem profectus fuerat, juxta investituræ legem Feudi possessionem nactus fuit, ope Apollinaris Materotti Patrui, quem in suum procuratorem elegerat, literis e Mosca, scriptis die 30. Septembris ejusdem anni 1812., quin ullas moverent querelas prædictæ mulieres, quibus, si successionum jura deleta Legibus fuissent quoad Feuda, uti fuerunt quoad Fideicommissa, successio intestata, defuncto Vito, debita fuisset super illo Feudo pro virili cum Alexandro, uti ex Gallico jure debebatur super libera ejusdem Viti hereditate; Apollinaris vero Alexandri nomine, homagium pro Feudo præstitit Sanctissimo Pontifici Pio VII., in possessionem suæ Ditionis restituto, atque in eo Feudo jurisdictionem etiam exercuit, usque ad diem 6. Julii 1816., qua Pontificia Lex regalia Feudorum jura in Urbinate Provincia iterum sustulit. Anno deinceps 1818., cum ex Alexandri silentio ab Anno 1812., aliisque indiciis, ac probationibus dubitari haud posset de ejus morte in Russiaco bello, superius memoratæ ejus mater, ac sorores, judicio instituto adversus Apollinarem, Alexandri procuratorem, immitti petierunt coram Tribunali Primarum Actionum Urbini ad possessionem bonorum = *appartenenti al detto Signor Conte Alessandro, figlio, e respettivamente germano fratello delle anzidette istanti, come presunto morto per disposizione di Legge* =; et votis consonam, Apollinare haud contradicente, obtinuerunt Sententiam die 29. Decembris prædicti anni 1818. provisoriam ipsis immissionem tribuentem, quæ postea absolute confirmata fuit altera ejusdem Tribunalis Sententia diei 30. Augusti 1820., in cujus vim possessionem etiam arripuere Feudi *Plobici* cum adnexis. Id vero æquo animo ferre non potuit Comes Petrus Maria Matterotius, ad Feudi successionem vocatus, ex Investituræ Lege, post fratris Antonii Francisci Masculorum descendentiam exhaustam, suaque jura proferre haud neglexit. Ad parcendum autem impensis, et ut citius controversia absolveretur, ejus definitio compromisso a Partibus fuit in S. N. Ordinem, et Universæ Aulæ judicio subjecta *præviis duabus, appellatione remota.* Hinc Omnes hodie Domi-

nos interrogavi » *An et cujus favore sit locus successioni, ita ut sit danda immissio, seu potius reintegratio in casu etc.* =, qui mihi responderunt » *affirmative favore Petri Mariæ in bonis Feudalibus* ».

1 Et merito sane. In controversiam siquidem cum non adducatur, ac nequeat adduci Alexandri obitus, qui, cum fuisset ad Russiacum bellum profectus, numquam ab anno 1812, quo postremam e Mosca epistolam scripsit, quidquam de se propinquos, amicosve in Patria rescire curavit, ex quo eum mortuum præsumunt jura, ut post *Text. in Leg. Uxor. Cod. dè repudiis* docent *Bald. Cons.* 90. *lib.* 2. *Corp. ad Statut. Mediolan. Cap,* 27. *nom.* 23. *Rocc. disput. juris cap.* 46. *num.* 57., *Rota in Recent. decis.* 556. *num.* 19. *seq. p.* 16. *Tom.* 2. *Dec.* 421. *num.* 3. *coram Priolo, in Cæsenaten. Bonorum* 23. *Junii* 1755. §. 5, *coram Elephantutio, et in Romana, seu Verulana Pecuniaria* 13. *Junii* 1720. §. 7. *coram R. P. D. meo Martinez del Campo*; » quam juris præsumptionem certam effecere, nedum plura testimonia, sed officialis de eo obitu fides nunc allata, hinc itaque consequitur quod dubitari nequeat quin factus fuerit locus successioni, tam ad ejus intestatam hæreditatem, quam ad Feudum Castri *Plobici* cum adnexis, quod ipse possidebat, et ad quod hæc spectat Caussa.

2 Primum vero Dominis, antequam ad examen juris quoad banc successionem venirent, perspectissimum fuit, Feudum illud sartum, tectumque mansisse, quamvis Lex in Regno Italico, cujus pars erat Urbinas Provincia, promulgata die 21 Maii 1808, abstulerit, Feudorum possessoribus « *la giurisdizione i diritti di privatica i Dazj, ed i diritti regali di ogni natura concessa ai Feudi* », et Lex Pontificia Motus Proprii diei 6 Julii 1816 abrogaverit « *tutti i diritti tendenti ad obbligare i Vassalli ecc. in fine tutte le semplici regalie, ovunque tali gravezze si trovino stabilite* » Feuda enim in bonis immobilibus consistunt, non vero in jurisdictione, ac regalibus juribus, quæ plerumque quidem in Feudis comprehenduntur, sed uti horum *accessoria*, non *substantialia*, ita ut Feuda absque iis stare possint, ut docent *Schilter. introduct. in jus. Feud. cap.* 1 § 1 *num.* 10, *et Bellius de Feudis Cap.* 3 § 1 *et* 2. Eoque magis id in comperto fuit, quia prædicta Lex 2 Maii 1808 constituit, quod «*i beni, e le rendite Feudali indipendenti dall'esercizio di un dritto regale rimarranno presso i possessori attuali*», ac die 31 ejusdem mensis Maii obligatoria fuit facta in Italico Regno Lex diei 12 Januarii 1807 jubens a Feudorum possessoribus declarandam esse « *la natura del Feudo se, e quali linee, Famiglie, e persone siano chiamate al Feudo dopo la morte del possessore attuale* »; et quia Feudi existentiam Partes ipsi agnoverunt, quæ in hac Caussa de successione ad Feudalia prædicta bona certant, dum in eorum Compromisso in S. N. Tribunal definiendum voluere « *chi sia succeduto, ed a chi appartenghino i beni feudali, ed altri diritti conservati, e posseduti sotto l'alto dominio, ed investitura della Rev. Cam.* »

Hisce positis, jure succedendi ad illa 3
Feudalia bona Petrum tantum Mariam Materotium præditum esse Patres constituerunt, quia ejus vocationem oriri viderunt ex Investitura ad Feudum Castri *Plobici* cum adnexis, a Pontifice Clemente XIII concessa, qua Ipse voluit successionem in eo deferendam esse «*con ordine di perpetua primogenitura*», ita ut, post primum investitum Uldericum Materotium, ejusque masculinam descentiam, investitura transiret « *in mancanza di questi ad Ant. Francesco, Pietro Maria, Emiliano, ed Apollinare altri figli della detta Contessa Materozzi ed i loro figli, e discendenti maschi sempre però coll'ordine della detta primogenitura* », ex quo dubitari nequeat, quod, defectis Ulderico, atque Antonio Francisco, hujusque masculina descendentia in Alexandro ejus filio, postremo Feudi possessore, unus Petrus Maria, ex explicita Clementis XIII voluntate investituram in feudo, ac successionem ad bona Feudalia assequi debeat. Spernenda vero prorsus visa sunt ea, quæ pro Christiana, ejusque filiabus proponuntur de antiqua controversorum bonorum conditione, ac di-

spositionibus quoad ea, Majorum Familiæ Brancaleoniæ, nunc defectæ quæ ea possidebant; quidquid enim de hisce sit, omnem removent quæstionem transactio anni 1732 inter Rev. Cam. Apostolicam, et Annam Juliam unicam superstitem ex ea Familia, investitura quoad ea bona illo anno concessa a Clemente XII, ac posterior anno 1762 indulta a Clemente XIII, a quibus hæc bona Feudalia facta fuerunt « *sotto l'alto dominio, ed investitura della Rev. Cam. Apost.* ».

4 Nullo pariter in pretio haberi potuit Christianæ, filiarumque confugium ad primam Investituram per Clementem XIII, indultam anno 1732, qua Castrum *Plobici* cum adnexis constitutum fuit in feudum *improprium*, ex cujus indole foeminæ æque ac mares ad successionem admittuntur, ex quo Christina, Alexandri ultimi possessoris Feudi mater, hujusque sorores arcere a successione debeant Petrum Mariam Alexandri patruum, atque ideo remotiorem, quamvis masculum. Primum enim, etsi standum esset primæ illi Investituræ, tamen PetrusMaria foeminas a successione excluderet, quia in feudis etiam *impropriis* masculus a primo investito originem ducens, qualis est Petrus Maria respectu Annæ Juliæ primo investitæ, foeminas illi proximiores excludit, quæ in subsidium tantum, et defecta masculina prosapia primi investiti ad successionem admittuntur, uti *ad Text. in feudalis lib. 2, qui sibi vel heredibus suis masculis vel foeminis tradunt Rosanthal de Feudis Cap. 7 conclus.* 36 *num.* 11. *A Ponte de successione Feudali sect.* 14 *num.* 19 *et Sac. Rota funditus in Arboren.* 14 *Decembris* 1807 § 8 *coram Resta, et in confirmatoria* 26 *Aprilis* 1805 § 5 *coram Eodem.* Dein vero firmius imo tenendum est quod vetus illa investitura deleta prorsus fuit per posteriorem Clementis XIII. Anni 1761, quæ Feudum *proprium* omnino effecit, ita ut mares tantummodo ad illud admitti possent « *coll'ordine di primogenitura* », fœminis prorsus exclusis; quare Alexandro in Feudi investitura, ac possessione succedere debet Petrus Maria masculis nominatis post eum in Investitura Clementis XIII, vocatus, remotis omnino Alexandri matre, ac sororibus.

Quanti hæc omnia ponderis sint optime sentiunt, qui pro Mulieribus causam dicunt; hinc summo studio suadere conantur primogenialem successionis ordinem quoad ea feudalia bona ab Anna Julia constitutum, et a Pontifice Clemente XIII approbatum, prorsus evanuisse ex Lege 6 Thermipheri anni 5 in Italico Regno, ac ideo in Urbinate Provincia die 20 Maii 1808 publicata, qua primogenialia, ac fideicommissaria vincula deleta fuere, ac bona eis obnoxia facta fuerunt libera in eorum possessoribus, vel jus ad ea habentibus de tempore latæ Legis. At, seposita etiam potissima animadversione quod hujusmodi propositio repugnat mulierum facto, quæ anno 1812, dum obiit Vitus, Fendi possessor, ultro siverunt illud ad ejus fratrem Alexandrum deferri, ne mussitantes quidem comprehendi illud debuisse in libera Viti hereditate, ad quam ipsæ ex illius ævi Legibus æquis partibus una cum Alexandro successerunt, Domini merito statuerunt præscriptos successionis modos ad Feuda abrogatos haud fuisse, nec ex Regni Italici Legibus primogenituras, et fideicommissa abolentibus, nec ex superventa anno 1816. Lege Pontificia, qua fideicommissorum deletio indiscrimioatim probata fuit quoad Provincias, dictas « *di seconda ricupera* », et quoad illas « *di prima ricupera* » pro iis tantum fideicommissis, quorum substantia in immobilibus bonis valorem haud attingeret scutorum *quindecim millium*. Longe enim Feudorum indoles, ac natura distat ab illa fideicommissorum, ac primogeniturarum; quamvis tum in iis, quam in hisce præstituti sint successionis ordines ad effectum admittendi vocatos. 5

In fideicommissis siquidem, et primogenituris si succedendi ordo, ac modus intervertatur, ac deleatur, vocatis tantum præjudicium infertur. At in Feudis de directorum dominorum etiam interesse agitur; dum successio ad alios, quam ad vocatos defertur, quia implendæ sunt ab illorum possessoribus investituræ conditiones, quæ ad directurum 6

dominorum commodum spectant, et pro quarunf implemento investientes, vel eorum successores designatas personas obstrictas voluere; eoque magis in Feudis primogenialibus, quale est illud, de quo agitur,in quibus longe aliter series habet si dominus directus cum unico tantum Feudi possessore agere debet, ac si cum pluribus personis, qui Feudalia bona possideant, rem habere coactus sit. Feudum, quod ex investitura hæreditarium non sit, ad instar est Emphyteusis *pactitiæ*, in qua idem est, ac in feudo, directi domini interesse quoad conservationem præstituti ordinis successionis; et in qua designatus ex investitura succedendi modus sartus, tectusque manet, uti omnibus notissimum est quamvis fuerint fideicommissarlæ substitutiones abrogatæ.

7 Expressa itaque opus fuisset Legumlatorum dispositione de abrogando jure vocatorum ad successionem in bonis feudalibus, ad hoc ut una cum fideicommissis, et primogenituris ea etiam jura vocatorum ad Feuda Legibus sublata fuisse posset admitti. Sed adeo a vero abest quod id Legum latores voluerint, ut immo *postridie* ejus diei, qua ad provinciam Urbinatensem ampliata fuit lex 6 Thermipheri anni 5 Fideicommissorum abrogatoria, die nempe 21 Maii 1808, alia ibidem prodierit Lex, quæ a Feudis regalia substulit, sed una simul expressim jussit, quod « *i beni, e le rendite Feudali indipendenti dall' esercizio di un dritto regale rimarranno presso i possessori attuali, conservate per ora le obbligazioni inerenti ai detti beni, tanto a favore dei chiamati, che dello Stato* »: obligationes vero bonorum Feudalium *a favore dei Chiamati* aliæ esse nequeunt quam illæ successionis, quibus respondent Vocatorum jura succedendi; servatis idcirco obligationibus, et hæc jura servata per necesse fuerunt. Nec satis. Nam die 31 Maii prædicti obligatoria in Italico Regno, et Urbinate Provincia facta fuit altera Lex, jam lata, post illam Thermipheri, sub die 12 Januarii 1807, quæ Feudorum possessoribus præcipiebat quod declararent apud acta « *la natura del Feudo, se quali linee, famiglie, persone siano chiamate al feudo dopo la morte del possessore attuale* » fieri profecto nunquam poterat quod Legislator noscere voluisse, qui essent in futurum vocati ad successionem in Feudis, si eorum succedendi jus præcedenti Lege prædicta Termipheri jam abrogasset. Nec aliter sentiendum ex Lege Pontificia diei 6 Julii 1816, alioquin edita post apertam Feudi successionem. Ea namque, dum de fideicommissorum deletione egit, nil quoad Feuda dixit et dum ad Feuda se convertit sub *Artic.* 183, regalibus tantum juribus eorum possessores spoliavit, cætera omnia ad ea feuda spectantia sarta tecta relinquens.

Patet igitur frustra a Christiana, ejusque filiabus proponi Thermipheri Legem fideicommissorum abrogatoriam, quia hæc Lex de fideicommissariis bonis loquens comprehendere tantum potuit bona allodialia, non vero Feudalia, quæ venire nequeunt sub generica appellatione bonorum, uti probat *Carpazorius Dec. Illustr.* 142 *num.* 14, et quia qualibet in falsissima hypothesi binæ adsunt posteriores leges, quæ speciatim successionem in Feudis servant « *a favore dei chiamati* », quæve tantum quoad Feudalia bona spectari possunt ex notissimis regulis, quod « *In toto jure generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est* » et quod « *Posteriora derogant prioribus* » quae verba sunt *Leg.*80 *ff de regulis juris, et lege de quibus Cod. de legibus.* Extranea vero prorsus a themate comperta est auctoritas *Galli Merlini in repertor. Art. Fies section.* 2 § quæ posita Feudorum abrogatione, inanes evasisse dicit particulares quoad in eis successionem dispositiones. Ipse enim respexit ad Legem in Galliis editam die 15 Martii 1790, et ab ipso ad verbum relatam, qua una cum « *tutti i privilegj, feudalità, e qualità nobile di beni* » deleta fuere « *i dritti di primogenitura, e di mascolinità rapporto ai Feudi, come pure le divisioni inequali di questi beni in ragione della qualità delle persone* » ac expressim fuit statutum, quod « *tutte le successioni saranno senza riguardo all'antica qualità nobile dei beni, e delle persone divise trà i coeredi, a seconda delle* 8

Leggi, che determinano il modo di succedere fra tutti i Cittadini. Merlini igitur dictum convenire potuit successionibus respectu Feudorum, quæ omnino in Gallis sublata fuerunt; nullo vero modo procedere potest quoad illa in Italico Regno existentia, quæ ut superius fuit demonstratum, firma in omnibus, regalibus dumtaxat exceptis, Leges expressim voluere.

9 Nec utilius proponebantur pro Mulieribus *Castrum Plobici* cum adnexis primogenituræ fuisse subjectum anno 1744 per actum privatum Annæ Juliæ, ex quo ordo successionis quoad illud constitutus deletus dici debeat per Legem Thermipheri, quæ fideicommissa, et Primogenituras sustulit. Accessit namque solemnis Investitura Pontificis Clementis XIII ad illud Feudum anno 1761 concessa sub præfinito modo successionis primogenialis. Etsi ideo fingendum esset, Primogenituram super Feudo privatim institutam ab Anna Julia affici potuisse Lege Termipheri, quæ alioquin, ut dictum est, ad Feuda non respexit, non omnino per eam Legem affici potuit Investitura Clementis XIII quæ certo certius in suo robore mansit in vim aliarum Legum de Feudis nominatim editarum, quæ incolumes voluerunt esse = *le obbligazioni inerenti a detti beni in favore dei Chiamati* = nempe, ut explicatum fuit in Lege 12 Januarij 1807. nedum Personarum, sed Linearum quoque, et Familiarum = *chiamate al Feudo dopo la morte del Possessore attuale*.

10 Et nihil interest, quod Investitura Clementis XII et Primogenitura jamdudum condita ab Anna Julia in eumdem ordinem successionis collimarent. Non ideo enim affirmandum est, concessionem, et Investituram Feudi unum, atque idem esse cum Primogenitura, ac minus propterea arguendum, sublato, ut asseritur, vinculo Primogenituræ, alterum, qui oriebatur ex Investitura; consistere per se ipsum nequivisse. Commune id tantum erat inter Investituram Clementis XIII et privatam Annæ Juliæ dispositionem, quod utrobique Primogeniti vocarentur. Sed non ideo ex duobus diversis titulis unum tantum efficere licebat, adeo quidem ut asserta abrogatio Primogenituræ etiam Investituræ abrogationem inducere potuerit, quod negat *Jason. Mayn. cons.* 236. *numer.* 29 et præclarissime S. N. Ordo in *Romana, seu Mutinen. reversionis* 25 *Februarii* 1777 §. 13,

Coeterum hæc dicta sunt in falsissima hypothesi existentiæ binorum vinculorum: nam unum tantum vinculum in pretio haberi potest, illud scilicet, quod successioni ad Feudum apposuit Investitura Clementis XIII Anni 1761. cum primogenitura ab Julia ordinata sit prorsus spernenda, quia Feudum *Castri Plobici* cum adnexis, jam ex Chirographo Clementis XII Anni 1732. existens, nulli successionis ordini subjici poterat per actum privatum absque assensu, domini directi sive Pontificis quia assensus cum ageretur de re Feudali, non firmavit id quod Anna Julia ex arbitrio egerat primogenituram instituendo, sed successionis modum *ex integro* constituit, quamvis idem hic esset, ac ille ab Anna Julia constitutus, per tradita *a Ponte de Potestate Proregis Tit. de assensu regio numer.* 3 *Afflict. decis.* 286. *numer.* 3 *Rota in Ferrarien. Feudorum super rejudicata* 27 *Januarii* 1741 § 5. *et seq. coram Calcagnino, et in confirmatoria* 15. *Maii ejusdem anni* § 5. 11

Quin rem mutet quod Feudum ex prima Investitura Clementis XII esset *improprium, et hereditarium* pro Anna Julia = *e suoi figli, e successori in perpetuo* = ex quo ipsi liceret, absque Pontificis assensu quemlibet in eo successionis ordinem constituere. Poterat ipsa siquidem de Feudo ad libitum disponere erga quoscumque, at non poterat ejus naturam immutare absque Pontificis assensu per ordinationem primogenituræ, et hic solus assensus, seu Investitura novæ successionis formae vim poterat tribuere per *Surd. cons.* 305 *numer.* 1 *Tiraquell. de Primagenit. quæst.* 77 *numer.* 1. *Magon. decis. Florentin.* 54 *numer.* 26 Quod optime quidem et ipsa Anna Julia novit, nam Wlderico Materotio primo ad Feudi 12

primogenituram instituto praeceptum injunxit = *di riportare dalla S. Sede Apostolica l' approvazione della detta primogenitura, unitamente con la concessione della nuova Investitura a di lui favore* = Perspicuum ex hisce omnibus cum sit Feudum, de quo agitur, consistere, quamvis regalia sint abrogata; successionis ordinem quoad illud numquam deletum fuisse ex Legibus fideicommissorum,et primogeniturarum abrogatoriis; quoad hunc ordinem spectandam tantum esse Iuvestituram a Clemente XIII Anno 1761. concessam, et ex hac Investitura manifestissimam esse Petri Mariæ Materotii vocationem; plane ideo consequitur jure ipsi ad Feudalia bona immissionem fuisse tributam.

Et ita universa suffragante Aula in Partium certamine jus redditum fuit.

CALLIEN FEUDI

Veneris 14 Maii 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CLXIV. -

SUMMARIUM

1. *Decretum* 21 Maii 1808 , *abstulit a feudis jurisdictionem et regalia tantum , minime vero ea delevit.*
2. *Feudorum substantia stat in bonis immobilibus tantum, aut etiam incorporabilibus, quae immobilium loco habentur.*
3. *Successio in feudis deferri debet , juxta investiturae leges.*
4. *Etiam in feudis impropriis, foeminae etsi proximiores , excluduntur a masculis remotioribus.*
5. *Ex lege Thermipheri, minime abrogata fuerunt feuda.*

   Sub generica appellatione bonorum allodialium, feudalia non continentur - ibidem. -
6. *Lex* 21 Maii 1808 , *obligationes , feudalibus inhaerentes bonis, expresse servavit* - a favore dei chiamati. -
7. *Subsidiarium jus pro alimentis , ac dotibus competit super fideicommissis , non vero super feudis.*
8. *Successiones ad feuda, nedum firma manserunt post legem Thermipheri, sed etiam post Gallicum Codicem.*
9. *Feuda a fideicommissis distant, quoad principium , quoad personas , quoad finem.*
10. *Fideicommissarii haeredes habent dominium resolubile , feudatarius habet quamdam usufructus speciem , cum civili haud confundendam.*

    Jus feudatarii est longe potentius illa fideicommissarii - ibidem. -
11. *Etiamsi primogenitura sublata sit , manet in suo robore investitura.*
12. *In feudis immutari non potest successionis ordo , absque assensu domini directi.*
13. *Quamvis agatur de feudo haereditario , tamen eius venia domini directi, immutari ejus natura ac forma nequit.*

DECISIO CLXV.

Castrum *Plobici*, una cum Palatio, et adnexis, quod a Familia Brancaleonia in Urbinate Provincia possidebatur cum titulo, ac jurisdictione Comitatus, tam sub Urbini Ducibus, quam sub Pontificio Imperio, exhausta Anno 1729 per obitum Comitis Petri Mariæ Brancaleonia agnatione, penes Annam Juliam Petri Mariæ filiam, quæ in Sacra Familiæ Bonaventura transierat, relictum fuit, nomine *improprii*, et hæreditarii Feudi ex transactione cum S. Sede Apostolica inita, eamque auctorante Chirographo S. M. Pontificis Clementis XII signato die 5 Julii Anni 1732. Postea cum eadem Anna Julia, primum anno 1744 ea Feudalia bona masculinæ primogenituræ subjecisset favore masculorum, qui ortum haberent ab ejus filiabus Christina, Camilla, ac Magdalena, et cum dein, videns nullam Christinæ, ac Camillæ fuisse sobolem, Magdalenam vero, Comiti Alexandro Materozzi nuptam, plures habere masculos filios, primogenituram Anno 1760 tribuisset Ulderico, ex iis primonato, sub conditione obtinendi a S. Sede Apostolica = *l'approvazione della detta primogenitura , unitamente alla concessione della nuova investitura* =, Clemens XIII benigne excipiens, preces hac de re sibi oblatas, prædicti Feudi investituram, quæ una jus ac modum ad illud succedendi constituere poterat, per Chirographum datum die 18 Aprilis 1760

concessit = *al detto Conte Ulderico Materozzi e di lui Figli, e discendenti maschi con ordine di primogenitura, ed in mancanza di questi ad Anton Francesco, e Pietro Maria, Emiliano, ed Appollinare altri Figli maschi della detta Contessa Maddalena Materozzi* =, eorumque filiis, et descendentibus masculis, servato semper primogeuituræ ordine, et eum obligatione = *di riconoscere in Feudo il detto Castello a favore della Santa Sede Apostolica, e Reverenda Camera* =, præstandi, ac renovandi = *il solito giuramento di fedeltà in ogni caso di mutazione di possessore* =, ac solvendi eidem Reverendæ Cameræ annuum tributum = *in ricognizione del di Lei diretto, e Supremo dominio* =, cui Chirographo accessit solemnis Investituræ actus, die 11 Maii ejusdem Anni 1781 ab Emo Cardinali Camerario expletus.

Hujusce Feudi possessio devenerat ad Vitum Materozzi, filium primonatum Antonii Francisci, qui fuerat Secundogenitus prædictæ Magdalenæ, ac sibi connubio junxerat Christinam Leopardiam; atque in hac ipse possessione verabatur cum, post occupatam a Gallis, regnoque Italico adjunctam Urbinatem Provinciam, extensa ad hanc fuit, ex Italici Proregis Decreto, Mediolani edito die 20 Maii 1808 auctoritas Legis = *del 6 Termifero Anno V., abolitiva dei fidecommissi, e primogeniture* =; quo vero ad Feuda, quæ nil commune cum privatis fideicommissis, ac primogenituris habebant, aliud Mediolani pariter ab eodem Prorege publicatum fuit decretum, prædictam Urbinatem obligans etiam Provinciam, insequenti die 21 Maii 1808 quo, *regalibus* tantum abrogatis, omnia alia super bonis Feudalibus jura servata fuerunt, tum = *presso i possessori attuali* =, tum etiam = *a favore dei chiamati* =; ac alterum postea simile accessit decretum dici 31 ejusdem Mensis Maii, quod eamdem Provinciam subjecit Imperatoriæ Legi, quæ lata die 12 Januarii Anni 1807 præcripserat = *la notificazione dei beni, e redditi Feudali* = Hinc itaque, defuncto Vito Mense Julio Anni 1812., superstitibus relictis, Alexandro fratre, qui Gallorum signa in Russiacam expeditionem sequutus fuerat, atque binis sororibus Magdalena, ac Secundina, cum Christina Leopardia matre, tres hæ mulieres, quibus ex Legibus tum vigentibus intestata successio ad Viti hæreditatem æquis partibus cum Alexandro debebatur, quæve ita cum eo prædicta Feudalia bona a Vito relicta assequi potuissent si constituta quoad ea successionum jura ad tramites Investituræ fuissent deleta, tacitæ, uti par erat, siverunt unum Alexandrum, ope patrui Apollinaris, quem sibi procuratorem fecerat, literis e Mosca datis die 30 Septembris ejusdem Anni 1812 Feudi possessionem nancisci, omniaque a Legibus permisss jura super eo per eumdem procuratorem exercere. Non idem tamen evenit Anno 1818., quo, cum constitisset de Alexandri obitu in Russia eædem mulieres coram Tribunali Primarum Actionum Urbini immissionem petierunt ad possessionem ejus bonorum, quam geminæ Sententiæ dierum 23 Decembris illius Anni; ac 30 Augusti 1820 eis tribuerunt; nullo enim contradicente, Feudi etiam *Plobici* cum adnexis in earum vim possessionem Ipse arripuere. Reclamante vero Petro Maria Materotio, Alexandri Patruo, nominatim ad Feudum, deficiente masculina Francisci Antonii descendentia, vocato ex Investituræ legibus, et per Partium compromissum Universæ Nostræ Aulæ judicio, *præviis duabus, appellatione remota* controversia submissa, earum ausus coercuit decisio a me vulgata die 13 Aprilis superioris Anni 1823, quæ latius rem omnem exponit; de cujus viribus, cum hodie, ad tramites compromissi prædicti quæri debuerit, propositum a me de more dubium = *An sit standum vel recedendum a Decisis* = diremptum incunctanter ab omnibus Dominis fuit responso = *In decisis* =.

Defuncto siquidem, uti in controversiam non adducitur, Alexandro Materotio in Russiaco bello, videndum est 1
ad quem spectet successio in bona Feudalia Castri *Plobici* cum adnexis, quæ ipse possidebat. Quod hæc bona Feu-

dalia revera essent in dubium revocare vetant superius memoratæ Investituræ Clementis XII, ac Clementis XIII. Quod autem Feudalia esse permanserint, etiam post decreta ab Italico Prorege super Italicis Feudis edita, horum decretorum tenor apertissime demonstrat, seposita etiam mulierum declaratione in earum super hac controversia compromisso, quo a S. N. Ordine definiendum esse voluere = *chi sia succeduto, ed a chi appartenghino i beni Feudali, ed altri diritti conservati, e posseduti sotto l'alto dominio, ed investitura della Reverenda Camera Apostolica* = Lex etenim, sive Decretum die 21 Maii 1808 abstulit a Feudis Itali regni = *la giurisdizione, i dritti di privativa, i dazj ed i dritti regali di ogni natura concessi ai Feudi* =; sed insimul voluit quod « *i beni, e le rendite Feudali, indipendenti dall'esercizio di un dritto regale rimarranno presso i possessori attuali, conservate per ora le obligazioni inerenti a detti beni, tanto a favore dei chiamati, che dello stato* » Aliud vero posterius Decretum diei 31 ejusdem Mensis Maii 1808 in Italico Regno, ac ideo in Urbinate etiam Provincia exequutioni dari jussit legem jam latam die 12 Januarii 1807 quæ a Feudorum possessoribus declarari jubebat « *la natura del Feudo, se e quali linee Famiglie, e persone siano chiamate al Feudo, dopo la morte del possessore attuale* »; *la qualità, quantità, e situazione dei beni, e redditi Feudali* » *l'obligazioni inerenti al Feudo, come l'obligo dell'investitura etc.* » Quæ decreta, Gallica perdurante occupatione nunquam fuerunt revocata; Gallisque, Deo dante expulsis, ac Pontificio Imperio restituto, primum ex Pontificia Lege diei 30 Julii 1814 in Urbinate Provincia publicata die 2 Augusti ejusdem Anni 1814., reddita Feudis fuerunt omnia etiam *regalia* jura, ac deinceps notissimus Motus Proprius diei 6 Julii 1816 rursus, quoad Feuda, tantum abrogavit = *tutti i dritti tendenti ad obbligare i Vassalli ec. in fine tutte le semplici regalie, ovunque tali gravezze si trovino stabilite* =.

2 Cum itaque, *regalibus* dumtaxat sublatis, omnia alia Feudalia jura sarta tecta Leges voluerint, ambigi nunquam potest de Feudorum conservatione. Feudorum namque substantia stat in bonis immobilibus, aut etiam incorporalibus, quæ immobilium loco habeantur; jurisdictio vero, aliaque *regalia* in eis comprehendi possunt, uti eorum *accidentalia, et substantialia*, neque in eis comprehensa intelliguntur, nisi fuerint nominatim a concedente expressa, uti advertit *Bellius de Feudis cap.* 3 § 1 *et* 2.; ideoque optime stat Feudum absque jurisdictione per *Schilter. introd. in jus Feudale Cap.* 1 § 1 *numer.* 10., uti invicem jurisdictio ulla absque qualitate Feudali consistere potest, ut notat *Rota decis.* 310 *numer.* 4 *part.* 6. *in Recen.*; atque animadvertit præcedens mea Decisio, quæ confirmatur § 6. Quin recte obiiciatur Lex in Gallis, aliisque quibusdam regionibus lata de Feudorum abrogatione, et Galli Doctoris Merlinii opinio in suo Repertorio *Art. Fief. Sect.* 2. § 6. Democratico namque furori tribuendum est si a turbolentissimo illo pessimorum hominum Conventu, qui dicebatur « *Assemblea Nazionale* » Lex edita fuit die 15 Martii 1790 quæ jussit « *Tutti i privilegj; feudalità, e qualità nobile di beni sono distrutti* ». Merlinius vero, Gallus ut erat, ad patriam Legem se retulit, dum scripsit « *non esistano più Feudi* ». A themate ideirco prorsus extraneum est quidquid de Gallicis Feudis statutum, vel traditum fuit, cum quod Feuda regni Italici extent superius relatæ Leges, ac Decreta, quæ hæc in omnibus consistere, *regalibus* dumtaxat exceptis, voluere.

3 Quam ob rem, cum in dubium revocari nequeat Feudum Castri *Plobici*, uti ex Investitura Clementis XIII fuerat constitutum, ita, si unam demas Jurisdictionem, in omnibus firmum mansisse posteriori tempore, taleque semper manere, plane consequitur, post Alexandri ultimi illius possessoris obitum, successionem ad illud deferendam esse, juxta prædictæ Investituræ legem, et hanc ideo, defecta, post Ulderieum primo investitum, masculina

descendentia etiam ejus fratris Antonii Francisci, competere Petro Mariæ Materotio hoc in casu nominatim vocato, cum ille S. M. Pontifex jussisset, quod, deficiente Ulderico, ejusque descendentibus masculis, investitura transire deberet « *ad Anton Francesco, Pietro Maria, Emiliano, altri figli della detta Contessa Materozzi, ed i loro figli, e discendenti maschi, sempre però coll'ordine della detta primogenitura* » Quin rem, vel minimum mutare valeat antiqua bonorum conditio, dum a Familia Brancaleonia possidebantur; nam ex transactione inita a Reverenda Camera Apostolica cum Anna Julia, et Chirographo Clementis XII. Anni 1732 Feudalis eorum bonorum qualitas constituta fuit; ac, deinceps Anno 1761 Statuto primogeniali in eis successionis ordine, confirmata fuit Chirographo Clementis XIII quod eadem bona semper esse voluit « *sotto l'alto dominio, ed investitura della Reverenda Camera Apostolica.*

4 Pariter etiam successionem ad ea bona asserere sibi nequeunt mulieres ex eo, quod ex Investitura Clementis XII. Anni 1732. Castrum *Plobici* cum adnexis factum fuit Feudum *improprium* cujus indoles sit ut ad illud possidendum fœminis æque, ac maribus jus sit, ideoque Mater, ac Sorores Alexandri ultimi illius possessoris præferri debeant, uti proximiores, illius patruo Petro Mariæ, quamvis masculo, utpote remotiori. Primum enim in *impropriis* etiam Feudis Masculus a primo investito originem ducens, qualis est Petrus Maria respectu Annæ Juliæ, primo a Clemente XII investitæ fœminas, etsi proximiores, semper excludit, quæ in subsidium tantum, ac defecta Masculina prosapia primi investiti, succedere possunt, siculi, innixa Legum Sanctioni, Doctorum traditis, et S. N. Ordinis definitionibus, advertit præcedens mea decisio § 8. Dein vero firmissime tenendum est illam Clementis XII. Investituram deletam fuisse per posteriorem Clementis XIII Anni 1761., quæ Feudum *proprium* effecit, admissis ad illud masculis tantum = *coll' ordine di Primogenitura* =, ac fœminia prorsus exclusis; ex quo frustra Alexandri Mater, ac Sorores successionem, Petro Mariæ expressim a Chirographo Clementis XIII tributam, assequi conantur.

Hæc et ipsi mulierum defensores in- 5
ficiari nequeunt; quapropter summis contendunt viribus particularia quoad Feuda successionum jura sublata prorsus fuisse lege Thermipheri Anni quinti, et Gallico Codice, præsertim ex hujus *Artic.* 731., atque ideo successionem ad Feudum *Plobici*, ceu, ob Alexandri obitum Anno 1812. locus factus fuit, Gallicis vigentibus legibus, ipsis, non vero Petro Mariæ, ad harum legum tramites, delatam fuisse. Verum, re accurate perpensa, apertissime dignoscitur nullius hasce leges prædictis mulieribus præsidii esse posse. Quamvis enim Thermipheri Lex generatim declaret « *annullato qualsivoglia vincolo Fideicommissario in oggi vigente sotto qualsivoglia denominazione, tanto in forza di disposizione tra viri, quanto di ultima volontà, e le sostanze vincolate si intendono fatte libere nella persona dell'ultimo possessore, che ne potrà tosto disporre, come di ogni altra sua sostanza* » et *Art.* 731. Codicis Gallici statuat quod « *Le successioni si deferiscono ai figli secondo l'ordine, ed a tenore delle regole determinate qui sotto: la legge non considera nè la natura, nè l'origine de'beni per regolarne la successione* »; et quamvis generales hæ dispositiones successiones etiam quoad Feudalia bona comprehendere videantur; tamen, eum sub generica appellatione bonorum allodialia tantum, non Feudalia contineantur, ut pluribus exemplis demonstrat *Carpzov. dec. Illustr,* 142 *num.* 14.; et ex jure sit quod « *generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur quod ad speciem directum est* »; et quod *posteriora derogent prioribus* in facto autem constet quod Codex Gallicus in Urbinate Provincia publicatus fuit decreto Proregis Mediolani edito die 20 Aprilis 1808., et Lex Thermipheri fuit ibidem obligatoria facta simili decreto diei 20 Maii ejusdem Anni 1808.; speciales vero quoad Feuda in eadem Provincia prodiere leges, seu decreta die-

bus 21., ac 31 ejusdem Mensis Maii Anni 1808., hinc plane consequitur quod hæ tantum leges spectandæ sint, dum de successione ad Feudalia bona judicium ferendum est.

6 At, quæ leges immediate subsequutæ sunt ampliationem Legis Thermipheri ad Provinciam Urbinatem, quæve ad Feuda specialiter pertinent, constitutum quoad ea in Investituris successionis Ordinem, ac modum, ne, vel minimum immutarunt; immo eum apertissime confirmarunt. Prima namque, illa scilicet lata die 21 Maii 1808., proxime insequenti prædictam Legis Thermipheri ampliationem ad Provinciam Urbinatem, dum *regalia* jura a Feudis sustulit, explicitis verbis insimul statuit quod « *i beni, e le rendite Feudali indipendenti dall'esercizio di un dritto legale rimarranno presso i possessori attuali, conservate per ora le obligazioni inerenti ai detti beni, tanto a favore dei chiamati, che dello Stato* » obligationes vero Feudalibus inhærentes bonis « *a favore dei chiamati* » aliæ esse nequeunt, quam illæ successionis, hisque respondet vocatorum jus ad ea bona succedendi. Patet itaque legem voluisse, eas servando obligationes ut quicumque ad Feuda vocati essent, in eis succederent juxta præstitutum successionis ordinem, et modum. Quod clarius etiam fit ex altera lege diei 31 ejusdem mensis Maii 1808., quæ in Italico Regno, ac Urbinate Provincia obligatoriam fecit præcedentem illam diei 12 Januarii 1807, præcipientem Feudarum possessoribus quod apud acta declararent « *la natura del Feudo, se quali linee, famiglie, persone siano chiamate al Feuda dopo la morte del possessore attuale* ». Si enim Legislator scire voluit quæ personæ, atque etiam lineæ, ac familiæ vocatæ essent ad Feuda post mortem possessoris, aut insanum eum dicere debemus, aut pernecesse concludendum est quod jura vocatorum ad successionem in Feudis numquam abrogata fuisse per anteriorem Thermipheri legem, ad fideicommissa tantum pertinentem, ac per Codicem, pariter ab eo antea publicatum, intellexit, et quod hæc jura in suo robore mansisse, ac in posterum etiam firma esse debere declaravit.

Prorsus autem inepta Dominis visa sunt ea omnia, quæ pro mulieribus, ad harum Legum sensum in lævem partem detorquendum, congruitur. Haud primum dici potest lege diei 21 Maii 1808 consultum fuisse tantum Fisci juribus super Feudis; nam distinctim servatæ fuerunt obligationes inhærentes bonis Feudalibus = *tanta a favore dei chiamati, quanto a favore del Fisco* =. utrasque itaque firmas Legislator voluit. Nec dein verba = *a favore dei chiamati* = referri possunt ad præsentes Feudorum possessores, et verba = *obligazioni inerenti ai beni* = possunt applicari dotibus, ac alimentis: Lex enim diversa oratione prospexit = *agli attuali possessori* =, dum penes eos remanere voluit = *i beni e le rendite feudali* =; atque = *ai chiamati* =, dum firmas, horum favore, servavit = *le abbligazioni inerenti ai dd. beni* =. Quæ actualium possessorum a futuris vocatis, ac successoribus ad Feuda distinctio evidentior fit ex subsequenti Lege diei 31 ejusdem Mensis Maii 1808, quæ obligatoriam in Urbinate Provincia fecit aliam Legem latam die 12 Januarii 1807, discriminantem Vocatos a possessoribus præsentibus, cum loquuta fuerit = *delle linee, famiglie, e persane chiamate al Feuda alla morte del possessore attuale* = Quo vero ad prætensam relationem verborum = *obligazioni inerenti ai beni* = ad dotes, et alimenta patet ejus absurditas primum ex eo, quod cum *generatim* sartas tectas voluerit legislator eas obligationes, fieri nequit ut ejus dispositio ad quædam tantum vocatorum jura cohibeatur, eoque minus fieri potest quod referenda sit ad *subsidiaria, et accessoria* jura dotium, et alimentorum excluso *principali* successionis, sine quo *accessoria* stare nequeunt. Dein autem Lex nec voluit, nec potuit designare prædictis verbis dotes, et alimenta. Noluit quia servavit generatim obligationes favore vocatorum, dotes vero, ac alimenta in subsidium deberi possunt 7

personis, quæ vocatæ non sint, non autem Vocatis. Non potuit, quia subsidiarium jus pro alimentis ac dotibus competit super fideicommissis ex notissima *Auth. resquæ Cod. Commun. de Legatis*, non vero super Feudis, id expressim probibente Feudali Jure *in Cap.* 1. §. *donare tit. de Feudis alienandis*, sicuti optime docet *Cravetta Cons.* 24 *num.* 11.

8 Quod demum Lex diei 12 Januarii 1807, quæ loquuta fuit de *lineis, personisque vocatis post mortem possessoris Feudi* adita fuerit in gratiam hujusce possessoris, ad indemnitatem ei tribuendam ob *regalia* sublata, falsissimum dignoscitur: *quia* nil hac de re; vel leviter ea Lex innuit, *quia* Lex, *regalia* abrogans, et possessoribus Feudorum indemnitatem promittens; posterior fuit, edita nempe die 21 Maii 1808, *quia* demum ea Lex 12 Januarii 1807 adeo aliena fuit a consulendo utilitati possessorum Feudi ut sub Art. 4. ipsis sequestrationem indixerit = *di tutti i beni, e rendite feudali, pei quali non fosse stata fatta dichiarazione al* 1 *Marzo* 1807. Nec quærendum est quæ Legis hujus ferendæ causa fuerit; cum ait sit, quod lata ea post Termipheri Legem, et Gallicum Codicem, existentia ab ipsa agnita fuerit = *delle linee, famiglie, e persone chiamate al Feudo alla morte del possessore attuale* =, ex quo per necesse consequitur, quod jura successionum ad Feuda firma remanserint, nec umquam fuerint præcedenti illa Thermipheri Lege, ac Gallico Codice abrogata.

9 Perspicuum ex his est inani prorsus labore mulieres insistere Legibus in Galliis editis, quæ successionum jura nedum quoad fideicommissa, et primogenituras, sed etiam quoad, Feuda et fortasse etiam quoad pactitias Emphyteutes deleverunt. Quidquid sane de his Legibus sit, quidquid de Gallorum Scriptorum, qui eas sequuti sunt, Sententia, sat est ad ipsarum mulierum argutationes illico eliminandas potissima animadversio, quod illæ Leges, ea Doctorum Gallorum Sententia in pretio haberi potuere quoad Gallias, ubi Leges illæ suam exerebant vim, numquam vero quoad Italicum Regnum, et præsertim Urbinatem Provinciam, ubi lata tantum fuit Thermipheri sæpius memorata Lex, de fideicommissis dumtaxat loquens, nec comprehendere valens Feuda, quarum indoles longe alia est ab illa Fideicommissorum cum Feuda a fideicommissis diversa sint, quoad principium; quoad personas, et quoad finem. Fideicommissa siquidem, eorumque leges, ac conditiones originem docent a dispositionibus institutorum; in Feudis vero omnia a concessione, sive Investitura derivant. Fideicommissa respiciunt familiarum commodum, et bonorum conservationem; Feuda autem intercedunt inter Dominum, et vassallum, et huic tribuunt bonorum possessionem, illi homagium. Fideicommissa demum cessant per bonorum libertatem; Feuda finem habent per bonorum reversionem ad eum, qui super bis alto pollet dominio. In rebus itaque ita inter se diversis ac separatis, fieri nequit ut sub appellatione fideicommissi, Feuda contineantur; uti magistraliter disserit S. Tribual *in Romana, seu Mutinen. reversionis* 26 *Februarii* 1779, *præsertim sub* §. 13 *coram Origo*.

Præterea in aliis etiam maximum inter fideicommissa, ac Feuda discrimen dignoscitur. Primum quoad successionis ordinem: in fideicommissis enim vocati plerumque ultimo gravato succedunt; in Feudis semper succeditur primo Investito, ut tradit *Gaill. Observ. Pract. lib.* 2 *Obs.* 149 *num.* 2. Dein quoad naturam jurium vocatorum. Fideicommissarii siquidem heredes bonorum habent resolubile dominium, donec fiat restitutioni locus; Feudatarius autem habet in re Feudali quamdam ususfructus speciem, cum civili haud confundendam; juxta Feudi definitionem in *lib.* 2. *Feud. tit.* 23 *et Hotumann. disp. Feudal. cap.* 34 *Strav. Syntagn.* 1 *Feud. cap.* 2 *Aph.* 3 *Pagenstecher in Thesauro Juris Feudalis*: *Gott. Terichen. Tom.* 2 *pag.* 441 §. 2 3. Demum quoad efficaciam, et præstantiam jurium respectivorum vo- 10

catorum; quia jus Feudatarii super Feudo longe potentius est illo fideicommissarii heredis super fideicommissaria substantia *Surd. Cons.* 305 *num.* 2. *Odd. De Fideicommissis. Quæst.* 32. *num.* 126 ex quo nullum argumentum deduci potest a Fideicommisso ad Feudum *Purpurat, Cons.* 367 *num.* 16 *Ombroσi in Thesaur. dec. Florent. Tom* 2. *dec.* 2 *num.* 10. Et quamvis Feuda, quæ ex Investitura hereditaria non sint, ad instar in pluribus habeantur Emphyteusis *pactitiae*, cum in utriusque conservatio in ordinis successionis spectet ad interesse domini directi, præsertim si agatur de successionibus primogenialibus, nam directis dominis commodius est cum unico tantum successore, quam cum pluribus pro conditionum implemento agere, uti advertit præcedensDecirio §. 10, tamen in forma substantiali omnino inter se differt civilis ususfructus per *Bocer. tractat. Feudal. Cap.* 1 *num.* 12. Nil itaque mirum, si, abrogato per Termipheri legem successionis ordine quoad fideicommissa, hunc Leges, eam subsequentes, firmum in Italico Regno voluerint quoad Feuda, nullo in pretio habitis legibus, quæ in Galliis prodiere super his, ac forsan etiam super Emphiteusibus pactitiis, cum præsertim hæ Leges latæ fuerint a furentibus illis publici jamdiu constituti ordinis perturbatoribus, delirium inducendæ inter omnes cives æqualitatis foventibus; et de Feudis in Italico Regno disposuerit ille, qui unus imperabat, ac optime noscebat Feuda ad decus firmitatemque Imperiorum plurimum conferre, ac deinceps ob eamdem causam Pontificiæ ditionis Feuda S. M. Pontifex PII VII. *regalibus* dumtaxat exceptis, firma in omnibus voluerit.

11 Quæ vero Thermipheri Lex generaliter a successionibus in Feudis extranea est, applicari particulariter nequit præsenti themati, successionis nempe ad Feudum Castri *Plobici* cum adnexis, uti huic casui mulieres eam applicandam esse contendunt, quia Castrum illud Primogenituræ subjecit Anna Julia Anno 1744., et quia prædicta Thermipheri Lex primogenituras abrogavit. Illi namque constitutionis primogenituræ actui accessit solemnis ad idem Feudum Investitura a Clemente XIII. anno 1761. concessa, statuto successionis in eo primogeniali ordine. Quare bina primogenialis successionis Vincula super eo Feudo extitisse ad summum dici posset, alterum ab institutione Annæ Juliæ alterum ab Investitura dimanans. Hinc, admisso etiam quod, primum fuerit per Thermipheri Legem sublatum, alterum semper, in. Investitura constitutum, firmum mansisset. Quin rem mutet, tam actus Annæ Juliæ; quam Investituræ concursus in eodem statuendo primogenialis successionis ordine, ac modo: exinde enim induci nequit quod e duobus titulis unus tantum effectus fuerit: Duo enim semper manserunt, et primogenitura sublata, in suo robore stetit Investitura; ad tradita per *Jason. Maijn. Cons.* 236. *num.* 29., et magistraliter firmata in superius citata *Romana, seu Mutinen. Reversionis* 26. *Februarii* 1779. §. 13., sicuti animadvertit praecedens mea Decisio §. 13. 14.

Verum haec animadversio supervacanea prorsus est, cum falsissima sit hypothesis existentiae bonorum vinculorum quoad successionis ordinem super praedicto Feudo. Unum enim vinculum tantum in pretio haberi potest; illud scilicet in Investitura Clementis XIII. Anni 1761. constitutum, qua inanis omnino fuit primogenitura ab Anna Julia ordinata super bonis, quae ex Chirographo Clementis XII. Anni 1732. jam Feudalia erant, ex quibus super immutari nequibat successionis ordo absque assensu Domini, sive Pontificis, qui assensus intervenit longe postea, scilicet Anno 1761. per Investituram a Clemente XIII. concessam, quae arbitrarinm Annae Juliae actum haud firmavit, sed successionis modum *ex integro* statuit; cum in re Feudali approbatio Domini non confirmet, ac ratum habeat quidquid Vassallus de Feudo ex arbitrio ordinaverit, sed rem ita *ex integro* conficiat, ut a tempore tantum, quo Dominus assensum praestitit, vires, ac initium sumat, uti docet *A Ponte de Po-* 12

testate Proregis Tit. de assensu Regio num. 23. *afflict. dec.* 286, *num.* 3. *de Franchis dec.* 85. *num.* 3., *et firmat. Rata in Ferrarien. Feudarum super rejudicata* 27. *Januarii* 1741. §. 5. *et seq. coram Calcagnino, et in Confirmataria* 15. *Maii ejusdem Anni coram Eodem.*

3 Nec obstat Feudum ab initio ex Investitura Clementis XII. Anni 1732. fuisse *improprium, et hereditarium* haec namque ejus qualitas id tantum praestabat ut ad quoscumque heredes, aut mares, aut faeminas, extraneos etiam, transmitti posset; at nullum Annae Juliae facultatem tribuebat immutandi ejus naturam, ac formam absque assensu domini sicuti communiter docent *Surd. Cons.* 305. *numer.* 2. *Marescott. Variarum resolution. lib.* 2. *Cap.* 120. *num.* 16. *Magon. Dec. Flor.* 54. *num.* 26. *et Tiraquell. de Primogenitura quæst.* 77. *n.* 1. Quod optime sensit et ipsa Anna Julia, dum Ulderico Materotio, primo in Feudi primogenitura instituto, praecepit, ut assequi deberet = *dalla S. Sede Apostolica l'approvazione della detta Primogenitura, unitamente con la concessione della nuova Investitura a di lui favore* =, uti de hisce disserit superior mea Decisio §. 15. 16. Haec itaque omnia cum Patres perpenderint, nil haeserunt quin, praedicta confirmata decisione, successionem ad Feudum Castri *Plobici* cum adnexis, exclusis Matre ac Sororibus Alexandri postremi illius possessoris, hujus Patruo Petro Mariae Materotio, ad tramites Investiturae, et Chirographi Clementis XIII. Anni 1761., iterum addicerent.

Et ita ab Universa Aula jus fuit dictum, Utraquo etc.

FERRARIEN CIRCUMSCRIPTIONIS

Veneris 30 *Januarii* 1824.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario

SUMMARIUM

1. *Circumscriptio plerumque pendet, ab intrinsecis causae meritis.*
2. *Exhibitio libelli, probat mandatum.*
3. *Praesumi debet mandatum in Procuratore, qui judicio adstitit, atque a Sententia appellavit.*
4. *Contumaces non sunt, qui per procuratorem, judiciis adfuere.*

DECISIO CLXVI.

Cum Eques Vincentius de Costagutis, Prælaturæ ad Costagutam Familiam spectantis possessor ex directo, quo pollet dominio super fundo » *la Tabazzina* » in Ferrariensi Territorio, ad eam Prælaturam pertinent, bodiernis emphytheutis, Sororibus, nempe, Angelæ, Aloysiæ, ac Carlottæ Bottatis diem dixit apud A. C. Collegium, utile vindicans fundi dominium, ob non solutos canones, eas omnes fæminas, nec non Angelum Solimani, et Aloysium Carium Angelæ, et Aloysiæ viros, atque Carlottæ minorennis Matrem, ac Tutricem Olympiam, ejusque secundum virum Cajetanum Poli uno omnes libello compræbendit, uti contemporanea mea narrat Decisio *Ferrarien. devolutionis.* Stetit pro solis Conjugibus Angelo, et Angela Solimaniis Procurator, qui, ut praxeos est, mandati loco ipsum libellum in actis exhibuit. Hinc progrediente judicio, omnia cum eo egit, quoad Solimanios Eques de Costagutis: hinc contra Carium, et Polium, qui in contumacia perstiterant, assuetum prodiit Tribunalis Decretum, ex quo, præfinita in contumaces forma, iterum pro die certa vadati fuere. Mox, post editam Triumviralem Sententiam, quam laudat præfata mea contemporanea Decisio, obtendere cæperunt Conjuges Solimanii sese nemini ad sistendum, ipsorum nomine, judicio mandatum dedisse, ideoque ex triplici defectu citationis, jurisdictionis, et mandati, nullam dicebant, eam Sententiam apud Signaturam Justitiæ. Et, quia quincipalis idcirco quæstionis cognitio Sac. Nostro Ordini demandata fuit » *cum facultate circumscribendi* », Patres seorsim rogare debui » *An sit locus Circumscriptioni in casu etc.* ». Qui, silentibus Solimaniis, responderunt » *Negative* »

1 Quamlibet enim Sententiam rite, valide prolatam Jus nostrum præsumit, donec contrarim per quam dilucidis probationibus evincatur, ut in *Romana nullitatis inscriptionis super circumscriptione* 22 *Aprilis* 1822 § 3 *coram R. P. D. meo Martinez del Camdo*. Accedit vero in themate non solam nullitatis querelam, sed ipsum principale negotium Sac. Nostro Ordini demandatum a Signatura fuisse, addita facultate circumducendi; ex quo fit, ut, quamquam de utroque solliciti sint Patres, tum scilicet de justitia, tum de validitate Sententiæ, severiori huic trutinæ submissæ, comperta attamen ejus intrinseca justitia, extrinsecas ejusdem formas curiosius scrutari dedignentur, ne alioquin facile eveniat, ex aliquo nullitatis scrupulo, e medio tolli judicatum, quod, cum justum esset, sit mox iterum pronunciandum.

2 Ideo autem nulla, et circumductionis censuræ subjecta contendere assolent Conjuges Solimani acta omnia, et Sententiam Collegii A. C., quia negant sese ulli mandatum dedisse, ut pro huic adesset judicio. Verum, si mandati loco utique stare poterat libelli, quo vadimonium Solimaniis indictum fuerat, rite facta exhibitio, per notissimam Praxeos Legem in Judiciarii Codicis Articulo 70 = *Il Procuratore del Reo Convenuto non sarà obbligato a produrre la Procura, ma la copia della Citazione trasmessa dall' Attore, che dovrà produrre, supplirà le veci della procura medesima* = jam de eo ambigere nefas esset e conspectu actorum, quæ testantur = *Per i Signori Angelo Salimani, ed Angela Bottazzi Conjugi contro il Signor Cavaliere Vincenzo Costaguti, è comparso il Signor Giuseppe Caramelli Procuratore, il quale ha prodotto la copia della citazione contraria, e si è costituito Procuratore degl' Istanti.*

3 Quin everti hoc possit per decipulam, alias a Solimaniis suppositam, libellum nempe, non ab iis, sed a Cajetano Poli Carlottae Bottatiae nomine, Procuratori Caramellio traditum fuisse: Nam, nec verisimile est Procuratorem, qui ab uno mandatum acceperat, pro aliis, eo omisso, sese judicio sistere voluisse: multoque minus credibile erit, si perpendantur, acta fuisse gesta, et Decretum fuisse fatum in Cajetanum Polium, tamquam contumacem, quin huc usque vocem ediderit; et e contra Procuraturem Caramellium pro Solimaniis Conjugibus ad exitum usque judicii intervenisse, atque ab ipsa Triumvirali Sententia eorum nomine provocasse. Si itaque eum reapse Solimaniorum Procuratorem credidit Eques de Costacutis, publicis actis id credidit, neque idcirco bonam ejus fidem frustrari æquum esset

Eo autem sublato mandati defectu, *duo* quoque alia objectæ nullitatis capita evanescere visa sunt. Nec enim amplius dici poterat iterandum vadimonium Conjugibus Solimaniis fuisse eo modo, ac forma, qua Judiciarius Codex in contumaces procedendum statuit, quandoquidem contumaces non sunt, qui per Procuratorem, legitimo loco, ac tempore constitutum, cunctis judicii partibus adfuere: Neque vero ab ea, nullo modo necessaria, secunda citatione pendere poterat Primæ Actionis Tribunalis jurisdictio, utpoteque sat superque constituta fuerat per ipsum libellum, ex quo lis suum habuit exurdium 4

Atque ita etc. Altera tantum etc.

FERRARIEN. CIRCUMSCRIPTIONIS

Veneris 25. *Junii* 1824

ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur. - DECISIO CLXVI. -

SUMMARIUM

1. Facilius denegatur circumscriptio, ubi evidens est Sententiae justitia.

Passivae citationis exhibitio supplet procurae mandatum - ibidem. -

2. *Nemini propria fraus, dolumve patrocinari debet.*
3. *Nulla necessitas adest vadimonium iterandi adversus illos, qui per Procuratorem judicio Sisterunt.*

DECISIO CLXVII.

Plures per annos in canonis pensitatione defecisse Emphyteutas prædii » *la Tabazzina* » ad Prælaturam Familiæ Costagutæ spectantis, atque hinc Equitem Vincentium de Costagutis eis omnibus diem dixisse apud A. C. Triumviros, ut ex notissima juris sanctione, nec non ex satis aperta conventione in primæ Investituræ tabulis inita, utilis Dominii cum directo consolidationem sui favore obtineret, mea narrat contemporanea Decisio *Ferrarien. Devolutionis.* Præstat hic memorare prædictum Equitem, in eo devolutionis judicio inchoando, uno libello hodiernos omnes Emphyteutas vadatum fuisse; nempe Angelam, Aloysiam, et Carlottam Bottatias mediatas hæredes primi investiti Nicolai Bottatii, nec non Angelum Solimanium, et Aloysium Carium, Angelæ, et Aloysiæ viros; item Carlottæ minorennis matrem, ac tutricem Olympiam, hujusque secundum virum Cajetanum Poli, ex hisce omnibus solos Conjuges Solimanios Procuratorem constituisse, qui mandati loco, ut praxeos est, ipsum citatorium libellum exhibuit, hinc cæteris, ut in contumaces fieri solet, iteratum vadimonium; hinc Solimaniorum Procuratorem in toto judicii cursu Equitem agnovisse, cum eoque omnia expleta fuisse, ad prolationem usque Sententiæ, quam dicta mea laudat Decisio; hinc tandem ex triplici defectu jurisdictionis, citationis, et mandati de Sententiæ nullitate apud Signaturam Salimanios fuisse conquestos, remque omnem definiendam S. Nostro Ordini fuisse commissam « *cum facultate circumscribendi* » In Comitiis dici 30 clapsi Januarii, seorsim a negotio principali devolutionis, Patres rogare debui « *An sit locus circumscriptioni in casu etc.* » et silentibus Solimaniis, Responsum accepi « *Negative* » Iterata hoc mane rogatione, scilicet « *An sit standum. vel recedendum a decisis in casu etc.* » in jugi Emphyteutarum omnium silentio Patres in *Decisis* persliterunt.

1 Præter juris præsumptionem quoad validitatem sententiæ cujuslibet donec nullitas per quam dilucidis probationibus evincatur, de qua nullitate eo minus inquirere fas est, ubi evidens sit Sententiæ justitia, deque hac una cum illa, ex lege delegationis, sit inquirendum, ut advertit præcedens Causæ Decisio § 2, controversæ Sententiæ validitatem apprime suadebat infirmitas rationum, queis innixi Solimanii, et in Signatura Justitiæ, et coram S. Nostro Ordine in postrema pro nova Audientia disceptatione illius nullitatem prætendebant. Mandati quippe defectum in Procuratore objiciebant, et vere is nullum in actis conscriptum a Solimaniis mandatum exhibueral. At prostat Judiciarii Codicis Articulus 70 quo sancitum « *Il Procuratore del Reo Convenuto non sarà obligato a produrre la procura, ma la copia della Citazione trasmessa dall'Attore, che dovrà produrre, supplirà le veci della Procura medesima* » Atqui Procurator, ipsum libellum, quo Solimaniis vadimonium fuerat indictum in actis deposuerat, de quo ambigere nemo potuisset e conspectu actorum quæ testabantur « *Per i Signori Angelo Solimani, ed Angelo Bottazzi Conjugi contro il Signor Cavalier Vincenzo Costaguti è comparso il Signor Giuseppe Caramelli Procuratore, il quale ha prodotto la copia della citazione contraria, e si è constituito Procuratore degl'Istanti* ».

2 Quin rem mutare posse videretur, quod narrare jamdiu consueverant Conjuges Solimanii, Procuratorem nempe Caramellium libellum utique exhibuisse omnium Emphyteutarum nomina præseferentem, sed non in eo adamussim exemplari, quod ipsis Solimaniis, sed in eo quod Cajetano Poli pro puella Carlotta Bottatia a Viatore datum fuerat, ut exinde inferrent sese nemini mandatum dedisse, atque hinc ex defectu vadimonii, in contumaces de more iterandi, jurisdictionem quoque in Judicibus defuisse. Nam, nec verosimile

erat Procuratorem, qui ab uno mandatum acceperat, pro aliis, eo omisso, sese judicio sistere voluisse: nec credi poterat Cajetanum Poli in contumacia damnatum perpetuo siluisse, ni revera contumax fuisset; Conjuges autem Salimanios cuncta ad judicium proseqnendum necessaria Caramellio subministrasse, ni reapse ad eam litem mandatum eidem dedissent, Itaque, aut errore Procuratoris evenerat, ut exemplar unum pro alio exhibuisset, et, cum de substantia mandati tunc ambigi non posset, nil erat ex fortuita æquivocatione extrinsecæ formæ innovandum, aut fraude dolove ita factum fuerat, ut integrum esset Solimaniis mandati defectum quandocumque proponere, et tunc tralatitium erat nemini propriam fraudem, dolumve patrocinari, uti, post *Text. in L. Auxilium § In delictis ff. de minor. in fin.* Sæpissime a S. Nostro Ordine animadversum fuit, ac nuper » *in Anconitana Nullitatis deliberationis* 18 *Aprilis elapsi anni* 1823 § 11 *coram R. P. D. meo Pianetti* ».

3 Sublato autem mandati defectu, duo quoque alia nullitatis capita evanescere omnino debebant. Nulla quippe fingi poterat necessitas vadimonii iterandi, ut in contumacea fieri solet, adversus illos, qui per Procuratorem rite constitutum cunctis judicii partibus adfuerant. Nec alio excitamento indigebat Tribunalis Primæ Instantiæ jurisdictio, jam sat superque constituta per ipsum libellum, ex quo lis initio fuerat contestata, ut firmat prædicta mea Decisio § 5 ad quam in cæteris sese referre Patres voluerunt.

Atque ita etc. Altera tantum etc.

FERRARIEN DEVOLUTIONIS

Veneris 30 Januarii 1824.

ARGUMENTUM

Dominus directus, cui non fuerint soluti Canones per triennium, jus habet ad devolutionem obtinendam tam ex jure, quam ex pacto. Neque Instrumentum Emphyteuticum praesumitur novatum, donec novatio evidenter non probetur.

SUMMARIUM

1. Jus habet ad devolutionem obtinendam dominus directus, cui per triennium Canones soluti non fuerint.

2. Novationes non admittuntur, nisi contrahentes veteris obligationis in novam transformandae animum expresse aperuerint.

3. Ad Novationem meri tractatus non sufficiunt.

4. Simplex pollicitatio nullam parit obligationem. Instrumentum est necessarium in emptione venditione, quando id expresse cautum fuit - ibidem. -

5. Pactum circa canonum solutionem, cujuscumque legis dispositioni praevalet.

6. In judicio devolutionis, nefas est refricare quaestionem de canonis quantitate.

DECISIO CLXVIII.

Administratores Prælaturæ, quæ spectat ad Prænobilem Romanam Gentem de Costagutis, labente anno 1714, perpetuæ Emphyteusis nomine, concesserunt Nicolao Bottatio, Civi Ferrariensi, prædium, nuncupatum = *la Tabazzina* = ac situm, uti in Instrumenti tabulis describitur = *Sotto la Villa di S. Giacomo di Buranna, nel Serraglio de' Pilastri, Territorio Bondesano, incorporato nella Castalderia delle Rossette, Distretto di Ferrara* = Canonem promisit Emphyteuta in scutatis *sexaginta*, quotannis in die Sacra Sancto Michaeli Arcangelo numerandis. Fiscalia, cæteraque fundo inhærentia onera, tum ipsos quoque fortuitos eventus in se suscepit pactoque sese devinxit = *che mancando per due anni continui al detto pagamento, anche non richiesto giudizialmente, nè stragiudizialmente, in tal caso se così parerà, o piacerà a detta Prelatura, o suo Possessore pro tempore, la detta Possessione, e miglioramenti ivi fatti, ipso jure, et ipso facto, sia devoluta, e devoluti alla detta Prelatura senz' altra dichiarazione, decreto, o sentenza di Giudice, e consolidato l'utile dominio col diretto, ed il possesso naturale col civile* = Hisce accessit beneficii purgationis moræ abdicatio, ac obligatio in forma Rev. Cameræ Apostolicæ.

Obtinent nunc Emphytheusim hæredes mediatæ Nicolai, fœminæ tres: Angela, nempe, nupta Angelo Solimanio, Aloysia juncta Aloysio Cario, et Carlotta innupta adhuc puella, sub tutela, curave Olympiæ matris, secundo licet mancipatæ viro Cajetano Poli: Hæ in canonum pensitatione aliquandiu cessaverant, cum Conjuges Solimanii omnimodam eorum redemptionem obtulerunt Equiti Vincentio de Costagutis, hodierno *Prælaturæ* possessori, idque Supremi Principis auctoritate implorata, et Judicis ab eo delegati, R. P. D. Cunco, præeunte Decreto, ex quibus nefas erat canonem minoris, quam scutatis 650 alienare; Attamen, eo modo cœpta res, haud ulterius præcessit, et, cum interea Emphytheutæ nil, canonis nomine, persolvissent, frustra quoque clapso intervallo a mense Februarii 1821, quo Decretum prodiit, ad totum fere mensem Augusti 1822, eos omnes uno libello vadavit Eques de Costagutis apud A.C. Collegium, ibique devolutionem, utajunt acceptam habere palam, ac rite obtestatus est. Perpendentes tum Judices illi Emphytheutas ad tres annos, et altra in canonum solutione defecisse, secundam domino directo sententiam protulere. Qui soli per Procuratorem adfuerant Conjuges Solimanii, sententiæ nullitatem objecerunt apud Signaturam Justitiæ, provocationem sin minus, ut moris est, postulantes, quæstionis summa, *cum facultate circumscribendi*, Nostro Sacro Ordini ablegata, Patres primum rogare debui = *An sit locus devolutioni, ita ut sit relaxandum mandatum de associando in casu etc.* = Atque, Emphytheutis plane omnibus absentibus, responsum accepi *pro Informante*, scilicet = *Affirmative in omnibus* =.

1 Cum enim, et coram Primæ Actionis Triumviris haud inficiati fuerint Conjuges Solimanii, nec sese, nec cæteras Nicolai Bottatii in Emphyteusi hæredes, per tres annos, et ultra quidquam, canonis nomine, directo domino præstitisse, jam sponte hinc sequebatur eumdem dominum, optimo jure emphytheutici prædii utile dominium vindicare, ideoque a Patribus judicium ab A. C. Triumviris pro devolutione latum probari omnino debere. Et sane, satis aperta erat conventio in primæ investituræ tabulis inita, qua statutum fuerat = *che mancando per due anni continui al detto pagamento.* Prælaturæ, aut ejus pro tempore Possessoribus jus esset devolutionis pro lubitu accepto habendæ. Pacta religiose implenda sunt, ad *Text. in l.* 1 *ff. de Pactis in Perusina Prædii* = *il Piano* = 29 *Aprilis* 1816 § 4 *coram Emo Cesarei, et in Romana Pecuniaria quood ratum commodi* 5 *Maii* 1820 § 1 *coram Emo Serlupi*; hinc nedum ex jure notissimo, sed etiam ex pacto omnimoda controversi fundi possessio Equiti de Costagutis erat addicenda, ut *in Romana, seu Hostien. Associationis* 25 *Januarii* 1820 § 2 *coram Emo Odescalchio, in Romana, seu Signina devolutionis* 3 *Julii* 1818 § 7 *coram bo. me. Zinanni, et in Romana seu Urbevetana Emphyteusis super rata commodi, et obligatione solidali* 21 *Januarii* 1820 § 5 *coram R. P. D. meo Spada.*

Quin extinctum emphytheusis contractum, novumque emptiunis venditionis inductum dici posset ex ea Supremi Principis concessione, ac subsequuto Judicis delegati Decreto, quibus Solimaniis potestas facta fuerat canonis redimendi, persoluto pretio scutatorum 650. Quandoquidem hujusmodi novationes non ita facile admittimus nudis præsumptionibus innixas, nisi forte contrahentes veteris obligationis in novam transformandæ animum expresse aperuerint, aut in novum placitum convenerint, illudque perfecerint, cum quo vetus conciliari omnino nequeat. Ita post *Text. in L. ult. Cod. de novationibus* habet *Vinn. Comment. ad Instit. lib.* 3 *tit.* 30 § 3 n. 7, et firmat *Rot. in citata Perusina Prædii* il Piano 29 *Aprilis* 1816 § 6 *coram Emo Cesareo, in Ariminen. quoad bona di Covignano* 19 *Januii* 1818 § 3 *coram Rmo P. D. meo Isoard Decano, et in Viterbien. præstationis fidejussionis, seu rescissionis Affictus* 7 *Maii* 1821 § 3 *coram R. P. D. meo Spada.* Et posterioris contractus implementum, maxime ex parte ejus, qui novationem objiciat, omnino requiri 2

firmat *Decis. Recen.* 183 *n.* 21 *et* 22 *Part.* 9 *tom.* 1.

3 At vero Eques de Costagutis ultra fatebatur Conjuges Solimanios præfati Canonis redemptionem eidem obtulisse; Decreto Judicis a SSño Delegati ejusmodi inter Partes tractationem utique probatam fuisse; legesque datas in contractus postea ineundi perfectioni omnino servandas. Sed hæc omnia meræ sterilisque tractationis terminos minime excessisse testabatur, nedum præcedens Emphytheutarum diutina omissio solutionis canonum, in qua, pendente tractatione, perstiterant, sed et maxime eorum negligentia, Decretum ipsum Judicis Delegati subsequuta, a die nempe 3 Februarii 1821, qua illud prodiit, ad diem 24 Augusti 1822, qua judicium cæptum est, per quod temporis intervallum nil prorsus, sive tot canonum decursorum nomine, sive pro pretio redemptionis præstiterunt. Itaque simplex ea rerum discussio, ac præparatio, quæ longa postmodum contrahentium oblivione evanuit, tanti certe non fuit, ut vetere sublata obligatione, novam, eamque prorsus diversam induceret; multa enim pertractantur, quæ minime perficiuntur, ut est *Text. in leg. sciendum* § *Dictum ff. de Edilit. Adict.* et innuit *Decis.* 552 *num.* 8 *coram Lancetta, et decis.* 571 *num.* 3 *coram Olivatio*: neque ad novationem meri tractatus sufficiunt, monente *Decis. recen.* 199 *num.* 5 *part.* 6 *et decis.* 146 *n.* 19 *et* 20 *part.* 9 *tom.* 1 *earumd. Recent.*

4 Quod si Solimanii Canonis redimendi animum sat superque patefecerunt per plures de ea ineunda redemptione Equiti de Costagutis factas oblationes, haud hinc protinus sequitur verum, perfectumque contractum inter eos initum fuisse, sed potius simplicem pollicitationem a Solimaniis emissam, quæ, utpote effectu quolibet destituta, nullam parere valuit obligationem, per *Text. in L.* 3 *et tot. tit. ff. de Pollicitat. Soccin. Jun. in rubr. ff. de verb. obligat. Riminald. Jun. cons.* 521 *num.* 39 *Surd. cons.* 371 *num.* 3 *et Rota coram Cavaler. decis.* 526 *num.* 3 *cor. Ratto, decis.* 1 *num.* 2, atque in durioribus terminis *in Romana Pecuniaria super secundo dubio quoad scuta* 736. 18. 6 *Junii* 1821 § 5 *coram Emo Serlupi.* Maxime si perpendatur unius tantum partis consensum præseferre, qui, cum locum, ut ajunt, pænitentiæ relinquat, emptionis venditionis contractum perficere nequit, quem licet et sine scriptis inire Partes valuerint, nihilominus id egisse visæ fuerunt, ut tabulas postmodum exarandas ad contractus perfectionem omnino necessarias putarent, ut ita veteri, solemnique emphytheusis monumento, novum haud minus solemne emptionis venditionis, sive redemptionis canonis opponerent, ad tradita per *Vinn. in Commen. ad lib.* 3 *Instit. tit.* 24 *in princ. num.* 10, *et in dicta Romana Pecuniaria super secundo dubio* 6 *Julii* 1821 § 10 *cor. Emo Serlupi.*

Apud Primao Actionis Tribunal, aut 5 fortasse etiam in Signatura Justitiae oggerere consueverant Emphyteutae privilegium quoddam e Summorum Pontificum Bonifacii IX. ac Pauli V. Constitutionibus haustum, per quod Civitatis, ac Territorii Ferrariae bona Emphytheutica ad instar allodialium habenda esse statutum fuit. At, praeter quam quod frustra ipsi ad Emphyteusim inter particulares trahebant Constitutiones disponentes tantummodo de Emphytheuticis fundis, qui ad Ecclesias, Monasteria, Xenodochia, et Confraternitates pertinent; incongruum praeterea esset privilegium supponere, cujus vi quaesitum Domino directo jus canonis praestationem intra certum tempus assequendi sub paena devolutionis auferatur: in hoc siquidem fere tota insidet contractus correspectivitas, quam in conventionibus plane omnibus attente perquirimus, teste *Faventina Pecuniaria* 7. *Maii* 1819. §. 8. *coram R. P. D. Bussio, et Romana nullitatis, seu rescissionis contractus* 10. *Januarii* 1820. §. 11. *coram Emo Odescalcho*: Caeterum pactum, quo in prima investitura sese devinxit Emphyteutarum auctor, et quo, si per biennium in canonis solutione cessatum esset, devolutioni se suosque omnes, quolibet abdicato privilegio, subjecit, cujuscumque Legis dispositioni praeva-

lere exploratum est per *Text. in L.* 1. *et L. Juris gentium* §. *Prætor ait ff. de Pactis, ac praecipue in Bononien. Attentatorum* 26. *Junii* 1733. §. *Modo coram Millino, et in Assisien. Pecuniaria* 27. *Martii* 1816. §. 8. *coram Emo Odescalco*; eoque fortius, quia Camerali clausula ea conventio roborata dignoscitur *per Zacch. de obligat. Cam. quest.* 17. *N.* 21. *Gratian. Discept. forens. Cap.* 311. *N.* 25. *et Recen. Decis.* 59. *N.* 4. *Tom.* 3. *Decis.* 383. *N.* 10. *Part.* 15. *et Forolivien. Dotis* 8. *Martii* 1819. §. 4. *cor. R. P. D. Meo Spada.*

6 Postremo abs re omnino opponere consueverunt Conjuges Solimanii quantitatem Canonum, cujus de tempore caepti judicii debitores erant, minuendam fore subductione, *quinti*, et *decimi* pro rata commodi juxta notissimas Leges de fiscalibus oneribus inter utile, directumque praediorum Dominium aequa lance librandis; ut ex inde, quasi de excessivitate, atque injustitia, Triumviralem Sententiam redarguerent. Quandoquidem nulla in praesenti quaestio instituebatur de quantitate paecuniae, canonum decursorum nomine, ab Emphyteutis exigenda, sed quærebatur tantummodo utrum in canone pensitando tandiu defecissent, ut Domino directo emphyteuticum fundum vindicandi jus quæsitum dici possêt, Affirmativam Sententiam amplexi Primæ Actionis Judices id statuisse dicendi sunt, quod vulgata juris dispositio æque ac numeris omnibus absoluta conventio suadebant.

Atque ita etc. Altera tantum etc.

FERRARIEN DEVOLUTIONIS

Veneris 25 *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO CLXVIII. »

SUMMARIUM

1. *Dominus directus, cui soluti non sint canones per triennium, jus habet ad obtinendam devolutionem.*
2. *Novatio nunquam praesumitur, nisi nova conventio cum veteri concil·ari omnino nequeat.*
3. *Simplex pollicitatio nullam parit obligationem.*
4. *Actus qui viam sternunt ad contractum perficiendum, sunt diversi a contractu ipso.*
5. *Constitutiones* Bonifacii IX, *et* Pauli V *quoad privilegia emphyteutica in Territorio Ferrariae, referri debent ad emphyteutas ecclesiasticas tantum.*
6. *In judicio devolutionis, haberi non potest ratio, de quantitate canonum.*

DECISIO CLXIX.

Prædium nuncupatum = *la Tabazzina* = in Ferrariensi Ditione situm, et ad Prælaturam pertinens Prænobilis Romanæ Gentis de Costagutis, perpetuæ Emphiteusis nomine obtinuerat Nicolaus Battatius, jam usque ab anno 1714. Canonem ipse promiserat in scutis annuis *sexaginta*, ea sub lege, » *che mancando per due anni continui al detta pagamento anche non richiesto giudizialmente in tal caso, se così parerà, o piacerà a detta Prelatura o suo Possessore pro tempore, la detta possessione, e miglioramenti ivi fatti ipso jure, et ipso facto sia devoluta, e devoluti alla detta Prelatura senz' altra dichiarazione, Decreto, o Sentenza di Giudice, e consolidato l'utile dominio col diretto, ed il possesso naturale col civile* » aliaque nonnulla addiderant contrahentes in ejusmodi contractus tabulis accurate descripta. Cum vero mediatæ Nicolai hæredes Angela, nempe nupta Angelo Salimanio, Aloysia Uxor Aloysii Cari, et Carlotta innupta adhuc puella, sub tutela curave Olympiæ matris ad secunda licet hæc migraverit vota cum Cajetano Poli, quæ omnes, in sese derivato jure Emphyteutico, prædium illud hodie detinent, in canonum pensitatione per aliquot annos defecissent, de anno 1818. Eques Vincentius de Costagutis, hodiernus Prælaturæ Possessor, illas urgere cepit ad solutionem. Tunc Angelus Solimanius Uxoris, cæterarumque sororum nomine, omnimodam canonis redemptionem Equiti obtulit: ad hoc plures hinc inde datæ Epistolæ, pluresque a Solimanio in iis factæ fue-

re propositiones, tum quoad pretium, quo canon esset redimendus, tum quoad modum illud solvendi.

Inter ipsam vero tractationem, ne forte in posterum evanida fieret, deficiente Supremi Principis auctoritate, omnino in alienatione reditus ad Prælaturam pertinentis necessaria, eam ipsam imploravit Eques de Costagutis, atque a Judice Delegato R. P. D. Cuneo Decretum obtinuit die 3 Februarii 1821, quo eidem potestas facta fuit » *Canonem vendendi favore D. Angeli Solimani, seu alterius cujuscumque pretio tamen non minori scutorum sexcentum, et quinquaginta, et cum onere, quod acquirens omnibus expensis stipulationis subjaceat, atque pretium prædictum deponat in Æde nummularia Sancti Spiritus credito Prœlaturæ Costaguti sub vinculo reinvestimenti* = Iterabat in dies propositiones Salimanius, nec tamen quid certi de modo solvendi afferebat, nec quidquam decursorum per plures annos canonum nomine numerabat; hinc Eques de Costagutis de mense Augusti ejusdem anni 1822 devolutionem, quam nuncupant, contra omnes Emphyteutas ab A. C. Triumviris obtinuit. Editæ Sententiæ nullitatem prætenderat, qui soli per Procuratorem judicio adfuerant Conjuges Solimanii, unoque contextu, ut moris est, provocandi veniam petierant. Principali Rescripto S. Nostro Ordini rei definitione commissa » *cum facultate circumscribendi* » in Conventu diei 30. elapsi Januarii proponi debuit formula » *An sit locus devolutioni, ita ut sit relaxandum mandatum de associando in casu etc.* » Atque in silentio omnium plane Emphytheutarum Responsum prodiit » *Affirmative in omnibus* » teste a me vulgatn ejus diei Decisione *Ferrarien. Devolutionis*. Rogati hoc mane Patres » *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* », nemine pariter ex Emphyteutis obloquente, Responsum dederunt, juxta Equitis Informantis vota » *In decisis*.

1 Quandoquidem, nec in prima Actione, neque apud Signaturam Justiaæ, neque coram S. Nostro Ordine inficiati unquam fuere Conjuges Solimanii per tres annos, et ultra Emphytheutas omnes a qualibet Canonis solutione cessasse; quod unum sat est Domino directo ut prædii utile dominium ab Emphytheutis possit vindicare, nedum ex notissimis juris præscriptionibus, sed etiam in themate ex pacto quo in primæ Investituræ tabulis cautum fuerat quod » *mancando per due anni continui al detto pagamento* » Prælaturæ aut ejus pro tempore possessoribus liberum esset devolutionem pro lubitu accepto habere; pactaque religiose implenda esse nominem latet. Hinc duplici e titulo controversi fundi possessio Equiti de Costagutis erat addicenda, ecu prædicta mea firmat Decisio §. 3. Idipsum dare quodammodo videbantur Conjuges Solimanii, dum pro nova Audientia certantes toti in eo erant, ut ostenderent haud amplius rem esse de caducitate ob non solutos canones, sed de novo exequendo contractu redemptionis eorumdem canonum, ad cujus perfectionem tres illa haud defuisse contendebant, rem, scilicet, pretium, et consensum per habitam inter ipsos, et Equitem de Costagutis tractationem, perque subsequutam, a Supremo Principe auctoritatem interpositam.

Verum istiusmodi novationes facile, 2
ac per conjecturas induci posse vetat apertissimus *Text. in Leg. ult. Cod. de novationibus*: vetant cæteræ auctoritates allegatæ in dicta mea prima Decisione §. 4., quibus addenda alia S. Nostri Ordinis testimonia *in Romana, seu Setina Salviani* 21. *Junii* 1816 §. 16 *coram Eminentissimo Bussio, et in Viterbien. præstationis fidejussionis, seu rescissionis affictus* 7. *Maii* 1821 §. 3. *coram R. P. D. meo Spada, et in Romana Pecuniaria* 7. *Julii* 1822. §. 7. *coram Eodem*, ex quibus patet novationem numquam præsumi, in partes nova conventione id effecerint, quod cum veteri conciliari omnino nequeat. Atqui habitæ inter Equitem de Costagutis, et Conjuges Solimanios de canone redimedo tractactiones, nec quoad prætium redemptionis, nec quoad u-

triusque partis in novum hoc placitum consensum quidquam certi præseferebant. Datis quippe interdum epistolis obtulerat Equiti Solimanius primum scuta 650. persolvenda » *tutto in una volta* », quæ deinde cohibuerat ad scuta tantum 600. pluraque admodum difficilia de modo solvendi addiderat pretium, et conditiones ejusmodi respuerat Dominus directus, proindeque Solimanius a die 17 Aprilis, qua postremam epistolam Eques dedit, ad diem usque 24 Augusti 1822 quo cæptum judicium fuit, altum servavit silentium.

3 Porro hoc ipsum suadebat rem simplicis sterilisque tractationis limites haud excessisse, et multa quidem pertractantur, quæ minime perficiuntur, uti, post *Text. in Leg. Sciendum* §. *dictum de Ædilit Edict.* sæpedicta monet mea Decisio § 5 aliæque ibi laudatæ S. Nostri Ordinis Decisiones. Quod autem Solimanius iis in epistolis canonis redimendi animum crebris declarationibus aperuisset, haud protinus hinc sequebatur perfectum emptionis venditionis contractum inter ipsam, et Equitem de Costagutis initum fuisse, sed potius Salimanium emisisse meram canonis redimendi pollicitationem, quæ utpote effectu quolibet destituta, nullum obstringere valuit obligationis nexum per *Text. in Leg. 2. ff. de Pollicit., ibique Gloss. in verb. afferentis litt. T.* aliaque adducta in dicta prima Causæ Decisione § 6 Maxime si perpendatur unius tantum partis consensu, qui locum, ut ajunt, pænitentiæ relinquit, nullum contractum perfici posse. In themate autem, vel utraque pars consensum, et omnimodam contractus perfectionem differre voluisse videbatur in tempus, quo publicæ tabulæ erant conscribendæ, ut ita veteri solemnique Emphyteusis monumentum haud minus solemne emptionis venditionis, sive redemptionis canonis opponerent, ad tradita per *Vinn. in Comment. ad lib. 3. Instit. tit. 24. in princ. num. 10, ac repetita in Romana Pecuniaria super 2 Dubio* 6 *Julii* 1821 § 10 *coram Emo Serlupi.*

Post hæc nihil negotii facessere videbatur implorata ab ipso Equite de Costagutis Suprema Auctoritas, et subsequutum Judicis Delegati Decretum, quo illi potestas facta fuit canonis vendendi haud minoris tamen quam scutis 650. Etenim hujusmodi acta præcedere omnino debebant venditionem, reditus, non ad privatum hominem, sed ad Prælaturam pertinentis. Et reapse immotum in facto erat decretum illud prodiisse ad diem 3. Februarii 1821, tractationes autem inter Equitem, et Solimanium de quantitate pretii deque modo illud solvendi ad mensem usque Aprilis insequentis 1822. processisse, et deinde Solimanium ipsum obmutuisse. Hinc in propatulo erat in antecessum ea omnia peracta fuisse, haud quidem ad firmandum extrinsecis solemniis contractum jam intrinsecus undique perfectum, sed ad sternendam viam quatenus Partes postea tandem consensissent, illum rite recteque perficiendo, neque cum Sulimanio taxative, cum quo tunc res agebatur sed etiam cum alio quolibet redemptore, quod bene innuunt verba illa Decreti, quæ facultatem exprimunt « *vendendi favore D. Angeli Solimanii, seu alterius cujuscumque* ». 4

Et frustra Conjuges Solimanii, si quando antea obloqui fuere, invocare haud destiterunt privilegium e Summorum Pontificum Bonifacii IX., et Pauli V. Constitutionibus haustum, per quod Civitatis, ac Territorii Ferrariæ bona Emphytheutica ad instar alludalium habenda esse statutum fuit. Quanti hujusmodi privilegia sint facienda ad effectum auferendi directo domino quæsitum jus ad canones intra certum tempus assequendos, indicta devolutionis pæna bene perpendit *Rota in Ferrarien. Reintegrationis* 6. *Aprilis* 1821. *coram R. P. D. meo Marco*, haud quidem obiter, et perfunctorie, sed immo formiter discusso articulo. Præterea immotæ adhuc manebant præcedentis meæ Decisionis animadversiones, nempe ejusmodi privilegium nominatim respicere fundos, qui ad Ecclesias, Monasteria, Xenodochia. 5

Confraternitates pertineant, ideoque trahendum non esse ad Emphytheusim inter particulares initum. Rursus cuilibet Legi, aut favorabili Constitutioni nuncium misisse Emphytheutarum auctorem constat dum in primæ Investituræ tabulis precipua pactione sese, suosque omnes subjecit devolutioni, si aliquando per biennium in Canonis solutione cessatum esset; pactaque legibus prævalere notissimum est; fortius in themate quia præfata conventio Camerali Clausula roborata dignoscebatur; uti latius di seritur in eadem superiori Decisione § 7.

6 Tandem quoad subductionem quinti, et decimi pro rata commodi, et impensas melioramentorum, quibus imminui ipsorum debitum Solimanii contendebant, apte animadvertit eadem Decisio non esse hic disserendum de quantitate pecuniæ quam vere conficiant minime soluti canones, et de assertis melioramentis sed hoc unum per formulam Dubii inquirendum, utrum nempe Emphyteutæ in canone pensitando tamdiu defecerint ut jus directo Domino quæsitum dici possit fundum vindicandi. Hoc jam priori Decisione admissum, præsenti quoque confirmatum Patres voluere, habita in reliquis ad illam relatione.

Et ita etc. altera tantum ect.

FOROSEMPRONIEN SEU FABRIANEN

NULLITATIS CONTRACTUS

Veneris 2 Aprilis 1824.

ARGUMENTUM

Exceptio non numeratae pecuniae, ab actore est probanda, dummoda sit proposita intra biennium Verum haec exceptia non est attendenda, si debitor post scriptam debiti confessionem, debitam ipsam agnoscat, partem ejus, aut usuras solvat. Item non attenditur, ubi timoris, vel simulationis causa deficiat.

SUMMARIUM

1. *Exceptio non numeratae pecuniae probari debet a creditore, dummodo proposita sit intra biennium.*
2. *Non desunt, qui substinent, adversus instrumentum, non admitti exseptionem non numeratae pecuniae.*
3. *Exceptio praedicta, solutione partis debiti, aut usurarum, omnino perimitur.*
4. *Quod factum non nocet, si solutio ab alio, quam ab ipso debitore facta sit.*
5. *Cessat exceptio non numeratae pecuniae, si debitor post scriptam debiti confessionem, veritatem suae obligationis iterum agnoscat.*
6. *Si non urget timoris, vel simulationis causa, incivile est exseptionem non numeratae pecuniae proponere.*
7. *Inverosimile est, quod pecuniam non receperit, qui in extrema versabatur egestate.*
8. *Numeratio, quae asseritur facta unico contextu, aut est in totum vera, aut est in totum falsa.*
9. *Testes instrumentarii, maxima pollent in judicio auctoritate.*
10. *Recte confisitur collybum ex creditis praeexistentibus.*
11. *Ad substinendam cambii validitatem, praesentis pecuniae defectui suppletur per aequipollens.*
12. *Inter mercatores, exceptio non numeratae pecuniae locum non habet.*
13. *Exceptio de damnis, non debet misceri, cum exceptione non numeratae pecuniae.*

In homine probo, et integro, usuraria pravitas non praesumitur – ibidem. –

DECISIO CLXX.

In ampla, ac quæstuosa rei sericæ negociatione, quam in Civitate Forosempronii, ubi ortum duxit, multis ab hinc annis exercet Sebastianus Morosini, cum industriis, navisque viris indigeat ad colligendos undique folliculos bombycinos huic negociationi necessarios, tam maxime usus fuit Blasio Severini ex umili Pago = *del Doglio* = apud Sentinates, cui non leves idcirco pecuniæ summas sæpe ministrabat. Mercaturam hoc modo cum Morosinio faciens, adeo ejus amicitiam, et benevolentiam Severinius sibi conciliavit, ut in graves deinde conjectus angustias, multoque pressus ære alieno, datis literis Kalendis Februarii anni 1820., supplex ei fuerit in hæc verba = *Non mi abbandoni; giacchè lei rimetterebbe in calma una Famiglia disestata per la bontà di mio Padre, ed al medesimo darebbe la vita, che ha quasi perduto. Io confido*

in Lei, e vedrà chi sarà Severini. Io lo scongiuro colle lagrime agl' occhi a darmi tempo, di potermi munire con tutte le carte necessarie, e poi venire subito da Lei per tutto combinare ». His precibus admodum commotus Morosinius, opem ci ferre primum caepit, cum, scripsit publicis tabulis quarto nonas Martias argenteos nummos *bismille*, ad annum convento collybi contractu, depactisque dextantibus usuris, ipsi numeravit.

Paullo post hanc stipulationem, in qua creditoris indemnitati, dato fidejussore, consultum prætcrea fuit, in novam rei domesticæ perturbationem Severinus adductus, ad Morosinium denuo confugit, quo auxiliatore ab Judeorum quorumdam oppressione, et perfidia redimeretur. Sic enim octavo Idus Martii ejusdem Anni 1820., missis iterum ad Morosinium literis, Severinius ipse scribebat = *Sono con questa, a pregarla, di saldarmi le due Cambiali portanti in tutto la somma di scudi* 460. « Nullius verbis hinc interjectis addebat = *Lei mi ha fatto il maggiore dei piaceri: ora mi scenda a fare il secondo. Per assicurare tal somma io farò l'obligazione dei bozzi. Faccia questa carità: levi anche questa volta quest' Uomo da tante angustie* =. Et biduo post sic rursus urgebat = *Giacchè ha tanta bontà, e tanta carità per Noi, ci faccia ancor questa, che se non sapremo ricompensar noi, IDDIO stesso lo ricompenserà* =. Misertus itaque Morosinius hæc amici infortunia, duos cum eo Kalendis Aprilis ipsius anni 1820. celebravit contractus, in quorum primo conductionem bonorum = *dell'insigne Abbazia di Santa Maria di Sitria, e S. Gaudenzo della Barbara* = S. R. E. Cardinali Josepho Albani commendatæ, quam anno 1817. cum ejus Emphiteutis germanis Fratribus Corradi Urbinatibus ad annos duodecim contraxerat, pro pretio scutorum *septem mille quingentum* Severinio cessit. Quamvis autem publicis in tabulis, quæ ea occasione confectæ fuerunt, integrum conventum pretium numerasse subconductorem appareat, exploratum tamen est, nihil hoc nomine ob infelicem Severinii conditionem, ac pecuniæ penuriam solutum fuisse, et rationem du ipso pretio contrahentes babuisse in altero contractu pariter eadem die celebrato.

Subductis enim rationibus, omnique supputato debito, quo Severinius premebatur erga Morosinium, tum in causam sericæ negociationis, initiqne Collybi scutorum *bismillium*, tum etiam in causam insoluti pretii prædictæ subconductionis prædiorom, et pecuniæ a Morosinio numeratæ ejusdem Severinii creditoribus, cum liquida constaret ipsum Morosinium creditorem superesse in ingenti quantitate scutorum *undecim millium*; ideo pro hac summa, priori extincta collybo, ac priori liberato fidejussore, nuvum inire placuit collybi contractum ad vicennium usque duraturum. In publicis vero tabulis non solum pro Severinio fidejusserunt Joannes Dilectus, ac Raynaldus germani fratres Vitaletti, sed interusuriis prætcrea constitutis in septunci mensura cautum præcipue fuit, ut si unquam Severinius defecisset in solutione canonum, seu pensionum, quæ ex facta cessione honorum = *dell'insigne Abbazia di S. Maria di Sitria, e S. Gaudenzio della Barbara* = Eminentissimo Cardinali Albanio rependi ab eodem Severinio debebant, tunc sane Morosinio liceret, eum adigere ad integrum collybi caput restituendum. Neque hoc in casu tantum ad capitis restitutionem Seve:inium teneri conventum fuit, verum etiam in alio, quo vel fructuum solutione m detrectaret, vel cæterarum paetionum negligeret implementum.

Disertis namque verbis scriptum legitur in Instrumento = *che mancando il Signor Severini a qualunque delle obligazioni assuntesi nel presente Istromento, e così in tutto, o in parte specialmente mancando al pagamento dei quadrimestrali frutti, come sopra stabiliti, spirati due quadrimestri, sarà in facoltà del Signor Morosini di ripetere immediatamente l'intera sorte del Credito, e relativi frutti, e sarà altresì in facoltà del Signor Morosini, o suoi nel caso, che non venissero adempite le altre obligazioni contenute in*

questo stesso Istromento, o di agire contro qualunque de' solidali obbligati, eredi, e beni ipotecati per l'osservanza, o di agire immediatamente ancorchè non sio giunto il tempo per la restituzione degl'intieri scudi undici mila, o di quella somma, che all'epoca della mancanza restasse il Signor Severini debitore, rinunciando egli a quest'oggetto ad ogni interpellanza, e purgozione di Mora, anche di equità canonico, sotto il vincolo dell'infrascritto giudizio =. Hæc omnia, quæ in hac instrumenti stipulatione constituta, et conventa fuerunt, adeo probavit, rataque habuit Severinius, ut aliquot post menses, decimo scilicet secundo Kalendas Octobris ejusdem Anni, ad majorem indemnitatem creditori parandam, novum celebrari curaverit Instrumentum, in quo primis fidejussoribus duo alii fidejussores accesserunt, nimirum germani fratres Baldieri, qui in solidum sese servaturos spoponderunt = *tutte le cose promesse, ed obbligote nel detto Istromento di scudi undicimila* ».

Cessit post hæc, et venit dies interusuria solvendi, quæ primo Anno sponte, et absque ulla mora Severinius in præstituta summa numeravit. Postea tamen, cum unus, et alter terminus ipsorum fructuum solvendorum frustra effluxisset, consumptis urbanitatis officiis, in eam Morosinius adductus fuit necessitatem judicio adversus debitorem agendi coram Urbani Tribunali, ubi tam longe abfuit Severinius ab impugnanda legitimitate, et justitia contractus, ut imo proprium Debitum fassus fuerit, ac dilationem ad illud luendum a Judicibus imploraverit. Sed impar deinde factus Severinius interusuriis quolibet quadrimestri creditori suo repræsentandis, consilium cæpit fortunas suas universas fidejussoribus cedendi, quemadmodum revera cessit, ope tabularum, quæ ad diem septimam Decembris 1821., absente Morosinio, celebratæ fuerunt, et quarum initio contrahentes aperte declararunt = *essere cosa indubitata che il Signor Biogio del fu Marco Severini và debitore del Signor Sebastiano del fu Pier Maria Morosini della somma di scudi undici mila di moneta Romana a titolo di Cambio obliquo dell'annuo fruttoto alla ragione del sette per cento da pagarsi di quadrimestre in quadrimestre* =.

Hoc sane pacto cessio inita fuit, ut fidejussores in se transferrent collybisticum istud nomen scutorum *undecim millium* una cum fructibus, quo Severinius obruebatur erga Morosinium. Pactione nihilominus invita, tam debitor principalis, quam ejus Cessionarii fidejussores parum solliciti erant in rependendis convento tempore fructibus. Cum itaque vidisset Morosinius borum fructuum creditum ad non levem summam assurgere, et commissam præterea fuisse stipulationem, ex qua ea condicere licebat collybi caput, si depacta interusuria duobus quadrimestribus insoluta mansissent, diem illico dixit Severinio, ejusque fidejussoribus coram A.C. Triumviris, et collybistici capitis restitutionem, ac insolutorum fructuum satisfactionem postulavit. At justa petitio adeo transversos egit reos conventos, ut statim objecerint, separato libello, tum nullitatem, ac læsionem, tum aliud quodcumque vitium, quo infici potuisset collybi contractus. Conjunctis hinc actionibus utrinque institutis, quamquam quoad objectam nullitatem, læsionemque contractus interlocutorio Decreto formale testium examen indixerit A. C. Tribunal, lata tamen Sententia, Severinium, ejusque fidejussores ad solvendum integrum collybi caput, decursosque fructus damnavit.

Provocatione ab hac Sententia interposita, ac lite de restitutione collybi scutorum *undecim millium* ac solutione fructuum coram S. Ordine contestata, ne adversus censuram *Leg. Nulli prorsus* 10 *Cod. de judiciis* quæstionum continentia divideretur, ex Rescripto Supremi Tribunalis Signaturæ Justitiæ ad S. Nostrum Ordinem pariter delata fuit alterius controversiæ cognitio, quam modo Severinis cohibuit ad solam nullitatem ex capite non numeratæ pecuniæ, tam quoad primum collybi Instrumentum scutorum *bismillium*, tam quoad alind posterius Instrumentum scutorum *undecim millium*. Interea tempo-

ris, cum improviso annis 1821, ac 1822 apud Britannos æstimatio rei sericæ concidisset, abnormemque jacturam ex pretii vilitate fecisset Morosinius a San. Mem. Pii VII superiori anno S. R. E. Cardinalem Pandolfi OEconomum, et conciliatorem obtinuit. Mox, hoc defuncto, suffectus ei fuit a Pontifice Optimo Maximo Leone XII. Amplissimus alter S. R. E. Cardinalis Thomas Riario, quo curante factum est, ut duæ Dubiorum formulæ disputarentur, *prima* scilicet de nullitate, ac læsione collybistici contractus scutorum *undecim millium*, de qua agit præsens mea Decisio: *alia* vero de restitutione capitis ejusdem collybi, ac solutione fructuum, de qua disserit coeva Decisio. Quoad priorem itaque controversiam quæsitum hodie est « *An constet de nullitate Instrumentorum Cambii dierum 4 Martii et 1 Aprilis* 1820 *in casu etc.*, » et responsum habuit « *Negative in omnibus* ».

1 Cum enim omnis præsumptio pugnet pro validitate contractuum, hinc necessario sequitur, ut quicumque nullitatem obiiciat, perspicuas afferre debeat probationes ad nullitatem ipsam evincendam, *Rota in Hortana Nullitatis Contractus* 21 *Junii* 1793 § 2, *et* 6 *coram Strasoldo, et in Perusina, seu Veliterna Nullitatis Contractus* 18 *Aprilis* 1823 § 5 *coram R. P. D. meo Martinez del Campo*. Quæ autem ad evertendos collybi contractus a Severinio proponebantur ex querela non numeratæ pecuniæ, ea ad examen accurate revocata Patribus visa sunt nullius prorsus momenti, tam in jure, quam in facto. Ad jus primo quod pertinet, succurrunt utique Leges deceptis debitoribus, qui pecuniam accepisse incaute fassi fuerunt, eisque permittunt exceptione uti non numeratæ pecuniæ, cujus proprium, et peculiare est, ut onus solutionem probandi transferat in creditorem, dummodo intra legitimum tempus quod olim erat quinquennium, et ad biennium hodie coercetur, a debitore fuerit proposita. *Leg. Minorem* 2, *leg. Si ex cautione* 3, *Leg. Si quasi* 7, *Leg. Si intra* 8 *Leg. In Contractibus* 14 *Cod. de non numerat. pecunia, Vin. in Comment. Instit. de verborum obligat. n.* 3. *Scacc. de Commerc., et Camb.* § 5 *Gloss.* 8 *num.* 1, *Antonell. de tempor. legal. lib.* 2 *cap.* 5 *num.* 3 *Rot. decis.* 17 *n.* 24 *cor. Ansald.* Sunt etiam qui putant hanc exceptionem non numeratæ pecuniæ, non solum adversus chirographa, privatasque syngraphas, sed contra publicarum quoque tabularum vim, et auctoritatem obiici posse. *Bruneman. in Comment. ad Leg.* 3 *Cod. de non numerata pecunia num.* 8, *Barbosa ad dictam leg.* 3 *Cod. eod. tit. num.* 5, *Mascard de probat. conclus.* 361 *num.* 23, *Mantic. de tacit., et ambig. tom.* 2 *lib.* 8 *tit.* 6 *num.* 18, *Trentacinq. var. resolut. vol.* 1 *lib.* 3 *resolut.* 25 *num.* 7, *Scacc. cit. tract.* § 2 *gloss.* 8 *n.* 8.

At quidquid sit, an etiam adversus Instrumenta publica exceptio competat 2
non numeratæ pecuniæ, qua in re non desunt summæ notæ Doctores, et Jurisconsulti, qui aut contrarium sustinent, ut inter alios est *Perez. in Cod. lib.* 4 *tit.* 30 *num.* 17 *in fin.*, aut regulam ipsam pluribus subjiciunt limitationibus, super quibus consulendus est *Molina de just., et jur. disp.* 302 n. 5, hoc opportune animadvertendum occurrebat in themate, quod, licet Severinius querelas suas de non numerata pecunia intra biennium excitaverit, ope protestationis, quam apud acta publici tabellionis Forosempronii retulit, hanc nihilominus exceptionem amplius proponere vetitum ei erat, postquam collybistici nominis interusuria per anni spatium ultro, et sponte persolvit. Vulgatum siquidem in jure est, exceptionem non numeratæ pecuniæ solutione partis debiti, aut usurarum omnino perimi, veluti ad tramites Textus *in Leg. Cum fidem* 4 *Cod. de non numerata pecun.*, edocent *Perez. in Comment. in Cod. lib.* 4 *tit.* 30 *quæst.* 2 *in fine*, *Bruneman. in Cod. lib.* 4 *tit.* 30 *Leg.* 4 *num.* 1. Nam solutio partis, aut usurarum debiti, cum approbationem totius debiti secumferat, præsumendum propterea non est, approbare debitorem voluisse propriam obligationem, si nulla reapse in contractus intercessisset pecuniæ numeratio.

3 Nec adversam thesim statuit *Barbosa in Collect. ad dictam Legem 4 Cod. de non numerata pecunia num. 8, et seq.*, cujus auctoritatem mutilam afferebant Severinii defensores. Quin imo citatus Auctor veterum Jurisconsultorum inter se dissidentium opiniones conciliat, eoquo loco firmat, solutionem partis debiti, aut usurarum tunc demum debitori nocere, et obstaculo esse, quominus deinde confugiat ad exceptionem non numeratæ pecuniæ, cum ab ipso debitore, qui contraxit, solutio fiat partis debiti, non autem si alter debitoris nomine partem debiti persolverit. Atqui nulla quæstio erat inter partes interusuria collybi non ab alio numerata fuisse, quam ab ipso Severinio. Neque ambigendum est, quin initio contractus, non Judicis auctoritate coactus, sed sponte sua Severinius interusuria persolverit. Ex ipso namque judicio, quod cor. Urbini Tribunali institutum fuit, manifeste patebat; interusuria collybi per solidum annum, euque amplius absque ulla mora Severinium numerasse. Recte itaque sequebatur; exceptioni non numeratæ pecuniæ, ex concordi fructuum solutione aliquo tempore facta nuncium misisse Severinium, caque amplius uti in præsenti judicio non posse.

4 Certius, quia Severinius post solutos fructus fidem propriæ obligationis pluries agnovit. Non modo enim ipse, ut majori creditoris indemnitati prospiceret, fidejussoribus in Instrumento collybi scutorum *undecim millium* exhibitis novos addidit fidejussores, sed judicio quoque conventus apud Judices Urbinates dilationem ad solvendum postulavit, *Leg. ad solutionem* 5 *Cod. de Re judicata, Ridolphin. in prax. judic. part.* 1 *cap.* 14 *num.* 112, *Card. De Luca de judic. disc.* 40 *num.* 56, *Rota coram Buratto decis.* 144 *num.* 6, *coram Cavalerio decis.* 139 *num.* 1, *coram Durano decis.* 373 *num.* 16, *in Romana, seu Albanen. Deliberationis* 6 *Februarii* 1801 § 16 *cor. Resta, in Romana Exequutionis Obligationis* 27 *Februarii* 1801 § 7 *coram De Bayane, et in confirmator.* 11 *Decembris* 1802 § 7 *coram eodem.* Majora tamen supersunt argumenta ad eliminandam non numeratæ pecuniæ exceptionem, et ad ratihabitionem debiti comprobandam. Porro exceptio hæc non numeratæ pecuniæ nititur suspicioni, quod debitor, præsente creditore, ultro fateatur, se habuisse, quod reapse non habuit. At timor omnis exulat, si debitor ipse post scriptam debiti confessionem, ac absente creditore, nova cum aliis conficiat Instrumenta, quibus iterum existentiam, et veritatem suæ obligationis agnoscat. In hoc quippe casu, siculi cessat quælibet suspicio, ac simulationis ratio, ita quoque cessat exceptio non numeratæ pecuniæ.

Hanc sane methodum servavit hac in re Severinius. Imparem enim se videns solvendis statuto tempore fructibus, cessionem bonorum suorum hoc pacto fecit erga fidejussores, ut isti nimirum collybisticum nomen una cum fructibus in se suspicerent, quo erga Morosinium premebatur. Publicis autem in tabulis, quæ hac de causa, absente, et prorsus inscio Morosinio, celebratæ fuerunt, disertis verbis scripta legitur nova debiti confessio = *E' cosa indubitata, che il Signor Biagio del fu Marco Severini và Debitore del Signor Sebastiano del fù Pier Maria Morosini di scudi undicimila di moneta Romana a titolo di Cambio obliquo dell'annuo fruttato alla ragione del sette per cento, da pagarsi di quadrimestre in quadrimestre* = Postquam igitur Severinius collybi nomen toties ratum habuit, et approbavit, dum nulla potissimum urgebat timoris, et simulationis causa, incivile admodum est, exceptionem non numeratæ pecuniæ modo proponere. His in jure constitutis, minus etiam in facto consistit eadem exceptio non numeratæ pecuniæ, quæ, tum quoad primum collybum scutorum *bismillium*, tum quoad alterum scutorum *undecim millium* perperam opponebatur. Si enim de priori collybo scutorum *bismillium* sermo sit, nullum testem, nullamque probationem Severinius afferebat, ex qua falsam evinceret confessionem receptæ decuniæ in instrumenti tabulis emissam. 5

6 Ipse præterea Severinius querelam hanc non numeratæ pecuniæ ad posterius collybi Instrumentum scutorum *undecim millium* unice cohibebat. Sed id quoque irrito, perditoque conatu. Quandoquidem retinendum in facto est, eadem die, qua initum fuit secundum collybi Instrumentum scutorum *undecim millium*, Kalendis scilicet Aprilis Anni 1820, alterum pariter Instrumentum celebratum fuisse, quo Morosinius conductionem bonorum = *dell'insigne Abbazia di Sitria* = Severinio cessit pretio scutorum *septem millium quingentum*, quæ specie tenus Severinium numerasse narrant publicæ cessionis tabulæ, sed revera persoluta minime fuerunt. Hæc profecto vicinitas, et conjunctio temporis in primis suadet cessionis pretium, quo debitor erat Severinius erga Morosinium, partem fecisse collybi scutorum *undecim millium*, ac in eum transivisse ex fictione quadam, quæ passim usuvenit. Accedunt rursus Severinii epistolæ uno, vel altero mense ante stipulationem contractuum ad Morosinium missæ, in quibus extremam ægestatem suam fatetur, atque ab eo opem, et suppetias expostulat = *Non mi abbandoni* (sic scribebat) *giacchè lei rimetterebbe in calma una famiglia disestata per la bontà di mio Padre, ed al medesimo darebbe la vita, che ha quasi perduto. Io confido in lei, e vedrà chi sarà Severini. Io lo scongiuro colle lagrime agli occhi a darmi tempo di potermi munire di tutte le Carte necessarie, e poi venire subito da Lei per tutto combinare* =.

7 Sic pariter in alia = *Sono con questa mia a pregarla, di saldarmi le due Cambiali portanti in tutto la somma di scudi 460. Lei mi ha fatto il maggiore dei piaceri ora mi scenda a fare il secondo. Per assicurare tal somma io farò l'obligazione dei Bozzi. Faccio questa carità. Levi anche questa volta quest' Uomo da tant' angustie* =. Demum addebat = *Giacchè ho tanta bontà, e tanta carità per Noi Iddio stesso lo ricompenserà. Mio Padre viene oppositamente per ottenere da lei questa grazia* =: Quocirca impossibile fere videtur, ut Severinius, qui tantis lacrymis, et precibus tenuem summam scutorum *sexaginta* supra *quatuorcentum* a Morosinio quærebat, paulo post egregiam quantitatem scutorum *septem millium quingentum* illico numerare potuerit. Cum vero utrumque, tam collybi, quam cessionis Instrumentum Kalendis Aprilis exaratam iisdem verbis, iisdemque formulis constet, ita ut nulla ratio subsit, cur alterutrum tantum exceptione non numeratæ pecuniæ notandum sit, jam illud plane sequitur, quod *aut* utraque numeratio in actu utriusque instrumenti vera est, *aut* utraque falsa, et simulata. Quod si utramque pecuniæ numerationem veram fuisse; non simulatam, et falsam, dici velit, mole sua proinde corruit exceptio non numeratæ pecuniæ. Si contra contendere placeat, utramque pecuniæ numerationem falsitate, et simulatione laborare, ita quidem, ut nec Severinius ob conductionis retrocessionem quidquam persolverit Morosinio, nec Morosinius integrum collybi pretium Severinio numeravit; nemo hinc non intelligit, ea ipsa scuta *septem millia quingentum* immigravisse in partem collybi scutorum *undecim millium*, qui eadem die, eodem tabellione rogante; iisdemque præsentibus testibus initus fuit.

Quod ratio suadet, id ipsi testes in- 8
strumentarii; interposita jurisjurandi religione, confirmant, ac tabellio ipse de stipulatione rogatus confirmaret, nisi in fata concessisset, antequam hæc lis oriretur. Primus enim eorum, nempe Joannes Baptista Berardius pro veritate refert = *di non aver mai veduto che dal Signor Biagio Severini venisse consegnata alcuna somma di denaro al Signor Sebastiano Morosini, ma seppi che li detti scudi* 7500 *provenienti dalla Corrisposta dell'Affitto furono ridotti realmente a far parte del Cambio di scudi undici mila* =. Nec aliter rem narrat testis alter instrumentarius Cristophorus Gai, qui sic ait = *Il primo di detti Contratti consiste in un Subaffitto di fondi rustici fatto dal Signor Biagio Severini, il quale a titolo di corrisposta del preso Subaffitto obligò l'an-*

ticipato pagamento di scudi 7500, *che disse di eseguire, ma non viddi realmente, che il Signor Morosini tirasse a se alcuna somma, seppi però, che nell'altro contemporaneo Istromento furono contemplati li detti scudi* 7500, *e furono ridotti a Cambio, ed uniti alle altre somme ammontò questo Cambio a scudi* 11000 *coi frutti del sette per cento, ed Anno* = Tanta autem pollent in judicio auctoritate testes instrumentarii, ut a partibus approbati censeantur, et plenam sibi vindicent fidem, etiamsi aliquibus obnoxii sint exceptionibus juxta *Gloss. in verb. suppliciis* § *Et licet Authent. de testibus*, *Covaruv. var. resulut. lib.* 2 *cap.* 13 *num.* 12 *Mascard. de probationibus tom.* 1 *in pref. quæst.* 6 *num.* 39, *Rota in recent. Decis.* 219 *num.* 3 *part.* 2 *coram Riminaldo Decis.* 532 *num.* 16, *et in Romana Pecuniaria super II Dubio* 28 *Junii* 1773 § 10 *et* 14 *coram Origo.*

9 Huic summæ scutorum *septem millium quingentum*, quæ partem collybi fecit, addendæ modo sunt aliæ summæ, quas Morosinius ære proprio persolvit, ut debita Severinii dimitteret. Inter has solutiones ex Severinii mandato, ejusque nomine a Morosinio factas recensenda primum est quantitas scutorum *millium quinquaginta sex*, *et obulorum viginti duo* quæ in causam pensionum bonorum = *dell'insigne Abbasia di Sitria* = a Morosinio soluta fuerunt D. Philippo Viviani, qui negocia gerit Eminentissimi Cardinalis Josephi Albani, ut ex ejus testimonio luculenter evincebatur, nec ipse Severinius in discrimen adducere audebat. Eadem ratio habenda est de alia summa argenteorum nummorum *quatuorcentum sexaginta* ex duabus literis collybisticis confecta, quam pariter Morosinius quibusdam Judæis ex Severinii mandato persolvit, veluti ab authographis schedis apparebat, et Severinius ultro fatebatur. Nec prætereundi demum sunt iidem testes instrumentarii, qui addebant præterea, = *che esisteva sopra un tavolino molta moneta distesa di diverse qualità d'oro, e di argento spettante al Signor Sebastiano Morosini, che l'aveva messa a disposizione del Signor Biagio Severini, il quale realmente a se la tirò, e se ne dimostrò contento* = Patet itaque collybum scutorum *undecim millium* coaluisse partim ex creditis præxistentibus, ac partim ex pecunia numerata, quam debitor inter stipulandum accepit.

Neque enim ad validitatem, et ju- 10
stitiam Cambiorum, quæ *obliqua* nuncupantur, necessaria est præsentis pecuniæ numeratio, sed rite etiam Cambia contrahuntur ex credito præexistenti. In hoc siquidem casu, ut receptum est inter Doctores, et Tribunalia ad sustinendam Cambii validitatem præsentis pecuniæ defectui per equipollens consulitur ex fictione quadam juris, ob quam in constitutione Cambii duo simul actus eodem tempore fieri dicuntur: unus nempe ex parte debitoris proprium debitum solventis; alter autem ex parte creditoris, qui, perempto, novatoque priori titulo, unde obligatam habebat personam sui debitoris, acceptam pecuniam brevi manu eidem restituere videtur, ut eadem in Cambiis, et recambiis exercendis utatur. *Rota in Eugubina Cambiorum super reservatis* 4 *Junii* 1754 § 2 *cor. Elephantutio, in confirmatoria* 21 *Aprilis* 1755 § 2 *coram eodem in Romana Pecuniaria* 26 *Martii* 1784 § 9 *coram Lancellotto, in Romana Cambii* 5 *Februarii* 1808 § 4 *coram Eminentissimo Serlupi, et in Firmana Cambii* 26 *Aprilis* 1822 § 6 *coram R. P. D. Meo Tiberi.* Cæterum animadvertendum opportune occurrebat, a pluribus annis rei sericæ negociationem inter Morosinium, ac Severinium intercessisse: tum non leves hanc in causam Severinium accepisse pecuniæ summas, quas non modo ad comparandos folliculos bombycinos, sed in alios, et proprios quoque usus erogavit: denique de rationibus expungendis sæpe actum inter eos fuisse; veluti ipsæ ostendebant epistolæ a Severinio ad Morosinium missæ in quibus rationes de singulis se redditurum fore promisit.

Si ergo, deductis utrinque rationi- 11
bus, ac supputatis pecuniis, quas Mo-

rosinius in Severinii gratiam, et ad dimittenda ejus nomina persolvit de eo omni, ex quo creditor Morosinius ipsa supererat, initus fuit collybus scutorum *undecim millium*; negociatione profecto finita, et Kalendariis, adversariis, apocbisque laceratis, aut deperditis, calumniæ proximum erat exceptionem non numeratæ pecuniæ proponere, ejusque probationem ab actore reposcere: Hoc sane casu æquitatis lumine præfulgente, *Imp. Justinus* sancivit = *ut si quid scriptis cautum fuerit pro quibuscumque pecuniis ex antecedente causa descendentibus*; *eamque causam specialiter promissor edixerit*, *non jam ei licentia sit, causæ probationem exigere, cum suis confessionibus, acquiescere debeat nisi certe ipse e contrario per apertissima rerum argumenta scriptis inserta religionem Judicis possit instruere, quod in alium quemque modum, et non in eum, quem cautio perhibet*, *negotium subsequutum fuerit. Nimis enim indignum esse judicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est*, *id in eumdem casum infirmare*, *testimonioque proprio resistere* =, ut traditum est *in Leg. Generaliter Cod.* de *non numerata pecunia* = Quapropter non immerito existimarunt nonnulli Jurisperiti exceptionem non numeratæ pecuniæ locum inter mercatores non habere, utpote qui sagacissimi, ut sunt, et lucro captando impensæ addicti, non præsumuntur de eo acceptilationem, et quietantiam conficere voluisse, quod nunquam habuerunt. *Rocc. disput. juris select. cap.* 93 *tit.* 8, *Constantin. vot. Decis.* 230 n. 8.

12 Quæ cum ita se habeant, et in tuto ponant validitatem; et justitiam collybistici contractus scutorum *undecim millium*, pronis auribus excipiendum minime erat quidquid *vel* Severinius ipse blaterabat de domesticis Morosinii angustiis, quo tempore stipulatio accidit, *vel* testes ab eo adducti deponebant, tum de gravi detrimento, quod Severinius accepit ex serica negociatione, ac ex declarata caducitate Emphiteusis bonorum spectantium = *a l'insigne Abbazia* di *Sitria* =, tum etiam de consuetudine fænerandi, quam temere Morosinium ore maligno dicebatur. Domesticæ enim Morosinii angustiæ, non anno 1820, quo initus fuit collybus scutorum *undecim millium*, sed posterioribus annis 1821, et 1822 supervenerunt, quibus immanem jacturam, et inimicam fortunam rei sericæ, prætio longe depresso, pati debuit Morosinius. Hæ ipsæ imo Morosinii familiares angustiæ de tempore contractus objectæ cum epistolis pugnant, quas tunc Severinius scribebat ad Morosinium, ut ab eo multis precibus pecuniam extorqueret, ex qua instantes creditores suos dimittere posset. Quod si vero Severinius læsum se contendit in serica negociatione, aut damnum accepisse queritur ex declarata caducitate Emphiteusis, peculiari, et difficili quidem judicio agat oportet, tam contra Morosinium, quam adversus germanos fratres Corradios, qui Emphiteuticam illorum bonorum concessione obtinuerant, et ob insolutos canones amiserunt, ab eisque damnorum sarcitionem assequi curet.

In præsens ratio haberi non poterat de hisce controversiis, quæ non modo nulla probatione fulciebatur, et ad rem potius implicandam, quam ex vera defensione proponebantur; verum etiam extraneæ omnino erant ab hodierna Dubii formula, quæ nullitatem Cambiorum unice respicit ex defectu non numeratæ pecuniæ, id, quod neque in jure, neque in facto consistere invictissime demonstratum est. In re autem tam gravi, quæ crimen redolet, nimis levia, et inepta Patribus visa sunt, quæ testes a Severinio allatos emovere non pudebat de more fænerandi in Morosinio, quem cæteroquin honestum bonis moribus imbutum, ab illicitis contractibus alienum, pauperum auxiliatorem summi viri, et ipsi Forosemproniensis Antistes amplissimo testimonio prædicabunt. Multo minus itaque suspicari poterat, hominem adeo probum, et integrum usuraria pravitate infici voluisse, et illicitum contractum inire *Caren. resol.* 19 *num.* 13 *Menoch. de præsumpt. lib.* 3 *præsumpt.* 122 *et seq. Rota coram Dunozet.* 13

jun. dec. 80 *num.* 21 *in recent. Decis.* 423 *num.* 19, *et Decis.* 656 *num.* 20 *part.* 18, *et Decis.* 252 *num.* 26 *coram Ratto:* Non ergo temere rescindendus erat contractus, quem æqualitati, et justitiæ niti undequaque patebat.

Et ita in strenuo litigantium conflictu jus redditum est.

FOROSEMPRONIEN SEU FABRANIEN

PECUNIARIA

Veneris 2 Aprilis 1824.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget. - Vid. DECIS. CLXX. -

SUMMARIUM

1. *Publica instrumenta, altioris indaginis respuunt exceptiones.*
   Servandum est instrumentum, quod quis multoties ratum habuit - ibidem.
2. *Induciae debitori concessae, non immutant naturam actus.*
3. *Quidquid sub conditione datur, sub conditione contraria ademptum intelligitur.*
4. *In pactis resolutivis, nunquam fit locus morae purgationi.*
5. *Sequuta decoctione debitoris, licet creditoribus, non modum cambiorum, sed censuum quoque caput exposcere.*

DECISIO CLXXI.

Uti narrat alia mea hujusce diei Decisio, cui titulus *Forosempronien.*, *seu Fabrianen. Nullitatis Contractus*, in ea collybi scutorum *undecim millium* stipulatione cum usuris septuncis, quæ Kalendis Aprilis Anni 1820. inter Sebastianum Morosini, et Blasium Severini inita fuit, inter eos præcipue convenit, ut si unquam Severinius in rependendo canone bonorum = *di Sitria* = deficeret, aut moram faceret per duos quadrimestres in solvendis interusuriis, tunc fas Morosinio esset, integrum collybi caput a debitore condicere = *ancorchè non sia giunto il tempo alla restituzione degl' intieri scudi undici mila* =, quæ post elapsum a die stipulationis vicennii spatium publicis in tabulis fuerat præstituta. Nec inutilem fuisse pactionem subsequens ostendit eventus. Cum enim non modo Severinius principalis debitor, sed ipsi etiam fidejussores solidales impune spernerent debitam fructuum solutionem ultra duos quadrimestres, satius ideo censuit Morosinius, stipulatione commissa, in judicium eos vocare coram Juridico A. C. Collegio, et collybistici capitis restitutionem una cum interusuriis urgere, quæ ad illud usque tempus insoluta manebant. Perculsi inimica Sententia rei conventi provocarunt ad Sacrum Nostrum Ordinem, ac, contestata coram Medite dirimendam hodie mane Patribus exhibui Dubii formulam = *An, et in qua summa constet de eredito ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = cui responsum illico datum est = *Affirmative, et constare de credito sortis in scutis* 10000., *et fructibus in summa liquidanda, et esse relaxandum mandatum* =.

Quæ enim publicis Instrumentis com- 1
probata sunt, ea quidem plenam constituunt in judicio probationem, et cum paratam mereantur exequutionem, tum altioris indaginis respuunt exceptiones adversus ipsa Instrumenta propositas. *Leg. Optimam* 14, *in fine Cod. de contrahen. stipulatione*, *Rota cor. Tanara decis.* 133. *num.* 1. *coram Herzan. decis.* 165. *num.* 1., *et decis.* 16. *num.* 7, *coram Rovarella.* Duplici autem de causa in themate, quo versamur, exequutioni committi debebant collybi tabulæ. Et primo quia ratas eas habuit approbavitque Severinius, non ea solum occasione, qua primis exhibitis fidejussoribus novos addidit fidejussores, aut judicio pro fructuum solutione conventus dilationem ad debitum luendum impetravit; ed in alia etiam, qua in maximas conjectus domesticas angustias bona sua omnia, et fortunas universas cessit eisdem fidejussoribus ope publicarum tabularum, quarum initio, tum ipse Severinius, tum ejus expromissores ore rotundo fassi fuerunt =

esser cosa indubitata, che il Signor Biagio del fù Marco Severini và debitore del Signor Sebastiano del fù Pier Maria Morosini della somma di scudi undici mila moneta Romana a titolo di cambio obliquo dell' annuo fruttato alla ragione del sette per cento da pagarsi di quadrimestre in quadrimestre =. Deinde vero ex eo quoque servandum omnino est Instrumentum istud collybi scutorum *undecim millium* Kalendis Aprilis anni 1820. stipulatum, quod ejus validitatem et justitiam satis vindicavit coæva mea Decisio, omnesque diluit exceptiones, quæ adversus illud ex defectu non numeratæ pecuniæ perperam afferebantur.

2 Nec rem turbare poterant viginti annorum induciæ in instrumenti tabulis debitori concessæ ad caput collybi restituendum. Induciæ siquidem illæ non puræ fuerunt, sed duplici alligatæ *conditioni*, tum quod statis temporibus Severinius persolveret emphiteuticos canones » *di Sitria* », tum quod fructuum solutionem non detrectaret ultra duos quadrimestres. Expressis namque verbis, disertoque pacto cautum fuit publicis in tabulis » *che mancando il Signor Severini a qualunque delle obligazioni assunte col presente Istromento, e così in tutto, o in parte, e specialmente mancando al pagamento dei quadrimestrali frutti, come sopra stabiliti, sarà in facoltà del Signor Morosini, di ripetere immediatamente l' intera sorte del Credito, e relativi frutti, e sarà altresì in facoltà del Signor Morosini, e suoi nel caso, she non venissero adempite le altre obligazioni contenute in questo stesso Istromento, o di agire contro qualunque de' solidali obligati, Eredi*, e *beni ipotecati per l'osservanza, o di agire immediatamente, ancorchè non sia giunto il tempo per la restituzione dell'intieri scudi undici mila*, o *di quella somma, che all'epoca della mancanza restasse il Signor Severini debitore* =. Propterea ipse Severinius nuncium misit = *ad ogni interpellanza, e purgazione di mora, anche di equità canonica sotto il vincolo dell'infrascritto giuramento* =.

3 At in utraque conditione apertissime defecit Severinius, ac fidem pactorum fregit. Dilatio igitur ad restitutionem capitis, quæ non pura fuit, sed imo *conditionalis*, conditione non impleta, adeo resoluta, et adempta est, quasi nunquam concessa fuisset, cum quidquid sub conditione detur, sub conditione contraria ademptum intelligatur. *Leg. In illa stipulatione* 8 *ff de verborum obligatione*, *Leg. In diem* 1, *et tot. tit. de addictione in diem*, *Donell. Comment. jur. civ. lib.* 15 *cap.* 9 *num.* 7 *Gratian. discept. forens.* 207 *num.* 12, *Staiban. resolut. for.* 36 *num.* 7 *Rota in Avenonien. Dotis* 15 *Maii* 1786 § 6 *coram Resta*, *in Romana Rescissionis Conventionis* 13 *Maii* 1808 § 7, *et seq. coram Eodem*, *in Romana Resolutionis Contractus* 16 *Januarii* 1815 § 4 *coram Eminentissimo Serlupi et in Ascolana Immissionis* 12 *Martii hujus anni* § 7 *coram Me*. Quod in utraque conditione defecerit Severinius, adeo liquet ex facto, ut nihil magis. Ex publicis enim cessionis bonorum tabulis inter Severinium ejusque fidejussores initis aperte declaratum fuit a jure Emphiteusis, seu subconductionis bonorum eum cecidisse = *per aver totalmente tralasciato il pagamento delle corrisposte all'Eminentissimo, e Reverendissimo Signor Cardinal Albani Abbate Commendatore dell'enunciata Abbazia di S. Maria di Sitria, e S. Gaudenzio della Barbara* =. Sic pariter muram fecisse Severinium in solvendis collybi fructibus, tum AC. Sententia, tum præsens judicium, in quo de viribus quæritur hujusce Sententiæ, palam ostendunt. Quamobrem ambigendum sane non est, ex violata fide pactorum restitutioni capitis collybi locum esse, quamvis non adhuc præterierit viginti annorum spatium in Instrumento præstitutum.

4 Inepte hinc obiiceretur, pactum restituendi capitis collybi, si vel in canone rependendo, vel in fructibus statuto tempore pensitandis Severinius deficeret, *pœnam* potius, et *modum*, nunquam vero *conditionem* præseferre. Quoties enim ex Instrumenti litera, ac

contrahentium voluntate compertum est collybi restitutionem conventam fuisse = *per patto espresso* =, nec aliter cum Severinio stipulaturum fuisse Morosinium, tunc sane dubitari non potest, non *modale*, aut *pœnale*, sed *conditionale* tantum esse pactum restituendæ pecuniæ. *Rota in Forolivien. Locationis* 12 *Martii* 1759 § 11 *coram Canilliac*, *et in Romana Contractus super Comparticipatione utilium* 27 *Februarii* 1815 § 7 *coram Eminentissimo Bussio*. Deterius proinde confugeret Soverinius ad Canonicæ Legis æquitatem. Præter enim, quod hoc jure vivimus, ut in pactis *resolutivis*, quæ contrahentium consensum adimunt ab actu, nunquam locus fieri possit moræ purgationi, ac unum, nudumque omissionis, et inadimplementi factum debeat spectari ad *Text. in Leg. magnam Cod. de contrahen.*, *et committen. stipulat. Zoes ad Pandectas lib.* 22 *tit.* 1 *de usur.*, *et fruct.*, *Rota coram Ratto Decis.* 262 *num.* 14, *coram Rovarella Decis.* 22 *num.* 6, *in Veliterna, seu Brixien. Cambii super reservatis* 6 *Februarii* 1795 § 3 *coram De Bayane*, *in Romana Resolutionis Contractus* 16 *Januarii* 1815 § 6 *coram Eminentissimo Serlupi*, *et in Nelevitana Caducitatis* 30 *Martii* 1821 § 8 *coram Me*; illud etiam accedit, præclarissime pacto, quod jurisjurandi religione vallavit, valedixisse Severinium = *ad ogni interpellanza*, *e purgazione di mora anche di equità Canonica sotto il vincolo dell'infrascritto giuramento*.

5 Propudiosum itaque erat Canonicæ æquitatis beneficium implorare, quod ex contrahentium placito ademptum, et sublatum est *Rota in Sutrina Devolutionis super purgatione moræ* 12 *Martii* 1792 § 5 *coram Paracciano*, *et in Veliterna Purgationis Moræ* 5 *Julii* 1802 § 6 *coram Eminentissimo Rusconi*. Cæterum, ut optime animadvertebant Domini, inutile videbatur edisserere, an pactio restituendæ pecuniæ *modum*, *aut conditionem* contineret et aditus proinde pateret *purgationi moræ*, semelac Severininus, = *in stato di positivo fallimento* =, bona sua omnia fidejussoribus cessit, et fortunas universas abdicavit, ut contracta ab eo nomina ipsi dimitterent. In hoc quippe casu Morosinio facultas erat ante diem præstitutam collybi caput a debitore condicere, cum non ambigui juris sit, sequuta decoctione debitoris, licere creditoribus, non modo Cambiorum, sed Censuum quoque caput exposcere. *Posth. de manuten. obser.* 68 *num.* 8, *Salgad. Labyr. Credit. part.* 1 *cap.* 19 *per tot.*, *et cap.* 20, *et* 22 *num.* 29 *Card. De Luca de Feudis Disc.* 102 *num.* 3, *et de cred.*, *et debit. Discurs.* 112 *num.* 7 *Olea de cess. jur. tit.* 4 *quæst.* 2 *num.* 37. Restituendum igitur a Severinio esse collybi caput una cum fructibus, qui remanent insoluti, confirmantes A. C. Sententiam, Patres Domini hodie mane decreverunt. Quoniam vero non satis liquebat, in qua quantitate deberentur interusuria, ideo quoad hos fructus mandatum Morosinio tributum *est in summa liquidanda*.

Et ita etc. Utraque etc.

IMOLEN. IMMISSIONIS

QUOAD BONA EMPHYTEUTICA

Lunae 9 *Februarii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CXXII.

SUMMARIUM

1. *Ex Universali communione, Socius haud jus acquirit succedendi in bona Emphyteutica.*
2. *Ordo S. Stephani Pisarum, gaudet privilegiis ecclesiasticis.*

   Ecclesiae bona uno ex Sociis acquisita, non possunt cum aliis Sociis communicari, nisi in fructibus - ibidem. -
3. *Qui usufructu potitur, potest commodum percipiendi fructus in alium transferre, irrequisito domino.*
4. *Emphyteusis* ex pacto, et providentia *contrahitur, cum absque ulla haeredum mentione, successores Sanguinis vocentur.*

   Peculiare est in Emphiteusi pactitia, ut nequeant investiti alienationem ullam patrare in fraudem vocatorum - ibidem. -

5. *Qualitas, quantitas, et aestimatio bonorum cognosci debet, ad effectum statuendi utrum emphyteusis sit lucrativa, vel onerosa.*
6. *In emphyteusi onerosa ac profana, primus acquirens potest de re disponere erga quoscumque.*

In emphyteusi onerosa ac ecclesiastica, primus acquirens non potest de re disponere nisi inter comprehensos in Investitura. – ibidem. –
7. *Et ubi disposuerit primus Acquirens erga extraneos, nulla est dispositio.*
8. *Servanda semper est a Successoribus Emphyteuticarum tabularum conventio.*
9. *Nemo potest in Ecclesiastica emphyteusi extraneos gratificari.*
10. *Temporis diuturnitas, onus meliorandi, laudemiorum obligatio, ac caducitatis poena, demonstrant contractum fuisse emphyteuticum.*

DECISIO CLXXII.

Summo hoc mane studio adnisus est Aloysius Dal Pozzo, ut rationum momenta convelleret Decisionis a me in lucem editæ quinto idus Junii Superioris Anni, quæ Rotalem Sententiam jure merito probavit, qua definitum est, excepto quadrante, quem sibi præcipuum ex elogio paterno habere debet Aloysius, cætera Emphiteutica predia Equestris Ordininis S. Stephani Pisarum æquis partibus herciscì inter Aloysium ipsum, ac germanum ejus fratrem Vincentium oportere. Verumtamen omnes in irritum cesserunt illius conatus. Nam sciscitanti mihi = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = Responsum illico redditum est = *in decisis.*

1 Nullum sane dubium occurrebat, quin Aloysii, ac Vincentii pater, Carolus Dal Pozzo, rustica quædam prædia sub jure Emphiteusis acquisiverit ab Equestri Ordine S. Stephani, quæ ab eo possidentur in Imolensi Territorio. Nulla pariter quæstio movebatur de universali, ac perfecta bonorum, et fortunarum omnium communione, quæ semper viguit inter eumdem Carolum, et germanum ejus fratrem Alexandrum, donec ii in humanis fuerunt. Male tamen, et perperam ex hisce inferebat in præsens Aloysius, praeter expunctum Emphiteuticorum bonorum quadrantem, quem ex gallicis Legibus, sub quibus conditum fuit testamentum, ei reliquit, remunerationis Causa Carolus parens, ad dicendum sibi esse semissem ipsius Emphiteusis, uti ex universalis cum germano fratre communionis jure ad Alexandrum Patruum pertinentem, a quo hæres ex Asse institutus fuit. Non enim ab hac communione recte consequitur, ut bonorum Emphiteuticorum dimidium, hujus fructus vivens exegit Alexander, transferri ad hæredes potuerit, post ejus obitum. Non una profecto qualitas, atque indoles Emphiteusis, sed ipsa præterea contrahentium voluntas, ac verba demum Emphiteuticæ concessionis quam maxime obstant, quominus illorum prædiorum medietas ad hæredes Alexandri libere transiverit.

Atque ut primum a natura Emphiteutici contractus exordiar, sapientissime animadvertebant Patres, non de profana, sed *de Ecclesiastica Emphiteusi* rem esse, qualem punctim revincunt, tum concedentium conditio, tum etiam concessionis modus. Nam insignis Ord. S. Stephani Pisarum, cum quo Emphiteuticum contractum Carolus inivit, Ecclesiastico cuilibet Collegio equiparatur, et iisdem gaudet privilegiis, quibus Ecclesiasticæ personæ fruuntur, adeo ut exempti semper fuerint illius Ordinis Milites a Municipalibus Sanctionibus, et laicorum oneribus, et veluti expendit, allatis juribus, prima mea *Decis.* § 5. Non aliter autem Equester Ordo in Emphiteusim ea bona concessit, quam = *a tenore dell'Ordine Magistrale* =, ac juxta, quod magis est, Sacrorum Canonum censuram, a qua neminem ex contrahentibus deflectere posse, nec initio contractus, nec eo, temporis spatio, procedente, cautum fuit. At vero, si denegari nequit Emphiteusim vere Ecclesiasticam fuisse contractam, neque illud pariter in discrimen revocandum est, quod in Ecclesiastica disciplina, ac Jure Canonico compertissimum manet, ut Ecclesiæ bona uno ex Sociis aquisita non possint cum aliis sociis communicari, nisi in fructibus, nunquam vero in proprietate, quemadmodum statuit *dicta Decis* § 5. Quamquam igitur 2

Emphiteutica stipulatio inita fuerit, dum vigebat bonorum communio, hæc tamen effecit tantum, ut Alexander particeps fieret fructuum Emphiteusis, usque dum vixit: eo autem mortuo statim cessarunt ipsi fructus, nec ulla pars Emphiteusis conferri potuit in ejus hæredes.

3 Perperam post hæc confundebant Aloysii defensores utile dominium Emphiteusis, idest ipsam investituram cum commodo fructuum percipiendorum. Tametsi enim unus, idemque sit, tam utilis dominii, quam commoditatis percipiendorum fructuum effectus, duæ nihilominus istæ res sunt omnino inter se diversæ, ac distinctæ: quemadmodum longissime distant inter se ususfructus, et ipsa commoditas percipiendorum fructuum; cum ususfructus sit jus utendi, et fruendi: ea commoditas vero non aliud importet, quam utilitatem fructuum ipsius ususfructus, idemque dicendum de Emphiteusi sit. Notissimum hoc juris discrimen, de quo scite disputant Doctores, quos inter *Valenzuol. Cons.* 86 *num.* 10 *Mantica de tacit. et ambig. lib.* 13 *tit.* 32 *num.* 4 *et seq. Card. de Luc. in summa part.* 1 *tit. de Servit. num.* 7 *et* 135 *Molin. de Primog. liv.* 1 *Cap.* 2 *num.* 10 *Olea de Cess. jur. tit.* 3 *quaest.* 1 *num.* 10., et Sacer N. Ordo *in Rec. decis.* 57 *n.* 19 *part.* 9 *et decis.* 408 *num.* 85 *part.* 16 *et Decis.* 1208 *num.* 21 *cor. Molines*, efficit etiam, ut jure possit penes unum manere utile dominium, aut ususfructus, et penes alterum commoditas percipiendi fructus; quia is, qui utili dominio, aut usufructu potitur, impune potest commoditatem percipiendi fructus in alium, irrequisito domino directo, distrahere, dummodo alienatio tempus Emphiteusis, aut usufructuarii vitam non excedat, veluti post *Bartholi* theoricam *in Leg. Codicillis penult.* § *Instituto ff. de Leg.* 2 *num.* 4., optime monuit Rota *decis.* 50 *num.* 18 *ad* 20., *et decis.* 836 *num.* 12 *Cor. Ansaldo.* Hujusmodi quippe venditio, non jus aliquod emptori tribuit in re, vel ad rem, sed in ea tantum venditor actione personali se obligat ad dandos fructus, ut ipse explicat *Bartholus loc. cit.* Cum itaque in hoc, quo versamur casu, non de solis fructibus, qui in universali communione transeunt ad hæredes, sed de vera proprieque dicta Emphiteusi Ecclesiastica agatur: jam vires suas exerit superius adducta regula, ut ipsa Emphiteusis, seu utile bonorum Equestris Ordinis S. Stephani dominium, quod Carolus acquisivit, dum in communione cum Alexandro manebat, non aliud ipsi Alexandro jus dederit, quam ad fructus, vita durante consequendos.

Sed, præter Ecclesiasticæ Emphiteusis indolem ipsa præterea contrahentium mens, et verbs concessionis ostendunt, nullum jus ad rem Emphiteuticam habere Aloysium, uti hæredem Alexandri. Semelac enim ex Emphiteutici Instrumenti verbis constat, Equestrem Ordinem S. Stephani prædia illa in Emphiteusim Carolo concessisse = *per tutta la sua discendenza mascolina di maschio, in maschio in infinito, escluse sempre le femmine, e i discendenti dalle medesime, benchè maschi, e non in altro modo* =; ambigendum sane non est, quin voluerint contrahentes Emphiteusim *ex pacto, et providentia* contrahere, quæ non tunc solum inita censetur, cum bona ad tertiam generationem fuerint tributa, sed si etiam ad plures gradus ea conferantur, dummodo vocentur, absque ulla hæredum mentione, successores sanguinis, idest filii, ac nepotes masculi, ac in masculorum tantummodo defectu, eorumque subsidium fæminis fuerit spes succedendi relicta. At vero proprium, ac peculiare est in Emphiteusi pactitis, ut nequeant investiti alienationem ullam patrare in fraudem ac detrimentum eorum, qui ad Emphiteusim sunt expresse vocati, quemadmodum ex receptissimo jure statuit prima *mea Decis.* § 6. Tanto autem magis hæc Legum censura locum sibi vindicat in hac Emphiteutica stipulatione, in qua repulsis per modum regulæ fæminis, unice contemplati Agnati masculi fuerunt. Si namqua e converso liceret investitis quidquam audere adversus Emphiteuticam concessionem, 4

et in hæredes extraneos partem aliquam bonorum conferre, jam irritæ fierent pactiones illæ omnes, sub quibus inita fuit Emphiteusis, ac legitima successione destituerentur ulteriores vocati, qui præterea non ex patris persona, sed jura proprio ad Emphiteusim vocati sunt, nullumquo ideo sentire ex arbitrio paterno detrimentum debent, ut pariter ostendit prædicta mea *decisio* § 7.

5 Nec rem turbara visa est asserta qualitas onerosæ Emphiteusis, in qua potest primus investitus, secus a lucrativa, de re Emphiteutica disponere, in vocatorum præjudicium, idquo obtinet etiamsi de Emphiteusi pactitia, et Ecclesiastica agatur. Ex oneribus, sane, quæ unus in se suscepit Emphiteuta, non tenuem scilicet rependendi canonem, vectigalia publica persolvendi, Colonorum ædes reficiendi, serendique demum non exilem olearum numerum colligi nequit, Emphiteusim fuisse, onerosam, nisi simul qnalitas, et quantitas bonorum, et eorum æstimatio cognoscatur, quæ concedentis liberalitatem excludat. Quidquid vero sit quamvis Emphiteusis vere onerosa probaretur, non exinde sequeretur Aloysio ex patrui juribus aliquid esse addicendum.

6 Et si enim in Emphiteusi onerosa possit primus acquirens de re Emphiteutica disponere, maximum attamen discrimen adest inter onerosam Emphiteusim, quæ profana, et aliam, quæ Ecclesiastica est. Quandoquidem in priori Emphiteusi disponendi Arbitrium in primo acquirente non intra limites vocatorum ad Emphiteusim cohibetur sed ad extraneos, posthabitis hæredibus Sanguinis, rite progreditur, E converso in altera disponendi facultas, quam habet primus acquirens, intra fines eorum, qui comprehensi sunt in Investitura, tantum coercetur, adeout ei liceat in unum potius, quam alterum ex vocatis, vel integrum, vel majorem Emphiteusis partem conferre, veluti ex compertissimo jure advertit eadem *mea Decis.* § 9. Si itaque in Emphiteutica concessione minime continebatur Alexander, et tamquem extraneus reputari plane debebat, jam illud consequitur, ut non posset Carolus, etiamsi maxime voluisset, ullam Emphiteuticorum bonorum partem Alexandro relinquere, suoque arbitrio disponendi non aliter uti valeret, quam erga ipsos vocatos, quemadmodum reapse usus fuit, dum portionem, de qua juxta Gallicas Leges parentibus datum erat libero disponere, Aloysio legavit.

7 His autem omnibus non adversabantur auctoritates *Fulgin. de Emphiteus. quaest.* 24 *num.* 16., *et sequen. Pagnin. Prax. rer. Emphit, quaest.* 2 *n.* 2 *Card. de Luca de Emphit. part.* 1 *disc.* 70 *num.* 9. Et Sacri Nostri Ordinis Decisiones, *in Romana Immissionis* 12 *Maii* 1760 *coram Olivatio* quæ in medium afferebant Aloysii defensores, ut ostenderent primi acquirentis Arbitrium erga extraneos etiam in Empbiteusi Ecclesiastica admitti. Ad examen namque revocatis, tum illorum Doctorum quæstionibus tum Sacri Tribunalis Decisionibus facile animadversum est, vel de profana tantum Emphiteusi in iis agi, vel saltem, etiam si de Ecclesiastica Emphiteusi res esset, casum tantummodo eas respicere de primo acquirente, qui de Emphiteuticis bonis disposuit erga ipsos vocatos, seu erga unum potius, quam alterum ex contemplatis in Investitura. Quemobrem auctoritates illæ in ipsum Aloysium retorquebantur, et confirmabant thesim nostram, ex qua constitutum est in Emphiteusi Ecclesiastica arbitrium disponendi, quod primo acquirenti ex onerosa causa conceditur, intra vocatos tantum coerceri, nec ad extraneos unquam protendi.

Tandem animadvertebant Patres quod etiamsi Carolus Dal Pozzo ad libitum legem dicere de Emphiteuticis bonis potuisset, ita ut filii non aliter adeo jus haberent, quam si primus acquirens eorum pater, nullimode de eis disposuisset, oporteret nihilominus, ut id nominatim egisset ipse primus acquirens: secus enim servanda omnino est Emphiteuticarum tabularum conventio, cujus ope species quædam successorii, ac masculini fideicommissi inducta con-

setur, a qua recedi non potest, ut advertit *Cit. Dec.* § 8. Quæstio igitur non tantum ad potestatem, sed ad voluntatem etiam refertur. At alienus ita fuit Carolus primus acquirens ab aliqua parte Emphiteusis transferenda in Alexandrum, cujus personam Aloysius hodie repræsentat, ut nec id egerit per quemvis inter vivus actum, nec idipsum morti proximus in postremo elogio jusserit, in quo, ne emolumentum quidem ullum, aut Legatum Alexandro ipsi reliquit.

9 Levia admodum erant, quæ denuo proponebantur de antinomia inter illam Sacri Nostri Ordinis Sententiam, quæ bonorum divisionem inter fratres fieri jussit *praelavata quarta parte favore Aloysii*, et hodiernam definitionem, quæ semissem ipsius Emphiteusis Aloysio, ex patrui juribus venienti, denegavit. Inani siquidem studio ex hisce judiciis inferebat Aloysius, in duobus casibus fere similibus admissum, et improbatum prioris Investiti arbitrium fuisse disponendi de bonis Emphiteuticis cum vocatorum detrimento. Profecto duo isti casus, quorum identitas affertur, diversissimi sunt inter se, quia in priori agebatur de arbitrio, quod primus acquirens ad juris tramites exercere voluit, non erga extraneum quemlibet, sed erga unum ex filiis ad Emphiteusim vocatis, ideoque merito Sacer Ordo servavit paternam dispositionem, jussitque, ut divisio iniretur, expunto prius ab Aloysio bonorum quadrante. In alterum cæterum casu, super quo præsens disputatio versatur, sapientissime duxerunt Patres Domini rejiciendam esse quacumque aliam expunctionem, ab Aloysio ex patrui juribus objectam, super bonis Emphiteuticis. Non solum enim non poterat Carolus in Ecclesiastica Emphiteusi extraneis gratificari, et vocatos posthabere, sed ne constat quidem de ejus voluntate partem aliquam Alexandro cedendi in hypothesi etiam, quod potestatem habuisset.

10 Optime ergo respondet utraque definitio tum casuum diversitati, tum juris distinctioni, quæ inter Emphiteusim profanam ex causa onerosa, et Emphiteusim Ecclesiasticam ex eadem etiam onerosa causa, atque inter extraneum, et ad Emphiteusim vocatos intercedit. Nec poterat demum de qualitate Emphiteutica dubitari ex quo passim in Instrumenti tabulis locatiunis verbum legatur. Nam nec deest nomen Emphiteusis, et, si etiam deesset, indolem naturamque contractus a pactionibus colligi oporteret, quæ cæteroquin unam Emphiteusim initam fuisse suadent, dum ad diuturnitatem ipsius contractus, ad onus meliorandi, ad Laudemiorum obligationem, ad caducitatem denique referuntur. Quin obsit immodicum, et fructibus pene respondentem canonem Carolum spopondisse. Præter enim quod immodicus judicari nequit canon, nisi prædiorum æstimatio præ oculis habeatur, illud etiam accedit animadversione dignum, immodicum canonem, fructibusque respondentem, licet locationi conductioni conveniat, non repugnare tamen Emphiteusi, ut probat dicta mea *Decis.* § *ult.*

Et ita, confirmatis prioribus Decisionibus, et quoad cætera relatione ad eas habita, decisum VV. OO. DD., ac utraque parte jura sua deducente.

LUCANA PRÆCEDENTIÆ

Veneris 25 Junii 1821.

ARGUMENTUM

In controversia praecedentiae in publicis processionibus, et functionibus borta inter duo Sodalitia standum est primum consuetudini, deinde antiquitati erectionis, et institutionis.

SUMMARIUM

1. *Qui in quasi possessione praecedentiae sunt, ii tum in publicis, tum in privatis processionibus praecedere debent, quando hoc non constet ii qui saccis primi usi sunt praecedentiam habent ex Gregorii XIII Constitutione, quae incipit* - Exposcit etc. -
2. *In omnibus dirimendis quaestionibus primum locum obtinet consuetudo, dein erectionis et institutionis vetustas.*

3. *Cum possessio in facto consistat, ea probatio melior est, quae constat ex testimonio eorum, qui eamdem possessionem vidisse asserunt.*
4. *Immemorabilis consuetudo, non solum simplici possessioni innititur, sed praesumptionem inducit cujuscumque melioris tituli.*
5. *Tantum unicuique adquiritur, quantum fert consuetudo, nec licet de uno ad aliud genus praeminentias ampliare.*
6. *Ordinarii judicio in praeminentiarum materia plurimum est deferendum.*

DECISIO CLXXIII.

Duæ in Parochiali Ecclesia Oppidi quod vocant *Lammari* Lucanæ Diæcesis erectæ comperiuntur Piæ Ven. Sodalitates; altera nempe *antiquior* sub invocatione SS. Blasii, et Leonardi, altera *recentior*, quæ a SSmo Sacramento sibi nomen indidit. Perpetua, et pacifica jam usque n tempore, quod hominum memoriam excidit, viguit consuetudo, quod SS. Blasii, et Leonardi sodalitas prærogativa præcedentiæ frueretur, sive dum Processiones fierent, sive dum alia Sacra publica celebrarentur, excepta tamen processione Sacratissimi Corporis Christi cæterisque omnibus supplicationibus, venerationi SSmi Eucharistiæ Sacramenti dicatis, in quibus semper, ut decet, propriaque sua cuique ratio suadet, primas tenuit partes SSmi Sacramentii Sodalitium, præcipuo ad ejus cultum atque servitium institutum. Verumtamen inopinato anno 1823. accidit, ut nimie ambitione inflati SSmi Sacramenti Sodales in omnibus Functionibus præcedentiæ praerogativam sibi usurpare contenderint. Effervescente controversia res definienda delata est ad unum ex Lucensibus Archiepiscopalibus Vicariis, qui in Oeconomicis de Sententia rogatus die 17. Januarii 1823. abnormi actorum instantiae adhaesit. Sed longe aliud fuit ipsius judicium, cum re melius perpensa die 26. Aprilis ejusdem anni alterum Decretum tulit, quo edixit = *Che la Confraternita de' SS. Biagio, e Leonardo debba avere la precedenza sopra tutte le altre Confraternite nelle Funzioni, e Processioni, che si fanno nella Parrocchia sudetta, eccettuate però le Processioni, e altre Funzioni, nelle quali si ponga alla venerazione il SSmo Sagramento, nelle quali deve aver la precedenza sopra tutte le altre la Confraternita del SSmo Sagramento* =.

Duplici injustitiae, et nullitatis vitio hoc laborare Decretum victa Sodalitas magno animo clamavit coram alio vicario Archiepiscopali, quem *ad causas* vocant. Tempus tamen et operam perdidit. Nam, utraque rejecta proposita querela, non aliud consequi valuit, nisi quod potestas sibi fieret = *di ricorrere alla S. Sede contro l'enunciato Decreto del giorno 26. Aprile, se però, e come di ragione* = Statim itaque ad Sanctam Sedem SSmi Sacramenti Sodalitas confugit, contentioque ex Decreto R. P. D. SSmi Auditoris de Partium consensu Sacro Nostro Ordini definienda commissa fuit. At, cum dies disceptationi praestitutus hodie advenisset, praedicta SSmi Sacramenti Sodalitas, loco deducendi jura, si quae habebat, tota in eo fuit, ut dilationem peteret, eo sub obtentu quod Documenta parare nequiverit. Domini autem, hac comperendinatus petitione neglecta, proposito per me dubio = *An, et in quibus Cæremoniis, et cujus favore sit locus præcedentiæ in casu etc.* = Responsum incunctanter dederunt = *Pro informante* = nimirum = *Affirmative, et competere præcedentiam favore Sodalitii SS. Blasii, et Leonardi juxta modum in Decisione exprimendum* =.

Neque sane unquam fieri potuisset 1
ut aliud redderetur judicium, etiamsi Sodalitas SSmi Sacramenti jura sua deducere haud neglexisset. Paucis enim controversias omnes, quas ob loci primatum inter Confraternitates oriri contigerit, in Jure absolvit notissima *Gregorii XIII.* Constitutio, incipiens *Exposcit Pastoralis Officii*, qua is in hujusmodi de jure praecedendi quæstionibus semper servandum sancivit = *quod qui in quasi possessione præcedentiæ ae juris præcedendi sunt ii (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, et aliis subterfugiis prorsus remotis et cessantibus) in processionibus tam publicis, quam privatis præcedere debeant. Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione præcedendi*, ii,

qui prius Saccis usi sunt, in Processionibus tam publicis, quam privatis præcedere debeant =. Inconcussum igitur esset, atque immotum, quod in omnibus dirimendis quæstionibus primum obtineat locum consuetudo, atque quasi possessio; ubi vero incertum sit quodnam Sodalitium in quasi possessione præcedendi versetur, tum omne ferat punctum major erectionis, institutionisque vetustas, uti, Gregorianæ Costitutioni adhærentes docent *Bass. de Sodalit. Quæst.* 11. *num.* 1., *Barbos de jure Ecc. Lib.* 2. *Cap.* 11. *num.* 104. *Lambert. Instit. Eccles.* 105. *num.* 83. *Ferrar. in Bibliot. Verb. Confraternitates Art.* 6. *num.* 31. *Rota Decis.* 320. *num.* 13. *Part.* 11. *Recent.*, *Decis.* 354. *num.* 5. *cor. Caprar, Decis.* 773. *num.* 5. *coram Molines.*, *Decis.* 25. *num.* 1. *coram Ansald.* Atqui non solum constat in facto Sodalitatem SS. Blasii, et Leonardi Longævam juris præcedendi possessionem fovere, quod unum satis superque esset ad omnem hanc dirimendam quæstionem, sed insuper etiam constat ipsam prærogativa antianitatis præcellere; ergo haud ambigi potest, quin optimo jure a Sacro Nostro Ordine constitutum fuerit, quod in omnibus publicis Processionibus Functionibusque præcedentiæ jus sodalitio SS. Blasii, et Leonardi competeret.

2 Dubitari autem nequit, quin hæc quasi possessio juris præcedendi sodalitatis SS. Blasii, et Leonardi, in qua præcipuum consisti definitionis hujus Causae Fundamentum in facto probata plenissime maneat. Quinque enim Testes e senioribus Oppidanorum, proindeque instructissimi formali examini subjecti sub Sacramenti religione uno veluti ore affirmant sese suis ipsis oculis a prima ineunte aetate vidisse = *Che in tutte le Processioni la diritta, e la precedenza l'aveva la detta compagnia de' SS. Biagio, e Leonardo a tutte le altre compagnie, e specialmente a quella del SSmo Sagramento* =. Cum vero possessio in facto consistat, quod sub oculorum sensu cadit, nulla unquam profecto melior ejus desiderari potest probatio, quam ea quae scatet ex testimonio eorum, qui eamdem possessionem vidisse asserant, ut recte advertunt. *Menoch. de Remed. adipisc. possess. Remed.* 4. *num.* 120., *Post de manuten. Observ.* 19. *num.* 4., *Rota decis.* 205. *num.* 11. *part.* 8., *decis.* 200. *num.* 1. *part.* 10. *recen.* = Praeterea bi Testes non solum deponunt de iis, quae ipsi longissimi temporis lapsu fieri consuevisse viderunt, sed etiam affirmant sibi traditum fuisse = *Dai loro maggiori, e dai Vecchi della Comune, che la Confraternita dei SS. Biagio, e Leonardo ha sempre esercitato da tempo immemorabile il possesso, ed i diritti di precedenza nelle Processioni, e Funzioni della Chiesa a tutte le altre Compagnie, e specialmente a quella del SSmo Sagramento* = Plenam igitur immemorabilis constituere ipsos probationem evidentissimum fit, statim ac eorum depositiones requisitis pollent, quae *Glossa* statuit *in Cap.* 1. *Verbo memoria de prescript.* in 6. ut teuuit *Rota in Imolen. Decimarum* 15. *Junii* 1781. §. 4. *cor. Litta et in ejus confirmat.* 15. *Martii* 1784. §. 6. *cor. Riminald.*

Quapropter si juxta Gregorianae Constitutionis sanctionem qualiscumque possessio tempore Litis sat superque est, 3
nt validissimum juris praecedendi titulum ab ulla procul alia probatione constituere valeat, eo plane tenacius praecedentia in themate erat Sodalitio SS. Blasii, et Leonardi addicenda, quam invexit *immemorabilis consuetudo*, cum ea sit non simplici solum, nudaeque possessioni innixa, sed quolibet etiam meliori titulo suffulta. Latet porro neminem eam immemorabili possessioni, seu consuetudini vim inesse, ut praesumptionem inducat cujuscumque melioris tituli, atque etiam, si opus sit, Beneplaciti, ac Privilegii Apostolici, ut docent *Polit. de Transact. Disc.* 2. *num,* 18. *Tom.* 4., *Rota decis.* 155. *num.* 8. *part.* 16. *Recent. decis.* 124. *num.* 13. *coram Rezzonico, in Romana seu Tiburtina Immissionis* 11. *Februarii* 1783. §. 4. *coram Flangini, in Tudertina Immissionis* 13. *Martii* 1789. *coram Emo Cesarei*, *et in Prænestina Mutæ* 22. *Martii* 1819. §. 3. *coram R. P. D. Meo Martinez del Campo.*

Cum itaque in facto exploratissimum 4
sit SS. Blasii, et Leonardi Sodalitium

ab immemorabili tempore in quasi possessione juris præcedendi fuisse versatum; supervacaneum nunc foret investigare, quodnam ex binis hisce Sodalitiis, de præcedentia inter se certantibus, antianitate erectionis præcellat. Verum et illud in themate ad abundantiam accedit, quod Sodalitas SS. Blasii, et Leonardi cæteras omnes antiquitate temporis vincat. Nedum enim id compertissimum faciunt iidem testes, qui unanimes narrant sibi a majoribus Oppidique Senioribus traditum fuisse = *Che la Compagnia de' SS. Biagio, e Leonardo è la più antica, che abbia esistita, ed esista delle altre Compagnie erette in detta Comune di Lammari* =, verum etiam id magis magisque ex antiquissimis Actibus Pastoralis Visitationis *anno* 1555. a Lucano Archiepiscopo expletæ evincitur. Si namque expressim in iis adnotatum legitur in Parochiali Ecclesia adesse Confraternitatem sub Altare, et vocabulo SS. Blasii, et Leonardi; si nulla in iis alterius Sodalitii in eadem Ecclesia existentis mentio facta invenitur, nemo non intelligit palam omnino fieri ex indeclinabili eorum actorum testimonio SSmi Sacramenti sodalitium longe postea fuisse in eadem Ecclesia institutum. Quæ igitur omnia cum ita se habeant, pluribus opus non est, ut undique pateat, quanta cum injuria hæc SSmi Sacramenti Sodalitas in omnibus Functionibus jus præcedendi SS. Blasii, et Leonardi Sodalitio præripere contendat.

5 Nec momentum haberet exceptio, quod SSmi Sacramenti Sodalitas, ut testes instructissimi docent, præcedentiæ prærogativam obtineat in solemni Processione Sacratissimi Corporis Christi, cæterisque omnibus Supplicationibus, in quibus Ven. Eucharistiæ Sacramentum publicae venerationi exponitur; perinde ac si consequentiam exinde deducere liceret, quod ipsa in cæteris etiam functionibus Loci primatum obtinere deberet. Nam præcedentia isthaec, quam ei non invidet SS. Blasii, et Leonardi Sodalitium, quamve laudabilis in universa Ecclesia consuetudo invexit, nil influit ad parem ei addicendum praecedentiam in caeteris omnibus Functionibus, cum certum, exploratumque sit in hac, de qua agitur, controversia, tantum unicuique acquiri, quantum fert consuetudo, nec licere de uno ad aliud genus praeeminentias ampliare, ut hisce nostris in terminis praecise statuunt *Bass. de Sodalit. Quaest.* 11, *num.* 5., *Lambert. Instit. Eccles.* 123. *num.* 84., *Ferrar. in Bibliot. Verb. Confraternitas Art.* 6. *num.* 17. *adnot. ad Decis.* 25. *n.* 8. *cor. Ansald.*

Verum cum constet, in omnibus solemnibus Supplicationibus SSmo Sacramento dicatis, primatum loci semper obtinuisse Sodalitium praecipue ejus honori et Cultui addictum: merito Patres de unicuique honorem suum tribuendo solliciti praecedentiam Sodalitio SS. Blasii, et Leonardi *juxta modum* deberi edixerunt, nempe *ad formam consultissimi Decreti die* 26. *Aprilis praeteriti anni a Vicario Archiepiscopali editi*, cui eo magis plaudendum fuit, cum Ordinarii judicio in hac praeeminentiarum materia plurimum sit deferendum; tum quia is localis consuetudinis est apprime instructus, tum quia adeo amplae sunt ei facultates tributae a *Conc. Trident. Cap.* 13. *Sess.* 25. *de regular.*, ut non raro Episcopi eloquium ordinem praecedentiae praescribens, omni alia probatione habeatur sanctius, ut tradit *Sanchez. lib.* 6. *cap.* 9. *Disp.* 2. *num.* 1. *Rota decis.* 469. *num.* 6. *par.* 19. *recent. decis.* 25. *num.* 6. *cor. Ansald. decis.* 194. *num.* 4. *et decis.* 232. *num.* 5. *cor. Olivat.* 6

Atque ita etc. Altera tantum etc.

PERUSINA NULLITATIS CONTRACTUS

Lunae 29 *Martii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CXXII. -

SUMMARIUM

1. In dubio laesionis quaerela utpote odiosa est rejicienda.

2. Non potest laesio concipi, ubi plus pretii nomine datum est.

3. *Venditori qui integrum suum praetium non habuit, competit tantum actio ex vendito.*
4. *Leges quae pristinum monetarum ordinem restituunt sublatis caedulis incolumes servari solent solutiones, cum istis expletas.*
5. *Non aliter intelligenda est praetiosor moneta in contractum deducta nisi propria nomine fuit designata.*
6. *Rationi et veritati repugnat agronomos praedia existimasse in praetiosiori moneta.*
7. *Renunciare semel constitutae obligationi nemo potest, adversario reluctante.*
8. *Beneplaciti Apostolici defectum supplere potest Episcopi consensus dum Pontifex ob temporum calamitates a propria sede abest.*
9. *Ommissio solemnitatum non praejudicat in contractibus cum Ecclesia quando temporum circumstantiae id exigant, ac majoris damni evitatio.*
10. *Improbari non potest contractus quando justitia qualitatis et quantitatis pecuniae non defuit,*

DECISIO CLXXIV.

Facta a Sacro Nostro Ordine potestate Monachis Cassinensibus S. Petri Perusiæ jura sua denuo deducendi adversus postremam meam Decisionem, quam tertio nonas Julii in lucem edidi, ad trutinam hodie mane revocatus est contractus emptionis venditionis duorum prædiorum in Perusiæ suburbio jacentium, quæ iidem Monachi Cassinenses distrahere debuerunt, ut intributionem persolverent, quam Gallici Magistratus Democratico tempore eis imperaverant. In irritum tamen cesserunt Monachorum studia. Nam adeo solida inventa sunt editæ Decisionis fundamenta, ut tertio confirmata fuerit validitas, et justitia contractus, et Dubii formulæ, quæ his verbis proponebatur « *An sit standum in primo, et tertio, seu in secundo, et quarto loco Decisis in casu etc.* » illico responsum « *in ultimo loco Decisis* », fuerit datum.

1 Quæ duo siquidem vitia læsionis, et nullitatis contractus a Monachis objiciebantur adversus primos emptores Aloysium Garofani, et Franciscum Germani, et adversus alios; qui causam ab eis habuerunt, ac in præsenti judicio versantur, nullius ferme ponderis esse Patribus visum est. Ad læsionem primo quod pertinet, cum difficilis hæc actio sit, et non solum odii plena, sed juris quoque præsumptioni contraria, ideo plenas, atque omni exceptione majores exigit probationes; adeo ut in quolibet dubio pro æqualitate, et justitia contractus pronunciandum sit, et odiosa læsionis querela reiicienda. In hac imo læsionis materia exploratissimum est, ad eam æstimandam in emptionis venditionis contractibus, unum inspici tempus stipulationis, nec quis antea fuerit rerum status, vel quid postea tulerit incertus rerum eventus investigare, et perscrutari fas esse, veluti observat *Urceol. de Transact. quæst.* 16 *num.* 19, *et Rota cor. Tonaro decis.* 94 *num.* 17 *decis.* 99 *numer.* 7 *cor. Herzan, in Romana, seu Nepesina Læsionis* 4 *Martii* 1806 § 1 *coram Emo Serlupi, in Romano Restitutionis in Integrum quoad Decretum diei* 30 *Maii* 1804, 21 *Aprilis* 1823 *cor. me*, ac præterita *meo Decis.* § 3. Quamvis autem in hoc, de quo agitur, Ecclesiæ contractu satis sit, ad venditorum bonorum dominium, et possessionem vindicandam, læsionem etiam *in sextante* probare, nec eam oporteat ad juris tramites, vel ultra dimidium, vel ultra bessem quoque metiri, facti nihilominus specie sedulo, et accurate perpensa, quodlibet objectæ læsionis vitium omnino corruere planum adeo est, ut non modo incivilis, sed calumniæ imo proxima sit ipsius læsionis exceptio.

Ipsi profecto Monachi fatebantur, 2
non alium ex Censualibus Perusiæ tabulis ea prædia valorem habuisse tempore contractus, quam in scutis *bismillibus sexaginta uno*, et obulis *octodecim*. Ipsi rursus Monachi, intributioni infra triduum satisfacere coacti, quam Galli, eis indixerant, cum venditioni subjicere eadem prædia destinassent, in rem præsentem miserunt Peritum Agronomum Josephum Lucacchinium, ut fundos proxime distrahendos æstimaret. At functus officio suo Agrimensor, licet a Monachis delegatus unice fuisset, absque ulla emptorum scientia, et cum Monachis amicitiæ vinculo conjungeretur, prædiorum tamen æstimationem non amplius evexit, quam ad scuta *triamillia sexcentum duodecim*. Hanc æstimationem,

extra judicii ritum quæsitam, sequuta postmodum est alia, quam confecit, re in judicium deducta, ex Sacri Nostri Ordinis jussu Peritus judicialis, qui legem servans prædia æstimandi « *habita ratione valoris tempore contractus* », prout demandaverant Patres Domini, paulo minorem valorem eis attribuit, ac pretium constituit in scutis *tribus millibus quingentum septuaginta*, et obulis *septuaginta uno*. Semel ac itaque scuta *quatuor millia* numerarunt emptores, et plus solutum ab iis fuit, quam vel in Censualibus tabulis, vel ab Agronomis ea prædia æstimarentur; fatendum necessario est quamlibet læsionis querelam, ex pretii quantitate deductam, illico deficere. Concipi siquidem læsio non potest, ubi plus pretii nomine datum est, quam res empta vendita valeret.

3 Deterius erat contractus læsionem obtrudere ex qualitate pecuniæ; quia scilicet emptores, loco scutorum *quatuor millium* aureæ, vel argentæ monetæ, totidem, pusilla excepta summa in moneta ærea, exhibuerunt nummarias Schedas, quæ vix respondebant argenteis nummis *mille centum sexaginta sex*, et obulis *quinquaginta quinque*. Non enim hoc modo Cenobitæ contractus læsionem evincerent, sed probassent tantum, non integrum pretium ab emptoribus fuisse solutum. Atqui venditoribus, qui integrum rei venditæ prætium non habuerunt, nullo modo competit remedium famigeratæ *Leg.* 2 *Cod. de rescind. vendit.*, sed præsto eis solum est actio ex vendito, ex qua reliquum pretium condicere possunt, prout observat ex juris censura superior mea *Decis.* § 5. Deserta igitur querela læsionis, petere unice liceret Monachis pretii supplementum, quod tamen separatam actionem, distinctumque judicium requirit, cum præsenti minime confundendum. At perperam hanc actionem instituerent Monachi, dum inimicas experiuntur Democraticas Leges, quæ normam contrahentibus dederunt, et papyraceæ monetæ usum ita inculcarunt, ut recipi ab omnibus deberet, nec ab aliquo posset recusari, ut fusius expendit præterita mea *Decis.* § 5. Neminem proinde latet, emptiones venditiones aliosque contractus non rerum tantum mobilium, sed earum quoque, quæ soli sunt, et intrinsecum valorem habent, fieri passim eo tempore consuevisse aut eodem numerato intrinseco valore in qualibet viliori moneta, et papyraceis schedis, aut tantum in argentea, aureaque pecunia soluto, quantum ex usu, et consuetudine commercii nominali valori cedularum responderet, qualibet rejecta læsionis actione ex qualitate pecuniæ deducta, ut monet citata Dec. § 6.

Nec officit, quod postea providis legibus sublata ab hominum Commercio fuerit papyracea pecunia. Nam Leges ipsæ, quæ pristinum restituerunt monetarum ordinem, sartas tectasque contextim servarunt, pro civium bono, et tranquillitate publica, solutiones illas, quæ ad illud usque tempus cum nummariis Schedis expletæ fuerant. Posterioribus imo legibus, quas annis 1799 et 1800 super reductione nominum in vulgus edidit Dux Nasellius, nominatim excepit solutiones jam factas, easque integras omnino manere jussit. Postrema quidem ex his legibus sub generali approbatione contineri noluit eas solutiones jam factas, quæ « *abbiano d'altronde marca d'ingiustizia* » Attamen hujusce injustitiæ nota desumenda ex litera legis erat ex aliis prorsus causis, quam ex qualitate pecuniæ, veluti disserit eadem mea *Decis. dict.* § 6. Sæpe ideo definitum est, Nassellianam reductionis legem ad solutiones nondum factas, ac negocia nondum finita respicere, nec ad solutiones jam expletas, absolutosque contractus traducendam esse. Qua de re plures emptionis venditionis prædiorum contractus Sacer Noster Ordo probavit, licet initi fuissent cum vilescentibus, et proxime reprobandis cedulis, omnemque rejecit supplementi pretii petitionem. Quod si aliquo in casu irritos declaravit nonnullos contractus, id quidem non alia de causa fecit, nisi quia, vel ex ipsa stipulatione, vel ex invictis aliis monumentis evincebatur unam, atque unicam auream, argenteamque pecuniam convenisse contrahentes, veluti optime distinguendo tradit præterita Decis. § 7. 4

Inutilius vero post hæc excipiebant Monachi, auream, argenteamque monetam in contractum deductam fuisse, quin ulla de hac monetæ specie mentio, vel ante contractum, vel in ejus celebratione unquam exciderit. Revera extrajudicialis Agronomus Joseph Lucacchinius, quem Cœnobitæ delegarunt, ut prædia ante venditionem æstimarentur, ne nominavit quidem auream, argenteamque monetam. Peritus autem judicialis a Sacro Tribunali deputatus ipsorum fundorum valorem constituit in scutis *tribus millibus quingentum septuaginta uno = di moneta Romana corrente da paoli dieci per scudo =*, quamvis Legem habuisset æstimandi prædia = habita ratione valoris tempore contractus = Peritorum judicio tum Monachorum confessio, quæ maximi cæteroquin facienda est, tum etiam litera tabularum accedit. Ipsi quippe Monachi, dum contractus approbationem ab Episcopo Perusino implorarunt, scuta quatuormillia pretii nomine emptores obtulisse retulerunt, nulla facta auri, vel argenti mentione. Publicis demum in tabulis divendita predia fuerunt scutis quatuormillibus monetæ Romanæ, quorum denominatio imaginariam, ac genericam pecuniam secumferet quæ repræsentari potest ex qualibet monetæ specie cui leges nominalem imaginarii scuti valorem dederint. Quin imo adeo abest solam imaginariæ monetæ promissionem, dum plures præcipue earum species in commercio sunt, ad pretiosiorem aureæ argenteæque monetæ qualitatem referri, ut hæc ipsa e converso generica pecuniæ nuncupatio ad inferiorem monetam, quæ in commercio versetur, ex contrahentium voluntate cohibeatur, nec aliter intelligenda sit pretiosior moneta in contractum deducta, nisi proprio nomine fuerit designata prout arguit dicta Decis. § 8.

6 Procul ergo ab ulla læsione contractus, vel actione supplementi persolvi ex qualibet pecuniæ specie poterat pretium in stipulatione conventum. Neque enim obstat, quod prædia intrinsecum habeant, realemque valorem, qui cæteroquin incertus, et instabilis est, cum a temporum conditione, ac usurarum mensura maxime pendeat. Non ideo siquidem inferri potest, prædiorum pretium cum aurea, et argentea moneta rependi necessario debuisse, quoties ipsæ monetariæ leges nullum induxere discrimen inter res mobiles, ac immobiles sed in omnibus prorsus, et cujuscumque rei contractibus papyraceam monetam recipiemdam esse jusserunt, ut animadvertit eadem Decis. § 9. Duplici de causa hinc impune spernenda erat ipsius Lucacchinii declaratio triennio post factam fundorum æstimationem emissa, qua asserebat in prædiis æstimandis de aurea, argenteaque moneta se rationem habuisse. Et primo, quia serotinæ hujusmodi peritorum hominum declarationes prudenti admodum consilio nullius ponderis existimantur, quippe quæ ad opportunitatem ferventis controversiæ sæpissimæ fiunt. Deinde vero rationi non solum, sed veritati etiam ac experientiæ repugnant. Peritos Agronomos tempore monetarii discriminis veterem retinuisse consuetudinem prædia æstimandi in prætiosiori moneta, in aurea nimirum et argentea, etiamsi nihil de hoc dictum in æstimatione fuerit.

Semelac enim diversa in commercio reperiebatur monetæ qualitas, oportebat sane in stipulatione contractuum monetæ speciem explicare, ne deterior alioquin intelligeretur in stipulationem deducta. Nec quidquam profuit objicere, ad prædiorum feracitatem, ubicationem, annuosque fructus Lucacchinium in æstimatione conficienda respexisse. Quandoquidem hæc methodus servari potestatem si in proba, et pretiosiori moneta, quam si in cuprea, et papyracea pecunia fiat æstimatio dummodo papyraceæ pecuniæ quantitas augeatur juxa modum, et valorem aureæ, et argenteæ monetæ. Quamvis autem judic. Peritus qui ex data Lege rationem habere cogebatur ad tempus, quo papyracea moneta publice in commercio veniebat, ad ubicationem, feracitatem, annosque prædiorum fructus respexerit, prædia nihilominus minoris æstimavit, quam ab extrajudiciali Pe- 7

rito fuerint æstimata. Insulsum vero erat, et ludricum a promercalibus fructibus prædiorum valorem eruere. Promercalium namque fructuum æstimatio incerta admodum est, neque eamdem servat mensuram, quæ nedum pro temporum circumstantiis ab uno ad alterum annum, sed etiam inter annum augeri, et imminui potest. Non poterant itaque Monachi ex objecto læsionis vitio contractum rescindere, et prædiorum possessionem vindicare = *Sicut enim initio libera potestas unicuique est habendi, vel non habendi contractus, ita renunciare semel constitutæ obligationi, Adversario non consentiente, nemo potest. Quapropter intelligere debetis, voluntariæ obligationi, semel vos nexos, ab hac, non consentiente altera parte, de cujus precibus fecistis mentionem; minime posse discedere* = ut his verbis eleganter scriptum est *in leg sicut.* 5 *Cod. de act. et obligat.*

8 Leviora Patribus visa sunt, quæ de nullitate contractus oggerebantur ex Apostolici Beneplaciti defectu, quod in themate defuisse dici nequit, postquam Monachi ipsi, a Sede sua themerario ausu avulsum, et profugum ab urbe videntes Summum Pontificem, imploraront ab Episcopo Perusino contractus approbationem, et idem Perusinus Antistes = *attentis expositis, et concurrentibus circumstantiis, et auctoritate Summi Pontificis* = ineundæ stipulationis veniam concessit. Si namque Perusinus Episcopus, non qua ordinarius, sed qua delegatus contractum auctoravit, patens ideo fit, haud hic rem esse de facultatibus, quibus juxta *Can. terrulas caus.* 12. *quæst.* 2. in parvi momenti negociis utuntur Episcopi, sed imo de amplioribus facultatibus agi, quas ipse Summus Ecclesiæ Pastor ob infelicem illorum temporum conditionem Episcopis tribuit, ut pro rerum circumstantiis Fidelium necessitatibus opportune providerent, quemadmodum advertit eadem mea *decis.* § 12. Quapropter incassum urgebant Monachi, petere contrahentes debuisse contractus approbationem ab Isaurensi Episcopo, qui Pontificias vices Romæ gerebat. Eadem porro potestate contractum auctorandi præditi erant, tam Isauriensis, quam Perusinus Episcopus; absque ullo proinde discrimine ab alterutro poterat ea venia postulari.

Cæterum in majorem Monachorum 9
utilitatem redibat Episcopum Perusinum adire, qui melius prædiorum qualitatem, ac contractus conditiones cognoscere poterat. In re imo trepida, in qua infra triduum sub dupli pæna solvenda erat intributio, non tam utile, quam necessarium omnino erat prædia distrahendi veniam ab Episcopo Perusino petere, ne secus Monachi majoribus damnis afficerentur. Minus hinc nocet, si servata cætera solemnia non fuerunt, quæ adhiberi in hisce casibus solent ad alliciendos oblatores pro majori utilitate contractus. Non solum quippe breve tempus ad solvendum concessum, et mulctæ periculum probibebant, quominus solemnia ista servarentur, verum etiam Episcopalis venia, in Apostolici Beneplaciti locum obtenta, horum solemnium defectum supplevit, veluti earumdem solemnitatum omissionem supplet Apostolicum Beneplacitum, ut probat citata *decis.* § 13. Immerito demum Cænobitæ quærebantur aut non satis discussum ab Episcopo fuisse Contractus compendium, aut venditioni subiici potuisse res mobiles, pecus, et instrumenta fundorum, quin prædia ipsa distraherentur.

Quoad primum enim probari omnino 10
merebatur contractus, tam si monetæ qualitatem, tam si pretii quantitatem respicias. De monetæ qualitate nulla excitari quæstio valebat, quia ea monetæ species ex legibus in commercio erat, et vicissim recipiebatur, nec ab aliquo respui poterat. Idem dicendum est de pretii quantitate, semelac emptores, scuta quatuor millia solvendo, extrajudicialem, ac judicialem prædiorum æstimationem superarunt. Quare evidens est utilitas illa, quam in Ecclesiæ contractibus maxime spectandam esse jubent Sacri Canones, de quibus edisserit superior Causæ *decis.* § 14. Ad alterum vero objectum quod pertinet, quamvis Ecclesiæ Moderatores ex San-

ctione *Cap. Hoc jus caus.* 10 *quæst.* 2. tutorum, et curatorum exemplum sequi teneantur, qui nequeunt immobilia bona pupillorum divendere, si res mobiles super sint, *ad text. in leg. Magis puto § Non passim ff de reb. eorum, qui sub tut. vel cur. sunt Rota decis. Rec.* 253 *n.* 13 *par.* 18 *et decis.* 766 *n.* 8 *cor. Coccino*, nulla tamen probatio afferebatur, quod reapse res mobiles Monachi possiderent tempore contractus, aut tanti æstimarentur, quantum persolvendæ contributioni sufficeret. Cum ergo, neque de læsione neque de nullitate redargui possit emptionis venditionis contractus, confirmandas propterea existimarunt Patres Domini cæteras Decisiones, quæ odiosam istam actionem a Monachis institutam merito rejecerunt.

Et ita etc. Utraque etc.

RECINETEN LAESIONIS

Lunae 22 Novembris 1824.

ARGUMENTUM

Non dabatur quaerela laesionis ex lege Gallica nisi venditor deceptus esset - *oltre li sette duodecimi nel prezzo di un immobile.* - Et ad metiendum praetium tempus contracti negocii inspici debet.

SUMMARIUM

1. *In stipulationibus tempus spectatur, quo contrahitur. Quo circa si tempus a lege praefinitum elapsum sit non potest postea, ob praescriptionem, laesionis quaerela proponi.*
2. *Ex lege Gallica praescriptionis cursum extrajudicialis protestatio non obrumpebat, sed judicialis petitio requirebatur.*
3. *Vadimonio et libelli non a die expeditionis sed a die quo adversae parti innatescunt, atque ad acta publica referuntur vim et auctoritatum acquirunt.*
4. *Contractus non rescinditur nisi laesio probetur.*
5. *In laesione metienda non solum computari debet quod a venditore numeratum sit, sed et quod emptionis causa erogatum est.*
6. *Ubi judex unum peritum deputat et caeteros partium arbitrio relictos confirmat, Peritos et a judice, et de consensu partium delectos dicendum est.*
7. *Protestatio suspicionis emissa sine causa nullius est roboris.*
8. *Tabulae Censuariae non probant veram fundi aestimationem.*
9. *Peritus non potest sine judicis permisso post peritiae consignationem aliquid addere vel evertere.*
10. *Quando agitur de dimetienda laesione in contractu ubi adest pactum redimendi debet modo sexta, modo tertia pars praetii minui.*
11. *Pactum redimendi improbatur cum propter praetii modicitatem quaedam coactio imponitur, qua venditor redemptionem pactum exercere non potest.*
12. *In laesionis actione probatione omni exceptione majoris producendae quia in dubio semper pro validitate contractus pronunciandum est.*

DECISIO CLXXV.

Duplici Sacri Nostri Ordinis Sententia, quarum primam tulit, geminis praeeuntibus Decisionibus dierum 5 Julii Anni 1822 et 17 Februarii superioris Anni, R. P. D. Meus Marco, alteram vero signavit, post unicam Decisionem diei 12 Januarii labentis Anni, R. P. D. Meus Pianetti, consultissime improbata fuit querela læsionis enormis, et enormissimæ, qua infectum clamabat Marchio Flavius Constantini Recinetensis Contractum emptionis venditionis Latifundi in solo Recineti, ac in regione vulgo dicta = *il Bagnolo* = extantis, quod ipse erga notissimum Anconæ Negociatorem Jacobum Casaretto, ac Advocatum Aloysium Sartori publicis in tabulis, Anno 1814 postridie Kalendas Aprilis exaratis, ac constituto pretio argenteorum Scutorum *termillium ac triginta octo* distraxerat. At Constantinius, qui consonam votis suis Sententiam a Triumviris Tribunalis A. C. antea retulerat, non fractus adhuc animo provocationem ab hisce Rotalibus Sententiis interposuit, quæ in Causa fuit cur hodie mane Patres a me rogati assueta Dubii formula = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* = vadimonium Constantinio deserente, incunctanter mihi responderint = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =.

Cum enim quo tempore de ineunda 1
emptione venditione Latifundii inter

Constantinium, et Negociatorem Casaretto, ac Advocatum Sertori actum est, Anno scilicet 1814 mense Aprilis, vigerent adhuc in Piceno Gallicæ Leges nemo profecto non intelligit, ad illarum Legum tramites, et normam de controverso contractu ferendum esse judicium, non solum quia, Jure Communi inspecto = *in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus* = veluti inquit *Paulus in Leg.* 19 *ff de regulis juris*, verum etiam, quia pro securitate, ac tranquillitate publica pluribus Edictis, in restitutione Pontificii Regiminis evulgatis, statutum fuit, lites omnes decidendas, ac dirimendas esse ex Legibus, quæ contracti negocii tempore obtinebant, ut pariter tradit Sacrum Tribunal *in Senogallien. læsionis* 10 *Decembris* 1817 § 2 *coram R. P. D. Meo Tiberj*, *et in confirmatoria* 8 *Maii* 1818 § 3 *coram eodem*. Ex hoc sequebatur ipsi venditori actionem deficere, ex qua rite posset adversus Contractum insurgere, illumque læsionis labe inquinatum objicere. Nemini siquidem, quamvis absenti, et impedito ex *art.* 1676. Gallici Codicis licitum amplius erat læsionis querelam proponere, postquam biennii spatium præteriisset a die initi Contractus = *la domanda della rescissione della vendita,* (ait citata Lex), *per causa di lesione non è più ammissibile spirati i due Anni dal giorno della vendita. Questa dilazione decorre contro le Donne maritate, gli assenti, gl'interdetti, ed i Minori aventi causa da un venditore di maggiore età* =. At vero Anno 1814 die 2 Aprilis celebratæ fuerunt publicæ emptionis venditionis tabulæ: e converso autem non prius conquestus est Constantinius ope Monitorii de læsione contractus, quam die 28 Maii Anni 1816 quo tempore jam biennium effluxerat ad læsionem proponendam a lege præscriptam. Quidquid igitur, re integra, de læsione poterat disceptari; postquam præscriptio quamlibet agendi viam interclusit, inutiliter, et perperam disputatur, ut innuunt præteritæ Decisiones prima, et secunda cor. R. P. D. Meo Marco § 8 *et* 2 tertia cor. R. P. D. Meo Pianetti § 2.

Dum alias de suo asserto jure periculum fecit Constantinius, evadere ab hoc præscriptionis scopulo tentavit ex alio Monitorio, quo ipse intra biennium usus fuit, ut jus redimendi ex pacto conventum exerceret, et in quo jus sibi reservavit in posterum agendi de nullitate, ac læsione contractus. Sed nuda, ac simplex protestatio, quæ actum mere extrajudicialem secumfert, nec litis contestationi æquipollet, ad tradita per *Rota in Recen. Decis.* 365 *part.* 9 *tom.* 2 *num.* 28 nec præscriptionis cursum intercipit, semel ac Gallica Lex de præscriptione interrumpenda agens, judiciariam petitionem, seu expressam, seu formalem litis contestationem diserte requirit = *La prescrizione* (inquit art. 2244 ejusdem Codicis) *è interrotta civilmente in virtù di una Citazione giudiziale, di un precetto, o di un Sequestro intimato a quello, cui si vuole impedire il corso della prescrizione* =. Satis ergo non erat ad intercipiendum præscriptionis cursum simplex protestatio, quæ præterea, ne jus quidem protestantis præservavit. In eo siquidem priori Monitorio postulavit Constantinius, ut sibi facultas ex stipulatu fieret redimendi prædium, ideoque postulatione sua ratum habuit, probavitque contractum; ex quo frustra redemptionem proposuisset, si contractus ipse ex læsionis capite rescindendus erat. Repugnavit itaque protestatio exercitio juris redimendi, quo venditor uti se velle declaravit, nihilque profuit protestanti, etiamsi præscriptionis cursum abrumpere potuisset. Nullius quippe momenti protestatio est, si reperiatur contraria facto protestantis, qui nunquam ei misisse censetur, dum actum gerit protestationi contrarium, veluti ex auctoritate Doctorum, et Tribunalium optimo probat tertia Decisio coram R. P. D. meo Pianetti § 3. 2

Redibat tamen Constantinius ad secundum Monitorium super læsione, ac nullitate contractus, illudque intra biennium, die nimirum 25 Octobris Anni 1815 expeditum fuisse propugnabat, adeo ut objici præscriptio nequeat. 3

Pessime autem hæc proponebantur, quoties in facto non ambigebatur, denunciatum emptoribus Monitorium ipsum fuisse ad diem 28 Maii insequentis Anni, quo tempore jam emensum erat spatium præscriptioni constitutum. Vadimonia enim, et libelli, non a die expeditionis, sed a die, quo adversæ parti innotescunt, atque ad acta publica referuntur, vim, et auctoritatem acquirunt. Donec ociosa delitescant, nec litem contestantur, nec intercipiendæ præscriptioni paria sunt, juxta communem Bartholi doctrinam in *Leg. Hæc autem § Non defendi ff ex quib. caus.*, de qua late disserunt præteritæ Decisiones. Nec objiciendum biennii lapsum, non a die contractae emptionis venditionis, sed ab ultima die ad redimendum concessa numerandum esse, Gallica siquidem Lex in eodem Codice Civili dicta, dum prohibebat, quominus exceptio laesionis emensio biennio, proponerentur eodem art. 1676 addebat quoque = *che la stessa dilazione decorre, e non si sospende durante il tempo stipolato per il retratto* = Post haec autem non officiebat ante biennii lapsum, abrogato in Piceni Provincia Gallorum jure, restitutas fuisse veteres Romanorum Leges, quæ læsionis præscriptionem non uno solum biennio præfiniunt. Nam, cum agatur de contractu sub Gallorum Legibus inito, et absoluto, jus proinde quæsitum est contrahentibus non ex alia præscriptione rescissionis periculum obire, quam ex ea, cui temporis Leges locum faciunt, quia Leges omnes, qui de alicujus stipulationis effectibus disponunt, conventionis quoque partem constituunt *Leg.* 2 § 3 *ff de obligat. et action. Leg.* 31 § 20 *ff de ædilit. aedict.*

4 Spectant hæc ad præscriptionem actionis a Costantinio propositæ. Sed non melior evaderet ejus conditio, etiamsi nullum esset præscriptionis obstaculum, nullamque Constantinius ipse declarationem emisisset in prædio redimendo, quæ vetabat quodammodo, ne extraordinarium, atque odiosum læsionis remedium experiretur, cum cautum ex jure sit, pendente termino ad reluendum, qui vel eosdem, vel majores etiam gignit effectus, quam ipsa in judicio gignat enormis læsionis actio nemini fas esse *Legis* 2 *Cod. de resc. vendit.* remedium implorare *Zanch. de laesione part.* 2 *cap.* 4 *num.* 67. Profecto Gallicæ Leges, quæ ex demonstrantis attendendæ unice sunt in hac lite dirimenda, omni sublato discrimine læsionis enormis, et enormissimæ, tam ex jure communi, quam ex Municipalibus Legibus inducto, art. 1674 Civilis Codicis venditori tantum contractus rescissionem indulgebant, si se læsum probaret = *oltre li sette duodecimi nel prezzo di un immobile* = Præterea disponebat idem Codex *art.* 1675 quod = *per conoscere, se vi é lesione oltre li sette duodecimi, si deve stimare l'immobile secondo il suo stato e valore al tempo della vendita* = ; eamdemque æstimationem *art.* 1678 fieri jubebat = *col mezzo di relazione di tre Periti* =, quibus normam præscripsit = *di stendere un solo Processo verbale comune, e di formare un solo giudizio a pluralità de'voti* = Hæc omnia, antequam jus dicerent, optime sequuti fuerunt A. C. Triumviri dum Judicem delegarunt in Civitate Recineti, ut peritos viros eligeret, qui prædia divendita una cum animalibus, ac instrumentis in emptione venditione comprehensis æstimarent.

Plaudentibus hinc iisdem litigantibus, 5 Judex subdelegatus prædiorum æstimationem tribus commisit Agrimensoribus, nempe Benedicto Fucili, Michaeli Panocchi, et Xaverio Pierangeli, qui omnes, postquam iverunt in rem præsentem, ac fundorum qualitatem perlustrarunt, interposita tandem jurisjurandi religione, unaque confecta relatione, in scutis *quinque mille centum, et decem septem* obulisque *triginta sex* cum dimidio eorum valorem constituerunt. Non aliter vero læsus censeri posset Constantinius, quam si ne quinque quidem hujusce pretii duodecimas partes, quæ summam conficiunt scutorum *bismillium centum triginta* persolvissent emptores. Atqui ex Instrumenti tabulis

constat, pretii nomine soluta ab emptoribus fuisse *scuta termillia triginta octo*, quibus addenda sunt alia scuta *biscentum* in emptionis venditionis causam impensa. Nam « *dari non id solum accipiemus quod numeratur venditori, sed et si quid emptionis causa erogatum est* » veluti inquit « *Jurisconsultus in Leg.* 1 *ff. de ædilit. ædict.*, cui concinunt præteritæ Decisiones. In unum ergo collectis hisce solutionibus, facile calculanti patet pretium ab emptoribus numeratum ad summam evehi argenteorum *nummorum termillium biscentum triginta octo*, ex quibus venditor non modo nullam passus fuit læsionem » *oltre li sette dodicesimi* », sed ne in medietate quidem valoris ab Agrimensoribus constituti. Perperam ergo proponitur querelas læsionis, ut pariter inferunt superiores Causæ Decisiones, quarum prior § 10, altera § 6 tertia § 5.

6 In hanc conjectus angustiam Constantinius judicialis relationis vim, et auctoritatem convellere in aliis jurium experimentis adnitebatur, dum excipiebat contra formam, et Legis Judiciarii Codicis electos fuisse decempedatores, quia Judex unum ex officio deputavit, et partibus deinde permisit, ut suum quæque deligeret. At si Constantinius huic succenset Agrimensorum electioni, idem est ac si proprio facto, et facto quidem judiciali resisteret, invita Jorisprudentia, simulque requireret, ut Judex adimpleat, quod jamdiu fuit exequutus. Electio namque peritorum hominum, Actore urgente, demandata fuit a Juridicis A. C. Triumviris, qui hanc in rem Judicem Recinetensem delegarunt « *affinchè proceda alla nomina di tre Periti Agrimensori approvati di consenso delle Parti*, *ed in caso non si convenga nella nomina de' medesimi, da nominarsi ex officio* » Cum vero Judex delegatus uno perito homine ex officio deputato coeteros partium arbitrio relictos confirmaverit, ac in peritos homines a Judice confirmatos Partes consenserint, affirmandum proinde est Agrimensores ipsos et a Judice, et de consensu Partium fuisse delectos, ut merito concludit prima Decisio § 11 et altera § 7. Nihil autem detrahit judiciali relationi, quod Constantinus Xaverium Pierangeli a Judice nominatum uti suspectum traduxerit. Nedum enim id fuit, postquam in loci faciem periti homines accesserant, partes audiverant, Fundorum feracitatem expenderant, suam pandiderant opinionem, ac nihil aliud supererat, nisi ut relationem conficerent, verum etiam nullam justam, aut saltem probabilem adduxit causam, cur illa peritus repellendus esset ab æstimatione prædiorum, cum e converso in eodem judiciario Codice *artic.* 425 præ cæteris cautum sit « *che li Periti destinati dal Tribunale non potranno allegarsi in sospetto, se non giustificando negli atti una ragionevole causa da riconoscersi dal Tribunale stesso.*

Si igitur simplici, ac nuda protestatione emissa, qua temere de perito illo homine suspicabatur, nullaque adducta causa a Judice cognoscenda, sivit deinde Constantinius, ut in lucem judicialis relatio prodiret, non potest modo ab ea deflectere, novamque peritorum hominum electionem urgere. 7
Neque erroris insimulanda est relatio judicialis, quod forte æstimatio in Censualibus tabulis, jussu S. M. Pii VI. confectis, controverso Latifundio tributa, pretium excedat ab emptoribus solutum, et nulla in æstimatione ipsa ratio habita fuerit » *del sopraterra* » Postquam enim de litigantium consensu ad Peritorum hominum electionem deventum est, iique prædia æstimarunt, nequit amplius Constantinus censualibus tabulis uti, quæ coeteroquin nullam exhibere possunt normam ad designandum Lotifundii valorem tempore contractus. Revera Pianæ Census tabulæ usque ab anno 1777 suam ducunt originem, cum e converso emptio venditio, de qua agitur, anno 1814 inita fuerit, nempe post annos fere *quadraginta* ab illarum tabularum confectione. Quod si prædiorum æstimatio, ac pretia rerum post decennii lapsum non eadem præsumuntur, quæ ante decennium erant, veluti prima

Decisio § 12, secunda § 8, tertia § 7 ex priori Juris disciplina animadvertunt; multo magis dicendum est, non eamdem æstimationem, quæ fuerant tempore Censualium tabularum, Latifundium servasse, postquam ex publicis, privatisque vicibus omnia immutata sunt, status fundorum, fructuum æstimatio, Commerciorum ratio, publicorum onerum mensura: quas omnes calamitates nemo sine luctu, ac moerore recordatur.

8 Coeterum Censuales tabulæ, non ad privatorum bonorum justum valorem constituendum conficiuntur, sed ad peræquanda inter Cives onera Fiscalia, quæ per æs, et libram a Supremo Principe indici solent. Quin imo experientia duce, sæpe novimus decempedatores ipsos, quibus idem Princeps conficiendarum publici Census tabularum munus sub certa mercede committit, non satis accurate exequi prædiorum æstimationem, et modo plus, modo minus justo pretio possessores onerare, qui idcirco de illato gravamine suas querelas vel ad Principem ipsum, vel ad Judices deferunt. Qua de causa communis invaluit sententia ex Censualibus tabulis certum Bonorum valorem erui non posse, sed *præsumptivom* tantum educi ejusdem valoris probationem, quæ nullo in calculo haberi debet, si prædia in contractum deducta ex contrahentium consensu fuerint æstimata, ac æstimationi factæ initio Contractus accedat peritorum hominum relatio judiciario ritu confecta. Recolantur hic laudatae Decisiones *loco citato*. Quod pertinet vero ad arbores, vites, et plantas, ea alia hujus generis, quæ veniunt sub nomine = *del soproterra* =, quæquæ non considerantur in Censualibus tabulis, satis diluebat objectum, tum testimonium Recinetensis publici Census Quæstoris, qui ex officio refert » *che l' arotivo nudo di quosi tutti li terreni posti in contrada il Bagnolo presenta una quantità sei volte maggiordi quella di loro soprasuoli* », tum multo magis judicialis relatio, ex qua constat, ad omnes prædiorum fructus in æstimatione conficienda peritos viros respexisse.

9 His ita animadversis, inanius fuisset declarationem illam afferre, quam in Constantinii gratiam, postquam judiciali relationi subscripserat, non sine perjurio alter ex peritis Viris emisit, Benedictus nempe Fucili, qui palinodiam canens, ad summam scutorum *septem millium quatuorcentum quadraginta novem* divenditi Latifundii pretium evexit. Primo siquidem loco, in lucem edita relatione, munere suo functus est vir peritus, et extra chorum canit, si non vocatus a Judice iterum referre velit in subjecta quæstione, cum vetitum ei sit quidquam addere in præjudicium et eversionem eorum, quæ in prædicta relatione constituit, veluti, adductis anctoritatum exemplis, plene probant prædictæ Decisiones, et præcipue tertia § 6. Etiamsi autem retineri posset hæc posterior æstimatio, non recte tamen ab ea enormis læsio deduceretur. Denuo quidem prædia æstimavit benevolus Agrimensor *fructus septem millibus quatuorcentum quadroginta novem*, quorum quincuncem, seu » *li cinque dodicesimi* » a Gallica Lege præfinitus, summam efficit scutorum *termillium tercentum*. At empta prædia fuere constituto pretio argenteorum nummorum *termillium biscentum triginto octo*. Vix ergo discrimen scutorum *septuaginta duo* inter pretium ab emptoribus solutum, et septuncem illius constituti per posteriorem Fucilii æstimationem invenitur, ut calculanti patebit.

10 Verum demendum est ab æstimatione ipsa redimendi pactum, cui ex lege contractus obnoxia erat emptio venditio, quodque modo *tertiam*, modo *sextam* pretii partem minuit, juxta minus, vel majus temporis spatium redemptioni præfinitum *Cyriac. Controv.* 255. *num.* 41. *Rota coram Coccino Decis.* 282. *num.* 14. *in Recen. Decis.* 293. *num.* 22. *part.* 17. *Decis.* 656. *num.* 17. *part.* 18. *cor. Falconerio Decis.* 7. *num.*8. *tit. de falsitate, et simulatione, et Decis.* 252. *num.* 16. *coram Rotta*. Deducta itaque sexta parte pretii, nemo non

videt, ne umbram quidem læsionis superesse, quamvis posterior hæc relatio præ oculis babeatur. Quin obsit sexquienni tantum terminum ad redimendos fundos fuisse conventum. Neque enim Gallicæ Leges juxta art. 1660. Civilis longiorem terminum ad reluendum assignabant, quam unius quinquennii: neque sexquienni spatium adeo angustum censendum est, ut ejus ratione minus *sextante* subducendum sit ab integro pretio, veluti accidit in aliis casibus, in quibus conditio redemptionis ad unum, alterumve mensem cohibetur, ut punctim loquebantur auctoritates in præteritis exprimentis a Costantinii defensoribus adductæ, ac præ cæteris *Zanch. de læsione part.* 2., *Cap.* 4. *a num.* 50. *ad* 52. Nihil hinc refert, parum venditori profuisse, ob tristem ejus conditionem, pactum redimendi intra Sexquiennum exercendum. Si namque ob rei familiaris angustiam per se non poterat venditor ad actum perducere redemptionem, poterat tamen jus redimendi, quod distrahi rite valet, in alios transferre » *Matic. de tacit. lib.* 4. *tit.* 2. *num.* 12. *Rota cor. Ansald. Decis.* 512. *num.* 22. *et in Romana prælationis* 8. *Martii* 1822. *cor. Me per tot.*

11 Hoc sane modo maximum Constantinius ipse compendium retulisset ex beneficio redemptionis, quod cæteroquin non solum in Divina Scriptura laudatur, prout *in Levit. Cap.* 25. *n.* 23. *et* 24., sed etiam utroque jure tum Pontificio, tum Caesareo permissum est » *Extravavan.* 1. *de empt. et vend. Leg.*, *Si Vir Uxori* 12. *ff. de præscript. verb. Leg. Si Fundum* 2. *Cod. de part. inter empt. et vend. Leotard. de usur. quæst.* 9. *num.* 22. *Pacion. de locat. et cond. Cap.* 10. *num.* 98. *Rota Decis.* 463. *num.* 4. *coram Ansaldo Decis.* 252. *num.* 10. *coram Ratto* =. Quandoquidem tunc solum pactio ista redimendi Legibus improbatur, cum præter prætii modicitatem continet etiam quamdam coactionem, ex qua venditor nequit redemptionis pactum exercere, nisi post certum, ac in Contractu constitutum temporis spatium » *Cap. Ad nostram* 5. *de empt. vendit. Covarruv. var. resol. lib.* 3. *Cap.* 8. *num.* 3. *Zanchi de læsione part.* 2. *Cap.* 4. *num.* 20. *et cit. Decis.* 7. *de falsit. et simulat. coram Falconerio.* At in emptione venditione, de qua agitur, non modo justum prætium ex demonstratis non desideratur, sed ipsum præterea pactum redemptionis ita conceptum est, ut intra sesqui anni terminum semper, et quandocumque venditori liceret redemptionis beneficio uti.

Expungendum denique est ab æstimatione prætii periculum illud evictionis, ex quo decrescit rei venditæ valor, et cui obviam iverunt emptores. 12
Non enim impugnabatur multis hypothecarum nexibus Latifundium illud implicari, ac obnoxium præterea esse veteri Familiæ Fideicomisso. Quod si vel Costantinii Creditores suas intendissent actiones adversus Latifundium, de quo quæstio est, vel restituta post Gallorum invasionem fuissent jure post liminii fideicommissorum vincula, veluti ex Aedictali Lege Apostolici Delegati Anno 1814. tertio Idus Maii edita, non modo prudens unusquisque Paterfamilias, sed Sacrum quoque Nostrum Tribunal restituta ea reputavit, ut monet Decisio in *Anagnina Divisionis, et redditionis rationis* 6. *Maii* 1822. *coram Me*; maximum profecto fuisset damnum, quod emptores ex contractu isto pati cogerentur. Quare si Casarettus, et Sertorius aleam, et periculum subierunt; si maxime ob publica, ac privata infortunia vilescebat tempore contractus prædiorum æstimatio; simultis præterea venditoris precibus ad emendum inducti fuerunt; si prætium æquum, et justum pensitarunt: non modo incivilis, sed prope calumniosa est læsionis querela, quæ merito rejecta fuit, cum præcipue de actione difficili res sit, quæ adeo vehementes, ac omni exceptione majores exigit probationes, ut si quid dubii, et ambigui supersit, ex ratione juris oporteat pro contractus validitate, et justitia pronunciare » *Mans Consult. forens.* 616. *num.* 5. *tom.* 7. *Card. De Luca de empt. vendit. discurs.* 24. *num.* 2. *Costan-*

tin. ad Stat. Urbis Annotat, 46. *numer.* 126 et coeteris omissis, *Rota in Perusina nullitatis Contractus* 4. *Julii* 1823. §. 3, *coram Me* = Ociosum post hæc esset de enormissima læsione disserere, quia satis per se exclusa censenda ea est, enormi, et simplici læsione rejecta.

Et ita, probatis superioribus Causæ Decisionibus, judicatum est, altera tantum etc.

ROMANA APERITIONIS ORIS

QUOAD

DECRETUM DIEI 30 MAII 1804

Lunae 5 *Julii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur. - DECISIO CXXXI. -

SUMMARIUM

1. *Aperitio oris nunquam denegatur, quoties rescriptum, aut ex reticentia veri, aut ex narratione falsi subreptum fuit.*
2. *Laesionis controversia, nisi per tres sententias conformes, absolvi potest.*
3. *Omissa rei conventi citatio, nunquam observata dici potest forma judiciorum.*

   Unico testi, etiamsi sit fiscus, fides non adhibetur - ibidem. -
4. *Rescripta contra jus elicita, sunt a judicibus spernenda.*
5. *Princeps si utitur potestate ordinaria, nunquam censetur deragasse juri scripto.*

   Ubi Pontifex adhibet potestatem extraordinariam, id expresse dicit - ibidem. -
6. *Si Princeps nec clausulam -* sublata - *nec decretum -* irritans - *adposuit in rescripto, id significat usum non fuisse potestate extraordinaria.*

   Ad effectum laedendi jura quaesita, oportet quod expresse derogatum sit Regulae XVIII Cancellariae - ibidem. -
7. *Derogatio praedictae Regulae, debet esse clara et expressa, neque suppleri potest per aequipollens.*
8. *Decretum est intrinsece nullum, si rescindit contractum, a quo omnis laesionis labes exulat.*
9. *Pontifici perspectae esse debent omnes facti circumstantiae, ut obreptionis et subreptionis vitia exulent.*

DECISIO CLXXVI.

Quamvis viri Principes Franciscus Barberini, et Mapheus Sciarra Colonna obloquendi veniam obtinuerint adversus Decisionem publici juris a me factam die 21 Aprilis superioris Anni, in qua Sacer noster Ordo definivit beneficium Aperitionis Oris Josepho, Petro, Michæli, et Raphæli germanis fratribus Pacetti concedendum esse adversus Cardinalis Pro Camerarii Æconomicum Decretum Anno 1804 sub die 30 Maii editum, ac Pontificia Auctoritate probatum, quod Equitem Vincentium Pacetti, Actorum Patrem modo vita functum, compulerat ad restituenda nonnulla signa marmorea legitimo titulo sibi quæsita, prout latius constat ex predicta mea Decisione, quæ factorum refert hystoriam, cum hodie tamen dimicandum denuo esset, præfati viri Principes, mali juris conscientia fortasse perterriti, nullam sibi pararunt defensionem, et judicii comperendi nationem tantum implorarunt. Sed Patres Domini, negatis induciis, quæ petebantur, album calculum adjicientes præteritæ Decisioni, propositæ Dubii formulæ = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = responderunt = *in Decisis* =.

Manebat enim in facto plenissime 1
probatum, Cardinalis Pro-Camerarii Decretum, cui Pontificia accessit Auctoritas, non modo injustitiæ labe infici, sed obreptionis præterea, subreptionisque vitio adeo laborare, ut promptum requireret Aperitionis oris remedium, quod numquam denegatur, quoties appareat Pontificium Rescriptum, aut ex recentia veri, aut ex narratione falsi subreptum fuisse, aut demum alterius juribus detrimentum aliquod attulisse. Quandoquidem a juris præsumptione devium maxime est Summos Pontifices, qui æquitatis, et justitiæ cultores, et vindices merito apud omnes Populos habentur, alteri præjudicium inferre voluisse, si germanam totius rei seriem, ejusque circumstantias bene nuvissent, ut expendit præterita mea Decisio § 5. At vero, si de injustitia Decreti Car-

dinalis Pro-Camerarii a S. M. Pontifice Pio VII probati, primo quæratur grave illud certe fuit, et valde alienum a voluntate Sacratissimi Principis, ut adversus privatum civem, et patrem familias, non tam honestum, et pacificum, quam bonarum artium optime meritum impetus fieret, ut a possessione rerum suarum, quam fide bona, ac ex legitimo contractu sibi comparaverat, per vim quodammodo, et spolium exturbaretur, non prius ei constituto vadimonio, aut leviter saltem discussa quæstione, sed comminatis imo poenis conjectionis in carcerem, si jussioni parere forte renueret. Etiam si porro invictissime ostenderent venditoris hæredes enormissimæ Læsionis vitium irrepsisse in eo contractu, in quo defunctus Eques Vincentius Pacetti sub certo pretio ea signa marmorea coemit a Viro Pricipe Carolo Barberini, nunc e vivis erepto, non ideo sequebatur, ut impune liceret emptorem rebus emptis expoliare.

2 Revera cujuscumque bene institutæ Civitatis, et hujus nostræ potissimum Urbis, quæ sanctissimarum legum, et purioris juris magistra reputatur, mores omnino ferunt, et volunt, ut de fortunis privatorum civium juris ordine servato judicetur, cum ab ipsa pene natura quisque didicerit iniquum maxime esse, ut quis a possessione rerum suarum dejiciatur, nisi prius adversus eum ex legittimo, et ad exitum usque perducto judicio actum fuerit. Secus enim, si sub mentito boni juris præsidio permissum foret, ritu judiciorum posthabito, rem alienam, et legitimo titulo quæsitam invadere, nihil esset in hominum commercio, quod temere non contemnetur. Ex hac imo agendi methodo gravia admodum, et luctuosa damna in ordinem, et quietem publicam venirent, ac inutiles penitus essent leges omnes tanta sapientia constitutæ, quas unice præ oculis habere tenentur, qui jus reddunt. Quod si in quibuscumque quæstionibus præmittenda necessaria sunt judicia, et imploranda semper est Judicum Auctoritas, multo magis hæc requiritur, dum super Læsione controversia versatur, quæ tamquam odii, et asperitatis plena, non aliter, quam per triplices, et conformes inter se Sententias, absoluta censetur, ut pariter probat citata mea Decis. § 6.

Excusare alias conabantur hæredes defuncti viri Principis Caroli Barberini adhibitam adversus emptorem violentiam, dum excipiebant, jura sua apud Cardinalem Pro-Camerarium deduxisse Pacettum, ac Decretum ipsum in lucem venisse, postquam consultus fuerat Advocatus Fisci, atque hic opinionem suam super exorta quæstione in scriptis tradiderat. Hæc tamen, et alia hujusmodi, nec vera erant, nec abstergebant Decreti injustitiam, quamvis vera fuissent. Semel ac enim emissa fuit legitima rei conventi citatio, nunquam hoc modo observata dici potest forma judiciorum, quæ non solam citationem desiderat, sed sedulum præterea quæstionis examen, ut inde jus suum, vel uti postulant leges, unicuique recte redditum intelligatur. Cæterum nulla reapse ea occasione adfuit, aut rei conventi defensio, aut opinio Fiscalis Advocati, quia utraque ad futuram rei memoriam, non modo in publico Rev. Cameræ tabulario, ut de cæteris omnibus fieri solet, sed in privato etiam Barberiniæ Familiæ Archivio servaretur. Levissimum autem existimarunt Patres allatum testimonium ipsius Advocati Fisci, tunc temporis, modo vita functi, quo declarabat, suffragium suum de re controversa reapse protulisse. Non solum namque jura nostra minime patiuntur, ut unico testi, etiamsi præclaræ Curiæ honore præfulgeat, fides adhibeatur, sed animadvertendum præterea erat, in Hetruria Fiscali munere destitutum cum morari, quo tempore hæc deponebat, adeo ut minorem quoque fidem sibi vindicet prolatum illius Advocati Fisci testimonium. 3

Nullam tamen aut rei conventi defensionem, aut Fiscale suffragium, locum habuisse, antequam Decretum Cardinalis Pro-Camerarii prodiret, ex eo præcipue patet, quod ipse Cardinalis Pro-Camerarius pridie tantum episto- 4

lam Pacetto scripsit, in qua ei jussit = *che appena ricevuto il presente foglio si rechi nelle sue Camere al Quirinale senza la menoma dilazione, avendo cosa interessante a communicarle.* = Nemo siquidem non intelligit hoc loquendi modo, qui rei novitatem apprime demonstrat, usum certe in epistolio suo Cardinalem non fuisse, nisi re adhuc integra, et nisi futuram jussionem Pacettus penitus ignorasset. Si itaque damnum adeo ingens, et grave ex eo Decreto, Pontificia Auctoritate comprobato, passus fuit Pacettus, ut naturalis quoque defensionis beneficium ei præripuerit, non tam decet, quam necessarium est, Decretum illud e medio tollere, perinde ac si numquam extitisset, quia Rescripta contra jus elicita ab omnibus Judicibus refutari præcipiunt leges, quas affert superior Causæ Decis. § 7. Tanto autem magis infirmare Decretum ipsum oportebat, quo certius erat, eumdem Summum Pontificem recolendæ memoriæ qui Decretum, de quo agitur, auctoritate sua confirmavit, quæstiones omnes Sacro Nostro Ordini commisisse cum Clausula *de aperitione oris, et prout de jure* dirimendas. Hoc enim modo manifeste Pontifex ipse voluntatem suam declaravit, ut Decretum illud deleri penitus deberet, si justitiæ repugnare, et damnum alteri attulisse pateat, ut arguit eadem mea Decis. § 7.

5 Neque essent audiendi Venditoris Hæredes, si iterum ad potestatem, et auctoritatem Summi Pontificis confugerent, quæ sanare defectus omnes potuit, cum ipse sit supra legem, et jus. Maximum siquidem adest discrimen inter *ordinariam*, ac *extraordinariam*, seu *absolutam*, ut dicunt, Supremi Principis potestatem. Si enim ordinaria potestate, dum de rebus, ac bonis subditorum disponit, Princeps utatur, nunquam profecto præsumendum est juri scripto eum derogasse, cum Majestate Regnantium dignum maximopere sit alligatos se Legibus profiteri. Utitur quandoque Princeps potestate *extraordinaria*, seu *absoluta*, quæ etiam appellatur *plenitudo potestatis*, si eam forte requirat necessaria aliqua causa, et publicum civium bonum. Numquam tamen censendum est, hanc plenitudinem potestatis, adhibere Supremum Principem voluisse, nisi cum id palam, et expresse dixerit, quemadmodum propositam distinctionem adductis auctoritatum exemplis explicat præterita *Decis.* § 8. Quin imo, si aliquod dubium occurrat, potestate prorsus ordinaria, numquam vero absoluta Supremum Principem usum fuisse, ex constanti juris præsumptione existimatur.

In Decreto tamen Cardinalis Pro-Camerarii, a Pontifice probato, nunquam mentio fit hujusce plenitudinis potestatis, et iis omnibus clausulis Decretum ipsum caret, quæ suadeant potestatem absolutam Pontificem adhibuisse, et juri alteri quæsito derogasse. At si in Pontificiis Rescriptis, nec Clausula *sublata* nec Decretum *irritans* legatur, potestate ordinaria Pontificem processisse ex oraculo Sacri Ordinis optime probat præfata *Decis.* § 9. Quare si judiciorum ritui expressis verbis Summus Pontifex in Rescripto suo non derogavit, nec ullum addidit voculam, ex qua colligi possit ex plenitudine potestatis eum egisse, jam illud sequitur, haud approbasse Pontificem, ut tanta celeritate, et proculcato judiciorum ordine, in re tam seria procederetur, cum præcipue non soleant Supremi Principes, et Summi præ cæteris Pontifices, ex sanctione *Regulae XVIII.* Cancellariæ, juribus derogare, quæ alteri, aut per stipulationem, aut per alium quemcumque titulum quæsita fuerint. Consulatur præcedens *Decis. dict.* § 9. 6

Nihil autem efficiunt, tum præsumpta voluntas, et scientia Pontificis ea approbandi, quæ in Rescripto continentur, tum illa verba, quæ in ejusdem Rescripti calce reperiuntur = *qualunque cosa in contrario, non ostante* =. Nam declaratio, quam Summi Pontifices fecerunt de quibuscumque Rescriptis juri contrariis non attendendis = *etiam si Motu-Proprio, et ex certa scientia a Sanctitate Sua emanaverint* =, ut ait ipsa Cancellariæ *Regulae XVIII*; hoc efficit, ut nisi expressa derogatio 7

prædictæ regulæ de jure alteri quæsito non tollendo in Pontificio Rescripto occurrat, nihil generales clausulæ valeant, nihilque proficiant scientiæ, et voluntatis argumenta ad supplendam derogationis necessitatem, quæ clara, et expressa esse debet, veluti expendit præterita *Decis.* § 9. Quamobrem, si Decretum Cardinalis Pro-Camerari, ab Auctoritate Pontificia probatum, jura læsit Pacetto quæsita, et grave ei attulit detrimentum, satis hoc erat, ut oris aperitio concederetur. Accedunt nihilominus obreptionis, subreptionisque vitia, quæ magis nullum, atque irritum reddunt Cardinalis Pro-Camerarii Decretum a Pontifice confirmatum, Nihil siquidem ab hæredibus Barberiniis afferebatur, ex quo constaret, nota Pontifici *extrinseca*, atque *intrinseca* vitia fuisse, quibus Decretum inficitur.

8 At si novisset Princeps Sacratissimus *extrinseca* Decreti vitia, Barberinii scilicet querelas quoad nullitatem, ac læsionem contractus privatas tantum, et clandestinas fuisse, quin saltem Pacettus in jus vocaretur, et sese defendere posset: tum posthabitum fuisse judiciorum ordinem, ac Fori regulas præcipiti, ac præpropera jussione læsas, perfractasque mansisse: tum demum æconomicam, et simplicem Cardinalis Pro Camerarii jussionem Decreti nomen habuisse, veluti ac si discussa in contradictorio judicio quæstio fuisset, nemo dixerit approbare Decretum illud ipsum Pontificem voluisse, qui imo ex errore, et falsa causa ductus certe fuit, dum auctoritatem dedit Cardinalis Pro Camerarii jussioni. Addenda nunc sunt *intrinseca vitia* Decreti, quod irritum declaravit contractum illum, a quo omnis læsionis, et injustiæ labes penitus exulat, ut fusius ostendunt prima, et secunda Decisio *Romana Restitutionis in integrum quoad Decretum* 30 *Maii* 1804 *dierum* 21 *Aprilis superioris anni et* 25 *Junii hujusce anni coram me.* Scire fortasse poterat Pontifex Optimus Maximus, et si de tempore rei gestæ, nondum ad Pontificatum evectus Roma abesset, infelicem temporum conditionem, ex qua prætiosa quælibet monumenta vilissimo pretio vendebantur. Scire poterat etiam periculum, quod imminebat, ne monumenta ipsa nullo pretio soluto, diriperentur a Gallis, qui tunc Pontificiam Regionem occupabant. Scire poterat demum raritatem emptorum, pecuniæ inopiam, et discrimen, quod intercedebat inter auream, vel argenteam, ac papyraceam, cupreamque monetam.

Verum etiamsi hæc omnia reapse novisse Pontificem admitteretur, noscere nihilominus nequibat peculiares contractus pactiones, et circumstantias, de quibus nihil meminit Cardinalis Pro-Camerarii Decretum, ab Eo probatum. Non enim in eo Decreto mentio facta fuit de prætio a Pacetto soluto in argentea pecunia, quæ sexies excedebat papyraceæ monetæ æstimationem, tunc temporis in commercio vigentis. Nihil pariter dictum in eo Decreto fuit de egregiis instaurationibus, quas Pacettus ære proprio fecerat in Fauni simulacro sibi divendito, quæque valorem marmoris auxerunt. Alto silentio prætermissum rursus fuit pretii quantitatem a Pacetto numeratam ab ipso vendentis Barberini mandatario, et procuratore, harum rerum cæteroquin peritissimo, constitutam fuisse. Non denique expositum in Decreto fuit, tum multis Barberinii precibus, qui intributionem a Gallis indictam illico persolvere tenebatur, inductum Pacettum fuisse ad emendum: tum pecunia maxime indiguisse Barberinium, quo tempore initus fuit contractus, et satisfacienda erat intributio: tum demum neminem, præter Pacettum, emptioni venditioni operam dedisse, quamvis res palam, et publice in ampla Civitate, ac in copioso hominum commercio ageretur. Sicuti igitur, hisce omnibus perspectis facti circumstantiis, impossibile est, voluisse Pontificem approbare Cardinali Pro-Camerarii Aeconomicum Decretum; ita adversus Decretum ipsum ab eodem Pontifice probatum, qui circumstantias istas ignorabat, salva justitia, denegari nequit oris aperitio, ut statuit præcedens Decisio, quam in omnibus Patres Domini confirmarunt. 9

Atque ita etc. Altera etc.

ROMANA APERITIONIS ORIS

QUOAD REMJUDICATAM
R. P. D. FERRARI ANNI 1806

Lunae 5 *Julii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO CXLV. »

SUMMARIUM

1. *Praesumi nunquam potest, quod Pontifex juri ex legitimo controctu alteri quaesito praejudicium inferre voluerit.*

DECISIO CLXXVII.

Coofirmari hodie quoque promeruit alia mea die 25 Aprilis 1823. evulgata Decisio super Aperitioois Oris adversus Decretom Præsulis Ferrari, quod cæterorum marmorum a Pacetto coemptorum restitutionem indixit. Cum enim definienda Patribus assuetam Dubii formulam proposuissem = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* =, rejecta dilatione, quam defuncti Viri Principis Caroli Barberini bæredes absque causa postulabant, Responsum accepi = *In Decisis* =.

Nulla quidem peculiari sanctione hoc aliud Decretum S.M. Pontifex Pius VII. approbavit. Attamen Barberinii hæredes alia contendebant, hoc pariter Decretum, veluti consectarium alterius, quod pronunciavit Cardinalis Pro-Camerarius, et in pleoiorem demandatæ rescissionis contractus exequotionem editum, implicite probatum a Pontifice fuisse. Prætermissa autem hac quæstiooe, optime animadversom est, quod etiamsi maxime probatum a Summo illo Pootifice, Decretum ipsum ostenderetur, oon poterat Pacettis deoegari beneficium Aperitionis Oris. Pontificia siqnidem approbatio non solum obreptionis, subreptionisque vitio laboraret, sed in grave etiam alterius detrimentum rediret, ut probat coæva Decisio *super Aperitione Oris adversus Decretum diei* 30. *Maii* 1804. E converso autem præsumendum noo est, quod si Summus Pontifex perspectam habuisset justitiam contractus, et modum novisset, quo utrumque Decretum absque ulla defensione rei conventi prodierat, voluisset ea confirmare auctoritate sua, et ita juri ex legitimo contractu alteri quæsito præjudicium inferre.

Et ita etc. Altera tantum etc.

ROMANA ASSECURATIONIS

SUPER PRIMO DUBIO

Lunae 19 *Fanuarii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CXXI. -

SUMMARIUM

1. *Quisque fidejussoris, aut pignoris ope sibi cavere desiderat, de iis expressim pacisci tenetur.*
2. *Ex generali bonorum obligatione, hypothecariam cautionem non licet arguere, nisi expresse sit conventa.*
3. *Cautio vitiosa debitorem non liberat ab alia cautione idonea praestanda.*
   In cautione vero minus idonea, debitor adigi non debet ad novam dondam satisdationem - ibidem. -
4. *Conductor, qui in satisdationem exhibuit, generalem bonorum obligationem, obstringi non debet ad praestandam hypothecam specialem.*
5. *In quolibet dubio, pactio obscura nocet locatori.*
6. *Non est contra aequalitatem, ut locatio contrahatur, absque fidejussoribus, et pignoribus.*
7. *Ignorantia juris, praeter faeminas, et minores, neminem excusat.*
8. *Juris ignorantia nocet, dum agitur de lucro captando, non autem de damno vitondo.*
   De lucro captando agere videtur, qui certat de jure omisso sibi restituendo - ibidem. -
9. *Animalia nullam recipiunt hypothecam, et libere, traditione sequuta, transeunt in emptorem.*
10. *In bonae fidei Judiciis, antequam dies solutionis venerit, arbitrio Judicis remittitur, prospiciendi creditoris indemnitati.*

DECISIO CLXXVIII.

Impleta est hodie Lex, quam recens Praxeos disciplina servari jussit in iis controversiis, quæ in gradu restitutionis in integrum a Sententiis latis post hanc novam Praxim invectam, ac in devolutivo judicio, apud S. N. Ordinem novo subsunt examini, ut nempe, præviis duabus Decisionibus, ac Univessa Aula suffragium ferente, definiri debeant. Cum enim inauspicato omine Joseph Vitellius coram Judicibus Innocentianis, et Sacro Nostro etiam Tribunali, post semel distracta suffragia, pugnaverit, ut certa dies exhibendæ satisdationi præstitueretur Aloysio Gentili, qui, tum conductionem Ostiensis Latifundii ad annos *duodecim* ab ipso Vitellio susceperat, tum equinum, ac bovillum pecus, et agraria omnia instrumenta ibi existentia coemerat, habita fide de pretio, veluti narrat prima hujusce Causæ Decisio ad diem *decimam quartam* Mensis Junii 1822. a R. P. D. meo Tiberio publici juris facta, quam statim excepit Sententia Rotalis, provocatum deinde est ad Signaturæ Justitiæ Tribunal, a quo concessa appellatio fuit cum clausula = *De Causis sine præjudicio Rei judicatæ* =. Commissa hinc mihi Causa, ad diem 26. Februarii superioris anni proposui Dubii formulam = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* =, quam dirimendam Patres Domini duxerunt opportuno Responso = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* = ut videre est ex alia Decisione, quam ad dictam diem evulgavi. In hodiernis autem Comitiis, instaurato certamine, adeo solida, et justa visa sunt editæ Decisionis rationum momenta, ut confirmari omnino promeruerit ex alio Responso = *In Decisis.*

1 Approbanda profecto erat Resjudicata, de cujus validitate, et justitia ambigi nullo modo poterat. Non quidem de validitate, quia nulla de ea quæstio movebatur. Non rursus de justitia, quia denuo animadverterunt Patres, instructam a Vitellio actionem, neque ex aliquo *pacto*, neque ex *juris ministerio* oriri posse. Ad pactum quippe quod spectat, exploratum erat ex Locationis Syngrapha, propriæ indemnitati non aliter prospicere Vitellium voluisse, quam ex generali bonorum obligatione a Gentilio emissa, qui præterea sese a latifundio non deducturum animalia promisit. Cautum namque in Apocha legitur, ut = *per sicurezza di detto Capitale, oltre l'obligo generale di tutti i Beni, rimanga specialmente obligato il Procojo di tutte le sue Bufale in numero di mille trentacinque circa esistenti tanto in detta Tenuta, quanto in quella dell'Isola Sagra, promettendo di non amoverle, e di conservarle in detti Locali* = Neque ergo *idoneam* cautionem Gentilius spopondit, neque eam in contractum deduxit ipse Vitellius. Ut enim cautio idonea renunciari valeat, fidejussorem, aut pignus continere necessario debet. Quisquis e converso fidejussoris, aut pignoris ope sibi cavere desiderat, de iis expressim paciscí tenetur, quia alioquin cautionis nomine nuda tantum promissio venit, nisi de satisdatione generaliter, aut in specie de fidejussore fuerit conventum, veluti optime statuunt prima Decisio *coram R. P. D. Meo Tiberio* §. 4., et altera *coram Me* §. 3.

Utique ante novissimas hypothecarias Leges generalis Bonorum obligatio hypothecariæ cautioni æquipollebat. Post hanc vero novarum Legum providentiam, qua vigente locationis conductionis Apocham Contrahentes obsignarunt, diversus omnino est generalis bonorum obligationis effectus. Nam idonea *hypothecaria* cautio ex novis Legibus nunquam contracta, præsumitur, = *se nell'Istromento, in cui è creata l'obligazione, non sia individuato colla designazione della Contrada, e dei confini l'immobile attualmente appartenente al debitore, sul quale si constituisce* =, ut inquit Motus Proprius diei 6. Julii anni 1816. *de hypothecis art.* 15. Non licet itaque ex generalibus verbis, aut generali obligatione bonorum hypothecariam cautionem arguere, quæ cæteroquin = *dev'essere espressa, e non può nè indursi, nè estendersi per illazioni, e per argomenti* =, ut prosequitur eadem Lex *Art.* 10., quæ tandem *Art.* 37. quoad generales bo- 2

norum obligationes concludit = *che in virtù delle ipoteche generali comunque, ed in virtù di qualunque clausola convenuta nei Contratti stipolati anteriormente, e susseguentemente alla presente Legislazione, niuna iscrizione può aver luogo* =.

3 Inficiari hæc non poterant Vitellii defensores. Reponebant tamen, cautionem *inutilem*, *et vitiosam* dedisse Gentilium, dum generali tantum bonorum obligatione se devinxit, quæ in publicis hypothecarum codicibus inscribi nequit. Sed maximum intercedit discrimen inter cautionem *vitiosam*, et inutilem, atque aliam cautionem, quæ *minus idonea* sit, qualis nempe videbatur generalis bonorum obligatio. Tunc enim merito censetur cautio vitiosa, quoties alienam rem, vel sacram vel publicam quis obligaverit, aut eum exhibuerit fidejussorem, qui fidejubere nequeat, veluti sunt milites, mulieres, ac Filii familias, quorum in facultate est, ex Senatus consulto Vellejano, et Macedoniano a contractu obligatione liberari. Minus idonea autem cautio tunc dicitur, si is a debitore datus fuerit fidejussor, cui licet impermissum non sit fidejubere, suscepto nihilominus oneri ob egestatem, aut prolapsam quandoque fortunam satisfacere non potest. Minus idonea cautio tunc etiam existimatur, cum debitor ea bona devinxerit, quorum valor in tuto non ponit omnino creditoris conditionem. At quamvis vitiosa cautio debitorem non liberet ab alia cautione idonea præstanda, hoc tamen peculiare est in cautione minus idonea, ut debitorem eximat a nova satisdatione, postquam eam accepto Creditor habuerit, qui ideo imputare sibi debet, si hujusmodi cautionem minus idoneam admisit, ut firmat, allatis juribus, antecacta Mea *Decisio* §. 4.

4 Si itaque Vitellius generalem bonorum obligationem, quæ cautionem minus idoneam præsefert, ab ipso contractus initio probavit, non potest modo pænitentia ductus eamdem obligationem respuere, et conductorem cogere ad iterum satisdandum. Quod enim semel placuit, rationi congruum est, ut religiose observetur *Leg. Generaliter Cod. de non numerata pec.*, *Leg. Si plures* 19. *ff. de fid. Instrum.*, *Leg. Quod semel ff. de Reg. Juris.* Nec meliori omine Vitelli Defensores censuram implorabant. *Leg. Quoties*, *et Leg. De die ff. qui satisd. cogantur*, in quibus, et aliis juris locis cautum est, ut ad denuo satisdandum is cogi debeat, qui vitiosam obtulit cautionem. Casus namque illarum Legum de ea satisdatione loquuntur, quæ aut ex stipulatu, aut ex auctoritate, et officio Judicis præstanda sit. Contra vero Gentilius neque ex pacto, neque ex Judicis auctoritate ad satisdandum tenetur, cum generalem tantum bonorum obligationem exhibuerit, quæ in nudam promissionem convertitur. Neque ex eo autem, quod nudam promissionem, non veram satisdationem obtulit Conductor, ideo insimulandus videtur locationis conductionis contractus, quasi inæqualitatem, et injustitiam contineat. Non unum siquidem est cavendi genus, nec semper fidejussores, aut pignora requiruntur. Non raro, pro varia personarum, rerumque conditione, nudæ tantum promissionis cautio sufficit: quin immo antiquitus rerum immobilium possessores nunquam satisdare tenebantur, et *juratoria* tantum cautio exigi ab eis solebat, ut observat prior mea *Decisio* §. 7.

Non repugnat igitur æqualitati, aut justitiæ contractus, nullam cautionem idoneam emptorem, aut conductorem praebuisse, quia nulla Lex jubet, ut a conductore, et emptore satisdetur, nec aliqua Lex vetat, alterum in alterius fide, atque honestate conquiescere. Quocirca, si Vitellius de nuda promissione contentus, majorem securitatem ope Fidejussoris, aut pignoris a Gentilio non postulavit, non ei certo licet plus oneris huic imponere, quam ipse in contractu sponte susceperit. Exploratum enim in jure est, obligationes omnes ampliandas minime esse, et pactionem obscuram in quolibet dubio, non conductori, sed imo Locatori nocere, qui melius poterat voluntatem suam explicare, veluti tradit, ut utramque juris regulam expendendo, prima mea *Decis.* §. 7., *et* 8. Negari quidem non potest, ex Locationis conductionis Syngrapha non teneri Gentilium ad pretium 5

persolvendum divenditi gregis bubalini, nisi expleta locatione conductione, quae ad annos duodecim inita fuit. Sed interea indemnitati suae Vitellius prospexit ex ea non levis momenti pactione, qua Gentilius spopondit, se non amoturum a Latifundiis Animalia, ubi pabulantur. Non parum certe incommoda haec conventio Gentilio est, qui secus in alios agros pastioni magis aptos Armentum bubalinum traducere posset, illudque etiam integrum, vel ejus partem ad libitum distrahere, ut animadvertit saepedicta *Decis.* §. 5.

6 Nec objiciendum inutilem indemnitatem istam evadere, semelac conjungi cum hypothecae inscriptione nequeat. Redit enim semper responsum, legem nulla jubere, nec contra aequalitatem, et justitiam contractuum esse, ut absque fidejussoribus, et pignore, ac sine hypothecis in publicis tabulis inscribendis cum aliquo contrahatur. Redit rursus responsio, nullam legitimam hypothecam, quæ inscribi posset in codicibus publicis, aut promisisse Gentilium, aut voluisse in hoc negocio Vitellium, quoties generalis tantum bonorum obligatio in contractum deducta fuit, quæ jus inscribendæ hypothecæ Creditori non tribuit. Cæterum voluntatem, propositumque suum, nullam paciscendi cautionem idoneam, Vitellius ipse confirmavit, dum in jus rapuit Gentilium, ut ad publicas locationis conductionis contractus, qui in privata adhuc Syngrapha continebatur, exarandas Instrumenti tabulas cogeretur. Adeo siquidem ea occasione abfuit Vitellius ab ulla satisdatione fidejussoria, vel pignoratitia, atque ab ulla idonea cautione, vel hypotheca *speciali* petenda, ut pactiones illæ omnes, quæ legebantur in Apocha, de verbo, ut inquiunt, ad verbum relatæ in Instrumento fuerint. Nec deerat oppido ratio, cur Vitellius idoneam cautionem a Gentilio non peteret, qui dives agrariæ rei negociator, multum in pecore, ac urbanis rusticisque prædiis possidet, super quibus expeditissimam actionem experiri poterit Vitellius, si ille in implenda pactorum fide deficiat.

7 Alienissimæ vero a themate videbantur scholasticæ illæ omnes disputationes de errore, et ignorantia, in qua versatum Vitellium fuisse proponebant ejus Defensores, dum falso putavit, generalem bonorum obligationem jus ad hypothecam inscribendam tribuere. Non enim agebatur de ignorantia facti, cujus interpretatio, cum prudentissimos quandoque fallat, nemini propterea detrimentum affert. Res imo erat de juris ignorantia, quæ neminem, præter minores, ac fœminas, excusat, cum cæteri omnes juris dispositionem noscere debeant. Docti præterea, indoctique sciebant, ex generali bonorum obligatione jus ad hypothecæ inscriptionem haudquaquam oriri, ut disertis verbis demandavit Pontificia Lex Motus Proprii a S. M. Pio VII. Quintili mense anni 1816. evulgata, cujus ignorantia multominus in medium adduci valet, ad ea, quæ monet præterita mea *Decis.* §. 9. Sed mirum præterea erat, ignorantiæ causam a Vitelliu proponi, qui recenseri inter eos nequit, quibus propter sexus imbecillitatem, ætatem, rusticitatem juris ignorantia non nocet, sed qui diligens, et prudens in rebus suis, ac pluribus cæteroquin gravissimis negociis incumbens in hac alma Urbe versatur, ubi Jurisconsulti abundant, et Advocati, quos consulere pro rei opportunitate poterat, et revera consuluisse non inficiabatur. Quapropter eo deterior ignorantiæ proponitur exceptio, quo facilius erat Jurisconsultos, et Advocatos in consilium adhibere, ut pariter expendit citata *Decisio d.* §. 9.

At ex celebri Papiniani Theorica in *Leg. Error.* 8. *ff. de jur., et fact. ignoran.* 8
subdebant, qui Vitellii causam orabant, juris ignorantiam tunc demum nocere, dum agitur de lucro captando, non autem si de damno vitando res sit. Verum inane, atque irritum studium hoc quoque visum est. Nullum enim jacturam pertulit in re propria Vitellius quoties idoneam hypothecam a Gentilio non requisivit, de qua in potestate Contrabentium erat convenire, vel non convenire, quaque postbabita, non ideo amissum dici posset locationis conductionis emolumentum, ac divenditi gre-

gis pretium. Quoad tamen Papiniani Doctrinam animadvertendum occurrebat, juris ignorantiam prodesse quidem posse ad damnum vitandum, quod nondum obvenit, idest ad proprii juris conservationem, non vero ad id recuperandum, quod jam aliquis amiserit, cum alioquin de jure acquirendo cum quasi certare compertum sit, qui certat de jure amisso sibi restituendo, ut traditam distinctionem illustrans, monet tum prima Decisio coram *R. P. D. Meo Tiberio* §. 6., tum altera *coram Me* §. 10. Quamvis igitur aliquid damni in Vitellium ex inito contractu venisse probaretur, nullum tamen praesidium quaerere is valeret ex ea juris providentia, quoniam non agit de retinendo, quod babet, sed de recuperando, quod amisit, dum cautionem idoneam pacisci poterat, et e contra ex Contractu clarissime patebat, idoneam cautionem noluisse convenire. Nam in singulis contractibus liberum est, vel plus, vel minus sibi cavere: et quod ab initio constitutum est, necessario deinde debet observari, nec fas est a semel initis conventionibus ullo modo discedere.

9 Perperam denique conquerebatur Vitellius, alienam rem obligasse Gentilium, qui promisit sese non amoturum a Latifundiis Animalia, quæ coemit, habita fide de pretio, et reservato rursus venditori dominio. Etiamsi enim agatur de rebus Soli, hæc nihilominus reservatio dominii, non resolutionem contractus secumfert, sed specialem tantum hypothecam sine inscriptione Venditori non profuturam importat, ut monet superior Mea *Decis.* § 11. Verum non de rebus Soli, sed de re mobili agitur, nimirum de Animalibus, quæ nullam recipiunt ex novis Legibus hypothecam, et libere, traditione sequuta, transeunt in emptorem. Sed his omnibus, quæ gravissima sunt, accedit renunciatio reservationi dominii a Venditoris hæredibus emissa, qui præterea Gentilii possessionem hoc titulo se nunquam fore turbaturos spoponderunt. Quare non alienam rem, sed suam, et propriam, legitimoque titulo quæsitam Gentilius obligavit. Eum autem cogere ad satisdandum idem esset, ac novum inire contractum, et onus Conductori imponere, quod nec ipse suscepit, nec voluit Conductor; nec tandem exigit indoles et natura contractus

Quæ cum ita se habeant, si nullum 10
ex stipulatu jus habet Vitellius ad idoneam cautionem a Gentilio petendam, superest modo videndum, an hanc actionem exercere possit ex *ministerio juris*. Qua in re, licet in bonæ fidei judiciis, antequam dies solutionis advenerit, arbitrio Iudicis remissum sit, in dictis cautionibus prospiciendi, ne Creditor damnum aliquid ex mora patiatur; hoc tamen arbitrio uti Iudices nequeunt absque justa causa, et nisi periculum immineat, ne debitor interea vergat ad inopiam, quemadmodum ex auctoritate Doctorum edocet superior mea Decisio § 2. At bono animo esse Vitellium oportet, quia, procul ab ulla iniqua fortuna, florentissimum hactenus est Gentilii patrimonium, quod ex Aedibus, ex vineis, ex bovillo, ac bubalino grege ad *octuaginta* fere *millia* scutorum pervenit. Nonnullis quidem Gentilius hypothecis premitur. Verum hypothecæ istæ, aut existebant eodem tempore initæ cum Vitellio locationis conductionis, aut partim deletæ durante locatione conductione fuerunt. Quin imo contractum a Gentilio æs alienum, et fænebres acceptæ pecuniæ cum in augmentum cesserint bubalini armenti, magis tutam reddunt Vitellii conditionem. Nulla ergo adhuc usque actio ei erat ex juris ministerio petendi idoneam cautionem. Quod si in posterum forsan constet Gentilium labi fortunis, ita ut Vitellii Creditum in discrimen adductum reapse probetur, tunc rectius urgebit ipse in suo congruo judicio, ut ministerio juris a Gentilio sibi satisdetur. Si enim contractus, qui ab initio justi, et æquales erant, ex lapsu temporis inæquales fiant, et injusti, ad Judicis officium pertinet, contractus ipsos ad æqualitatem, et justitiam restituere.

Atque ita VV. OO. DD., et habita relatione ad præcedentes Decisiones, jus redditum est.

ROMANA ASSECURATIONIS

SUPER 2. DUBIO

Lunae 19 *Januarii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur – DECISIO CXXXIV –.

SUMMARIUM

1. Ubi eadem ratio militat, ibi ferre idem judicium oportet.

2. Etiamsi armentum pro securitate locatoris maneat obligatum, haec tamen obligatio, non aliam locatori tribuit actionem, quam illud persequendi, si conductor contractus fidem non impleat.

DECISIO CLXXIX.

Eamdem jugiter sortem, eumdemque judiciorum exitum passus est Joseph Vitelli in hac altera quæstione, quam adversus Aloysium Gentili, post primam editam Juridici A. C. Collegii Sententiam, ac post redactam in publicas tabulas locationis conductionis syngrapham, pariter excitavit. Quod enim definierunt separato judicio A.C. Triumviri, nullo prorsus jure Vitellium postulare, ut vel libera prædia, super quibus inscribi posset hypotheca, a Gentilio designarentur, vel Animalium capita ad eum spectantia describere eisque inurere stygma liceret, quod ipsius Vitellii nomen, ac dominium ostenderet; idem confirmarunt Patres Domini tum ex Decisione R. P. D. Mei Tiberii ad diem *decimam quartam* Junii Anni 1822. evulgata, quam statim subsequuta fuit Sententia Rotalis, tum ex altera Decisione, qnam in gradu devolutivæ provocationis, ad diem 26. Februarii superioris Anni, publicis juris feci. Nihil vero profecit Vitellius in hac secunda disputatione, quam ex beneficio novæ Praxeos instituit. Quærenti siquidem mihi, assueta Dubii formula » *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* responderunt illico Patres » *in decisis* »

1 Denuo namque visum est, eamdem actionem mutatis verbis a Vitellio proponi, quam in alia Causa proposuerat. Cum itaque ex recepto juris axiomato, ubi militat eadem ratio, ibi fere idem judicium oporteat, *ex Leg. Illud ff. de Leg. Aquil.*, *et Leg. A Titio* 108. *ff. de verb. obligat.*. quam sequitur *Rot. coram Riminaldo Decis.* 635. *numer* 2., *et Decis.* 69. *num.* 0. *coram Herzan*; propterea censuit Sacer Ordo petitam prædiurum designationem iisdem argumentis rejiciendam esse, quæ latius editæ super priori controversia Decisiones enucleant. Nec enim Gentilius promisit, nec ab eo postulavit Vitellius cautionem idoneam, qui cæteroquin, non alio modo sibi cavendum duxit, nisi ex generali illa bonorum obligatione, et ipsius præterea Gentilii sponsione de nón amovendis a Latifundio tum iis animalibus, quæ a Vitellio coemerat, quam aliis, quæ Gentilius possidebat, uti propria. Quod si generalis bonorum obligatio ex novis Legibus jus Vitellio non tribuit hypothecam publicis in tabulis inscribendi, non ideo plus oneris imponendum invito conductori est, quam quod ipse sponte in stipulatione susceperit. Contentus ergo sit oportet Vitellius ea generali obligatione, quæ inutilis omnino non est, et promissione rursus conductori non parum incommoda, retinendi Animalia intra Latifundii limites, ut consultum hoc modo sit indemnitati Locatoris.

2 Ex hac autem promissione Gentilii nullum jus oriebatur Vitellio ad stygma animalibus inurendum, quod hujus nomen præseferat. Etiamsi enim armentum pro securitate Locatoris maneat obligatum, hæc nihilominus obligatio non aliam locatori actionem tribuit, quam armentum ipsum persequendi, juris ordine servato, si non impleat conductor conventionum fidem. Sed nimis absona a ratione juris interea erat Vitellii petitio, ut animalibus non propriis, non locatis, non venditis, sed ad Gentilium unice pertinentibus apponeretur stygma istud, quod tessera proprietatis est, cum alio-

quin res sua nemini serviat, ut firmat prima mea Decisio §. 2. Cæterum multo minus cogendus Genilius videtur ad hanc ferendam in propriis animalibus alterius dominii notam, cum neque hujusmodi providentiam contractus indoles requirat, nec ullum in præsens immineat amotionis, aut jacturæ periculum, ut pariter expendit dicta Decisio, quæ hodie confirmatur.

Et ita decisum est VV. OO. DD.; et utraque parte jura sua deducente.

ROMANA ASSECURATIONIS

SUPER EXPENSIS QUOAD TAXATIONEM SUPER I. DUBIO

Veneris 3. *Decembris* 1824

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. Taxatio expensarum, non suspenditur ex recursu pro restitutione in integrum.

Taxa dici non potest excessiva, ubi ad tramites codicis judiciarii facta sit – ibidem. –

2. Non potest a taxa aliquid detrahi nisi excessus incusatio inveniatur.

DECISIO CLXXX.

Sententia Juridici Collegii A. C., data die 28. Julii 1821., definitum fuit nullum Josepho Vitellio jus competere ad cogendum Aloysium Gentilium ut, vel idoneum fidejussorem præstaret, vel libera exhiberet prædia, subiicienda inscriptioni hypothecæ pro assecuratione pretii armenti et instrumentorum existentium in Latifundio Ostiensi, huic ab ipso ad duodennium anno 1818 locato, quæ omnia, ad se spectantia, eidem ipse vendiderat, pretii solutione conventa in exitu locationis; eademque Sententia damnatus ipse fuit ad expensarum refectionem erga victorem. Nec res ei melius cessit coram S. N. Ordine; nam, etsi primum bujus judicium anceps hæserit, tamen in Comitiis diei 14 Junii 1822 ea juridici A. C. Conventus Sententia fuit confirmata consultissima Decisione *Romana Assecurationis Super I. Dubio* a R. P. D. meo Tiberi edita, quam subsequuta fuit Rotalis Sententia, ab eo signata, cum Vitellii condemnatione ad litis Sumptus in hac etiam instantia.

. Obtinuit deinceps Vitellius a Signaturæ Justitiæ Tribunali facultatem ad trutinam revocandi eam rem judicatam in devolutivo gradu restitutionis in integrum. Nil vero profecit; binæ namque ab Universa Aula, per me interrogata, prodiere Decisiones sub diebus 26 Februarii anni 1823 et 19 Januarii 1824, quæ illam Remjudicatam omninoi probarunt, Rotali accedente Sententia a me lata, quæ ad litis impensas in hac etiam *tertia* instantia victum damnavit. Interim vero, cum ex *Art.* 1140. Codicis Judicarii constitutum fuerit quod » *la tassazione delle spese, non rimarrà sospesa dalla domanda di restituzione in intiero* », Sumptus omnes *primæ* ac *secundæ* instantiæ nempe cor. Tribunali A. C., et in S. Rota, Ponente R. P. D. meo Tiberj, fuerunt ab hoc eximio Collega die 14. Septembris anni 1822 taxati in scutis 218 et obul. 75, quamvis juxta exhibita computa, summam conficerent scutorum 224 2. Postea vero, judicio prorsus absoluto, *tertiæ* instantiæ expensas ego taxavi in scutis 204. Provocante autem ab asserta taxatione excessiva Vitellio, utriusque taxæ examen Sacro Nostro Tribunali commissum fuit, dato mihi munere Patrum Sententiam, usque ad *sextum* exquirendi, quoad taxationem a R. P. D. meo Tiberj expletam, dum ad meam quod spectat, hæc Universæ Aulæ judicio a R. P. D. meo Muzzarelli subiicienda fuit. Quoad illam itaque taxationem proposui in bodiernis Comitiis Dubium – *An constet de excessiva taxatione expensarum, in casu etc.* – ac Vitellio silente, facile prodiit Responsum pro *Informante* Gentilio, sive » *Negative* ».

1 Omnes quippe Sententiæ in hæc causa latæ, tam in *prima* instantia apud A. C. Juridicos, quam in *secunda* ac *tertia* coram Sac. hoc Tribunali Vitellium ad sumptus litis Gentilio reficiendos damnarunt; rite ergo ad horum sumptuum taxationem deventum fuit. Illud tantum in discrimen revocari posset; an partitæ in *specie* in taxatione admissæ, cohærent legi ac normæ in Codice Judiciario præstitutæ. Verum, nisi evidentissime excessivitas taxæ evincatur, hæc semper justa præsumitur, ac talis est renuncianda, sicuti constantissime tenuit Rota præsertim in *Romana Dotis et Spillaticorum Super Excessivitate taxa* 16. *Januarii* 1818. *coram R. P. D. meo Tiberi* §. 2; *in Romana Liberationis a Molestiis super excessiva taxatione expensarum* 8 *Februarii* 1822 §. 3 *coram R. P. D. meo Martinez del Compo et in Romana Nullitatis Contractus super excessivitate taxæ* 11 *Aprilis* 1823 § 2 *cor. R. P. D. meo Bofondi*,

2 Cum itaque nihil Vitellius proferre valeat adversus prædictas partitas functionum, et expensarum relatas in computis spectantibus ad judicium actum apud Tribunal A. C. et in S. Rota, Ponente R. P. D. meo Tiberi, ac immo constet, nedum eas omnino convenire cum judiciali norma, ac recepta in foro consuetudine, sed etiam in earum taxatione non nihil ab eorum justa æstimatione fuisse ab eodem prælaudato Ponente ex æquitate detractum, quælibet reiiciatur ab hac taxatione oportet excessus incusatio.

Et ita, Patribus usque *ad sextum* suffragantibus definitum fuit, Unica etc,

ROMANA ASSECURATIONIS

SUPER EXPENSIS QUOAD TAXATIONEM SUPER 2. DUBIO

Veneris 3. *Decembris* 1824.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. Ubi non probatur excessivitas partitarum, et injusta earum æstimatio, frustra moderationem taxae postulatur.

DECISIO CLXXXI.

Frustra cum petiisset apud A. C. Juridicos Joseph Vitellius, ut Aloysius Gentili adigeretur ad idoneam præstandam cautionem pro assecuratione solutionis pretii armenti, ac instrumenti Latifundii Ostiensis, ei ad duodennium locati, quæ eidem vendiderat, nulla præsenti pecunia, sed illius pretii assequutione sibi depacta post locationis expletum tempus; alteram deinceps coram Eodem Tribunali instantiam protulit, idem fere postulans, nempe ut Gentilius prædia designaret, quibus super inscribi pro eo pretio posset hypotheca, ad formam Instrumenti, quod interim confici curaverat, juxta contractus apocham, quæ tantum initio fuerat exarata, ac insuper pecus exhiberet equinum, bovillum, et bubalinum, ut animantibus ipsius Vitellii stigma, ad ejus securitatem, inuri posset. Verum altera illorum Judicum Sen tentia diei 4. Decembris 1821, hanc etiam ejus petitionem rejecit, eumque ad litis impensas reficiendas Gentilio damnavit,

Venit postea et hæc Causa, Vitellio provocante, ad S. Nostrum Tribunal, atque proposita semper sub titulo: *Romana Assecurationis super II. Dubio* una cum altera *super I. Dubio* eumdem, ac illa, progressum ac exitum habuit, post binas Rotales Sententias, a R. P. D. meo Tiberj, quoad primam, a me, quoad alteram, signatas, quæ Vitellium ad refectionem sumptuum litis in *Secunda* etiam ac *tertia* instantia condemnarunt; atque hi fuerunt sumptus, pro *prima* instantia cor. A. C., et *secunda* in S. Rota taxari a prælaudato R. P. D. Tiberj in scut. 97. et ob. 92., quamvis computa assurgerent ad sc. 103. 17.½ et a me pro *tertia* instantia apud S. N. Tribunal in scutis 105. De utraque taxatione, ob Vitellii appellationem ex earum asserto excessu, judicium hodie

ferendum a Patribus fuit; me, uti quoad illas ad *I. Dubium* spectantes, Ipsorum Sententiam requirente de prima, ac de altera R. P. D. meo Muzzarelli; ac propositum per me Dubium « *An constet de excessiva taxatione expensarum, in casu etc.* ». Vitellio vadimonium deserente, statim dimissum fuit Responso ab informante Gentilio petito =*Negative*=.

1 Quæ ad paris Responsi in Causa *taxationis R. P. D. Tiberj super I. Dubio* justitiam demonstrandam, mea animadvertit in ea Causa contemporanea Decisio, huic etiam omnino conveniunt, cum eadem sit utriusque conditio. Deberet namque luculentissime ostendere Vitellius taxationem, ad quam jure deventum fuit ex latis Sententiis, excessu peccare quoad æstimationem partitarum, quæ in ea comprehenduntur; qua probatione deficiente, recte in omnibus eam taxationem fuisse confectam firmiter tenendum est, sicuti statuunt S. N. Tribunal Decisiones relatæ in prædicta mea contemporanea Decisione §. 5. At silet Vitellius; silentioque suo agnoscere videtur nulli prorsus fundamento inniti propositam de taxationis excessu querelam. Et reapse ulla haud reperitur in functionum, ac expensarum computis partita, quæ non fulciatur particulasibus Judiciarii Codicis sanctionibus, ac recepta in foro consuetudine. Nihilotamen minus aliquid ex earum justa æstimatione subduxit in iis taxandis ac moderandis R. P. D. meus Tiberj. Exulat ideo quicumque ab ejus taxatione excessus, et hæc est omnino probanda.

Et ita, *Quinti, et Sexti* suffragiis accedentibus resolutum fuit; Altera tantum etc.

ROMANA CENSUS

QUOAD SCUTA 541. 87½

Lunæ 5. *Aprilis* 1824.

ARGUMENTUM

Ea est indoles, ac natura transactionis, ut aliquid hinc inde datum, et remissum requirat. Proinde nulla est transactio, in qua vel nihil ex una parte remittitur, vel ubi transigitur de jure claro, vel super credita certo ac liquido. – Vid. DECIS. CXXXV, quae revocatur.

SUMMARIUM

1. *Solutiones in cedulis peractae post diem vigesimam Junii 1798, non valebant, nisi pro duodecima numeratae summae parte.*
2. *Quisque jure sibi reddi postulat, quod vel indebite fuerit per alterum acceptum, vel indebite sibi persolutum non fuerit.*
3. *Non stat transactio, in qua vel nihil remittitur, vel de jure claro agatur.*
4. *Natura eu est transactionis, ut aliquid utrinque datum, et remissum necessario requirat.*
5. *Dici non potest quod transegerit, qui creditum liquidum, ac certum persolvit.*
6. *Aequalitas deest in transactione, in qua unus totum accepit, alter omne remisit.*
7. *Satis non est ad transigendum recessus a lite, si de lite non agatur, quae dubietatem aliquam contineat.*
8. *Non potest transigi super jure claro.*
9. *Exceptio re-judicatae nocet, si idem corpus, eadem causa petendi, et eadem conditio personarum sit.*
10. *Judicium laesionis, est diversum a judicio supplementi praetii.*

DECISIO CXXXII.

Dum anno 1798 ædes quasdam, in nobiliori Urbis Via = *del Corso* = positas, a Thoma Remoli coemit Jacobus Originali, in pretii partem sibi suscepit annuum censum in capite argenteorum nummorum *quatuormille quingentum*, quo erga Alexandrum Fortunatum Conti ædes ipsæ gravabantur. Sed rem liberam possidere cupiens Originalius, cum creditore Contio convenit de redemptione census, quæ reapse publicis in tabulis inita fuit postridie Kalendas Julii ejusdem anni, ope tot cedularum, quarum non modo collapsa erat æstimatio, sed omnimoda abrogatio tunc temporis imminebat. Triduo enim post Census extinctionem Democratici Moderatores Legem tulerunt, qua constitutum fuit, cedulis e commercio sublatis, solutiones omnes extremis illis septem diebus, qui legem præiverant, in hujusmodi nummariis tesseris expletas, ita habendas esse, ut duodeni qui-

que nummi ad unum nominalis valoris tantummodo redigerentur. Queri itaque de inefficacia extinctionis census illico cæpit Contius, et pretii supplementum, quod ingentem summam argenteorum nummorum *quatuor mille centum viginti quinque* attingebat, ab Originalio postulavit. Tergiversanti tamen homini oportuit diem dicere apud Tribunal = *del Dipartimento del Tevere*, = a quo facili negocio Contius obtinuit, ut optio daretur Originalio, aut reliquum pretium solvendi, aut pro ejus quantitate Censuale nomen in pristinum restituendi, sub iisdem pactis, et usuris, ad trientem mensuram in priori stipulatione depactis.

Quamvis autem ab hac Sententia provocasset Originalius ad aliud Tribunal, quod tunc audiebat = *del Dipartimento del Cimino*, = excitatam nihilominus quæstionem hoc modo composuit, ut ex majori summa, quæ supplementi ejusque fructuum nomine petebatur, scuta tantum *tria millia septingenta* in tot nummis argenteis Contio numeraverit, non vero in hac argenteorum nummorum quantitate, sed solutis dumtaxat scutis probæ monetæ 507. quæ ad rationem scutorum *septem*. et obulorum 30. pro quolibet argenteo scuto, illi respondere summæ dictum fuit; juxta valorem tributum tesseris vulgo *assegnati*, quæ tunc, cædulis abrogatis, in commercio erant. At majorem fuisse contendens contractus tempore, eorum tesserarum æstimationem ita ut non scuta septem, et ob. 30. sed scuta sex circiter illius papyraceæ monetæ responderent uni argenteo scuto, judicium hac de re Contius instituit coram defuncto Præsule Valle, qui jus in Subselliis A. C. precario dicebat, et ad novum pretii supplementum Originalium damnandum esse proposuit. Rejectus inimico decreto, quod Reijudicatæ vires, provocatione non interposita, nactum fuit, ex beneficio S. M. Pii VII. tandem impetravit, ut omnis quæstio vel enormis vel enormissimæ læsionis ex pecuniæ qualitate deductæ a S. N. Ord., præviis duabus decisionibus, ac universa Aula ad suffragium ferendum accita, cognosceretur. Hinc duæ concinnatæ fuere dubiorum formulæ, quarum prima de objecta læsione quærebat: in altera autem de restitutione in integrum adversus Remjudicatam Præsulis Valle disputabatur. Attamen in utraque controversia vicit Originalius, veluti ostendunt binae Decisiones coram bo. me. Piccolomini in Comitiis diei 5 Maii anni 1809 editae, ac recenter duabus aliis Decisionibus coram R. P. D. Gamberini, jam nostro Collega, confirmatae, quas subsequutae demum fuerunt sententiae rotales.

Cum vero vidisset Catharina Malvisia, interim defuncti, Alexandri Conti vidua, perperam laesionis querelam a viro suo fuisse propositam, et sumptibus litis praeterea se imparem agnosceret, in patrocinium sese recepit Piae Congregationis Sancti Hieronymi Urbis, ut reliquam constituti ex lege supplementi partem una cum fructibus in summa scutorum 541 87 $\frac{1}{2}$ a Salvatore Originali filio, et haerede Jacobi, fervente lite vita functi, assequeretur, quam temere remissam, et a vera ipsius supplementi quantitate scutorum 4125, absque ulla causa in stipulatione diei 19 Martii 1799 deductam, sibi retinuit Originalius. Rei cognitione, ob continentiam cum cæteris quæstionibus, ex Decreto Signaturæ Justitiæ Auditoris, ac ex Originalii consensu ad sacrum nostrum Ordinem delata, *tamquam in prima*, disputatum fuit Dubium « *An sit locus solutioni scutorum* 541 87 $\frac{1}{2}$ *eorumque fructuum ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* » cui Patres Domini, inducias tantum petente Malvisia, responderunt « *pro informante* » scilicet « *Negative* », veluti videre est ex Decisione, quam ad diem 6 Decembris anni 1822 publici juris fecit R. P. D. Gamberinus, et deinde die nona maii Superius anni, vadimonium eadem Malvisia deserente, probavit alia Decisio a me, prædicto R. P. D. Gamberini, nunc a Secretis Sacræ congregationis Concilii, suffecto, evulgata. Sed adeo profuit eidem Malvisiæ implorata a Sacro Ordine, ac obtenta Novæ Audientiæ venia, ut iterum propositæ Dubii

formulæ « *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* » jura sua ipsa deducente, Responsum *pro recessu a decisis* hodie datum fuerit.

1 Licet enim nullam cum Malvisia directam obligationem contraxerit Originalius, certum nihilominus est ex juribus defuncti viri sui Alexandri Conti, et filiarum nomine recte eamdem Malvisiam petere summam scutorum 541 87 ½, quæ eam ratam portionem censualis nominis constituunt, quam debitor Originalius in stipulatione diei 19 Martii 1799 creditori Contio minus justo persolvit ex causa supplementi, quod democratica lex diei 17 mesiferi, seu 5 Julii anni 1798 indixit, dum jussit solutiones in cedulis peractas post diem vigesimam nonam Junii illius anni valere non posse, nisi pro duodecima dumtaxat numeratæ summæ parte Cum itaque Orignalius debitor esset integrorum scutorum *quatuormille quingentum*, eaque repræsentaverit in tot reprobis cedulis postridie kalendas julii ejusdem anni; jam illud sequitur, ut ad legis tramites hæc solutio, ad duodecimam partem imminuta, levissimam summam exhibeat scutorum *tercentum septuaginta quinque*. Integra igitur scuta 4125, quæ reliquas exhibent undecimas partes, solvenda procul dubio ab Originalio erant ex apertissima legis litera, quam, tum democratica Tribunalia, tum etiam Sacer Noster Ordo sartam, tectamque servarunt. *Rot. in Romana Emptionis Venditionis super supplemento* 26 *Junii* 1801 § 2 *cor. Resta, in Romana supplementi* 5 *Julii* 1802 § 4 *cor. Eminentissimo Cesarei, in Romana Reductionis* 4 *Julii* 1805 § 4 *cor. bo. me. Tassoni, et in Fulginaten. seu Feretrana Pecuniaria* 18 *Junii* 1821 § 4 *coram Rmo P. D. meo Isoard Decano, et in Confirmatoria* 4 *Februarii* 1822 § 2 *cor. Eodem.*

2 At ex illis undecim partibus, sive ex integris illis scutis *quatuormille centum viginti quinque*, quæ in causam supplementi solvenda supererant, non aliud Originalius numeravit, nisi scuta *termille sexcentum*. Defecerunt ergo solutioni capitis census integra scuta *quingentum viginti quinque*, quæ indebite, et absque ullo prorsus titulo lucratus fuit Originalius. Huic vero summæ addenda est alia scutorum 16 87 ½, quæ pariter Originalius sine ulla causa sibi retinuit. Cum enim ad diem solutionis supplementi, quæ fuit dies *decima nona* martii anni 1799, alia scuta 116 87½ in fructuum causam deberet Originalius, non plus tamen persolvit, quam scuta *centum*, et reliqua usurarum quantitate legitimum creditorem fraudavit. Quamobrem planum est, insimul collectis hisce summis, indebite, et procul ab ulla justa causa integra scuta 541 87 ½ Originalium sibi retinuisse, quæ ab ejus Filio, et hærede modo repetit Malvisia, cum juri, et justitiæ repugnet, cum aliena jactura aliquem locupletari, et recte quis id sibi reddi postulet, quod vel indebite fuerit per alterum acceptum, vel indebite sibi persolutum non fuerit, veluti quoad primam thesim, post *Textum in Leg. Emptor ff de rei vindicat.* firmat *Rota cor. Riminaldo dec.* 350 *num.* 16 *et decis.* 203 *num.* 18 *cor. Tanara, et quoad alteram Card. de Luca de credit. disc.* 34 *num.* 6. *Rota coram Olivatio decis.* 110 *num.* 1, *cor. Falconerio decis.* 14 *num.* 3. *tit. de solut., et in Romana seu Firmana nullitatis obligationis* 26 *Junii* 1821 § 3 *cor. R. P. D. meo Tiberi.*

Revera nulla ratio urgebat, cur Contius eam summam remitteret, quam ei disertis verbis lex ipsa tribuebat. At qui ab Originali partibus erant, transactionem opponebant, quam intercessisse inquiebant inter Comitium, et Originalium illa die *decima nona* martii anni 1799, qua Contius, peculiari subscripta syngrapha, fassus fuit se recepisse = *dal cittadino Originali la somma di scudi* 3700 *in tanti assegnati, quali sono cioè scudi* 3600 *in estinzione così concordata della sorte principale del censo una volta contratto in maggior somma a mio favore, e scudi cento in saldo parimenti di accordo de'frutti di detto censo a tutto il giorno di oggi, in cui resta estinto, ed annullato intieramente il divisato censo, intendendo di aver quietato il detto cittadino Originali per la divisata somma colla* 3

condonazione delle spese =. Quidquid tamen sit, num ex simplici syngrapha, quæ acceptilationem certæ summæ præsefert, propria, et vera transactio celebrata dici valeat, hoc unum animadvertebant Patres Domini, eam transactionem consistere nullo modo posse, in qua alter ex transigentibus nihil omnino remisit: in qua actum præterea fuit de jure claro; in qua demum justa quælibet causa transigendi desideratur.

4 Nihil porro in objecta transactione remisit Originalius. Persolvere namque tenebatur integra scuta 4125 in causam capitis census, et alia scuta 116 87 ½ in causam fructuum. Atqui pro duplici isto nomine pensitavit Originalius minorem admodum summam scutorum *termillium septingentorum*, eamque pecuniam repræsentavit in solis argenteis nummis *quingentum septem*, æstimatis nimirum tesseris «*Assegnati*» ad rationem scutorum *septem*, et obulorum *triginta* pro quolibet argenteo nummo. Consistere ergo nequit leonina hujusmodi transactio, in qua alter tantum ex contrahentibus plurimum de suo jure detraxit, alter vero nihil penitus amisit, sed maximum lucrum imo percepit; cum e contra ea sit indoles, et natura transactionis, ut aliquid utrinque datum, et remissum necessario requirat *Leg. Transactio* 38 *Cod. de Transact. Voet. in Pandect. lib.* 2 *tit.* 15 § 1 *Urceol de Transact. quæst.* 2 *num.* 21, *Rota in Albanen. Transactionis* 5 *Decembris* 1771 §. 6 *cor. Herzan, in Romana Transactionis* 12 *Martii* 1817 § 4 *coram Emo Serlupi, et in Lucana Pecuniaria* 30 *Aprilis* 1819 § 18 *coram Eodem*. Nec erat excusanda, aut pallianda transactionis iniquitas sub fuco recessus a lite, quæ super supplemento fervebat, et expletæ ab Originalio solutionis, quam impune negare potuisset, restituto censuali nomine pro reliquo supplementi pretio.

5 Ut enim primum sit sermo de hac prætensa Originali liberalitate, qui loco in pristinum restituendi censum, illico, unoque actu pecuniam numeravit, opportune animadvertendum occurrebat, nunquam a Contio impugnatam fuisse census redintegrationem, et nunquam eum postulasse, ut uno, atque unico actu supplementi pretium præsenti pecunia sibi solveretur. Quin imo ipsemet Contius pro deficiente summa scutorum *quatuormille centum viginti quinque* pristinam census restitutionem proposuerat. Ipsa rursus sententia Tribunalis = *del Dipartimento del Tevere* = optionem dedit Originalio, aut reliquum supplementi pretium solvendi, aut pro ejus summa censuale nomen in pristinum restituendi, dum edixit = *esser luogo a favore del Conti al supplemento, ovvero alla continuazione del Censo per la somma da supplirsi a forma del primo istromento d'imposizione del censo stesso ad elezione dell'Originali* =; propterea que terminum quinque dierum eidem Originalio præstituit ad referendam apud acta declarationem. At molesta nequaquam erat Contio pristina census restitutio, dum hoc modo optimum, ac non leve nomen cum annuis interusuriis scutorum *septem* in singula *centena* in familia sua servabat. Hinc dici nequit, transactum hac de re fuisse, et parte ex una pristinæ census restitutioni nuncium misisse Originalium, ac parte ex altera Contium amisisse quantitatem scutorum 541 87½ quæ ei competebat.

Quantum enim Contius optabat pristinam census restitutionem, tantum eam ægre ferebat Originalius, qui cupiens pusillo incommodo, et vilissimis nummariis schedis, veluti fecerat anno præcedenti, censuale nomen dimittere, ideo fasces haud submisit latæ a Tribunali Tyberis Sententiæ, sed imo ab ea provocavit. Adeo vero abest pactionem illam suppetendi reliquam summam, potiusquam in pristinum restituendi censum, onerosam Originalio fuisse, et Contio utilem, ut evidens e converso sit, ex ea ipsa pactione novam jacturam, novumque damnum in Contium venisse, qui scuta 541 87 ½ minus justo recepit, quique præterea, loco optimi nominis scutorum 4125, quod integrum servasset, in pristinum restituto censu, sola scuta *septem* supra *quingentum* accepto habere coactus fuit. Redit ergo quamlibet æqualitatis um- 6

bram, et speciem in ea transactione defuisse, in qua omnia remisit, et nihil Contius accepit, qui sic transigens non transegisse, sed perdidisse et donasse rem suam absque dubio videtur.

7 Deterior autem erat exceptio recessus a lite, ex quo transactionis æqualitatem probare conabantur Originalii defensores. In Judicio siquidem, quod agebatur coram democraticis Judicibus, nulla contentio erat, an reviviscere nec ne deberet censuale nomen, sed in hoc uno controversia versabatur, an scilicet solutio ab Originalio in cedulis facta postridie kalendas Julii anni 1798. ad duodecimam tantum partem cohibenda esset. At non ex eo, quod huic institutæ liti, et provocationi interpositæ nuncium mittebat Originalius, ideo ei licebat egregiam vim scutorum 541. 87. ½ impune lucrari. Quod enim communiter dicitur, satis esse ad substinendas Transactiones recessum a lite, imo etiam ipsius litis nondum contestatæ timorem, ita demum interpretandum est, ut valeat in lite justa, probabili, honesta, quæ dubietatem aliquam contineat, non ea lite, quæ vix litis nomen meretur, et contra legem expressam, potius cavillandi animo, quam veræ defensionis ergo, fuit instituta. At hujusmodi lis erat, quæ coram democraticis Judicibus fervebat, num scilicet solutio cedularum ab Originalio facta ad duodecimam usque partem imminutionem ferre deberet. Lex enim, quæ triduo post initam solutionem prodiit, idipsum impense sanciverat, nullamque ambiguitatem recipiebat, nisi illud dici velit a sensu communi, jurisque ratione maxime devium, non juste postulari, quod Lex ipsa concedit, suisque fere porrigit manibus.

8 Quod si lex, quæ fraudato creditori succurrebat, tanta non solum justitia, sed perspicuitate quoque pollebat, ut absurdum omnino fuisset in discrimen eam revocare, nemo non intelligit, transactionem deinde celebratam qualibet ratione, et causa carere, et viribus suis consistere nullo modo posse. Nedum enim ruit, quia absque ulla æqualitate, et compendio scuta illa 541. 87. ½ Contius amisit, sed quia etiam super jure claro, et sine ulla prorsus justa causa transactum fuit. *Leg. Præses* 12. *Cod. de Transact. leg. Qui transigit ff. de condict. indeb. Valeron. de Transact. tit.* 6. *quæst.* 1. *numer.* 1. *Rot. in Recent. decis.* 280. *numer.* 17. *et* 18. *part.* 14. *coram Bichio decis.* 263. *num.* 4. *coram Anzaldo decis.* 36. *num.* 8. *in Furginaten. Legati* 27 *Junii* 1806. §. 4. *coram clar memor. Card. Guardoqui*; *in Lucana Pecuniaria* 30. *Aprilis* 1819. §. 9. *coram Eminentissimo Serlupi, et in Fulginaten. seu Feretrana Pecuniaria* 18. *Julii* 1821. §. 3. *cor. Reverendissimo P. D. Meo Isoard. Decano.* Nec erat cur objiceretur, vel nunquam de hac jactura scutorum 541. 87. ½ quousque vixit, Contium conquestum fuisse, vel institutæ a Malvisia actioni maxime nocere duplicem remjudicatam S. Nostri Ordinis, quæ læsionis quærelam explosit, et aliam remjudicatam Præsulis Valle super novo pretii supplemento ob minorem schedarum valorem confirmavit.

Nam, ad silentium a Contio servatum quod pertinet, verum utique est 9
separatam hac de re actionem Contium nunquam instituisse, quippe qui non poterat, dum majoris summae supplementum, et plenam imo totius negocii nullitatem et lesionem enormissimam proposuerat, minoris summæ repetitionem contextim urgere. At non ideo ipsi Contio, vel ejus hæredibus erat hanc peculiarem actionem instruendi postquam præcipue de læsione enormissima inutiliter egissent. Objectio itaque a Contii silentio deproptam, qui totum negocium cum Originalio gestum graviter exprobavit, adeo inepta est, quam ineptum esset dicere, voluisse et probavisse partem, qui totum impugnavit. Ex hoc ipso autem, quod de hac summa scutorum 541. 87. ½ nullam unquam peculiarem actionem Contius instituit, plane sequitur, obstaculo non esse Sacri Nostri Ordinis Res judicatas, quominus de eadem summa scutorum 541. 87. ½ hodie quæratur. Cum enim quæritur = *an hæc exceptio* (Rei judicatæ) *noceat nec ne, inspiciendum, an idem cor-*

pus sit, quantitas eadem idemque jus, et an eadem causa petendi, et eadem conditio personarum, quæ nisi omnia concurrant, alia res res est= ut inquit *Textus in leg.* 12. 13. *et* 14. *ff. de except. Rei judicatæ*, quem aequitur *Rot. dec.* 355. *num.* 17. *cor. Olivatio.*

10 At, quamvis in hodierno judicio Malvisia ex juribus defuncti viri, et filiorum nomine agat adversus filium, et hæredem Originalii, ideoque eadem personarum conditio concurrat; non de eadem nihilominus re agitur, neque eadem est causa petendi. In primo namque ex iis judiciis, super quibus Rotales Res judicatæ prodierunt, de enormissima læsione contractus, agebatur ex monetæ qualitate deducta: in altero autem res erat de supplemento valoris monetæ argenteæ, quæ ratione tesserarum = *Assegnati* = æstimata fuerat scutis *septem*, et obolis *triginta* pro quolibet scuto, licet in commercio vix scutis *sex* æstimaretur. Cæterum in præsenti judicio illud tantum pretii supplementum in scutis 541 87½ Malvisia urget, quod in stipulatione diei *decimæ nonæ* Martii anni 1799 sine causa remissum sibi retinuit Originalius, Postquam tamen ultro siverat Originalii filius, atque hæres, ut hæc quoque quæstio a S. N. Ordine cognosceretur, vetitum ei erat exceptionem Rei judicatæ proponere, quæ cæteroquin ex demonstratis nihil commune habet cum hodierna controversia.

Et ita Universa Aula suffragante jus redditum est Utraque etc.

ROMANA DIVISIONIS

Veneris 6. Februarii 1824.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Ubi eadem est conditio haeredum, divisio fieri debet aequis partibus.*
2. *Nemo invitus in communione manere debet.*
   In divisione, portionibus peractis, sorti est amandanda assignatio - ibidem. -
3. *Qui amplius non subest aeconomo, jus habet sua bona libere administrandi.*

DECISIO CLXXXIII.

Longe licet ab Urbe absens Joannes Maria Maggius quæstionibus de successione, de Prælegato, deque usufructu, quas habent præcedentes Decisiones *Romana Successionis*, ac *Romana Prælegati*, a me vulgatæ die 4 hujus mensis, nec non huic contemporanea *Romana Ususfructus*, duas superaddi controversias curavit, alteram nempe de divisione hæreditatum, de qua in præsenti res est, alteram de redditione rationum. Quoad divisionem itaque Patres sciscitari oportuit = *An, et quomodo sit locus divisioni, assignationi, et consignationi portionum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.*, qui, absente adhuc Joanne Maria, responsum dederunt pro Informantibus Josepho, Agatha, et Maria, nempe = *Affirmative in omnibus juxta modum in Decisione exprimendum, et esse relaxandum mandatum* =.

Successionem pertinere tum ad Josephum Maggium communem parentem, tum ad ejus filias Mariam, et Agatham Maggios in majorum suorum, et fratrum, sive testatis, sive intestatis hæreditatibus firmat nuper allegata decisio *Romana Successionis* diei 4 hujusce mensis. In ea siquidem datur Josepho successio in hæreditate ejus filiorum, qui præobierant, Laurentii scilicet, et Caroli: symbolæ quoque tribuuntur Sororibus Mariæ, et Agathæ super hæreditatibus tum Avi, et Aviæ Joannis Caroli Tritonii, et Antoniæ Cerrutæ, tum Thercsiæ Maggiæ earum Matris, tum demum earum fratris Laurentii: Item alia ejusdem diei pariter allegata decisio, cui titulus *Romana Prælegati* divisionem exhibet legati supellectilis, ac prælegati scutorum *trium millium*, quod Joannes Carolus Tritonius favore Theresiæ ejus filiæ scripserat in Codicillo, quodque, cum, elata Theresia, ad omnes ejus filios æquo jure migrasset, et eorum duo postea obiissent, æqua lance, pro variis attamen Legum dispositionibus, dividi debuit inter ipsas 1

Sorores Maggias, earumque fratrem Joannem Mariam, ipsumque patrem istorum Josephum, ex juribus filiorum defunctorum Laurentii, et Caroli. Tertia demum, et hnic contemporanea Decisio *Romana usufructus* Josepbo jus tribuit utendi fruendi hæreditatibus ejus filiis obventis iis exceptis, quæ, aut ea lege relictæ fuere, ne patri ususfructus quæreretur, aut patri cum filiis dividendæ fuerunt.

2 Porro indivisæ bæc patrimonia manere debere, bæredibus reluctantibus, nullo jure statutum erat; quin imo neminem invitum in communione persistere cogi debet *Text. in leg. in rei communis ff. de servit. rust. præd. leg.* 1, *et leg. fin. Cod. Com. dividund.*, *et Rot. in decis.* 232 *num.* 1 *coram Lancetta.* Hinc Patribus affirmativa placuit Sententia ineundæ divisionis, eo tamen modo, ac mensura, qua cuique cohæredum successionem in unaquaque hæreditate, atque in prælegato tribuerunt præcedentes Decisiones *Romana Successionis*, et *Romana Prælegati.* Divisionem autem tanquam consectarium sequebatur assignatio, quam portionibus eo modo peractis, sorti amandandam censuerunt ex consuetudine, quam post Sacros Canones ad controversias quascumque vitandas probat jus Civile *in leg.* 2 *Cod. quando, et quib. quart. pars debet. lib.* 10 *et leg. si duobus Cod. Com. de legat.*, atque etiam *Rota in decis.* 383 *num.* 1 *coram Riminaldo.* Qua tamen in assignatione, et traditione perficienda præ oculis habendum erit quidquid statuit contemporanea Decisio *Romana usufructus* favore Josephi patris; ita ut quæ sunt portiones prælegati, et haereditatum, quibus is uti frui debeat, ipsi, et non filiis sint hae omnino tradendae. Duplici siquidem jure eam traditionem sibi ipse vindicabat, tum scilicet tanquam legitimus bonorum ad filios pertinentium administrator *Leg. Cum oportet Cod. de bon. quae lib.*, tum quoque, utpote bonorum eorumdem usufructuarius, quod jus omnimodam secumferre gestionem testatur *Rota in decis.* 388 *num.* 4 *part.* 11 *Recen.*

Quin forte in posterum objiciat Joannes Maria permittendum non esse Josepho patri liberam bonorum administrationem, quia aeconomo subest, eidem a Supremo Principe assignato, uti narrat mea prima decisio *Romana Successionis diei* 4 mox caepti mensis; nam satis constat eumdem Supremum Principem aliud postea edidisse Rescriptum quo = *attentis expositis, acceptisque relatione, et voto R. P. D. Cioja Administratoris Patrimonii Josephi Maggi, ejusque filiorum benigne annuit oratoris* (Josephi) *reintegrationi ad sunrum jurium exercitium, suorumque bonorum administrationem, quoad jura tamen, ac bona super paterna haereditate, ac super patrimonio familiae Maggi dumtaxat competentia* =. Jam itaque aeconomo baud amplius subest Josephus, suasque bona administrare valet; et evannit quoque postrema hacc Rescripti limitatio quoad bona Joannis Caroli Tritonii, et Antoniae Cerrutae, postquam ea per successionem, ac divisionem in patrimonia nepotum migrarunt, seu filiorum Josephi, qui idcirco iis utendi fruendi, eaque libere administrandi, tamquam pater, jus habet. 3

Atque ita cum omnium Patrum Suffragiis etc. Altera tantum etc.

ROMANA DIVISIONIS

Lunae 14 *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmetur « DECISIO CLXXXII. »

SUMMARIUM

1. *Nemo in communione invitus manere debet.*
2. *Post expletam divisionem, assignatio perficitur sortitionis ope.*

DECISIO CLXXXIV.

Cum in præteritis Comitiis diei 11. currentis junii, ac in hodiernis actum fuerit de consuccessione in hereditates Tritonias, et Maggias, de pertinentia

prælegati Theresiæ Maggiæ a patre relieti, ac de usufructu spectante ad Josephum super quotis illarum hereditatum, et prælegati ejus filiis delatis, et super lucro in dote ejus defunctæ uxoris, ac fuerint a Patribus confirmatæ priores de his omnibus a me editæ Decisiones, aliam hodie eorum examini subieci quoad prædictarum hereditatum divisionem, quæ a me fuit vulgata die 6. februarii hujus anni. Dubium tunc propositum = *An, et quomodo sit locus divisioni, assignationi, et consignationi portionum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = contumace Johanne Maria Maggio, resolutum fuit pro *informantibus* Josepho, Agatha, et Maria, responso nempe *Affirmative in omnibus juxta modum in decisione exprimendum* = Cum vero quæsiverim = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* » nil profuit Joanni Mariæ sua jura adversus eam decisionem proponere, quia Patres *in decisis* perstitere sub eodem modo, quem habet mea contemporanea Decisio *Romana usufructus.*

1 Binæ jam firmarunt meæ Decisiones in *Romana Successionis* dierum 6. Februarii, et 11. Junii hujusce anni, consuccessionem deberi Agatæ, et Mariæ cum fratre Joanne Maria in hereditatibus Joannis Caroli Tritonii, et Antoniæ Cerruti, et Theresiæ Maggi, ac Josephum ad consuccessionem pro *quadrante* admittendum fuisse in hereditate Laurentii filii, diviso reliquo *dodrante* inter alios ejus filios, et hereditatem Caroli alterius filii dividendam fuisse inter ipsum, et Joannem Mariam; symbolæquo in his decisionibus fuere constitutæ, quæ ad singulos pertinent coheredes. Binæ etiam earumdem dierum decisiones a me vulgatæ statuerunt prælegatum etiam scutorum *trium millium*, ac supellectilis partem efficere hereditatis Theresiæ, ac esse inter coheredes ipsius dividendum ea ratione, qua hereditas fuit divisa. Aliæ demum geminæ decisiones, quas edidi die 6. Februarii, et die hodierna, usumfructum, et administrationem Josepho tribuerunt juxta legum præscripta, super iis prædictarum hereditatum portionibus, quæ ejus filiis obvenerunt, et quibus super ei competere poterant. Divisio itaque cum a coheredibus petatur prædictarum quotarum, hæc ipsis denegari nequit, cum nemo in communione invitus manere cogatur, *ad Text. in leg. in rei communis ff. de serv.tut. rusticor. prædior. leg. 1. et leg. final. Cod. communi dividundo, et Rot. dec.* 282. *n.* 1. *cor. Lancetta.*

Divisionis vero consectarium debet 2
esse illarum quotarum unicuique coheredi assignatio, et consignatio, quæ post expletam divisionem perficienda erit eo modo, quo via quæstionibus præcludatur, nempe sortitionis ope ad monita per *Text. in leg.* 2. *Cod. quando, et quibus quart. pars debeatur, et leg, duobus Cod. Com. de legatis, ac Rot. præsertim in dec.* 383. *n.* 1. *cor. Riminaldo.* Eæ autem hereditatum quotæ, quibus super Josepho tribuit usumfructum, et administrationem tantum contemporanea mea decisio super *usufructu* præcedentis confirmatoria, cum hæ in proprietate ad filios spectent, erunt ipsi quidem ad effectum eis utendi fuendi, easque administrandi tradendæ, sed erit una simul ab ipso, quoad has quotas, cautio præstanda de harum conservatione, et usu ad instar optimi patris familias, quo modo decisionis superioris confirmationi adiecto, Patres singulorum juribus, ac indemnitati consultum voluerunt.

Atque ita universa suffragante Aula confirmata fuit præcedens decisio utraque etc.

ROMANA EMPHYTEUSIS

SUPER

RETENTIONE RATAE COMMODI

Veneris 14 *Maii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CXXXVI.

SUMMARIUM

1. *Motus Proprius* Pii VII, *omnia praedia, nullo facto directi, utilisque dominii discrimine, indictioni subjecit* – della dativa reale. –
2. *Hujus novae intributionis, unusquisque, pro rata commodi, pondus perferre debet.*
   Pontifex, ut de iis omnibus quaestionibus cognosceret, peculiarem instituit S. R. E. Cardinalium Congregationem – ibidem. –
3. *Quae Congregatio statuit, ut ratae commodi locum non haberet, si canon conventus fuerit immunis a quovis onere imposito, et imposituro.*
4. *Ubi contrahentes haec verba adhibuerint, non solum de dominio utili, sed etiam de directo, intelligendum est loquutos fuisse.*
5. *Non indiget exemptionis pacto, qui nulla obligatione tenetur.*
6. *Contradictio semper evitanda est in interpretatione contractuum.*
7. *Ubi indistincte praedium tributo subjicitur, tributum ipsum inter dominum directum, et utilem est dividendum.*
8. *Motus Proprius praedia tributo dativae realis subjecit, ratione fructuum tantum.*
9. *Creditores canonum, censuum, et fructuum compensativorum, participes fiunt dativae realis, ex sola ratione, quia cum possessoribus fiunt participes fructuum.*
10. *Argumenta, ducto a discretivo loquendi modo, valde confert ad interpretandam legem.*
11. *Afferri non debent ad exemplum decisiones, quae prolatae fuerunt, dum aliqua lex adhuc non vigebat.*
12. *Emphyteuticorum contractuum indoli maxime congruit, ut unus emphyteuta ad onera publica ferenda teneatur.*
13. *Observantia, quae repugnat legi expressae, nihil prodest.*

DECISIO CLXXXV.

Decisione, quam publici juris feci die 23 Junii 1823 probavit N. Sacer Ordo Sententiam A. C. Trimvirorum quæ petitam a Philippo Bianchini, fervente lite defuncto, ratæ commodi retentionem rejecit, integrumque jussit quotannis ab eo persolvi canonem argenteorum nummorum nonaginta, prout convenerat publicis in tabulis anno 1791 conscriptis, in quibus Marchio Dominicus Serlupi Crescenzi, modo pariter vita functus, ædes quasdam in Urbe positas prope Ecclesiam S. Salvatoris *ad Cuppellas* in ipsum Bianchinium Emphyteusis jure transtulit. Facta deinde facultate obloquendi adversus prædictam Decisionem, bis anceps hæsit judicium, accitique ad suffragium ferendum omnes Domini fuerunt. Curante tamen Amplissimo S. R. E. Cardinali, et jam optime merito Sacri Nostri Ordinis Decano Francisco Serlupi, qui administrationi bonorum ejusdem Dominici praeest, cum hodie dirimendam denuo Patribus exibuerim assuetam Dubii formulam » *An sit standum vel recendum a Decisis in casu etc.* » Responsum illico retuli » *In Decisis* ».

Eadem quippe manebant juris, et 1
facti momenta, quæ in causa fuerunt, cur prior mea Decisio album calculum adjecerit Triumvirorum A. C. Sententiæ. Nam decennio post initum Emphyteusis contractum, scilicet die 19 Martii 1801. in lucem prodiit notissimus Motus Proprius S. M. Pii VII. super nova onerum realium indictione, qui prædia omnia urbana, et rustica, nullo facto directi, utilisque dominii discrimine, novæ indictioni subjecit – *della Dativa Reale* =, cujus maxima pars vices gessit vectigalium antea vigentium. Quandoquidem quoad prædia rustica sancitum fuit *artic.* 21 quod = *i possessori dei fondi rustici dovranno per ogni libbra, ossia per ogni cento scudi di possidenza pagare annualmente la tassa di paoli sei da considerarsi come imposta fino dal primo di Gennaro dell' anno corrente* = Ad urbana vero prædia, quod attinet, eadem Lex demandavit » *che tutti i possidenti di palazzi, e di case urbane pagheranno su di esse un annua tassa minore in due terzi di quella, che si è imposta sul terratico; cioè di paoli due per ogni cento scudi del valore delle medesime, il qual valore, per rendere anche la tassa più mite, che sia possibile, dovrà misurarsi non da altro, che dalle pigioni attuali, e reperibili, formando il capitale di scudi cento sopra ogni otto scudi di pigione, che se ne percipisce* ».

Hac præscripta vectigalis æstimatione, vidit etiam Legis illius Lator, facile admodum inter eos orituras fore 2

quæstiones, qui super uno, eodemque prædio, vel urbano, vel rustico diversa jura experiuntur, quemadmodum sunt domini directi, ac censuum, et compensativorum fructuum creditores. Cum enim hi omnes jure quodam reali super prædio oneri subjecto potiantur, et commoda, fructusque ipsius prædii inter se dividant, æquum propterea erat, et naturali justitiæ congruum, ut *pro rata*, veluti ajunt, *commodi* novam intributionem unusquisque sustineret. Ut igitur quæstiones omnes anteverteret, quamvis coegisset Sacratissimus Princeps » *i possessori dei fondi rustici al pagamento della tassa di paoli sei per ogni libbra* » jussit nihilominus » *la loro proporzionata indennizzazione per mezzo della ritenzione da farsi da essi di una parte dei frutti, che pagano ai loro creditori* » quam pro rata tantum commodi fieri voluit » *e non in altra proporzione* » Denique idem Legislator peculiarem instituit S. R. E. Cardinalium Congregationem, ut de iis omnibus quæstionibus cognosceret, quibus nova Lex de publicis oneribus caosam fortasse præbuisset. Nec inutilem hanc fuisse providentiam sobsequentes ostenderunt controversiæ super illis pactionibus excitatæ, quarum ope singula onera tam imposita, quam imponenda uni sibi susceperunt Emphyteutæ.

3 De sua hinc sententia rogata Sacra Congregatio Cardinalium, re accurate perpeosa, rectissime constituit » *che in tutti i casi, nei quali fra due contraenti siasi convenuto nella formazione dei loro contratti, che i Canoni, Censi, livelli, frutti compensativi, ed altre simili annue prestazioni debbano farsi libere, e franche da ogni gabella, e tassa imposta; e da imporsi di qualunque genere, e natura si sia, o con altri termini, ed espressioni eqivalelenti, i prefati creditori di censi, livelli, e frutti compensativi non saranno tenuti a concorrere in alcuna parte al pagamento della dativa reale; ma dovrà il pagamento della medesima intieramente rifondersi sopra i debitori dei predetti canoni, censi, livelli, e frutti compensativi* » Tanta autem sapientia, et justitia fulciebatur haec Sacrae Congregationis sanctio, adeoque eam probavit auctoritate sua Summus ille Pontifex recolendæ Memoriae, ut publici juris facta fuerit ex Edictali Lege Cardinalis Camerarii diei vigesimae primae mensis Junii anni 1806, qua ille quoque demandavit, ut ipsa Sacra Congregationis declaratio certam normam, modumque praeberet futuris litibus dirimendis. Hac Legis dispositione præmissa, prae oculis habeodae modo sunt publicae Instrumenti tabulae, in quibus, inter alia pacta, quae in hoc contractu Emphyteusis constituta fuero, praecipuum illud fuit, quo cautum, ut annuus canon ab Emphyteuta rependendus, liber semper esset, atque exemptus ab omnibus cujuscumque generis oneribus, tam ordinariis, quam extraordinariis, tàm impositis, quam imponendis, dum modo tamen Supremus Princeps intributionem aliquam super uno, atque unico directo dominio nominatim non indixisset.

Disertis siquidem verbis scriptum legitur iisdem in tabulis » *che il detto Enfiteuta, e suoi siano tenuti, ed obbligati sempre, ed in perpetuo pagare il suddetto perpetuo annuo canone di scudi novanta, abbenchè dalla suddetta casa non ritraesse quanto porta il suddetto annuo canone, quale dovrà esser libero, ed immune da ogni, e qualunque tassa tanto ordinaria, che straordinaria di strade, imposizioni, pesi, gabelle, dazi tanto imposti, che da imporsi, ed altri qualsivogliano, anche ex dato, et facto Principis, purchè però i dazi, e pesi non venissero imposti espressamente, e precisamente sopra il diretto dominio, o siano canoni, nel qual caso sia tenuto pagarli detto Signor Marchese Serlupi* » Facile hinc est colligere eo demum hanc pactionem spectare, ut, si Supremus Princeps tributum aliquod imperasset, quod tam dominium utile, quam directum afficeret, tunc dominus directus ab ejusdem tributi onere exemptus omnino maneret contra vero is onus ad tributum rependendum ferre teneretur, si illud 4

impositum super directo dominio tantum fuisset. Qui enim sibi stipulatur, ut annuum canonem solvat Emphyteuta » *libero, ed immuns da ogni, e qualunque tassa tanto ordinoria, che straordinaria di strade, imposizioni, pesi, gabelle, dazi, tanto imposti, che da imporsi, ed altri qualsivogliano anche ex dato, ex facto Principis* », is certe de iis tributis intelligit, quae utile, ac etiam directum dominium percellant, et quae indiscriminatim prædio imposita, dominium directum non minus, quam dominium utilem afficiunt.

5 Non indiget sane exemptionis pacto, qui nulla obligatione tenetur, et qui a Lege non cogitur ad tributum rependendum. Nemo siquidem dixerit dominum directum sibi stipulari velle canonem liberum, et exemptum in eo casu, quo Lex nullum super directo dominio vectigal indixerit, cum e contra unusquisque exemptione sibi caveudum curet in casu, in qno imposita sibi a Lege revera fuerit obligatio. Quamobrem, cum Marchio Serlupi canonem sibi praestandum esse voluerit exemptum, et liberum ab omnibus cujuscumque generis intributionibus, onus illud absque dubio recusavit, quod rem ita afficeret, ut inter Emphyteutam, dominumque d rectum dividendum esset. Neque enim refert qnod post conventum annuum canonem liberum, et exemptum a singulis oneribus, continuata oratione, adjecta fuerint Emphyteuticis tabulis ea verba » *purchè però i dazi, e pesi non venissero imposti espressamente, e precisomente sopra il diretto dominio, o siano canoni, nel qual caso sia tenuto pagarli detto Signor Marchese Serlupi* ». Si hae namque pactionis exceptio in quolibet casu locum sibi vindicaret, quo Lex absque ullo discrimine ad tributi solutionem, tam dominium utile, quam directum impellat, jam illud seqneretur, ut exceptio ipsa cum iis repugnaret, qnae antea constituta sunt, et pactum ipsum omnino destrueret.

6 Recta itaque judicandi ratio postulat, ut exceptio pacti eam significationem obtineat, quae pactum caeteroquin clarissimum servet, ne secus contradictio sequatur, quae maxime evitanda est in interpretatione contractuum *Rot. in Comerinen. Collegii Studiorum* 26. *Aprilis* 1754 §. 14 *corom Figueroa, et Decis.* 95 *num.* 9. *coram Olivatio.* At ubi exceptio pacti vim suam exerat in eo casu, quo vectigal non indiscriminatim super praedio, sed, seorsim a prædio, super dominio directo tantum, unoque canone imperatum esset, tunc pactum servatur, et suum sortitur effectum, nec ei repugnat exceptio. Si enim Supremus Princeps tributum aliquod indixisset, quod simul afficeret dominium directum, ac utilo, tunc ex prædictæ pactionis vi, et ratione unus Emphytheuta onus illud ferre tenebatur. Contra vero, si intributio aliqua imposita seorsim a prædio super canone, directoque dominio fuisset, ea quidem ex ejusdem pacti exceptione ad dominium directum pertinebat. Quod hæc autem sit exceptionis significatio, et vera intelligentia, eadem exceptionis verba apertissime revincunt. Dictiones siquidem illæ » *espressamente, e precisamente* », quibus usi fuere contrahentes, illum tantummodo casum præseferunt, in quo tributi causa, et subjectum sit unum dominium directum, unusquo canon.

Poterat namque Supremus Princeps 7
super unis fructibus census, super unis fructibus compensativis, super unis canonibus, seorsim a prædio, vectigal aliquod indicere. Ubi Ipso, exempligratia, tributum aliquod imposuisset scutorum quatuor, vel quinque, vel sex in singula centena, quæ vel ex canonibus, vel ex censibus, vel ex compensativis denique fructibus quisque in annum referret: ubi illud ipsum fecisset, quod in Motu Proprio de Cambiis obliquis constituit, quæ omnia intributioni scutorum quatuor in singula centena subjecerat; hoc sane onus ex pacti exceptione unus dominus directus sustinere cogebatur. Idcirco expressim inquiunt tabulæ = *purchè però i dazj, e pesi non venissero imposti sopra i canoni* =, sub quorum nomine, ut nemo non intelligit, non

aliud venire potest, quam onus impositum seorsim a prædiis, et super unis annuis præstationibus, quas domini directi ex prædiis Emphyteuticis exigunt. Hanc vero interpretationem clarius etiam assequimur ex verbis aliis, quæ continuo sequuntur » *nel qual caso sia tenuto pagarli il detto Signor Marchese Serlupi* =, quæque casum illum ponunt, quo intributionis onus, non inter dominium directum, et utile dividatur, sed hoc unus ferat dominus directus. At id fieri nequit, nisi in eo tantum casu, quo tributum, seorsim a prædio, uni directo dominio, unique canoni imponatur. Si namque indistincte prædium tributo subjicitur, tunc tributum ipsum inter dominium directum, et utile dividendum est.

8 Explicata pacti litera, expendendum superest utrum nova vectigalium intributio dominium tam utile, quam directum afficiat, vel unum percellat directum dominium, et canonem. In priori specie, ex pactione consequitur unum Emphyteutam novum onus ferre debere: in altero autem casu idem onus ad directum dominum omnino spectabit. At vero, ne ipsi quidem Bianchinii Defensores affirmabant novam intributionem super uno directo dominio impositum fuisse, sed in eo toti erant, ut ostenderent, tam utile, quam directum dominium insimul afficere. Quare ex stipulatu unus Emphyteuta intributionem rependere debet. Cæterum illud etiam accedit, quod ex Motus Proprii verbis apparet, nec utile, nec directum dominium, sed unum prædium ratione fructuum subjectum, causamque novi tributi constituisse. Cum enim animadvertisset Supremus Princeps » *che tutti i fondi, che producono un frutto certo, e determinato constituiscono la forza reale dello Stato, e devono perciò tutti proporzionatamente contribuire alla formazione del tributo, che Noi vogliamo riconoscere sotto il nome di Dativa reale, a cui dovranno esser soggetti, come con questa cedola di Nostro Moto Proprio realmente assoggettiamo i possidenti tutti indistintamente dei fondi fruttiferi posti nei nostri Dominj* =; propterea vectigal illud constituit obulorum viginti super Urbanis, ac sexaginta super rusticis prædiis in singula centena scuta eorum æstimationis.

Non igitur utile, nec directum dominium Summus Pontifex in hoc imperando tributo sibi proposuit, sed prædium ratione fructuum præ oculis habuit. Creditores autem canonum, censuum, ac fructuum compensativorum participes hujus oneris facti sunt, non ex ea ratione, quod super directo dominio, super censibus, creditisque fructiferis vectigal aliquod fuisset impositum, sed quia ipsi una cum possessoribus participes quoque fiunt fructuum illorum prædiorum, quæ huic tributo subjiciuntur. Quod si in Motu proprio mentio excidit utilis, directique dominii, non alia de causa id evenit, nisi ut prædii possessor compensationem pro rata commodi reciperet. Atque adeo verum est prædium ratione fructuum sibi proposuisse Supremum Principem, ut si prædium aliquod tot censibus obnoxium sit; quot ejus fructus prorsus excedant, non ipsius prædii possessor, sed imo creditores vectigal rependere coguntur; ob eam nempe rationem, quod in hoc casu idem prædium in creditorum dominium transiisse videtur » *Si prescrive* (ait Lex) *che quando il valore catastrale del fondo censito sia superato di un terzo dal valor de' Censi, che sopra esso si trovano imposti, debba bensì il possessore del fondo andare esente da qualunque gabella di terratico, dovendosi la di lui proprietà considerare come alienato; ma debbano all' incontro i creditori de' Censi direttamente pagare in di lui vece alla Camera la decima parte de' frutti, che riscuotono per li Censi medesimi.* 9

Firmum ergo manet prædium ratione fructuum non dominium directum, seorsim a prædio, novæ intributioni subjectum fuisse. Idque eo magis tenendum est, quia reapse Motus Proprius Anni 1801. tributum Scutorum quinque in singula centena super fructibus obliquorum Cambiorum imposuit, a credi- 10

toribus solvendum, ac diem abrogatam = *Affinchè delle generali gravezze* (ita lex ipsa prosequitur) *non restino esclusi i Cambj, i quali per l' introdotto attuale costume nella loro forma, e sostanza producono un frutto certo, o determinato a titolo de' danni, ed interressi, saranno anch' essi sottoposti ad una generale collettazione di scudi cinque per ogni scudi cento di fruttato da pagarsi dai creditori de' Cambj* = Si itaqne summus Pontifex tributum aliquod, vel super canonibus, vel super censibus, vel super fructibus compensativis indicere voluisset, idipsum profecto statuisset quod de Cambiis obliquis, constituit. At, si id non fecit, noluisse Supremum Principem, exceptis Cambis obliquis, vectigal aliquod imponere super dominio, seorsim a prædio, concludendum omnino est, argumento ducto a discretivo loquendi modo, qui ad interpretandam tam privatorum, quam Legum Latorum voluntatem maxime confert. *Card. de Luca de Legat. discur.* 45. *numer.* 5. *Rot. decis.* 475. *num.* 5 *coram Remboldo, decis.* 1213. *num.* 18. *coram Molines, decis.* 501. *num.* 2. *coram Olivatio, et in Senogallien. Immissionis* 18. *Februarii* 1752. §. 9. *cor. Bussio Seniori.*

11 Neque erant in medium afferendæ Sacri Nostri Ordinis Decisiones *in Romana Pecuniaria* 11. *Januarii* 1805. §. 4. *coram Eminentissimo Bussio, et in Confirmatoria* 21. *Junii ejusdem anni coram Eodem*, in quibus definitum fuit novæ intributionis onus inter dominum directum, atque Emphyteutam dividendum essse. Nam Decisiones illæ prodierunt, antequam publici juris fieret Lex Edictalis anno 1806. a Snpremo Principe lata, cujus ope probatum fuit quidquid decreverat Sacra Congregatio Æconomica = *che in tutti i casi, nei quali fra due contraenti siasi convenuto nella formazione de' loro contratti, che in Canoni, censi, livelli, frutti compensativi, ed altre simili prestazioni debbano farsi libere, e franche da ogni gabella, e tassa imposta, e da imporsi, di qualunque genere, e natura si sia, o con altri termini, espressioni equivalenti, i prefati creditori di censi, livelli, e frutti compensativi non saranno tenuti a concorrere in alcuna parte al pagamento della dativa reale, ma dovrà il pagamento della medesima intieramente rifondersi sopra i debitori dei predetti Canoni, censi, livelli, e frutti compensativi.* = Mirum ideo non est si post banc Legem Sacer Noster Ordo diversam amplexus est Sententiam, et intributionis onus in unnm rejecit Emphyteutam, si ita pacto convenerat, ut optime animadversum est *in Romana Pecuniaria* 29. *Martii Anni* 1816. §. 11. *coram Emo Bussio* juniori.

Quo circa, si lex Edictalis pacta servari jussit, si pacto conventum fuit inter contrahentes, ut ea onera ferret Emphyteuta, quæ super utili simnl, et directo dominio imponerentur, ar. cætera, quæ unum percellerent directum dominium, unus sustineret dominus directus, si onus = *della Dativa reale* = non seorsim a prædio super directo dominio, sed seorsim imo a directo dominio super integro prædio, seu ratione rerum super bonis, non super personis ratione rerum, impositum fuit; jam illud patet, tam ex lege, quam ex pacto prohiberi Emphyteutam, quominus ullam petat ratæ commodi retentionem, veluti arguit superior mea *Decis. a* §. 6. *usque ad* 8. Eoque magis ita sentiendum est, quia Emphyteuticorum contractuum indoli maxime congruit, ut unus Emphyteuta ad onera publica ferenda teneatur. Nam post longum temporis intervallum, a die concessionis elapsum, maxime augetur prædiorum valor, fructuumque prætium, qui ab eis enascuntur, summo crescit cum Emphyteutarum emolumento. Contra vero, cum in costituendo canone, non recens, ac futura bonorum conditio, sed vetus eorum æstimatio spectata fuerit, non sine gravi propterea directi domini detrimento canon ipse longe minori fructuum quantitati respondet, quam responderet initio contractus. Absonum proinde ab æquitate, et justitia esset canones in certa, ac constanti mensura conventos imminuere, et partem novi vectigalis directis dominis imponere, licet uni Emphyteutæ beneficium experiantur augmenti,

tum prædiorum valoris, tum eorum fructuum, iique una propterea omnium vectigalium, et collectarum onus ex Civili jure ferre debeant, ut probat citata mea *Decis.* §. 9.

13 Nec juvit Emphyteutam ad observantiam confugere; hæc enim neque ei, neque domino directo favebat. Non primo, quia post editam Legem anni 1801. ipse unus, nunquam vero dominus directus, novam intributionem absque ulla querela, et ratæ commodi retentionem persolvit. Non alteri, quia Emphyteuta, dum huic oneri satisfecit. jura sibi reservavit, quæ aut ex Lege, aut ex pacto adversus directum dominum posset experiri. Atqui, tam ex Lege, quam ex pacto demonstratum est, unum Emphyteutam ad integrum vectigal rependendum omnino teneri; ergo nulla ratio suberat, cur petita ratæ commodi retentio Emphyteutæ concederetur.

Et ita in cæteris relatione habita ad priorem meam Decisionem, quæ confirmatur, ac Universa Aula suffragium ferente, definitum est, Utraque cc

---

ROMANA PECUNIARIA

Veneris 13 *Februarii* 1824.

ARGUMENTUM

Si quis, ex pluribus titulus debitor, pecuniam solvat, quavis cessante causae demonstratione, solutio imputanda est semper in causam antiquiorem.

SUMMARIUM

1. *Qui in judicio instituit, ad effectum quod deputaretur peritus, pro credito liquidando, creditum ipsum nequit amplius in discrimen revocare.*
2. *Judicialem peritiam semper tuetur juris praesumptio, maxime si ab ea nunquam fuerit appellatum.*
3. *Nullo in pretio habentur probationes sero productae, nec parti exhibitae.*
4. *Solutio, quavis cessante causae demonstratione, imputanda semper est in titulum antiquiorem.*
5. *Irrelevans est consuetudinis probatio, quae uno, vel altera exemplo tantum innitur.*

DECISIO CLXXXVI.

Notissimum in Urbe nomen vitrariæ, et stamneariæ officinæ in Via Cursus in conspectu ædium Ruspoli positæ, quæ, Josepho Anselmi defuncto, ad Carolinam unicam ejus superstitem filiam hæreditario titulo pervenerat, allexit ab anno 1804 Josephum Vitelli, ut quamplurima opera, quibus continue in tot, tantisque suis extruendis reparandisque ædificiis indigebat, ei perficienda committeret. Summa honestate, ac diligentia ejus muneris partes omnes explevit primum Julianus Perollio, qui usque ad annum 1819, institoriam in ea taberna navavit operam, et deinceps, Perolio e vivis erepto, Julius Ravelli, quem Carolina in partem thori, reique suæ familiaris vocaverat; tantaque semper utrinque, ad annum 1821 mutua fides mutuaque concordia intercessit, ut nunquam tam diuturno temporis lapsu rationes dati, et accepti compositæ fuerint. Verum, ut fert humana conditio, quod nil perpetuum sit eo tempore infeliciter accidit, ut parvæ initio inter Ravellium, Vitelliumque subortæ fuerint controversiæ, quæ brevi in aperta eruperunt dissidia. Conciliationis omni spe sublata, Ravellius certo existimans haud mediocris pecuniæ summæ Vitellium sibi debitorem adhuc supercresse; licet is aliquid in partem absolutorum operum Perollio, sibique persolvisset, Mense Augusti ejusdem Anni, gemino judicio illum lacessivit. *Altero* enim coram A. C. Triumviris solutionem petiit scutorum 2019 et obul. 16 pro operis, mercedibusque ei a Perollio ab anno 1804 ad annum 1819 præstitis, salutari adjecta declaratione sese in partem solutionis accepto habiturum quidquid jam is persolvisse evinceret. *Altero* apud Assessorem Ferrari solutionem scutorum 308 et obul. 67 ½ pro operibus a semetipso post annum 1819 usque ad eam diem absolutis postulavit. Cum satis certum Ravellii creditum A. C. Juridici non reperissent, tres deputarunt Peritos, qui missi in rem præsentem asserta opera

comprobarent, atque æstimarent quod Decretum, rejecta a Signaturæ Tribunali Vitellji quærela, in Remjudicatam transiit. Nec aliud reddidisset judicium Ferrarius, nisi Vitellius, declaratione ingenue emissa = *di non impugnare i lavori descritti nei tre conti prodotti* = perfecisset, ut, inutili reddita trium peritorum deputatione, uni tantum Perito Architecto, nempe Ascensio Servi munus de moro mandaretur exhibita computa a quavis excessivitate purgandi.

Delato sibi muneri sedulam impendit operam Servius, singulisque rite perlustratis partitis, liquidum Ravelli creditum in summa scut. 255 et ob. 91 ⅔ constituit: Quod si etiam habenda fuisset = *in calcolo la mettitura in opera delle Lastre cilindrate, e le loro saldature* = neque hæc, ut mos est, in pretio plumbi comprehendi deberent, quod, Partibus haud inter se convenientibus, in probationum defectu is in suspenso relinquere censuit, Ravelli creditum ad scut. 283 et ob. 57 ½ evexit. Placuit A. C. Ferrario alteram in præsens Periti sententiam amplecti, dilataque quoad reservatum crediti residuum definitione, nulla mora Ravelli favore mandatum pro summa scut. 255 et ob. 91 ⅔ contra Vitellium relaxavit. Neutro litigantium ab hoc judicio provocante, quisque putasset hanc controversiam prorsus absolutam, definitamque fuisse. Sed spem decepit eventus. Nam cum pedissequa statim altera suborta esset controversia, utrum scuta *biscentum*, quæ Mense Octobris anni 1819 Vitellius persolverat = *in conto di lavoro di Stagnaro* = in partem ejus debiti pro operibus a Ravellio post annum 1819 expleti cedere deberent, vel potius ea, quovis contrario exulante pacto, ex ipso legis ministerio in causam antiquioris crediti ex operis a Perollio præstitis promanantis imputanda essent, factum est, quod Ravellius editam Ferrarii Sententiam intra fatale tempus minime expedire curaverit. Hac igitur redintegrandi certamen occasione arrepta, Vitellius Signaturæ Præsulem adiit, obtinuitque, ut hæc controversia, attenta ejus connexione cum altera, quæ creditum operum usque ad annum 1819 absolutorum respiciebat, ad eosdem A. C. Triumviros, omnibus in *statu, et terminis*, manentibus, definienda committeretur.

Diu interea, acriterque pugnatum utrinque fuerat coram A. C. Triumviris, ut altera Causa ab ulla procul peritia definiretur, veluti fusius narrat mea contemporanea Decisio. Sed inani prorsus labore. Nec enim Vitellius perficere potuit, *vel* ut Ravellius in finalem seu crediti satisfactionem scuta 445 et ob. 57 ½ accepto haberet, vel ut authentica computorum documenta ipsa Perollii manu conscripta ad acta deponeret; nec vicissim Ravellius, ut omnes solutionum acceptilationes, quas Perollius conscripserat in lucem promerentur a Vitellio consequi potuit. Omnes enim hujusmodi instantiæ merito fuerunt totidem Decretis dimissæ = *si serva delle sue ragioni* =. Sed tum Ravellius existimans, in vim Auditoris Signaturæ Rescripti, copiam sibi factam fuisse ad priores actiones redeundi, iterum apud idem Collegiale A. C. Tribunal, duas renovavit petitiones. Postulavit enim *primo*, ut brevis Vitellio præfigeretur terminus ad acceptilationum authographa exhibenda, quem ii Judices ad *decendium* limitarunt, sub pæna mandati de gravando in *scutis duobus* pro qualibet die, donec is edito obtemperaret Decreto. Institit *secundo*, ut inclusa = *la partita della mettitura in opera delle Lastre cilindrate, e le lor saldature* =, Vitellius ad sibi solvenda scuta 283 et ob. 41. damnaretur; votique compos in hoc etiam factus est. Sed provocationis beneficium Vitellio reclamanti incunctanter impertiit ab utraque Sententia Signaturæ Tribunal. Cujus in vim geminis illis controversiis mihi commissis, duas hoc mane Dubii formulas DD. meis definiendas proposui. *Alteram* quoad acceptilationum exhibitionem, de qua in contemporanea Decisione agitur: *Alteram* quoad creditum scutorum 283, et ob. 41 sic conceptam = *An*

et in qua summa constet de credito ita, ut sit relaxandum Mandatum in casu ec. =, cui redditum est Responsum = *Affirmative in summa scut.* 261 *et obul.* 91½ *et esse relaxandum mandatum* =.

1 Idque sane rectissime fuit constitutum Ravellium enim usque ab anno 1820; pro eo quod spectat ad artem vitrarii stamneariique, merces, operamque Vitellio præstitisse indubium reddebatur ex univoco eorum testimonio qui, Ravellii servitio addicti, de re plenissime sibi cognita deponebant; eaque propter Ravelli creditum in genere ex diu præstitis, absolutisque operis promanans, in discrimen revocari non poterat. Verum ne quid dubietatis superesset, ipsiusmet Vitellii accedebat confessio, *tum* verbis, *tum* factis comprobata, qua nullam validiorem in jure dari probationem monet *Text. in Leg. Generaliter Cod. de non num. pecun.* Luculentissime siquidem suum debitum Vitellius agnovit, cum apud Assessorem Ferrari ad litem citius expediendam ingenue, summaque bona cum fide declaravit = *di non impugnare, che abbia eseguiti i lavori descritti nei tre Conti prodotti* =: ideoque institit = *che sia deputato un Perito a tassare i sudetti Conti* =. Huic vero confessioni, quæ rotundis adeo verbis in judicio expressa fuit, posterius Vitelli factum splendidius adstipulatur. Non solum is enim nulla usus provocatione edito Ferrarii acquievit judicio, quo damnatus fuerat ad scuta 255, et obul. 91 ½ Ravellio persolvenda, sed etiam illud, scutis 55, et obul. 91 ½ Ravellio oblatis, exequutioni committere haud dubitavit. Ni igitur jurisprudentia prorsus eversa, nulla sit amplius instructissimis testibus adhibenda fides, ni fas sit pro libitu adversus propriam confessionem propriumque judiciale factum insurgere, necessario concludendum est, justitiam Ravellii actionis in *genere* ad mercedis solutionem, sumptuumque refectionem postulandam in apertam veluti lucem sese excrere.

2 At, si de credito in genere nulla quæstio tuto excitari potest, haud minus recte Patres quantitatem crediti in *specie* in summa scutorum 261, et obul. 91½ præfinierunt. Huic sane definitioni quoad scuta 255, et obul. 91½ pronam viam fecit judicialis periti relatio, qui, sedulo singulis computorum perlustratis partibus, iisque ad justi, et æqui tramites coercitis, procul dubio liquidum Ravellii creditum in prædicta summa constituit. Nec quid prorsus erat, ex quo ab judiciali peritia discendendum esset. Compertissimum namque est eam firmissimam tueri juris praesumptionem, ut Rota docet *in Perusina fideicommissi* 15 *Martii* 1751 § 3 *coram Bussi, et in Romana Primogeniturae de Mutis super reservatis quoad melioramenta, et refectiones Palatii Urbis* 26 *Januarii* 1807 § 3 *cor. Eminentissimo Cesarei*; magis magisque vero si nemo ab ea provocaverit, quavisque idcirco seclusa erroris probatione, ea quodammodo Reijudicatae vires nacta fuerit, ut firmat Rota *in Romana Divisionis* 14 *Junii* 1819 § 4 *coram Bussio, et in ejus confirmator.* 14 *Aprilis* 1820 *coram R. P. D. Meo Spada.*

Nec minus certum erat huic summae scut. 255, et obul. 91 ½ alia 3
scuta *sex* esse addenda ob mercedem = *della saldatura delle Lastre cilindrate* =. Ut ut enim judicialis peritus hanc partitam in probationum defectu in suspenso reliquerit, hodie tamen eam procul dubio Ruvellio adjudicare fas erat, cum honeste Vitellius coram Assessore Ferrario non impugnaverit eam esse ad sui debitum adscribendam. Quapropter si in unum hae duo colligantur partitae, palam illico fiet Ravellii creditum ad scuta 261 et obul. 91 ½ conscendere summo jure constitutum fuisse. Verum e contra quoad petitam a Ravellio Mercedem = *della mettitura in opera delle Lastre cilindrate* = ejus votis in praesens nnuendum non fuit, cum nulla adesset probatio eam ex pacto convento, contra morem consuetudinemque, haud comprehensam in pretio plumbi fuisse, cujus probationis defectus sibi ipsi tantum Ravellius imputare debet. Nec e-

nim ei vel minimum profuit, fervente causæ discussione, ac in ejus definitionis pervigilio, plures adduxisse testes qui, *tum* ex pacto, *tum* ex modicitate pretii plumbi in dubium reddere visi sunt ejus credito etiam eam mercedem = *della mettitura in opera* = adscribendum esse. Nam, cum non legum disciplina, non æquitas sinat quod quisquam indefensus damnetur, judiciorumque ordo sapientissime a Majoribus nostris constitutus temere evertatur, merito hujusmodi probationes, serissime contra ritum productæ, nec Vitellio exhibitæ, nullo habitæ fuerunt in pretio.

4 Attamen Vitellius haud multum quoad hæc sese præbebat sollicitum. Tota ejus defensio potissime tantum in eo versabatur, ut suaderet scuta *biscentum*, quæ ipse Ravellio Octobris Mense anni 1819 persolverat, in partem pretii operum a Ravellio absolutorum imputanda esse, atque idcirco pro ea summa suum debitum, pro quo relaxandum esset mandatum, imminui oportere. Verum quam futilis esset hujus imputationis exceptio, non multis opus erat, ut apertissime deprehenderetur. Neminem enim latet eo jure, quo vivimus, sancitum esse, quod si quis, ex pluribus titulis debitor, pecuniam solvat, quavis cessante causæ demonstratione, in quam solutio imputanda sit, ea semper potior habeatur, quæ antiquior est, quia durior censetur, ceu post Text. *in Leg.* 3 *Leg.* 24 *Leg.* 24 *Leg.* 97 *ff de solut.* Uno veluti ore docent *Menoch. Consil.* 121 *num.* 39 *Surd. Decis.* 186 *num.* 4 *Rota Decis.* 457 *num.* 18 *Part.* 9 *Decis.* 215 *n.* 14 *Part.* 18 *Recent.* Si igitur contra juris præsumptionem, et contra omnem verosimilitudinem ea solutio in futurum debitum cedere debuisset, potiusquam in debitum operum a Perollio expletorum, cujus dies jam pridem cesserat, oportebat omnino, ut id ipsum in acceptilatione declararetur. Cum vero nullum tituli, in quem ea solutio referri deberet, vestigium præbeat acceptilatio a Ravellio simpliciter expleta = *in conto dei lavori di Stagnaro* = jam satis illico patet nil admodum commune eam solutionem habere posse cum debito de quo præsens est controversia.

Hæc, quæ evertere haud poterat, 5 omnibus saltem viribus declinare Vitellius adnitebatur, mordicus ea contendens nullum sibi locum in themate vindicare posse, cum, nedum illiquidum, sed penitus inexistens illud creditum sit, quod a præstitis Perollii operis promanat. Irrito sed tamen labore. Nam Sententia, quæ tres deputavit peritos nullum de existentia crediti in genere dubium relinquit. Quod si illud in specie liquidum adhuc non est, id rem haud turbat, cum illud longe excedere hæc scuta *biscentum*, de quibus agitur, optime sua cuique ratio suadeat; potissime vero cum Vitellius, licet pro acceptilationibus exhibendis judicio lacessitus, firmiter negaverit, ut mea narrat contemporanea Decisio, nullum de solutione documentum quod creditum excluderet, apud se extare. Nec rectius, hisce perstrictus, sibi præsidium quærere Vitellius studebat ex plurium testium depositione, qui ejus in more semper fuisse narrabant artifices anticipate solvendi. Ea enim etiam infirmissima defensionis ratio Sacro Auditorio non arrisit. Et merito. Nam, præterquamquod vaga nimis, et irrelevans ea erat perpetuæ consuetudinis probatio, quæ uno, vel altero exemplo tantum innititur, quod facillime peculiaribus circumstantiis tribui potest, illud etiam potissime ad eam prorsus excludendam in facto accedebat, quod Vitellium ingentis summæ ob opera Vitrarii Stamneariique sibi a Perollio, Ravellioque præstita tanto temporis spatio debitorem superesse evidentissime docet rerum gestarum, ac actorum judicialium exposita series. Quæ cum igitur omnia ita se habeant, ne Ravellius integro suo credito scuturum 261, et obol. 91 ½, de quo in præsens procul dubio constat, diutius fraudetur, nulla Patres tenuit dubitatio, quin pro dicta summa ejus favore mandatum esse relaxandum edicerent.

Atque ita etc. Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

Lunae 21 *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

Legatarius habet actionem privilegiatam, ad assequendum legatum in praemium servitii sibi relictum. Et haeres, qui rationes non reddidit, vel minus legitime reddidit, sub obtentu proprii crediti, non potest eximere bona haereditaria ab exequutione mandati.

SUMMARIUM

1. *Quousque suis viribus stet testamentum, haeres onera haereditaria agnoscere debet.*
   Legatum alimentorum in praemium servitii relictum, privilegiatum habetur - ibidem. -
2. *Donatio temere non praesumitur, sed indubiis argumentis est evincenda.*
3. *Haeres beneficiatus, ultra vires haereditatis, onera sustinere haud debet.*
   Non est redarguendum de nullitate inventarium, in quo non fuit vadatus legatarius, si hic de inventarii confectione scientiam habuit - ibidem. -
4. *Si minus legitime rationes ab haerede redditae fuerint, inventarium ei non prodest, ad hoc ne impedire valeat, quin ex haereditaria substantia, defuncti obligationes impleantur.*
5. *Rationum redditio totum tempus administrationis, universaque bona haereditaria complecti debet.*
   Ratio legitime reddita haud dicitur, nisi a creditoribus patrimonii, vel ab Judice probata fuerit - ibidem. -
6. *Creditor, expectare non tenetur, ut qui se heredem dicit beneficiatum, rationem bonorum haereditatis reddat.*
7. *Haeres beneficiatus, non potest facere suos fructus haereditarios, in perniciem creditorum.*
8. *Errores, qui irrepserunt in formatione status, corrigi a Judice debent.*

DECISIO CLXXXVII.

Haud love grati animi sui testimonium, ut exhiberet Comes Antonius de Carpineo erga familiares, qui ob fideliter diuque sibi præstitam operam multum bene de se meriti fuerant, in testamento, quo cum die 25 Augusti anni 1800 decessit, hoc, præter alia, scripsit vitalitium legatum = *A Gioconda Cameriera, a Luigi Antonio Credenziere, a Giovanni Servitore quante volte si ritrovassero al mio servizio al tempo della mia morte, ó a chi di essi si ritroverà, lascio loro, vita naturale durante, la mesata, che ciascuno attualmente tira, e da me si paga* =. Gaspar primogenitus, Præsul Julius, ac Marius, quos dilectissimos filios Comes Antonius hæredes ex æquo instituerat, cum periculosum ducerent paternam temere adire hæreditatem, rite inventarium confecerunt, cujus præsidio innixus Comes Gaspar, in quem fratres omnia hæreditaria jura, et obligationes, transactionum ope transtulerant, causans paternæ hæreditatis vires impares esse non solum ad ingentes reintegrationes implendas, quas sibi asserebat debitas esse ob plurimas bonorum primogenialium, ac fideicommissariorum distractiones a patre peractas, sed etiam ad maximum æs alienum dissolvendum, quo hæreditas ipsa premebatur, mordicus negavit se ad legatorum præstationem teneri, renuitque Jucundæ Mattoli illud persolvere stipendium, quod pater in solemni suo testamento ei, quoad viveret tradi jusserat. Non assiduæ preces legatariæ, non ipsa SSmi Principis implorata auctoritas, non demum evidentes rationes, quæ invicte ostendebant, quam perperam ipse ad evadendam legati præstationem inventario fideret, eum ab incæpto proposito dimovere potuerunt. Unum igitur supererat, ut Jucunda Judices adiret, qui Comitem Gasparem ad officium revocarent, atque ad legatum sibi persolvendum adigerent. Sed ipsa, cum a Præsule Julio, apud quem cubiculariæ munere fungi prosequuta erat, unde se aleret acciperet, usque dum in humanis fuit ab judiciis semper abhorruit, maluitque frustra vitalitiam præstationem desiderare, quam in obsequio, et reverentia erga eam Familiam, quam maximo prosequebatur amore, deficere, seseque periculo subjicere, ut e famulatu dimissa fame periret.

Verum, cum die 24 Aprilis Anni 1820 Jucunda migrasset ad plures, Angela de Martinis, quæ cum in cæteris bonis, tum in jure exigendi creditum hujusce vitalitiæ præstationis expresse in-

stituta hæres ab ipsa fuerat, nullo deterrita obstaculo, nullaque obsequii ratione detenta, illico coram A C. Triumviris Comiti Gaspari diem dixit, ut scuta 1260, quot legati titulo longo viginti annorum spatio sibi debita erant, condiceret salutari tamen majoris cauthelæ gratia declaratione adjecta, sese nimirum in partem solutionis accepturam, si quid ipsæ eo titulo persolvisse evinceret. Actionem, *tum* in genere, *tum* in specie expeditissimam, benigne statim exceperunt A C. Juridici, qui nil idcirco hæserunt, quin adversus Comitem Gasparem de Carpineo pro eadem summa mandatum exequutivum relaxarent, deducto tamen eo omni, quod reus Conventus in partem debiti persolvisse ostenderet. Gravamen vero sibi ab eo Judicato illatum esse censuit Comes Gaspar de Carpineo, gravaminisque querelam incunctanter apud S. Nostrum Ordinem deduxit. Incassum tamen. Nam proposito per me hodie Dubio, hisce verbis concepto = *An mandatum AC. sit exequendum in casu etc.* = quod, Partibus haud inter se convenientibus, Patres disputandum mandarunt, responsum accepi *Affirmative contra bona hæreditaria.*

1 Et sane summo consilio perspectaque prudentia. Nam Angelæ de Martinis, quæ ex juribus Jucundæ Mattoli agit legatum, quod postulat, deberi adeo certum est, quam certa nec interpretatione indigens Comitis Antonii de Carpineo suprema dispositio, qua Jucundæ, quod in humanis ageret, reliquit = *la mesata, che attualmente tira, e da me le si paga* =. Quousque igitur suisstet viribus illud Testamentum quousque firmum sit in jure hæredes onera hæreditaria agnoscere debere *Leg.* 2 *Cod. de hæred. action.* fieri nunquam poterit, quod Comes Gaspar voluntatem patris legantis fraudare jure contendat, onusque ejus hæreditatis respuat, cujus compendium assequi libenti animo baud dubitavit. Contentio itaque nulla de credito in *genere*. At nec minus certa crediti quantitas *in specie*, in mandato contenta; Numquam legatum, vel in totum, vel in parte a se fuisse solutum, ipse Comes Gaspar proposuit. Menstruas autem præstationes ad rationem scutorum *quinque* longo *viginti, et unius* annorum lapsu summam scutorum 1260 conficere, cuivis calculanti est manifestissimum. Cum igitur actio, quam Angela de Martinis instituit, *tum* in genere, *tum* in specie expeditissima sit nulla vel tenuissima dubitatio esse poterat, quin rectissime sese habuerit mandatum, quo A. C. Triumviri reum conventum censuerunt adigere ad præstandum auctoris factum, et susceptam ab ipso obligationem implendam, potissime vero cum de actione agatur omnium privilegiatissima, de condicendo nimirum alimentorum legato, benemerenti famulæ in præmium sui diuturni, fidelisque servitii relicto, quod idcirco omnem favorem expostulat, ut ad rem expendunt *Card. de Luc. de legat. Disc.* 32 *num.* 2 *Decis.* 122 *num.* 6 *coram Ratta*, *et in Ravennaten. Legati* 17 *Januarii* 1823 § 9 *cor. R. P. D. Meo Marco.*

Quin difficultatem vel minimam afferat assertum Legatariæ per *viginti, et unum* annos silentium, ita ut ex eo erui liceat ultro Jucundam ejusdem legati perceptioni renunciasse. Hoc enim idem esset, ac donationem temere præsumere, quæ e contra nonnisi indubiis documentis univocisque factis evincenda est, ut post text. in *Leg.* 124 *Cod. de revoc, donat.*, docet Rota *in Decis.* 25 *num.* 15 *cor. Falcon. de solut. et in Decis.* 174 *num.* 5 *cor. Herzan.* Reque vera, quod egens muliercula, atque senio pene confecta, adeo munifica esse vellet in hominem divitiis affluentem, ut ipsis renunciaret necessariis suæ vitæ subsidiis, id nemo non dixerit incredibile, absurdum, atque ab omni jure, et ab omni ratione repugnans Diuturna igitur ejus asserta taciturnitas, quæ perinde obtruditur, quasi tacita donatio, recte tantummodo reverentiæ tribuenda est, et obsequio, quo prosequi debuit Comitem Gasparem, cum præsertim anxia metu esse deberet, no a Præsulo Julio dimissa, a quo unde se aleret accipiebat, miseriis sordescere, atque fame perire de- 2

beret. Verum si in re undique perspicua aliqua fingi vellet dubietas, eam statim factum invicte retunderet. Nam Jucundam nunquam destitisse ab urgenda a reluctante debitore vitalitia præstatione, testes instructissimi docent, qui narrant = *che Gioconda non tralasciò di fare replicate istanze, e persino ricorse con memoriali al S. Padre, e se non procedette alla via giudiziaria, ciò accadde per i riguardi usati verso Monsignor Giulio presso del quale continuò a rimanere in qualità di Cameriera, e ciò per bisogno di procacciarsi una qualche sussistenza, non avendo altri mezzi per vivere* =. Cum vero ipsa Jucunda in Supremo suo elogio expresse vitalitiam præstationem, quam vivens consequi haud potuit, exigendam hæredi reliquerit, nil profecto amplius desiderandum est, ut apertissime pateat, nunquam juri suo valedicere ipsam in animo habuisse.

3 Mandatum igitur A. C.; justitiæ undiqua innixum, erat procul dubio exequutioni committendum. Verum cum Gaspar paternam adiverit hæreditatem cum beneficio Legis, et Inventarii ejusdem mandati exequutionem super bonis tantum hæreditariis cohibendam esse consequens erat plusquam manifestum. Nemo porro nescit ex beneficio legitimi inventarii hæredem, ultra vires hæreditatis onera sustinere haud debere, immuniaque ejus bona propria fieri ab exequutione mandati, quod pro defuncti debitis relaxatum fuit, ut tradit *Text. in leg.* 8 *ff. de acquir. haered, leg. ult. Cod. de haered. action. Gratian. discept.* 552 *num.* 10. *Rota dec.* 141 *n.* 4. *Nuperr. Rom.* 7 *dec*, 437 *num.* 1 *cor. Crescent. et in Reatina Cambii super exequatur* 12 *Aprilis* 1771 *n.* 3 *cor. Cornelio.* Quin aliquid haberet ponderis exceptio ex defectu citationis Jucundæ legatariæ desumpta, qua Angela confectum Inventarium nullum et invalidum esse quoad ipsam contendebat. Omissa siquidem legatariæ citatio ad adstandum confectioni inventarii, nihil in themate ejus validitati detrahere potest; cum certo constet ipsam illius confectionem haud ignorare potuisse. Nam, nedum inceptum fuit inventarium a descriptione mobilium, quæ aderant in domo, in qua Jucunda vitam degebat, sed etiam illud pene ejus nutu, et consilio exaratum fuit, cum plures res, veluti vestes, linteamina, aliaque hujuscemodi, quæ ejus custodiæ erant commissa descripta fuerint, prout ipsa monebat, uti ad hæreditatem Comitis Antonii spectantia: Quoniam vero ideo constituta est necessitas citationis, ut creditores, et legatarii certiores fiant de confectione inventarii, semel ac certo constat illud legatariam latere haud potuisse, objici per eam vel per ejus hæredem nequit omissa citatio, quam supplevit abunde scientia inventarii propriis ipsius sub oculis conscripti, uti hisce in terminis consultissime advertunt *Bald. Cons.* 392 *n.* 1 *lib.* 1 *Honded. Cons.* 80. *n.* 47 *lib.* 2 *Gratian. discept. forens.* 797 *num.* 1 *Rota Decis.* 225 *num.* 6 *Nuperr. Tom.* 2 *Decis.* 18 *n.* 5 *cor. Bich. Decis.* 18 *n.* 21 *cor. Falconerio de invent. in Faventina Immissionis super Inventariis* 12 *Junii* 1761 *num.* 21 *cor. Ratta, et in Romana Inventarii* 12 *Januarii* 1789 *n.* 8 *coram Eminentissimo Cesarei.*

Actionem legatariæ adversus hæreditaria bona haud impugnabat Comes Gaspar de Carpineo. Sed ad avertendam ex iisdem bonis mandati exequutionem totus in eo erat, ut obiiceret, sese, beneficio Legis, et Inventarii munitum, posse hæreditaria bona retinere pro suis assertis creditis in ingenti summa scutorum 138718, et obul. 31, tum ob reintegrationes sibi debitas ob plurimas bonorum primogenialium fideicommissariorumque alienationes a patre patratas; *tum* ob maximum æs alienum, quod pater contraxerat, atque ipse deinceps propriis suis pecuniis dissolverat. At universa invita Jurisprudentia id objiciebar. Illud namque urget ineluctabile, ac peremptorium, quod Comes de Carpineo non bona propria sibique delata fideicommissi titulo, ab impetu creditorum patris protueri studet, sed uti actor insurgit, ut sibi paternæ hæreditatis bona vindicet. Distinguendum est sane inter unum casum, et alterum. Primo sane sufficit legitimi 4

inventarii exhibitio, cujus ope ostendere valeat hæres ea bona a creditoribus impetita, sibi non hæreditario, sed proprio jure spectare. Altero autem casu, de quo prorsus nunc res est, haud sufficit inventarii exhibitio a rationum redditione sejuncta, qua ipse monstret se ab adita hæreditate nullum tulisse compendium, ac nihil plane ex ea sibi obvenisse, quo auctoris factum valeat, debeatque servare. Tanta porro hac in re viguit legum severitas, ut si minus legitime, si minus accurate rationes redditæ fuerint, minime exaratum inventarium prosit conficienti, ad hoc ut impedire valeat, quin ex ipsa hæreditaria substantia per eum detenta defuncti obligationes impleantur, ut docet Rota *in decis.* 229 *num.* 1 *coram Molines*; *in Romana Pecuniaria* 30 *Aprilis* 1802 § 14 *coram Emo Cesarei*, *in Nucerina Immissionis* 12 *Januarii* 1807 § 8 *coram Emo Bardaxi*, *et in Romana Spillaticorum* 20 *Aprilis* 1818 § 4 *coram Emo Odescalchi*.

5 At paternæ hæreditatis rationes redditas a Comite Gaspare legitime haud fuisse, adeo evidens est, ut nequeat in discrimen adduci. Tot enim vitiis laborat informe folium; cui nomen redditionis rationis appingere studet, proprio marte confectum, atque ab Anno 1801., apud acta Notarii Fiammetta depositum, ut nullam prorsus probationis vim queat obtinere. Et sane scitum est in jure, quod rationum redditio integra esse, ac totum tempus administrationis, universaque bona hæreditaria complecti debet. Atqui in exibita notula alto sub silentio prætereuntur fructus bonorum hæreditariorum a die patris obitus ad diem redditionis rationis percepti. Insuper augmentum pretii scutorum 2300 quod supra æstimationem in inventario ædibus Tusculanis tributam Comes de Carpineo retraxit, dum eas Comiti Aloysio Marconi divendidit, desiderantur omnino. Ad hæc accedit, quod ratio legitime reddita haud dicitur nisi ab ipsis creditoribus Patrimonii vel ab Judice agnita, probataque fuerit. At utrumque prorsus exulat a controversa redditione rationis. Siquidem illegale folium ingenio suo cudit Comes Gaspar inter domesticas parietes, nemine interpellato, nulla ne periti quidem opera assumpta, illudque, nec ex pacto, nec ex decreto Judicis, quod ei id juris faceret, Notario tradidit. Quid plura? Hactenus exhibita rationum redditio omnibus destituta monumentis deprehenditur, ita ut omnis ejus fides ab ipso ore conficientis pendeat. Quaqua versus igitur ea inspiciatur certum fit, exploratumque, ut quæ a Comite Carpegna irregulari illo folio exhibita fuerunt, nullius roboris, nulliusque momenti haberi valeant, ut in similibus terminis docuit *Rota dec.* 179 *num.* 11 *cor. Crispo*; *Romana Restitutionis in integrum* 12 *Martii* 1817 *cor. nunc Emo Serlupi*, *Anconitana seu Recineten. Redditionis Rationis* 8 *Februarii* 1822 § 9 *coram Rmo P. D. Meo Isoard nunc S. R. Decano*.

6 Hisce perstrictus Comes Gaspar insinuare omnibus viribus adnitebatur, sese non *actoris*, *sed rei conventi* in judicio sustinere personam, ideoque minime ei opus esse redditione rationis, ut omnia jura sua sarta, tectaque servaret. Sed exceptio falso omnino laborat supposito. Siquidem Angela, non rem propriam hæredis, sed hæreditaria debitoris bona persequitur. Ea si hæres beneficiatus a creditorum Patris actionibus protueri, atque sibi addicere contendit fieri profecto non potest, ut is æstimandus non sit uti tertius quivis alius paternæ hæreditatis creditor, qui ex suis peculiaribus titulis adversus debitoris bona insurgit. Igitur, quantumvis Comes Gaspar verbo excipere videretur, re tamen vera agebat, ut paterna bona ab aliorum Creditorum impetu defensa pro suis assertis creditis sibi vindicaret. Nec etiam quidquam prodest Comiti Gaspari jactare sese ad hæreditarias actiones iterum supputandas promptum esse, paratumque. Nullo enim unquam jure sancitum, quod creditor, qui debitoris sui bona persequitur, expectare teneatur, ut qui se hæredem dicit eum beneficio Legis, et Inventarii, rationem bonorum hæreditatis reddat. Maximum

quin imo omnium oriretur absurdum, si præsentis judicii expeditissimi, jam actricis favore absoluti, cursus interciperetur sub obtutu redditionis rationis tantis, tamquam gravibus exceptionibus implicatæ, ut apposite tradit Rota *Imolen. Pecuniaria super restitutione in integrum* 29 *Januarii* 1751 § 4 *coram Canilliac.*, *in Romana Pecuniaria super Cauthela Angeli* 7 *Decembris* 1759 § 3 *coram Ratto*, *in Perusina Cauthelae Angeli* 5 *Martii* 1773 § *fin. coram Origo*, *in Romana seu Civitatis Plebis Pecuniaria* 12 *Maii* 1786 § 11 *cor. Lancellotti*, *et in Nucerina Immissionis* 3 *Julii* 1807 § 6 *cor. Emo Bardaxi.*

7 Harum rationum vis Comitem Gasparem cum non lateret assertis creditis sui ultro valedicebat, attamen, iis etiam sepositis, magno clamabat ore mandato Angelæ favore, contra bona hæreditaria ipsius testatoris, ac legentis locum esse non posse, quia, uti ex exbibita calculatione apparet, illius hæreditatis vires haud pares erant aliis oneribus sustinendis. Reque vera, si cæcis oculis fides esset adhibenda adnotationi, quæ exhibitam calculationem excepit a reo convento ingenio suo confectam, qua asseritur excedere = *lo stato passivo di scudi* 19525 *senza aver ragione delle reintegrazioni dovute alla primogenitura, e fideicommissi devoluti al Signor Conte Gaspare di Carpegna* =, concludendum foret profecto, quod patrimonium hæreditarium longe fuerit ab ære alieno absorptum. Verum non ita putarunt Patres, qui sedulo illud exhibitum computum perscrutantes multa *in statu activo* comperierunt omissa, quæ addenda erant, multaque e contra *in statu passsivo* recensita invenerunt, quæ deleri prorsus debebant. Errorum summa, licet forsan majoris numeri, ad *quatuor* partitas præcipue hodie contrahitur, misso etiam quovis examine quoad ingentem summam creditorum in scutis 119000., quæ verbo tenus asseruntur = *di disperata esigenza, e disperati affatto* =, quin ulla prorsus vel minima afferatur probatio. Primum sane dubitari non potest, quin duplici errore in stato activo peccatum fuerit, dum nulla in eo ratio habetur, nec de augmento 2500 ex Tusculanis ædibus Comiti Marconio dividenditis supra æstimationem retracto, nec de omnibus fructibus universæ hæreditatis, usque ad hanc diem ab hærede beneficiato injuria perceptis. Neminem enim latet, quod si inventarium hæredi beneficiato suffragatur, ne is teneatur de proprio paternas obligationes implere, haud tamen efficit, ut fructus lucretur, quos, cognito ære alieno dimittendo, is in mala fide constitutus facere suos non poterat, ut ad rem consultissime advertunt *Surd. dec.* 92 *num.* 5 *Rota dec.* 796 *num.* 5 *cor. Merlino dec.* 288 *num.* 4 *cor. Celso.*

At nec minus controversia vacat longe plus æquo statum passivum ex- 8
tolli. Exhibitam siquidem calculationem legenti occurrit Gasparem pro minutis sumptibus in scut. 720. Comitissæ Lombardiæ, et Comitissæ Brusciottiæ uxori suæ debitis hæreditatem in scut. 1800 decurtasse, itemque alia scuta 8000 deduxisse ob annuam præstationem scut. 80 singulis quatuor filiabus monialibus constitutam. Atqui cum hæc onera temporario persolvenda ex fructibus ejus summæ jam ad exitum pervenerint ob fæminarum mortem, si unam tantum ex monialibus excipias, necessario consequitur, quod in patrimonium debitoris redire debeant scuta 26000 quæ nonnisi perperam subducta fuerunt. Itaque si hi corrigantur errores palam illico erit nonnisi per summam injuriam vacuam, et a passivo ære alieno absorptam hæreditatem proclamari, dum certo constat ex capitibus hæreditariis, nedum tot extare, quot æquent legatum præstandum, sed insuper plura millia superesse hæredis arbitrio insumenda.

Atque ita etc. Utraque etc.

ROMANA PRAELEGATI

Mercurii 9 *Februarii* 1824.

ARGUMENTUM

Legatarius jus acquirit ad legatum, vix elato testatore, ac hoc transmittit ad suos haeredes. Limita in legato conditionali, quia tunc non transmittitur, nisi conditione purificata. Vero non dicitur conditionatum legatum, si conditio non substantiae ipsius legati, sed solutionis modo tantum fuerit adposita.

SUMMARIUM

1. *Praelegatum nulli conditioni alligatum, debetur a die obitus testatoris.*
2. *Cum purum sit praelegatum, elato vix testatore, ad suos haeredes quisque transmittit illud.*
3. *Non dicitur conditionatum praelegatum, si conditio solutionis modum percutit, non vero legati emolumentum.*
4. *Si legatarius decessit, antequam venerit dies conditionis, legatum haeredes impetere possunt.*
5. *Conciliatur opinio interpetrum, qui conditionatum inquiunt legatum, si dies adposita fuerit, cum distinctione, inter diem adpositam solutioni, et diem adpositam substantiae legati.*
6. *Ne testatoris consilium filiae remunerandi subvertatur, pro legati validitate est respondendum.*
7. *Perdifficile est, quod testator in eodem testamento, sibi contradicere velit.*
8. *Haereditas comprehendit, quidquid remanet, deductis legatis.*
9. *Praelegatorum divisio, peragi debet ad tramites legum, quae vigent quoad successiones.*

DECISIO CLXXXVIII.

Codicillo mandaverat Joannes Carolus Tritonius, filiæ suæ Theresiæ Maggiæ, erga quam pergratum animum gerebat, præter legatum Supellectilis et jam testamento relictum scuta etiam *termille* ab hærede Conjuge sua Antonia Cerruta persolvi prælegati nomine, ceu fusius exponit contemporanea mea Decisio, cui titulus *Romana Successionis*. Quia vero legataria Theresia hæredi Antoniæ præobierat, disputare cæpit Joannes Maria Maggius Theresiæ filius cum suis Sororibus Maria, et Agatha, ac cum Patre Josepho de illius prælegati præstatione, ac divisione; Præcipua hinc formula Patres de eo quoque sciscitari oportuit = *An debeatur prælegatum, et quomodo sit dividendum et relaxandum mandatum in casu etc.*, ac judicium refugiente Joanne Maria, Responsum accepi pro Informantibus, scilicet = *Affirmatice juxta modum* =, *nempe prælegatum pro duabus ex quinque partibus deberi Mariae, et Agathae; quintam partem obventam Laurentia pro quarta parte deberi Josepho, reliquum esse dividendum ex aequo inter Joannem Mariam, Carolum, Mariam, et Agatham, alteram quintam partem Carolo obventam dividendam esse inter Josephum, et Joannem Mariam, et esse relaxandum mandatum pro summa liquidanda* =.

Perspicua quippe sunt testatoris ver- 1
ba, queis prælegatum, de quo res est, expressit, scilicet = *Essendo di più la gratitudine quell' atto di giustizia, che ognuno è tenuto di pratticare, perciò ho determinato di usarla verso della stessa Maria Teresa, come quella, che in congiuntura della grave malattia da me ultimamente sofferta, mi ha assistito sì di notte, che di giorno con tanta diligenza, premura, ed attenzione, che maggiore non poteva desiderarsi* =; hinc prosequitur Testator =, *per premiarla di questo suo filiale amore, oltre di tutto ciò, che in favore della medesima ho disposto nel mio precedente testamento, quale aver debba la sua piena esecuzione, lascio alla medesima similmente per titolo di prelegato, ed in ogni altro miglior modo la somma di scudi tremila sull'accennato fondaco di merci, ossia negozio, in guisa che prima di procedere alla divisione di esso nelle due porzioni, da conseguirsi dalla riferita Maria Teresa, e dai figli della predefonta Marianna altra mia figlia, debba togliersi, ed escorporarsi l'enunciata somma di scudi tremila da consegnarsi alla dicisata Maria Teresa* = Porro, cum hujuscemodi prælegatum omnino pure scriptum appareat, nullique incerti eventus conditioni alligatum, planum est deberi filiæ cæpisse a die obitus Testatoris per *Text. in leg.* 8 *ff. de ann. Leg., et fideicom.*, *L. post diem* 5 § 1 *L.* 12 *ff. quando dies leg. ced.*, *Camarell. de Legat. lib.* 4 *Cap.* 2 *num.* 2 *et* 3, *et Rot. in decis.* 532 *num.* 3 *cor. Cri*

spo, decis. 1 *num.* 4 *de Legatis coram Falconerio*, *decis.* 1287 *num.* 3 *coram Lancetta*, *et decis.* 116 *num*, 1 *coram Herzan.*

2 Quin obstet ex mente Testatoris prælegatum præstandum fuisse post obitum hæredis Antoniæ Cerrutæ, Theresiam vero legatariam hæredi præobiisse. Quandoquidem = *Si post diem legati cedentem legatarius decesserit, ad haeredem suum transfert legatum: itaque si purum legatum sit, ex die mortis ejus cedit, si vero post diem sint legata relicta, simili modo, atque in puris dies cedit*, ut verba sunt Ulpiani *in Leg. Si post diem ff. Quando dies Leg. vel fideicom.*, ideoque cum purum esset prælegatum, quod jus ad illud nacta fuit Theresia, elato vix testatore, ad suos hæredes utique transmittere valuit; ceu idipsum firmant *Leg. Si pure ff. quando dies Leg., vel fideicom. L. Cum quaestio Cod. de Legatis*, et exponunt *Donnell. in Comment. de Jur. Civ. lib.* 8 *Cap.* 30 § 7, *Voet in Pandect. lib.* 46 *tit.* 2 *num.* 1 *Perez. in Cod. lib.* 6 *tit.* 54 *num.* 1, ac tenet *Rota in Maceraien. Legati* 3 *Februarii* 1794 § 2 *coram Paracciano.*

3 Nec suspicari fas erat, conditione prælegatum suspendere forte voluisse testatorem, quia illud præstari jussit ante mercatoriæ tabernæ divisionem, quæ nonnisi post mortem hæredis fieri poterat, ut exinde inferret Joannes Maria præcipiti Theresiæ facto, proindeque conditionis defectu prælegatum omnino evanuisse. Respuit enim suspensionem quamlibet absoluta Testatoris loquutio « lascio alla medesima per ti« tolo di prelegato, ed in ogni altro « miglior modo la somma di scudi tre« mila sull'accennato fondaco di merci, « o sia negozio = At quoniam ejusdem mens erat integræ hæreditatis commodum uxori quoad viveret servare, hinc non legatum, sed illius solutionem distulit, iis adjectis verbis « in guisa che « prima di procedere alla divisione di « esso negozio nelle due porzioni, da « conseguirsi dalla riferita Maria Te« resa, e dai figli della predefonta Ma« rianna, debba togliersi, ed escorpo« rarsi l'enunciata somma di scudi tre« mila da consegnarsi alla divisata Ma« ria Teresa ». Dies itaque a Testatore commemorata percutit legati solutionem, haud verso ipsum legati emolumentum, *Altograd. Jun. Cons.* 45 *n.* 5, *et sequen. Capyc. Latr. Decis.* 107 *n.* 45, *Noal de transmiss. Cas.* 3 *num.* 15 *Carpzov. Decis. For. p.* 13 *Constit.* 13 *defin.* 25 *num.* 12, *et sequen. Gomez Var. Resolut. Tom.* 1 *cap.* 5 *num.* 26 *Card. de Luca de Legat. Disc.* 59 *num.* 5, *et Rota in Recineten. Legatorum* 26 *januarii* 1731 § *Secus autem coram Aldrovando, in Avenionen., seu Cavallicen. Immissionis* 4 *julii* 1787 § 3 *coram cl. me. Card. Malvasia, et in d. Maceraten. Legati* 3 *Februarii* 1794 § 7 *cor. Paracciano.*

Et quotiescumque dies, non legati substantiam respiciat, sed puram, puramque solutionem, nunquam suspendit emolumentum, nec facit unquam conditionem; sed unice in tempus, ac diem a Testatore designatum protrahit solutionem; itaut, eo vix dum e vivis erepto, jus illico quaeratur legatario ad legatum assequendum, illudque ad hæredes transmittat, si forte contingat ipsum decedere antequam dies venerit solutionis. *Text. in Leg. Firmio Heliodoro* § 1 *quando dies legat. vel fideicom. in Leg. Sejus Saturninus* 46 *ff. ad S. C. Trebell.*, *Leg. Ex his verbis* 5 *Cod. eod. tit. Perez. in Cod. lib.* 6 *tit.* 54 *num.* 6 *Voet. In Pandect. lib.* 36 *tit.* 2 *num.* 2, *Averan. Interpr. jur. lib.* 2 *cap.* 16 *num.* 10, *et* 11, *Menoch. de Praesumpt. lib.* 4 *Praesumpt.* 202 *num.* 45 *et* 46 *Roal de Transmiss. Cas.* 3 *n.* 13, *et* 14, *et Rota decis.* 163 *num.* 1, *et sequen. part.* 2 *Recent, et in d. Maceraten. Legati* 3 *Februarii* 1694 § 3, *et* 4 *coram Paracciano.* 4

Ferunt quidem aliqui juris interpretes diem incertum Legato adjectum conditionem facere, quae id efficit, ne Legatario ante diem obeunti quaeratur emolumentum, neve ad ejus haeredes transmittatur: Attamen eorum alii non ita indiscriminatim haec tradunt, ut eos effugiat distinctio inter diem appositam obligationi, et substantiae legati, et illam, quae adjecta sit 5

dumtaxat legati solutioni. Quandoquidem cum dies appositus tantum fuit solutioni, ut illa in commodum forsan haeredis protraheretur, sive certus, sive incertus, nunquam conditionem facit, sed puri, ac simplicis legati solutionem suspendit, usque dum dies venerit a Testatore praestitutus. Hac porro distinctione facili negotio dissidentium forte Jurisconsultorum sententias conciliari testantur *Averan. Interpret. jur. lib.* 2 *Cap.* 16 *num.* 3 *et sequ. Vessembec. lib.* 28 *tit.* 5 *num.* 7, *et tit.* 35 *lib.* 1 *num.* 3 *Bruneman. in Leg.* 2 *ff. de Condit.*, *et demonstr.*, eosque sequitur *Rota in saeped. Maceraten. Legati* 3 *Februari* 1794 § 3 *coram Paracciano* qua in Decisione animadverterunt Patres *in* § 6, tum legem *quibus diebus* § *quidem Titio ff. de condit.*, *et demonstr.*, tum caeteras Leges, quibus definiatur diem conditionem secumferre, universas de die loqui substantiae atque obligationi legati apposito, seu de legatis, quae vel ex litera testamenti, vel ex satis patula testatoris voluntate omnino conditionalia dignoscantur.

6 Contra vero in themate, nedum verba, queis in Codicillo testator usus fuerat, absolutum omnino, nullaque conditione suspensum praelegatum innuere videbantur, sed verbis mirum in modum adstipulatur mens, et admodum probabilis disponentis ejusdem voluntas. Etenim dum ipse uxorem suam Antoniam Cerrutam summopere dilexerat, utpote quam haeredem sibi fecerat, filiabus, earumque prole tantummodo substitutis, gratissimum quoque in Codicillo aperuerat animum erga filiam Theresiam, quae diu aegrotanti assederat, atque amantissime auxiliata fuerat: Verosimile profecto est utrique gratificari volentem, filiae praelegatum assignasse; ideo vero post fatum matris praestandum, ne haec sospes integrae haereditatis emolumento privaretur. Caeterum fieri poterat id testatorem minime assequi, ubi legatum conditionale scripsisset; poterat quippe mori Theresia ante conditionis implementum, atque ita praelegatum illico evanescere, in quo scribendo Tritonius prae animo habuerat = *la gratitudine, quell' atto di giustizia, che ognuno é tenuto pratticare* = Atqui = *cum in Legatis nota futuri*, *incertique eventus apposita est*, *considerandum maxime est, quo fine, et consilio adscripta sit*; *sola namque mens*, *atque animus testatoris conditionem facit* =; totidem verbis monente Rota in saepe laudata *Maceraten. Legati* 3 *Februarii* 1794 § 7 *cor. Paracciano.* Ne igitur testatoris consilium filiae remunerandi subvertatur, ea est amplectenda hypothesis, quae remunerationi ad justitiam pertinenti magis faveat, neque illam ab incerti eventus conditione pendere sinat per *Rot. in decis.* 41 *num.* 6, *et* 7 *de jure patronatus coram Falconerio.*

Cum itaque prælegatum pure relictum appareat, ideoque Theresiæ quaesitum diei debeat a die obitus testatoris, ab eaque ad suos transmissum haeredes, frustra adniteretur Joannes Maria Maggius Joscpho Patri, Mariae, et Agathae Sororibus, cuique obventas de eo symbolas eripere ex duabus donationibus, quas communis Avia Antonia Cerruti emisit favore tum ipsius Joannis Mariae, tum defuncti alterius fratris Caroli, ceu narrat praedicta mea contemporanea Decisio *Romana Successionis.* Etenim haud bene liquet in primis, utrum Antonia, dum praelegata *suppellectilis, et scutorum termille* Theresiae favore conscripta, praedictis Johanni Mariae, et Carolo donavit, voluerit reapse ab iis arcere Mariam, et Agatham, pariter Theresiae filias; cum in ipsis donationibus palam edixerit = *Atteso che la sudetta Signora Maria Teresa è premorta alla detta Signora di lei Madre, e Consorte del Testatore, tali prelegati sono passati nei di lei figli, e quantunque non ci fosse dubio alcuno, che siasi trasmesso ai figli della medesima defonta Maria Teresa il diritto di conseguire tali prelegati* =, nihilominus sese donare = *per aggiungere sempre più ragioni a ragioni* = ita ut, postquam ad filios plane omnes Theresiae aequale jus ad praelegata pertinere fassa fuerat, subdifficile sit paulo post contradicere sibi quodammodo voluis- 7

se, dum Joannem Mariam tantum, et Carolum donatarios vocavit.

8 Deinde nefas omnino erat Antoniæ Cerrutæ de prælegato disponere, quod fuerat Theresiæ relictum a Patre, quod usque a patris obitu Theresiae fuerat quaesitum; quod ad filios universos Theresiae transmissum fuerat, et ad quod idcirco filii omnes jus habebant. Sua quidem donare potis erat Antonia, non autem aliena. Neque ejusmodi donatio firmior haberi posset ob effraenem illam disponendi de rebus haereditariis potestatem, quam Joannes Carolus Tritonius fecerat haeredi suae = *dichiarandola di essi beni tutti libera, ed assoluta padrona, e perciò soggetta l'intiera eredità alla di lei disposizione* =, filiasque substinens post haeredis obitum = *in tutto quello, che si troverà di essere rimasto nell'Eredità* =; perindo ac si haeredi haud impermissum esset de rebus praelegatis disponere. Nam, cum haereditas sit jus universale comprehendens quidquid remanet in patrimonio defuncti, deductis oneribus, ot legatis, ceu memorat *Decis.* 544 *num.* 14 *coram Riminaldo*, plane hinc sequitur potestatem de rebus haereditariis disponendi, verbis licct amplissimis conceptam nunquam ad legata, quae extra haereditatem sunt, protendi posse.

9 Praelegati autem inter Cohaeredes legatariae dividendi ratio eadem erat, quam quoad Theresiae haereditatem Patres constituerunt in saepedicta contemporanea *Romana Successionis*. In probatis erat Thercsiam obiisse de anno 1811, quinque superstitibus liberis: dividendum ergo crat Praelegatum in partes quinque, quarum duae Mariae, et Agathae assignandae, quae enim tunc obtinebant Gallorum Leges faeminas cum masculis indiscriminatim ad successiones vocabant. Et quia filiorum alter Laurentius paulo post matrem obierat, hinc, iisdem inspectis Legibus, ejus symbolæ quadrans Josepho Patri assignandus, reliquus vero dodrans dividendus inter fratres, ac sorores Laurentii: Cum tandem Carolus ad plures migrasset vulgato jam notissimo Motu proprio S. M. Pontificis Pii VII, quo faeminae a successionibus propter masculos arceantur, ejus portionem jure sibi vindicabant Joannes Maria, ejusque Pater Josephus, quilibet pro semisse. Ea igitur methodo ad liquidum facile perduci posse quantum prælegati nomine cuique ex Legatariæ hæredibus devenerit. Patres censuerunt, proindeque mandatum pro summa liquidanda eis placuit decernere.

Atque ita VV. OO. DD. etc. Altera tantum etc.

ROMANA REDDITIONIS RATIONUM

Veneris 9 Januarii 1824.

ARGUMENTUM

Qui rationes semel legitime reddidit, nequit amplius cogi ad rationes reddendas. Ac legitime redditae rationes dicuntur, si fuerit expunctae per peritos ratiocinatores mutuo partium consensu electi. Qui quamvis relationem ad acta detulerint, post terminum praestitutum, non ob id relatio de nullitate argui potest.

SUMMARIUM

1. *Tenuis valoris decrementum, non est tribuendum oscitantiae administratoris, si ex vetustate vitium processit.*
2. *Qui rationes semel reddidit, non est amplius cogendus ad reddendas rationes.*

   Limita in casu, quo errores in illis expungendis, irrepsisse demonstretur - ibidem. -
3. *Administrator illico satisfieri debet de eo, de quo superest creditor.*

   Aliud est rationes ex legitimis monumentis expungere, et aliud de earum veritate, et justitia agnoscere - ibidem. -
4. *Nefas est respuere judicium ratiocinatorium, mutuo litigantium consensu electi.*
5. *Si ratiocinatores relationem ad acta non referunt, intra terminum praestitutum, id haud secumfert nullitatis vitium.*
6. *Arbitri, effluxo compromissi termino, nequeunt exercere jurisdictionem, nisi mutuo litigantium consensu prorogatam.*

   Ratiocinatores vero recte exhibent relationem etiam extra terminos conventos, si partes non reclamaverint - ibidem. -
7. *Ratihabitio aequiparatur mandato.*
8. *Peritia extrajudicialis nihil probat adversus peritiam judicialem.*

9. *Simplex administrator nequit alienare, nisi facultates habent vel a judice, vel ab homine.*
10. *Ex lege 12 Septembris anni 1797, - le vigne, canneti ec. si stimeranno alle ragione di scudi cento per pezza. -*
11. *Nequit redargui administrator, si persolverit debitum necessarium.*
12. *Administrator citra culpam, et malam fidem, damnum de proprio subire non debet.*
13. *Administratori debetur salarium, licet conventum non fuerit.*

DECISIO CLXXXIX.

Lata Sententia, ad diem tertiam Mensis Septembris anni 1821., decreverant Judices Capitolini probandum esse creditum, quod ex causa gestae administrationis experitur Jacobus Bianchi adversus haeredes defuncti Pauli Urbinati, et concedendum propterea esse eidem Jacobo mandatum in nummis Argenteis *octingentis quinque*, et obulis *septuaginto septem*, quanti scilicet constituerant periti calculatores, ex mutuo partium consensu electi, ut exhibitam ab Jacobo redditionem rationum ad trutinam revocarent, deque ea in scriptis postea referrent. Provocatione nihilominus a praedictis haeredibus ad Sacrum Nostrum Ordinem interposita, disputatum fuit dubium = *An constet de legitimo redditione rationis, ita ut, et in qua summo sit relaxandum mandatum in casu etc.*, cui Patres responderunt = *Affirmative in omnibus favore Jacobi, et Mandatum esse relaxandum in scutis* 805. 77., quemadmodum ostendit Decisio ad diem *quintam* Julii anni 1822. ab R. P. D. Gamberinio tunc nostro Collega publici juris facta, quae rerum gestarum historiam latius enucleat. Nihil vero profluit ipsis haeredibus obloquendi veniam obtinuisse adversus editam Decisionem, numeris omnibus absolutam. Cum enim ego, laudato R. P. D. Gamberino suffectus, dirimendam hodie mane proposuerim assuetam Dubii formulam = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = iisdem manentibus juris, et facti momentis album calculum evulgatae Decisioni adjiciendum duxerunt Patres, datumque ab eis Responsum est = *in decisis* =.

1 Certum, exploratumque erat in facto, post dimissam ab Jacobo, ex auctoritate Judicum, administrationem haereditatis Pauli Urbinati, tam fideliter eum res omnes haereditarias, domesticam nimirum suppellectilem, et amplam Vineam jugerum *quinquoginta unius*, quae extra Portam Caelimontanam jacet, novo Administratori Isidoro Noccioli reddidisso, et nonnulla etiam fundi instrumenta, resque mobiles tradiderit, quae neque in descriptione vineae, neque in inventario recensita ullo modo reperiebantur. Extra omnem pariter dubitationis aleam positum erat eumdem Jacobum in diuturna circiter annorum octo administratione vineae, culturam curasse, cujus aestimatio recens inita ab Agrimensore Tobia Sanio parum distat ab alia, quam, administrationis initio, confecit Agrimensor alter Petrus Paulus Sardius, modo vita functus. Hoc ipsum imo tenuissimum valoris decrementum, quod in recenti æstimatione dignoscitur, non quidem oscitantiæ, et incuriæ prioris administratoris tribuendum est, sed potius, ut ipse inquit Sanius, vetustati vitium, quæ minores propterea fructus hisce annis dederunt, et pecuniæ potissimum defectui, qui majorem vetuit prædii culturam. Nulla demum controversia oriebatur, ad inanem vitandam sumptuum jacturam, conventum communi litigantium placito fuisse, ut duo eligerentur periti ratiocinatores, qui de rationibus ab administratore exhibitis, deque stipendio ei debito intra præstitutum tempus referrent, adjecta expressim Lege = *che combinando questi due Periti nello stesso sentimento, non si possa, e non si debba da alcuna delle due parti reclamare, ma ol loro giudizio debbo starsi inappellobilmente.*

2 His vero perpensis, plane sequebatur, neque ex jure, neque ex pacto cogendum denuo esse Jacobum ad reddendas gestæ administrationis rationes. Non quidem ex jure, in quo, licet receptum maxime sit, ut quisquis alterius bona administraverit, rationes reddere debeat gestæ administrationis, veluti, ex *Text. in Leg.* 1. §. *Officio ff. de tutelis, et leg.* 2. §. *Et sane ff. de negot. gest.* edocent *Esco-*

bar. ratiocin. cap. 1. *num.* 4., *Rota in Rec. decis.* 35. *numer.* 3. *par.* 19., *decis.* 754. *num.* 1. *coram Molines, et in Pisauren. Redditionis Rationum, et Pecuniaria* 2, *Martii* 1789. §. *Non enim cor. cl. me. Malvasia*; postquam tamen rationes ipsæ semel redditæ fuerint, nequit amplius earum redditio postulari, nisi invictis undique probationibus demonstretur errores in illis expungendis irrepsisse, qui aliquid vel earum validitatis, vel integritati detrahant. *Leg. Semel. Cod. de Apoc. pub., Rot. in Recen. decis.* 188. *nnm.* 6. *part.* 8., *decis.* 256. *num.* 2. *par.* 19. *coram Emerix Jan., decis.* 370. *num.* 1. *coram Crescentio*, *decis.* 142. *num.* 1., *et decis.* 80. *num.* 1. *et seq. coram Herzan.* Jam vero Jacobus rationes gestæ Administrationis reddidit, in iisque conficiendis non opera propria usus fuit, sed publicum ratiocinatorem adhibuit Josephum Porcellium, qui cæteroquin a calculis erat ipsius hæreditatis Pauli Urbinati, et rationes espunxit una cum necessariis acceptilationibus, et monumentis singulas partitas introitus, atque exitus comprobantibus. Nulla ergo suberat ratio, cur ad reddendas denuo rationes compelli valeat Jacobus, qui nec de errore, nec de ulla fraude in computatione conficienda redargui poterat.

3 Multo minus autem ad hoc opus tenebatur Jacobus ex pacto. Si enim inter se ita convenerant Litigantes, ut nemini fas esset ab judicio ratiocinatorum reclamare, jam sponte consequitur, ut servandum omnino sit quidquid ipsi ratiocinatores de exhibitis rationibus retulerunt. At vero ratiocinatores, ex consensu partium electi, calculos ab Jacobo exhibitos approbarunt, ratumque creditum habuerunt, quod eumdem Jacobum adversus hæredes Pauli Urbinati ex deductis rationibus in scutis *biscentum nonaginta*, obulisque *septuaginta septem* experiri patebat. Quantum ergo absonum a jure esset, ut ad rationes iterum reddendas cogeretur, qui integritate summa munus, suum implevit; tantum juri, ac justitiæ congruit, ut de eo, ex quo creditor supersit, administratori ex conventione illico satisfiat. Nam non poterat ratiocinatoribus objici, quod cæcis oculis Jacobi computa probaverint, non inspectis antea scripturis, et monumentis, quæ eorum legitimitatem evincerent, cum aliud sit, rationes ipsas ex legitimis monumentis expungere, et de earum veritate, et justitia cognoscere. *Rot. in Leodien. Redditionis Rationis* 5. *Junii* 1744. §. 6. *coram Molino, in Ferrarien. Pecuniaria super creditis* 10. *Maii* 1772. §. 9., *et seq. coram Ratta, et in confirmatoria* 14. *Martii* 1783. §. 6. *cor. Riminaldo.*

4 Indubium siquidem erat, Jacobum opportuno tempore ratiocinatorbius Cæsari Cantoni, et Clementi Fabiani codices omnes, acceptilationes, adversaria, Kalendaria, et scripturas exhibuisse, ut justitia calculorum evinceretur. Indubium rursus erat, non temere, neque inconsulto, sed ad rationum examen, hisce omnibus monumentis serio perpensis, eosdem ratiocinatores processisse, et computa deinde probasse, quemadmodum etiam ex relationis ab iisdem editæ verbis eruebatur. Si itaque hæc methodus servata fuit in reddendis, recipiendisque rationibus, clarum proinde fit nullam amplius excitari posse querelam de earum validitate, legitimitate, et justitia, ut in casibus fere similibus statuit Sacrum Nostrum Tribunal in *Rec. decis.* 188. *numer.* 6. *et* 7. *part.* 8., *decis.* 286. *n.* 2. *et* 3. *part.* 19. *coram Emerix Jun. decis.* 370. *num.* 3. *in Hilnesimen Præpositurae super Redditione Rationis* 4. *Decembris* 1752. §. 4. *coram Bussio*, *in cit. etc. decis.* 80. *numer.* 4. *coram Herzan, et in superiori Causæ decis.* §. 3. Multo autem magis in hanc sententiam venerunt Patres, quia, non solum de ratiocinatoribus agitur mutuo litigantium consensu electis, quibus propterea fidem omnem adhibendam esse monet, adducti auctoritatum exemplis, præterita *decis.* §. 3., sed etiam, quia ipsi litigantes adeo deferre, ac se committere calculatoribus voluerunt, ut nemini fas esset eorum judicio refragari, si rationes expunctas concordi animo probassent.

5 Neque secus censendum, quia ratiocinatores relationem suam apud acta

publica detulerunt, postquam prætcrlapsus jam fuerat terminus ad referendum præstitutus. Primum namque animadvertendum occurrebat, ex hac adamussim causa nullitatem ipsius relationis hæredes Pauli Urbineti coram Signaturæ Justitiæ Tribunali proposuisse, meritoque despectam, reprobatamque fuisse objectam circumscriptionis querelam. Inutiliter ergo coram Sacro Nostro Ordine ea exceptio proponebatur, quæ penitus a Signaturæ Judicibus rejecta fuerat. Non hic præterea res erat de Judicibus compromissariis, quorum jurisdictio cessat, semelac labitur constitus compromissi terminus. Agebatur imo de peritis calculatoribus, qui nullam habebant jurisdicundi facultatem, et quorum opus nullum sentire poterat detrimento ex temporis lapsu. In hisce quoque casibus, quemadmodum usuvenit in Judicibus compromissariis, si periti calculatores præfinitum tempus perperam elabi siverint, jus statim acquiritur litigantibus ad Judicem redeundi, ac impune posthabendi, si postmodum forte prodierit, ratiocinatorum judicium, qui cæteroquin infecti operis mercedem petere nequeunt.

6 At in hoc differunt Arbitri a peritis calculatoribus, ut primi non aliter possint, effluxo compromissi termino, jurisdictionem exercere, nisi eorum jurisdictio mutuo Litigantium consensu prorogata fuerit: alii vero rite valent de re controversa, termino etiam absoluto, judicium ferre, dummodo litigantes interea ad Judicem non redierint, aut aliquo modo ostenderint, sese non fore servaturos quidquid postea dixerint calculatores. Adeo autem alieni ab improbando calculatorum facto fuere litigantes, ut nemo eorum, priori temperamento deserto, ad Judicem reditum fecerit, et ipsi e contra hæredes Pauli Urbinati, longe post elapsos quindecim dies Cantonio præstitutos ad scripturas, singraphasque alteri ratiocinatori tradendas, urgere illico cœperint traditionem ipsam, eamque in rem Jacobo vadimonium constituerint. Idem quin imo hæredes juge silentium observarunt, donec calculatorum ratio apud acta delata fuit. Relatione demum penes taballionem deposita, non solum, præfiniri mercedem calculatoribus debitam postularunt, sed ipsius quoque relationis aperitioni impensissime studuerint. Quamvis igitur extra conventum tempus in lucem relatio venerit, assensum tamen suum litigantes ei præbuisse ex his omnibus luculenter apparebat, nec ideo permissum esse poterat prædictis hæredibus, ex objecta ratiocinatorum mora accepto habitam relationem in discrimen adducere, postquam eam sibi contrariam noverant, ut etiam, hæc omnia animadvertendo, concludit prima *Causæ decis.* §. 4.

Incivile autem visum fuit adversus 7
redditam, approbatamque rationum redditionem excipere, *vel* prætermissum in calculatione fuisse fructum avenæ, quem Anno 1814. vinea dederat; *vel* marte proprio, nullaque ductum ratione Jacobum persolvisse Magdalenæ, defuncti Pauli Sorori, nummos *argenteos* fero *nongentos vel* denique collybisticum nomen in patrimonii perniciem erga Justinum Galassi causidicum ab administratore fuisse contractum. Quod enim spectat ad avenæ pretium, ex ipsa calculatione patebat cessum illud cuidam Jeremiæ Virili, patrimonii creditori, transactionis ope fuisse, quam cum maximo hæredum compendio iniverat administrator. Sic etiam ex calculis ac ex monumentis redditionem rationum probantibus constabat, non ex arbitrio. sed ipsis volentibus, ac imo jubentibus hæredibus, cam pecuniæ vim defuncti Pauli sororem accepisse, ne alioquin infelix Mulier fame torqueretur, quæ ex triente jus ad fratris hæreditatem habebat. Quod si demum æs alienum contraxit administrator, non id absque causa fecisse ex iisdem rationibus ostendebatur, tum quia jam non exilem pecuniæ quantitatem in administrationis sumptus ipse impenderat, tum quia novæ in dies occurrebant erogandæ pecuniæ necessitates. Cæterum injuria de stipulatione collybi querebantur hæredes, qui factum administratoris deinde ratum habuerunt, dum ejusdem collybi prorogationem cum Galassio curarunt.

Ratihabitio siquidem æquiparatur mandato. *Gratian. discept. forens. cap.* 704. *num.* 24., *et seq. Rot. dec.* 380. *num.* 9. *cor. Ansaldo.*

8 His omnibus, quibus in præterita actione ad Jacobi creditum amplianduro abutebantur hæredes, quæque optime diluit prima Causæ *Decis.* §. 6., in hodierno certamino plura etiam iidem addebant non minus deteriora, et commentitia. Ex testimonio namque cujusdam Agrimensoris Francisci Ricci inquiebant auctos valde in redditione rationum fuisse sumptus in Vinae culturam erogatos. Sed extrajudicialem, ac fervente Lite expicatam decempedatoris depositionem evertebat, nec non administratoris integritatem maxime vindicabat judicialis, ac ex litigantium consensu delecti, agrimensoris Tobia Sani relatio, qui non solum asseruit vineæ culturam integro gestionis tempore administratorem curasse, verum etiam adjecit decrementum illud, licet tenue, et vix scutorum *viginti*, quod inter novam, et veterem ipsius Vineæ æstimationem depromebatur, non ab administratoris incuria, sed ad vitium vetustate repetendam esse. Præterea animadvertit pariter idem peritus in relatione sua = *che l' importo della coltura annuale della sudetta Vigna; Sodi e Canneti non può avere ammontato a meno di scudi* 730. *in singulos Annos.* Quocirca, si ex redditione rationum manifestum erat, priori excepto, cæteris administratoris annis minorem admodum summam in Vineæ culturam administratorem impendisse; non minus injusta dignoscitur extrajudicialis decempedatoris objurgatio, quam tuto in loco posita videatur administratoris integritas, et prudentia, qua sese toto tempore Administrationis gessit.

9 Vitia dein vertendum Administratori non erat, quod domesticam suppellectilem non distraxerit, annuamque pensionem scutorum *quinquaginta quinque* pro conductione domus persolverit. Ad primum quippe recte respondebatur, simplici Administratori minime licere res administratas, sive mobiles sint, sive immobiles, ullo modo alienare, nisi bujusmodi, vel ab Judice, vel ab homine facultatem habuerit. Tantominus autem valebat administrator domesticam suppellectilem divendere, cum ageretur in themate de pupillis, et minoribus, qui, majores facti, domesticae ipsius suppellectilis usum vindicare potuissent, nec alium debebant detrimentum ex alienatione capere. Alterum vero falsissimum dignoscebatur, quia reapse ex monumentis redditioni rationum adjectis apparebat, tantum summam scutorum *quindecim* in singulos annos ob domus conductionem administratorem numerasse, cui quidem parcere non poterat, si erat retinenda domestica supplex, et reliquam summam ipsius Sororis Pauli Urbinati oneri fuisse. Neque redarguendus erat administrator, si inter Patrimonii credita, non autem inter debita, recensuit summam scutorum *septuaginta septem*, et obulorum *quinquaginta*, Vincentio Tortolinio causidico solutam in causam Litium, quæ pro ipso patrimonio agebantur. Cum enim Tortolinius nunquam exhibuisset computa, descriptus propterea fuit inter debitores hæreditatis, quippequi rationem reddere de ea summa debebat, semelac computa actarum Litium ederet. Sed nihil pertinet, utrum recte nec ne descripta summa illa fuerit eo loco, Nam rei quæstio in eo stat, an eam pecuniæ vim revera persolverit administrator. Cum vero nulla hac de re controversia moveretur, nihil sane interat, quod descripta eadem summa inter credita, vel debita reperiatur.

10 Progrediebantur deinceps hæredes ad aliam summam scutorum *centum octuaginta duo*, et obulorum *trium*, quam pro successionis intributione persolvisse declaraverat administrator super hæreditario capite scutorum 6826. 14, cum e contra ex redditione rationum ab eodem administratore exhibita pateret, integrum hæreditatis caput, ære alieno deducto, vix summam attingere scutorum 5968. 41. Ex hac diversitate summæ, opera adhibita obscuri cujusdam ratiocinatoris Josephi Retrosi colligebant hæredes = *una minorazio-*

ne di somma nell'accusa fatta dal Bianchi in scudi 857. 73., *di cui dovrebbe dar sfogo, e dichiarare per qual motivo non sia stata considerata a suo debito nel predetto stato, e quale uso abbia della medesima fatto,* = ut erant verba ipsius ratiocinatoris. Sed inanis hæc quoque visa fuit accusatio. Continebant enim redditæ rationes, tum activum, ut inquiunt, tum passivum patrimonii statum, quorum primus in scutis 9768.63 cohibetur, alter vero scutis 3800. 22. constat, et activum minuit usque ad scuta 5968. 41. ut calculanti patet. Ideo tamen status activus summam non excedit scut. 9768. 63. quia Vineæ pretium constitutum fuit in scutis 3343. 50, quanti scilicet ipsam vineam Sardius æstimaverat administrationis initio, et quanti rursus a Sanio æstimata fuit post expositam rationum redditionem. At nihil hujusmodi æstimationes, vel eo tempore valebant, vel in præsens prosunt ad præfiniendum successionis vectigal. Lex siquidem tunc aderat, jam a *die decima secunda* mensis Septembris anni 1797. evulgata, quæ jusserat = *che le Vigne, i Canneti, i Pomari, a altri terreni ristretti esistenti dentro, o fuori le mura di Roma, si stimeranno alla tenue ragione di scudi cento per pezza, compreso il suolo, ed il sopraterra, senza fare altra distinzione, e senz'alcuna detrazione.*

11 Quamobrem si latitudo vineæ usque ad jugera *quinquaginta unum* perveniebat ut retulerunt Agrimensores, nemo profecto non intelligit, illius pretium, quoad successionis vectigal, eruendum non esse ab æstimatione eorumdem Agrimensorum in scutis 3343. 50. inita, sed longe majorem summam conficere, remque utilem proinde erga patrimonium gessisse administratorem, dum tenuem illam summam scutorum *centum octuaginta duo* in causam vectigalis successionis numeravit, quæ juxta prædictam legem longe major esse debuisset: quemadmodum pariter animadvertebat ratiocinator Aloysius Collalti, qui Clementi Fabiani, fervente lite defuncto, soffectus fuit, novaque relatione optime rejecerat ineptias omnes ab ignoto illo calculatore Josepho Retrosi ad rem clarissimam implicandam congestas. Irrito demum Studio carpere conabantur hæredes nonnullas solutiones, quas erga Monasterium S. Laurentii in Pane, et Perna, et erga hæreditatem Marchionis Spinelli fecerat administrator. Cum enim defunctus Paulus Urbinati, qui, tam Monasterii, quam Marchionis Spinelli negocia in Urbe gerebat, post initam rationum dispunctionem eorum debitor extitisset in ea summa, quam reapse persolvit Administrator, veluti ipsæ Moniales, et honestus Romanæ Curiæ causidicus Petrus Philippus Filippani, qui modo ejusdem hæreditatis. Spinelliæ bona, et reditus Romæ existentes administrat, pro veritate, ac de facto proprio testabantur, oportebat sane, ut, tum Monasterio, tum hæreditati Spinelliæ de eorum adversus Urbinatum creditis ab administratore satisficret.

Quod si putant Heredes, nullo jure cogente, eam summam fuisse solutam, præsto eis est actio condictionis indebiti, ex qua reposcere possunt quidquid indebite solutum est. Interea tamen criminari administratorem non debent, si rem, non tantum utilem, quantum necessariam pro patrimonio gessit, cum præcipue quisquis administrator, procurator, vel hæres beneficiatus, citra culpam, et malam fidem, damnum de proprio subire non debeat. *Leg. si quis. ff. quemadmodum Testam. aper., Surd. cons.* 143. *num.* 40., *Marant. controv. jur. part.* 4. *contrav.* 62. *n.* 37.. *Rot. in Recent. Decis.* 2. *num.* 3. *part.* 6. *dec.* 158. *num.* 14. *par.* 15. *cor. Merlino decis.* 202. *num.* 10, *et decis.* 534 *n.*4. *cor. Ansaldo.* Spernendi autem erant testes in æstu Litis ab hæredibus pluries memoratis in medium adducti, ut probarent, se non potuisse redditas rationes inspicere, vel non integra redditarum rationum monumenta ab administratore tradita fuisse. Nam falsum utrumque comperiebatur ex depositionibus aliorum testium, qui majorem in judicio fidem sibi vindicabant, et præcipue honesti alterius Causidici Philippi Bonifiglioli, qui disertissimo testimo- 12

nio suo illorum testium dicta convellit. Non erat igitur denegandum, summa integritate rerum gestionem ab Administratore susceptam, et ad exitum perductam fuisse, et ea omnia fecisse, quæ frugi, ac prudens pater familias in re sua gessisset.

13 In discrimen hinc adduci non poterat creditum scutorum *biscentum nonaginta*, et *obulorum septuaginta septem*, quod ex administrationis causa proferebatur. Sed huic summae addenda quoque erat altera scutorum *quingentum, ac quindecim*, quae ad salarium administratori, tam ex jure, quam ex pacto debitum refertur. Si enim de jure sermo sit, cum omnis labor, ut commune feret adagium, optet præmium *ex Cap. Abundanti* 7. *quæst.* 1. *Cap. Charitatem* 2. *quæst.* 2., *et gloss. in Cap fin.* 8. *quæst.* 1., receptissimum hinc est, praecipue ex Urbis consuetudine, salarium, seu mercedem competere, licet conventa non fuerit *Zacch. de Salar. quaest.* 102. *num.* 15. *ad* 19. *Constant. vot. decis,* 284. *num.* 11. *et sequen. et ad Statut. Urb. annot.* 17. *num.* 45., *Rot. coram Cavaler. decis.* 599. *num.* 2. *Decis.* 416. *num.* 3. *coram eodem, decis.* 22. *num.* 7. *tit. de solut. cor. Tanara*, *decis.* 1. *num.* 4. *in Albanen. Mercedis* 25. *Julii* 1753. *cor. Matthejo* §. 3., *et in Romana Pecuniaria super redditione rationis* 4. *Julii* 1785. §. 1. *cor. clar. me. Malvasia.* Magis vero salarium administratori competebat ex pacto. Periti enim ratiocinatores, non in eum solum finem electi communi placito fuerunt, ut de rationum redditione referrent, sed ut prefinirent quoque mercedem administratori debitam, quam in scutis *quinque* in singulos Menses reapse constituerunt. Præ oculis autem habentes Patres Domini, non arduam modo, sed etiam laboriosam rerum gestionem, quam administrator sustinuit, mitissimam censuerunt taxationem mercedis a ratiocinatoribus constitutæ, quam ideo libentissime probarunt, veluti pariter edisserit prima *Decisio* §.7. Insimul ergo collectis summis, quarum solutionem, tam Crediti, quam mercedis nomine, petebat Administrator, manifestum erat liquidum hæredum Pauli Urbinati creditorem administratorem superesse in scutis 805.77., pro quibus mandati relaxatio confirmata hodie fuit.

Et ita, relatione habita ad primam decisionem, jus redditum est. Utraque etc.

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS

Veneris 20 *Februarii* 1824.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Cohaeres aliis cohaeredibus, gestionis suae rationes reddere debet.*
2. *Qui administravit, tenetur ad restituendum id omne, quod de tempore susceptae gestionis extitisse probatur.*
3. *Cohaeredi adversus alterum cohaeredem, competit tam actio negotiorum gestorum, quam petitionis haereditatis.*
4. *Qui in administrationem alterius subingressus est, rationum ab eo redditionem recepisse praesumitur.*
5. *Qui intra tempus praefinitum rationes non reddidit, urgeri debet mandato de gravando*

DECISIO CXC.

Cum post obitum Antoniæ Cerrutæ, in taberna mercatoria prædefuncti ejusdem viri Joannis Caroli Tritonii aliquanto versatus esset Joseph Maggius, cuncta subinde occupavit ejus filius Joannes Maria Maggius, inventario confecto, ac Patri Oeconomo a Supremo Principe impetrato. Variis tunc exortis quæstionibus inter Josephum Patrem, Joannem Mariam, Agatham. et Mariam illius filios, de successionibus, de prælegatis, de usufructu patri debito, curavit Josephus hæc inter Mercatoriæ tabernæ gestionem alicui credi integræ fidei Negotiatori, quod, ut par erat, obtinuit Nostri S. Ordinis apposito Decreto. Attamen Joannes Maria Maggius paulo post inopinata fuga ab Urbe evasit, auferens e

communi substantia scuta fere *quindecim millia*, hæreditatibus jam pridem haud leviter expilatis, ceu narratum fuit in *Romana Successionis* a me vulgata ad diem 4. labentis mensis. Absens vero, præter aliam de divisione, in qua Sorores etiam comprehendit, hanc quoque quæstionem Patri indicendam curavit de redditione rationum Conciliatam igitur ad hoc formulam hoc mane proponere debui = *An quomodo, et contra quem sit locus restitutioni rerum, et redditioni rationum et sint relaxanda mandata in casu etc.* = atque, in contumaci silentio manente Joanne Maria, Responsum accepi *pro Informantibus*, nempe = *Affirmative in omnibus contra Joannem Mariam juxta modum in Decisione exprimendum, et esse relaxanda Mandata de gravando, et exequutivum pro summa liquidanda* =.

1 Reque vera haud quidem Josephum, sed ipsum Joannem Mariam illico fere post funus Antoniæ Cerrutæ universum patrimonium, ac præcipue mercatoriam tabernam occupasse indubium erat ex confessione sæpius iterata ab ipso Joanne Maria, dum pro excludendo administratore a Nostro S. Ordine, instante Josepho, deputato, pugnabat; tunc enim ille sese dixerat = *Amministratore dei beni di Carlo suo fratello, e Maria, ed Agota Sorelle* =; ejusque Defensores palam obtestati fuerant = *Sequuto obitu Antoniæ Cerruti Joseph Maggi Adversorius agnovit una cum Petrarchiis Joannem Mariam Maggi in Administratorem Patrimonii Tritonii ad tramites Instrumentorum donationis* = Si igitur universum patrimonium unus Joannes Maria detinuit, ejusque redditus pro lubitu suo percepit, atque erogavit, æquum profecto erat, ipsum aliquando cohæredibus gestionis suæ rationes reddere, hoc siquidem onus, veluti corpus umbra, eos perpetuo sequitur, quibus alienæ substantiæ regimen creditum fuit *ad Text. in Leg.* 1. §. *Officio ff. de Tut.*, *et rat. Leg.* 2. §. *Et sane ff. de negot. gest.*, *Rota in decis.* 754. *num.* 1. *cor. Molines*, *in Aquilana dotium*, *et administrationis Multiplici* 10. *Martii* 1751. §. *Ea moti ratione cor. Mattejo*, *in Pisauren. redditionis rationis*, *et Pecuniaria* 2. *Martii* 1789. §. 3. *cor. cla. me. Card. Malvasia*, *et in confirmatoria diei* 26. *Junii ejusdem anni* §. 3. *cor. eodem.*

Nedum vero ad rationes exhibendas tenetur, qui administravit, sed etiam ad restituendum id omne, quod de tempore susceptæ gestionis extitisse, postea autem defecisse probetur, ut firmat *Rota in dec.* 499. *num.* 2. *cor. Olivatio.* Et sane Joannes Maria in confectione Inventarii haud parva hæreditaria nomina occultaverat, quæ subinde revelavit tabernæ institor honestissimus, qui de facto proprio eadem contraxerat: Rursus res pretiosas, argenta, gemmas, aliaque domesticæ suppellectilis subtraxerat, quarum rerum omnium defectum diligenter adnotaverat Tabernæ appositus administrator. Demum, cum ab Urbe excessit, secum abstulerat scuta fere *quindecim millia*, accurata teste notula, quam Joseph exhibebat. 2

Verum ad hæc, cæteraque hujusmodi condicenda plures cohæredibus actiones suppetebant; et primum quidem actio negotiorum gestorum, quam recte semper intendit cohæres in eum, qui, hæreditati insidens, res, aut pecunias distraxerit, suosve in usus converterit ad *Text. in Leg. Cum hæredibus* 10. *ff. Si pars hæredit. pet.*, *et in dec.* 499. *num.* 2. *cor. Olivatio.* Præsto deinde eis erat actio vindicatoria, seu petitionis hæreditatis, qua potuissent malefidum gestorem, licet cohæredem ad singularum rerum restitutionem adigere per *Text. in Leg. Etiamsi putavit* §. *Quid si quis hæreditatem ff. de petit. hæred.*, cui plaudunt *Barth. in Leg. Si cum Servum ff. si cert. pet. et Rot. in dec.* 499. *num.* 3. *coram Olivatio.* Et quia subdifficile esset res singulas enumerare, ac persequi, sat eis fuisset docere res illas in hæreditate extitisse, ut Joannes Maria, tamquam earum possessor, cogi posset ad pretium saltem repræsentandum, ut habet pariter *Text. in Leg. nisi ex re* 33. §. *Julianus scribit*, *Leg. Illud* 40., *et Leg.* 54. §. 2. *ff. de hæred. petit.*, *et Rota in* 3

dic. decis. 499. *numer.* 3. *coram Olivatio.*

4 Tandem ex hoc quoque eum, non Josephum, ad rationum dispunctionem provocandum merito contendebant, quia nempe, cum extaret rerum accurata descriptio, de aliarum vero occultatione ambigi nequiret, jus exinde derivabat cohæredum cuilibet petendi a cohærede altero, qui administravit, ut sibi rationem redderet de rebus ipsis, in quibus æquo is polleret dominio, præsertim cum, inventario extante, eodem jure gaudeant etiam simplices creditores, qui nullum hæreditatis dominium habent. Ita per text. *in Leg. Si quid possessor* §. *Sicut autem ff. de petit. hæred.*, *et Rot. in Dec.* 17. *num.* 3. *part.* 12. *Recent.*, *et in dec.* 499. *num.* 8., *et* 9. *cor. Olivatio.* Et frustra ad eam declinandam obligationem objecisset Joannes Maria, Patrem Josephum aliquantisper in Mercatoria Tritonia taberna versatum fuisse, post obitum Antoniæ Cerrutæ, quia ipsum, haud vero patrem omnia tunc occupasse in probatis erat; et, quatenus etiam pater momento temporis rem detinuisset, rationes illico reddidisse, ac sese purgasse præsumendus erat ex silentio, quod servavit Joannes Maria, cum, Patre excluso, tabernam ipse unus ingressus fuit, et ad libitum rexit.

5 Immota itaque rationum reddendarum obligatione, haud incongruum Patribus visum est certum Joanni Mariæ temporis spatium præfiniri: intra quod munus illud implere omnino debeat, quo tamen tempore incassum elapso, mandato, quod in foro nuncupant de gravando, urgeri possit, ut alias in obligationibus aliquid faciendi exequendis procedi consuevit teste *Decis.* 330. *num.* 7. *cor. Riminaldo.* Quidquid autem, sive in rebus, sive in pecunia, pro earum pretio, Joannes Maria cohæredibus restituere debeat, ad id Patres relaxandum favore Cohæredum censuerunt mandatum exequutivum pro quantitate, quæ in posterum ad liquidum perduci poterit.

Ac ita, Universae Aulae concurrente suffragio etc. Altera tantum etc.

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS

Lunae 17 *Maii* 1824.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Qui alienas res administravit, rationes reddere debet omnibus, quorum interest.*

Maxime si pactum expressum accesserit - ibidem. -

2. *Si culpa administratoris rationes reddi non possunt, causa dirimitur juramento in litem favore actoris.*

Sine libris fideliter conscriptis, quantitas redditumm dignosci nunquam poterit - ibid. -

DECISIO CXCI.

Sententia, die 3 Aprilis anni 1813 edita, quæ Reijudicatæ vires nacta est, Tribunal, quod Lutetiæ in Prima Actione jus reddebat, Principem Vincentium Giustiniani ad rependendam Marchioni Michæli la Greca summam scutorum 19370, et obul. 91 $\frac{1}{4}$, quot gratuito usque ab anno 1809 mutuo ab eo acceperat, damnavit; unaque simul ob præexistentes inscriptiones in bonis, quæ specialiter debitor mutuantis favore devinxerat, assertis quavis hypotheca, quovisve vinculo immunibus, stellionatus in pænam, *tum* reale, *tum* personale mandatum contra eumdem esse relaxandum edixit. Verum creditor, parcens amico, atque summo juris rigore, quem ei Lex, ac Parisiensis Sententia tribuebat, agere abhorens, de eo tantum se præbuit sollicitum, quod ad consequendum suum creditum conduceret. Itaque in vim illius Parisiensis Reijudicatæ Romæ Primæ Instantiæ Tribunal adivit, eoque auctorante, ne dum omnia ea bona ad debitorem spectantia, quæ simulatis venditionibus in fraudem creditorum ex ipsius debitoris patrimonio subripi certior factus fuerat, sed etiam omnes redditus, qui ex eo patrimonio percibiebantur ab Horatio Columna, cui cæteri creditores præcedente anno exactoris munus mandaverant, cum

lege expressa = *di tenere esatta scrittura dell'esatto, e del pagato, per renderne conto ad ogni interpellazione* =, generali sequestro subjecit. Haud tamen hæc providentia ei profuit. Nam extemplo cæteri creditores excitati sunt qui certatim impetum fecerunt super pecuniis ex sequestris percipiendis. Acerrima igitur orta cum esset controversia super prælatione in earum pecuniarum consignatione, Judex provisorius, ut omnium indemnitati magis prospiceret, exactori Colonna præscripsit, ut redditus omnes patrimonii Giustiniani in Nummularia Scultheis deponeret, ei deinde tradendos, cui de jure deberi constitutum foret. Incredibili dictu est, quæ, quantaque longo biennii lapsu a Justiniano objecta fuerint, ut hujus consultissimi provisionalis Decreti exequutionem turbaret, atque impediret. Qua propter Marchio la Greca, cognito debitoris proposito suum creditum frustrandi, ut aliquando tricas omnes obrumperet, juraque sua in tuto poneret, apud A. C. Triumviros stetit expostulans, ut patrimonio Giustiniani administrator judicialis deputaretur, qui, præstita fidejussione, reditus omnes cum vinculo litis in Æde Sacra deponeret, et omnia, et singula bona, prævia eorum descriptione, cum inhibitione quidquam consignandi, nisi Judicis accedente mandato, depositi loco retineret.

Æquissimam hanc petitionem benigne semel, atque iterum excepit Triumvirorum A. C. definitivum Decretum, iisque sub legibus, conditionibusque administrationis onus Vincentio Cancellieri concreditum est. At providentissimum illud consilium illico irritum fecit Justinianius, qui nil intentatum relinquens, ut humanissimum suum creditorem ludificaretur, Sanctissimo Pontifici preces porrexit pro deputatione generalis Æconomi, qui suis rebus consuleret, facileque, Decretis Triumvirorum A. C. alto sub silentio prætertitis, Marchioneque la Greca prorsus ignaro, consonum votis Rescriptum obtinuit, quo Advocatus Franciscus Corradini ejus patrimonio præpositus fuit. Ægre vero tulit Marchio la Greca tot sua studia, ut securitati sui crediti provideret, per eam Æconomi deputationem uno veluti ictu irrita facta fuisse, ideoque, ut fraudi debitoris obviam iret, nulla interposita mora, Sanctissimi Auditorem adivit, impetravitque, ut optimo temperamento, quod Sanctissimi Principis Rescriptum, atque Collegialis A. C. Tribunalis Decreta sarta, tectaque servaret, firma manente Æconomi deputatione, una simul prædicto Vincentio Cancellieri = *sub assuetis de jure conditionibus et obligationibus retinendi in forma depositi omnes quoscumque reddituს ad dispositionem Judicum, et prævia descriptione omnium, et singulorum bonorum ipsius patrimonii* = exactoris munus committeretur. Pro revocatione hujusce Decreti Corradinius, caussans fieri non posse, ut, se Æconomo, alter adesset, qui res patrimonii Giustiniani curaret, iterum, atque iterum pugnavit; sed labor omnis irritus fuit. Nihilo tamen minus, vix Cancellierius, præstita fidejussione, mandato sibi muneri munus admovere voluit, eumdem Corradinium acriter reluctantem invenit, qui ei tradere omnia documenta negavit, quæ ad exercitium sui muneris spectabant, nec pati omnino voluit, ut is patrimonio Giustiniani sese immisceret. Quem ab incepto proposito cum nec amica adhibita officia, nec ipsa Judicis auctoritas dimovere potuissent, Cancellerius, redditis rationibus, officio sibi concredito valedicere coactus fuit; ac Collegiale A. C. Tribunal cum iisdem legibus, et conditionibus Antonium Tuschi in ejus locum subrogavit. Sed Corradinius, provocatione interposita, specialique citatione expedita, ne quid innovaretur omnino præpedivit.

Majori vero urgente controversia, hæc quæstio quoad exactoris deputationem postea siluit. Nam Corradinius alacri animo res patrimonii Giustiniani administrandas suscipiens, cum putaret rem Principi utilem se gessurum, venia a Signatura impetrata, Sententiam Lutetiæ editam coram Sac. Nostro Ordine ad examen revocavit. Ejus

tamen conatus cum cesserit in irritum, ut patet ex *Decisione Romana* 18 *Junii* 1819 *coram bon. mem. Zinanni*, meliori is capto consilio, liti valedicens, rem omnem cum creditore la Greca, ejusque Cessionario Equite Philippo d'Arcambal ex æquo, et bono componere promisit. At, postquam ii inania sibi verba dari intellexerunt, ne diutius illusi suum creditum lugere deberent, rebus debitoris persequendis enixe operam dare statuerunt, ideoque non solum curarunt sollicite, ut quæ in fraudem creditorum pendente concursu simulatis venditionibus subtracta fuerant, in patrimonium debitoris redirent, sed eo etiam præcipue animum intenderunt, ut a Principe Giustiniani, a Colonna, et a Corradinio de bonis diu administratis, scuta 15000 quotannis reddentibus, rationes exhiberentur. Cum res absque judicio confici non posset, A. C. Triumviros ea de re adire oportuit, qui in re tam perspicua, præsertim vero Justinianio, et Corradinio contumacibus, Colonna vero aperte profitente se paratum esse = *a fare il rendiconto* =, nil hæserunt, quin tantum *quindecim* dierum inducias ad rationes exhibendas Reis conventis indulgerent, eoque termino elapso, mandatum de gravando in scutis tribus pro qualibet die adversus eosdem relaxarent. Huic Judicio nec Princeps Giustiniani, nec Corradinius, nec, quod magis mirum est, ipse Colonna, qui solemniter paulo ante obtestatus fuerat, sese paratum esse ad rationes reddendas, acquieverunt. Provocatione igitur interposita, res definienda ad Sacrum Nostrum Ordinem conscendit. Sed, indicto hodie certamine, cum Rei conventi vadimonium deseruissent, quærenti mihi = *An sit locus præfixioni termini ad reddendam rationem, et eo elapso relaxationi mandati de gravando, seu potius juramento in litem, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* =, Patres incunctanter dederunt Responsum = *Affirmative, et esse locum prefixioni termini ad rationes reddendas, eoque elapso, rationibusque non redditis, esse locum juramento in litem ab Actoribus præstando, et pro summa ab eodem juramento resultante esse relaxandum mandatum* =.

Nec alia fuisset, Reis conventis e- 1
tiam judicio sistentibus, controversiæ definitio. Etenim nil in jure notius, quam ut illi, qui alienas res curavit, onus incumbat reddendi omnibus, quorum interest, de gesta administratione rationes *ad Text. in leg.* 2 *ff de negot. gest. leg.* 4 *Cod. de Administr. tut. Rota in Decis.* 73 *num.* 1 *p.* 3 *Recent. Decis.* 585 *num.* 1 *coram Olivat. Decis.* 388 *num.* 4 *coram Riminald. in Aquilana Dotium super redditione rationis* 14 *Junii* 1757 *coram Matthejo num.* 7, *et in Pisauren. Redditionis Rationis* 26 *Junii* 1789 § 3 *coram Malvasia*. Si igitur ambigi profecto non potest, quod ab anno 1812 usque ad hanc diem, primum Horatius Colonna, dein Franciscus Corradini, *alter* uti exactor, *alter* uti Æconomus rebus patrimonio Giustiniani præfuerit, ejusque redditus perceperit, et pro libitu erogaverit, consequens necessario videtur, summo jure, summaque ratione constitutum fuisse, certum eis esse præfigendum terminum, intra quem integras ab initio, secundum sua tempora, quisque exponat suæ gestionis rationes, ut inde pateat, quot redditus percepti fuerint, et quo ii abiverint, qui non ex arbitrio, sed tantum in Creditorum commodum erogandi erant. Redundaret sane id unum, ut Rei conventi onus redditionis rationis declinare haud valerent. Sed majora etiam urgent, quæ editi Responsi justitiam magis, magisque confirmant. Nam ad Columnam quod attinet, duplex æque potens ei superaccedit obligatio. *Altera* oritur ex pacto, per quod ipse in actu assumpti oneris sese obstrinxit = *di tenere esatta scrittura dell'esatto, e del pagato per renderne conto ad ogni interpellazione* =. *Altera* ex judiciali ejus confessione scatet, qua in ipso limine judicii solemniter apud acta professus est, sese = *esser pronto a fare il randiconto* =. Quamobrem omnino ei nefas est propriam obligationem nunc contraire, idque oneris recusare, quod se subiturum ultro spopondit. Nec ad Corradinium quod spe-

ctat, quisquam ei rigidiorem reddendarum rationum obligationem incumbere, inficiari poterit. SSmi enim Auditor, ut securitati crediti Actorum consuleret, patrimonio Giustiniani exactorem cum lege præstandi fidejussionem, redditus dependendi, et omnia et singula bona, prævia eorum descriptione, ad voluntatem Judicis retinendi, deputaverat. At, si Corradinius ei noluit obtemperare Decreto, si Cancellierium ut exactoris muneri sibi commisso valedicceret coegit, si, specialis demum citationis ope, ne alter in Cancellierii locum subrogaretur prohibuit; eo sane fortius jus, et æquitas exigunt, ut is ad rationes suæ administrationis, quam unus exercere voluit, exhibendas adigatur, eamque præstet Creditoribus securitatem, quam ipsi a deputato judiciali exactore in vim depositi, atque descriptionis bonorum consequuti fuissent.

2 Quod si Rei conventi, ad declinandam, aut saltem differendam redditionem rationum, terminum præfixum elabi sinant, quin Sacri Nostri Ordinis obtemperent Decreto, jus exigit, quod Marchionis la Greca, ejusque Cessionarii Equitis d'Arcambal indemnitati subsidiario remedio juramenti in litem succurratur. Quandoquidem, quæ pro hujusmodi proponenda instantia necessaria sunt, nimirum obligatio Rei conventi reddendi rationes, difficultas eas aliunde eruendi, ac demum ejus factum, qui res alienas curavit, ex quo eadem impossibilitas defluit, omnia adesse in themate videntur: quibus concurrentibus extremis, nunquam dubitatum fuit, quin Actorum favore juramenti in litem delationi locus sit, *ad Text.* in *leg.* 2 *ff de in lit. jur. Menoch. de arbit. Jud. lib.* 2 *Cent.* 3 *num.* 2 *Dec.* 44 *num.* 1 § 9 *Recent.* in *Camerinen. Societatis* 13 *Maii* 1748 *num.* 3 *cor. Molin.* in *Romana, seu Albanen. Societatis* 28 *Februarii* 1757 *num.* 2 *cor. Bussio, et in Romana Pecuniaria* 5 *Julii* 1822 *num.* 8 *cor. Rmo P. D. meo Isoard nunc S. Ordinis Decano,* quibus consonat novus judiciarius Codex, qui *art.* 552 constituit = *che il giuramento in litem si deferisce alla Parte, che ha provata la sua azione in genere, quante volte per fatto doloso, o colposo dell'altra Parte manchino le prove, per giungere alla liquidazione* =. Reque vera, quod Rei conventi suæ gestionis rationes reddere teneantur, adeo ex iis, quæ superius dicta sunt, certum est, ut nil magis esse possit. At nec minus patet impossibilitas probandi aliunde quæ vere sit quantitas perceptorum annualium redditnum, qui sine libris fideliter conscriptis, et sine legitima rationum dispunctione ad liquidum perduci haud valent. Quibus duobus probatis extremis, facile etiam dignoscitur constare de tertio, scilicet de culpa eorum qui rationes reddere recusant; ipsi namque, cum ex indeclinabili juris dispositione ad edendas rationes adstringerentur, inexcusabili pertinacia Triumvirorum A. C. Sententiæ parere detrectarunt. Itaque, ne Creditores ex aliena culpa jacturam sentire cogantur, si Rei conventi intra præfinitum tempus suam obligationem non impleverint, nil magis justitiæ consonum est, quam ut ipsi tanti damnentur, quanti in litem juraverint Actores, ac ut pro eadem summa ex juramento resultante adversus eosdem relaxetur exequutivum mandatum.

Atque ita etc. Altera tantum etc.

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS

Veneris 18 *Junii* 1824

ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur - DECISIO CXC. -

SUMMARIUM

1. Non ambigitur de retenta administratione, qui de communi patrimonio ad libitum disposuit.

2. Cohaeres nedum aliis cohaeredibus rationes reddere debet, sed insimul restituere debet quidquid ex haereditate deficit.

3. Cohaeredibus adversus cohaeredem administratorem, competit actio negotiorum gestorum, et petitionis haereditatis.

4. Qui in administrationis munus subingressus est, praesumitur ab altero administratore rationes recepisse.

5. Ubi agitur de administratione gesta in consanguineorum commodum, salarium non debetur.

DECISIO CXCII.

De redditione rationum administrationis mercatoriæ Tabernæ Tritoniæ, et negociationis in ea exercitæ ab obitu usque Antoniæ Cerruti, cui dies 24. Decembris anni 1816. vitæ suprema fuit, cum quæreretur inter Joannem Mariam Maggium, ejusque patrem Josephum debuit et hæc controversia ab universa S. Nostra Aula dirimi ex Principali Rescripto. Quare die 20. Februarii hujus anni omnes interrogavi Patres = *An, quomodo, et contra quem sit locus restitutioni rerum, et redditioni rationum, et sint relaxanda mandata in casu etc.* = atque, Johanne Maria ab Judicio absente, responsum mihi fuit = *Affirmative in omnibus contra Joannem Mariam juxta modum in decisione exprimendum, et esse relaxanda Mandata de gravanda, et exequutivum pro summa liquidanda* = Cum vero res absolvenda sit *præviis duabus*, oportuit hoc mane me rursus de ea Dominorum Sententiam exquirere sub assueta formula dubii = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* =, et audito etiam Johanne Maria, mihi ipsi = *In decisis* = responderunt.

1 Non enim ambigitur in facto Joannem Mariam, vix Antonia elata, universo Tritonio patrimonio præpositum fuisse, ejusque administrationem suscepisse, et de mercatoria taberna, quæ fere omne hoc patrimonium constituebat, ad libitum disposuisse. Constat id ex patula ipsius Johannis confessione, qui Antonia vix defuncta, dum de conficiendo inventario hæreditatis Joannis Caroli Tritonii, ejusdemque Antoniæ agebatur, sese declaravit = *Amministratore dei beni di Carla sua fratella, e Maria, ed Agata Sorelle* =, ac etiam coram S. N. Ordine, dum eliminare præterito anno studebat cautionem, quam præstare debebat, vel deputationem administratoris, incassum vero, quia tunc, ipso remoto, Barghiglionio Tabernæ administratio concredita fuit, per ipsius defensores professus fuit, quod = *sequuto obitu Antoniæ Cerruti, Adversarius* = *nempe Joseph* = *agnovit cum Petrarchiis Joannem Mariam Maggi in Administratorem Patrimonii Tritonii, ad tramites Instrumentorum donationis* =.

Certum itaque in facto cum sit, commune patrimonium Johannem Mariam semper, usque ad ipsius recentem remotionem administrasse, et ejus redditus ad libitum percepisse, atque erogasse, consequitur in jure ipsum suæ Administrationis rationes coheredibus reddere debere, cum hoc onus semper eis incumbat, qui alienam regunt substantiam per *Text. in leg.* 1. §. *Officio ff. de tut., et Rat, leg.* 2. §. *et sane ff. de negot. gest. Rot. in decis.* 754. *numer.* 1. *cor. Molines, in Aquilana datium, et administrationis Multiplici* 10. *Maii* 1751. §. *Ea nati ratione coram Mattheja*; *in in Pisauren Redditionis Rationis, et Pecuniaria* 2. *Martii* 1789. §. 3. *coram Malvasia, et in Confirmatoria* 26. *Junii ejusdem anni cor. Eod.* Nec vero, ad reddendas tantum gestæ Administrationis rationes tenetur Johannes Maria, sed id etiam omne restituere coheredibus debet, quod in hæreditatibus administratis extitisse constat, et nuno deficit, et opportuno mandato ad restitutionem cogendus est, uti optime statuit *Rota decis.* 499. *num.* 2. *coram Olivatio.* Quæ autem, quantave ipse in confectione inventarii occultaverit, vel sibi sumpserit in gemmis, pecunia, argentis, suppellectili, mercibusque, tam, dum Tritonio patrimonio præfuit, tam cum fugam quodammodo ad Urbe arripuit, ex notula constat ab Josepho exhibita, et clarius etiam suo loco, et tempore demonstrari poterit, uti præcedens advertit *Decisio* §. 2. 3.

Plures vero competunt coheredibus actiones ad condicendum ab Johanne Maria quidquid eis ipse debet. Competit actio negociorum gestorum, quæ semper rite a coherede in eum intenditur, qui, communem administrans hereditatem, ejus partem subtraxerit, et in proprium usum converterit per *Text. in Leg. cum heredis* 10. *ff. si pars hereditatis petatur, et Rot. in citat. decis.* 499. *numer.* 2. *coram Olivatio* Competit etiam

actio vindicatoria, vel petitionis hereditatis, qua coheres, parum in administratione fidus, cogi potest ad amotarum rerum restitutionem *leg. etiamsi putavit.* §. *quid si quis hereditatem ff. de petitione hereditat. Barth. in leg. si cum servum ff. si certum petatur, et Rota in eadem cit. decis.* 499. *numer.* 3. *coram Olivatio.* Quia vero perdifficile esset res ipsas ab Johanne Maria sibi sumptas assequi, earum existentia in patrimonio ab ipso administrato probata, adigendus ipse erit ad earum pretium repræsentandum per *leg. nisi ex re* 33. §. *Julianus scribit ff. de hereditatis petitione, Leg. illud* 40. *ff. eodem leg.* 54. §. 2. *ff. eod.. et Rot. in sæpe cit. Decis.* 499. *n.* 3. *coram Olivatio,* sicuti quoad hæc omnia animadvertit superior Decisio §. 4.

4 Astrictum cum se noscat Johannes Maria ad res subtractas restituendas, et ad rationes de omnibus rebus in inventario comprehensis coheredibus reddendas, ita jubente *Text. in leg. si quid possessor* §. *sicut autem ff. de petitione hereditat. et ad firmata per Rot. in dicta decis.* 499. *numer.* 8., ac videat sesa vitare haud posse redditionem etiam rationum exercitæ negociationis in communi mercatoria taberna, et ad commune commodum, contendit primum Josephum etiam ei negociationi, et administrationi præfuisse, atque ideo hunc pariter ad reddendas rationes cogendum esse: postulat dein sibi codices tabernæ tradi pro suarum rationum expositione; petit demum salarium sibi constitui, ac rependi pro laboribus in negociatione exercenda insumptis; atque in ejus partem cedere debere tuetur si quid ipse e communi substantia sibi adtribuit. Verum omnia Patres merito spreverunt. Non enim probatur unquam Josephum administrationi patrimonii Tritonii, et mercatoriæ tabernæ operam dedisse; immo id excluditur superius relatis confessione, ac declaratione Johannis Mariæ. Præterea in falsissima hypothesi, quod Joseph momento temporis Tritoniam substantiam administraverit, credendum esset, rite ipsum de omnibus in ea contentis rationem dedisse filio, qui reapse administrationem suscepit, atque per tot annos exercuit, nec unquam a patre rationes sibi redditas haud fuisse questus est, ut ponderat prior *Decisio* §. 5.

Ad codicum autem tabernæ traditionem quod spectat, liberum erit Johanni 5 Mariæ eos scrutari, dum rationes exponet, sed ipsi nunquam licere poterit, eos a taberna removere, ut quidquid ei libeat, super iis agat. Quo vero ad salarium administrationis, et compensationem pretii rerum, quas ipse sibi sumpsit cum illius parte, præterquam quod salarium non conventum haud debetur, eoque magis cum agatur de Administratione gesta in consanguineorum commodum, præter proprium, uti probat mea Decisio super *successione diei* 11. currentis mensis, extranea hæc omnia Domini agnoverunt a præsenti quæstione, in qua ex formula Dubii disseri tantum potest de obligatione Johannis Mariæ *in genere* ad redditionem rationum, et ablatarum rerum restitutionem; quare, quæ nunc proponit, rectius proferre poterit, cum de redditione rationum in specie res erit. Hinc itaque Domini præcedentem decisionem omnino confirmarunt; tributo Josepho, et ejus filiabus Mandato *de gravando* contra prædictum Johannem Mariam, si intra brevem terminum ei præfiniendum rationes suæ administrationis haud exhibeat juxta firmata *in dec.* 330. *num.* 7. *coram Riminaldo,* et mandato *exequutivo* pro restitutione rerum amotarum in summa liquidanda per *Rot. decis.* 499. *num.* 9. *cor. Olivatio.*

Et ita universa mecum Aula suffragante jus fuit dictum; Utraque etc.

ROMANA REDUCTIONIS

Veneris 4 *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

Patet ex Sommario.

SUMMARIUM

1. *Quod in re-judicata fuit jam constitutum, nequit amplius in discrimen revocari.*

2. *Ubi solutio facta fuit in viliori moneta, sublata hac e commercio, peraequatio fieri debet inter viliorem monetam debitam, et pretiosorem solvendam.*
3. *Juxta edictalem legem Nasellianam, reducenda erant nomina contracta in viliora aenea moneta.*
4. *Est juris praesumptio, quod pater filiabus aequalem dotem constituere voluerit.*
5. *Lex Naselliana, loquitur est non de moneta aenea, sed moneta tantum papyracea.*

DECISIO CXCIII.

In matrimonio cum Anna Julia Valeria tres suscepit liberos Dominicus Trojanus, *Josephum*, nempe, *Philippum*, cui immature sublato nepos superstes fuit Vincentius, *Clementinam, et Franciscam*. Labente anno 1789 nupsit Clementina Camillo Sartorio, eique Pater numeravit in causam dotis *scuta quinquaginta* supra *mille*, publicis in id exaratis tabulis. Plures post annos, anno scilicet 1798. Francisca juncta fuit Comiti Francisco Giraud, nulla quidem in actu matrimonii constituta dote, quam tamen Dominicus eidem æqualem cum illa alterius sororis animo præstituerat, quamque idcirco, vel illico persolvere cæpit, sive in pecunia numerata, sive in rebus certo pretio ad id æstimatis. Ultimo autem elogio, quo hæredem sibi scripsit Vincentium Trojanum, ex præedefuncto filio nepotem, hæc addidit quoad filias = *Avendo si all'una, che all'altra di dette mie figlie assegnata, e rispettivamente sborsata la loro dote* di scudi 1050 *da me creduta corrispondente alle proprie forze; così intendo, che dalla mia eredità niente più possano pretendere* =

Sospite adbuc Dominico, inter ipsum, et Comitem Franciscum Giraud disputari cæptum, tum de dotis quantitate, tum de monetæ specie, in qua fortasse promissa fuerat, tum etiam de mensura accessionum dotalium, deque solutionibus in eam causam eousque peractis. Defuncto autem Dominico, in Vincentium ejus hæredem quæstionem ex integro instauravit Francisca, ejusdem Dominici filia, apud A. C. Collegium; ibique, acriter quamvis obsistentibus, tum Comitissa, tum ejus defensoribus, satis constitit = *che nel 1798 quando fu la seconda dote costituita poteva questa pagarsi in moneta erosa, ragguaglio vantaggiosissimo per chi pagava, vantaggio, di cui realmente il Padre si valse, valutando nei pagamenti in conto di dote le piastre a ragione di paoli diecisette* »; hinc Sententia diei 9 Septembris 1818 definitum fuit = *che la dote fu costituita in moneta erosa nella quantità di scudi duemila, che li frutti sono dovuti dal giorno, che il marito assunse li pesi del matrimonio, e perciò non debbono calcolarsi per quei mesi, che li Sposi dimorarono, o furono alimentati in casa del Padre; che la tassa legale, sù cui dovranno calcolarsi quelli della presente causa sarà del cinque per cento* =.

Provocante Vincentio, res Nostri Ordinis judicio remissa fuit: eaque fuit pro definitione proposita per formulam = *An in qua summa, in qua monetæ qualitate constet de credito dotis, et a quo tempore, et ad quam rationem debeantur fructus, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = At Responso dilato usquedum testes formiter interrogarentur, iis postea auditis, responderunt Patres in Comitiis diei 19 Junii 1819. = *Affirmative in omnibus juxta modum, nempe ad formam Sententiæ A. C. calculatis tamen fructibus* ad *rationem scutorum quatuor in singula centum, et esse relaxandum mandatum pro summa liquidanda* = Placuit definitio utrique litigantium; at redeuntes *super liquidatione*, in Conventu diei 9 Julii 1821 remissi fuere = *ad Reverendissimum Ponentem pro liquidatione ad formam Rei judicatæ cum facultate deputandi Peritum ratiocinatorem* =. Instante primum Comitissa = *pro liquidatione ad formam Rei judicatae* =, accitus ratiocinator Augustinus Simonetti; hic, ut factas interdum solutiones, suis restitutas temporibus, e credito usurarum primum, dein capitis detraberet, supputationem instituit vulgo = *a scaletta* =, atque a die 1 Januarii 1803 qua e commercio sublata fuit ærea tunc vigens moneta, duplici perrexit hypothesim altera nempe, qua solutiones deduxit = *a moneta fina* =; altera qua, Rei Judicatæ innixus, eas elevavit = *al sag-*

gio di moneta erosa =. In prima Vincentii debitum evexit ad *scuta mille octingentum unum*, in altera autem cohibuit ad *scuta quingentum octuaginta novem*, *et ob.* 25.

Nova hinc exorta dissidia, cum Comitissa primam defenderet hypothesim, Trojanus vero oppugnaret. Hæc cognovit S. Noster Ordo in Conventu diei 8 Januarii 1823., absolvitque Decreto = *ad Reverendissimum Ponentem pro relatione mandati in summa scutatorum* 577 *et ob.* 7. » Tunc indictam sibi quantitatem obtulit Trojanus, petens etiam « *assignari fundum pro assicuratione dictæ dotis* », neque abnuit acceptum habere Reverendissimi Ponentis Decretum; obstitit vero Comitissa, contendens dotales usuras in summa scutorum 208 04 libere esse persolvendas. Obtinuit id quoque tum a Judice, tum a Trojanio, qui eam summam, alio accedente Decreto deposuit: Nihilominus Comitissa, ea minime accepta, ad Signaturam Justitiæ convolavit, petens *circumscriptionem, sin minus appellationem* a Decreto S. Nostri Ordinis die 8 Januarii 1823 Rescriptum hinc prodiit « *quoad circumscriptionem nihil, in reliquis alteri, qui ad legitimam super reductione tantum* »; ideoque Patres hoc mane rogare debui « *An sit procedendum ad legitimam exequutionem super reductione tantum in casu etc.* »; ac, silente Comitissa, Responsum accepi juxta Informantis vota « *Affirmative ad formam Decreti Rotalis diei* 8 *Januarii* 1823.

1 Quod enim statuit illud S. Nostri Ordinis Decretum, jam ex voto ipsius Comitissæ Giraud absolutissima Rejudicata definitum fuerat, de qua in præsenti nulla prorsus quæstio instituebatur. Itaque confirmandum omnino erat quidquid Comitissa adversus illud proponere valuisset. Quandoquidem vel ipsa apud A. C. Collegium suum defensorem induxerat ita perorantem « *la dote costituita alla nostra Cliente nel* 1798 *fu in moneta erosa, che allora era vilissima, e nella maggior sua depressione = il Padre difatti non altrimenti, che in moneta erosa intese doversi pagare = Tant'egli è vero, che di dote in rame s'intese = Perciocchè ebbe una figlia mille, e cinquanta, l' altra due milla; quella annoverando ogni piastra per paoli dieci, questa per diecissette* =, hinc Tribunal illud Sententia diei 9 Septembris 1818 definiverat = *che la dote fu constituita in moneta erosa* =. Item Noster S. Ordo rogatus in Conventu 19 Junii 1819. = *in qua summa, et in qua monetæ qualitate constet de credito Dotis in casu etc.* Responsum dederat = *Affirmative in omnibus juxta modum, nempe ad formam Sententiæ A. C.* » quod judicium utrique litigantium acceptum fuerat, ac præsertim Comitissæ, quæ prima steterat pro liquidatione ineunda = *ad formam Rei judicatæ* =, eamque S. Noster idem Ordo demandaverat adamussim « *ad formam Rei judicatæ* » Responso diei 9 Julii 1821.

Atqui « *Resjudicata pro veritate accipitur* » verba sunt Jurisconsulti *in Leg.* 208 *ff. de Reg. jur.*, et firmat *Rota* præ cæteris *in Ferrarien. Pecuniaria* 12 *Januarii* 1821 § 3 *coram R. P. D. Meo Martinez del Campo*. Nefas igitur est ambigere dotem Comitissæ reapse constitutam fuisse in scutis *bismille* vilioris illius æreæ, sive æneæ monetæ, qua tunc audiebat « *erosa* » quod unum sat est, ut illius residua quantitas in aurea, argenteave pretiosori moneta apprime respondeat quantitati, quam Judicialis peritus ad liquidum perduxit, namque Patres mulieri adjudicarunt prælaudato Decreto diei 8 Januarii 1823. 2

Et sane, cum constet viliorem monetam promissam in specie fuisse; sublata hac e commercio, et intrinseca ejus bonitate immutata, vindicat sibi locum juris nostri dispositio, qua docemur spectandum esse tempus initæ obligationis, et peræquationem esse faciendam, habita ratione inter viliorem debitam monetam, et pretiosiorem solvendam, ut, cæteris omissis, tradit *Vinn. in Comment. ad Inst. Just. lib.* 3 *tit.* 15 *in princ. Num.* 12., et firmatum prostat *in Perusina Reductionis* 5 *Junii* 1801 § 3 *coram bo. me. de Alteriis in Camerinen. Reductionis* 12 *Martii* 1802 § 4 *coram Emo Serlupi*, *in Romana Reductionis* 6 *Junii* 1803 § 7 *co-*

ram bo. me. Tassoni, in Eugubina Reductionis 17 *Junii* 1805 § 11 *coram bo. me. Piccolomini, et in Setina Reductionis* 3 *Martii* 1806 *cor. Eodem* ».

3 Id ipsum Edictalibus etiam legibus, quas omnes novimus, cautum prostat ob notissimas eorum temporum rei monetariæ vices, ac præcipue Edicto, quod vulgavit Dux Nasellius ad diem 15 Februarii anni 1800., quo « *in coerenza degl'Editti del dì* 13 *Decembre* 1799 *risguardanti il modo di pagare, e dell'altro ultimamente emanato circa la riduzione delle monete erose, e plateali, allora non proveduto etc.*, « sancitum » *che i pagamenti prescritti*, o *convenuti in moneta erosa*, o *plateale, eseguendosi presentemente in moneta ridotta, esibiseano quel medesimo ribasso, che avrebbero dovuto subire prima della riduzione, ragguagliando sedici paoli per ogni scudo, ed ogni scudo per sedici paoli* »: quam legem obfirmavit altera diei 19 Martii 1800.; juxta quas reducenda esse nomina contracta in viliori ænea moneta ante diem primam Aprilis 1800 pluries definitum fuit, et præsertim *in Romana Reductionis* 20 *Aprilis* 1801 § 5 *coram bo. me de Alteriis* ».

4 Quin ulla sollicitudine inquirendum esset in themate de statuenda contractæ obligationis die, utrum scilicet spectanda esset dies matrimonii, seu potius promissionis a Parente factæ, quæ per testes probata fuit. Etenim illud semper rediret initam obligationem fuisse, factamve promissionem in viliori ænea moneta vulgo « *erosa* » propterenque, ubi forte ad eam diem rediset obligatio, qua nulla peculiari lege cautum reperiretur hoc nomen esse reducondum, semper ex jure communi locum sibi vindicaret peræquatio monetæ. Dos quippe constituta in moneta æris tunc vigente, relate ad bonos nummos, quibus tunc utebamur promiscue, nunc vero, Deo dante, utimur privative, in minori quantitate constituta concipi debet; Et Dominicus Trojanus, dum declaravit sese filiæ Franciscæ Comiti Francisco Giraud nubenti dotem daturum in scutis *bismille* « *di moneta erosa* » nil aliud dixit, quam scutata « *mille centum septuaginta* » bonæ monetae aese in causam dotis praestiturum. Accedit patrem ipsum, in extremo vitae discrimine constitutum, solemni modo voluntatem suam pandidisse aequalem utrique filiarum dotem tribuendi; Quod aptissime etiam consonat juris praesumptioni, ex qua non admodum facile credimus patrem, cujus benevolentia erga filios plane omnes aequalis esse solet, ac debet, minorem alteri filiarum, alteri vero multo majorem dotem destinasse, atque ita diversum, et iniquum de sanguine suo judicium ferre voluisse *Rot. in Romana Reductionis* 18 *Maii* 1816 § 2 *cor. Emo Odescalchi*.

Frustra post haec objecisset Comitissa, Edictali Lege a Duce Nasellio lata die 13 Decembris 1799 a reductione immunes fieri « *le doti, le sopradoti, i lucri nuziali* ». Quandoquidem Lex illa non agit de nominibus contractis in moneta aenea, sed dumtaxat de aliis in moneta papyracea, tesseris nempe vulgo « *cedole* » atque « *assegnati* » teste taxatione, quam nuncupat « *Tariffa* » in calce ejusdem Legis exposita, qoae de tesseris tantummodo rationem habet: Quin imo nomina cuncta in certa tunc vigentis monetae specie inita expresse excepit Legislator inquiens « *non s' intende finalmente di comprendere nella disposizione di questo Editto quei contratti, in cui siasi convenuta per patto speciale una certa specie di moneta* ». Caeterum verius est legem illam dotalia nomina a reductione nullo modo exemisse; voluit siquidem eadem dissolvi « *colla moneta corrente alla scadenza* » qua providentia utique ea nomina a reductione excepisset, si illico de monetarum peraequatione aliquid cavisset. Verum ad id nonnisi posteriore anno animum convertit Legislator Nasellius, et evanido etiam conatu, ut omnes norunt. Ergo dotium quoque solutiones eventui reliquit, ut fieri nempe possent etiam viliori moneta, si eam in commercio aduc esse de tempore solutionis usuveniret; quod profecto dotes etiam tunc persolvendas reductioni obnoxias, haud secus ac cae- 5

tera nomina, ostendit, ceu alias saepe responsum fuit, ac praesertim *in Firmana Dotis super Reductione* 6 *Maii* 1805 *cor. bo. me. Tassoni, et in dicta Romana Reductionis* 10 *Maii* 1816 § 4 *cor. Emo Odescalchi*.

Atque ita etc. universa suffragante Aula etc. Altera tantum etc.

ROMANA RESTITUTIONIS

IN INTEGRUM

QUOAD

DECRETUM DIEI 30 MAII 1804

Veneris 25. *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur. - DECISIO CXLIV. -

SUMMARIUM

1. *Res judicata totum negocium ud eum refert statum, iu quo reperiebatur, antequam ipsa prodiret.*
2. *Ubi quaestio S. Ordini commissa fuit, prout de jure definienda, hic nedum de justitia, quum de validitate cognoscit.*
3. *Enormissima laesio, probatioues omui exceptione mujores requirit.*
4. *Res tuuti valet, quauti commuuiter emi. vendique solet.*
5. *Nemo praesumitur, in alterius gratiam, miuoris pretii id voluisse distrahere, quod plurimum communiter veudi solebat.*
6. *Post datas positiones, nou aliud attenditur, uisi id, quod juratum est.*
7. *Pecuniae qualitus laesionem non inducit.*
8. *A Pretio uffectionis, uullum colligi potest argumeutum affectiouis.*
9. *Secerni debet, u pretio primitivo, quidquid impensum fuit ad iustaurandam rem emptam.*

DECISIO CXCIV.

Ad examen hodie revocata est Decisio a me edita ad diem vigesimam primam Aprilis superioris anni, quæ Josepho Petro Michaeli, et Raphaeli, Germanis fratribus Pacetti restitutionem in integrum concessit adversus Cardinalis Pro-Camerarii œconomicum Decretum, die 30 Maii anni 1804 editum, et auctoritate S. M. Pontificis Pii VII. confirmatum, ex quo defunctus Eques Vincentius Pacetti, Actorum Pater, comminatis quoque poenis, coactus fuit quædam signa marmorea, sub certo, ac jam numerato pretio coempta, eorum venditori viro Principi Carolo Barberini, nunc pariter vita functo, absque mora restituere. Cum tamen viri Principes Franciscus Barberini, et Maphæus Sciarra Colonna, demortui venditoris hæredes, nullam sibi in hisce Commitiis defensionem paraverint, et dilationem tantum postulaverint, quam Sacer Ordo, præsertim in ultimis his Audientiis, despexit ita propositæ Dubii formulæ, quæ de more quærebat « *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* responsum est « *in decisis* ».

Non aliter sane definiri res poterat, 1
etiamsi rei conventi, strenua defensione adhibita, præteritam Decisionem convellendam curassent. Decretum enim Cardinalis Pro-Camerarii non gravi solum injustitia laborat, sed nullitatis vitio etiam inficiatur, de quo Sacrum Nostrum Auditorium dum quæritur de restitutione in integrum, cognoscere solet, etiam si peculiaris ei facta non fuerit potestas de Sententiæ nullitate judicandi, quia numquam Sententiam, vel Remjudicatam auctoritate sua confirmat, nisi tum de ejus validitate, tum de justitia constet, ut probat prætcrita mea Dec. § 2. Nec officit hujusce quæstionis definitionem commissam S. Nostro Ord. fuisse in gradu *devolutivae* appellationis, et cum clausola *de Causis sine praejudicio Reijudicatae.* Nova namque ex hoc ipso oritur ratio, cur de nullitate illius Decreti disquiratur. Quoties porro defunctus Eques Pacetti restitutionem in integrum a Decreto Cardinalis Pro-Camerarii postulavit, et delata ex Pontificio Rescripto ad Sacrum Ordinem controversia fuit, ut Decretum ipsum ad trutinam in devolutivo judicio revocaretur, oportet jam, tam ab *extrinseco*, quam ab *intrinseco* illud expendere, et deinde videre, an proban-

dum sit, vel ab eo restitutio in integrum tribuenda, cujus indoles, et natura est, ut omnia in pristinum reddat, totumque negocium ad eum referat statum, in quo respiciebatur, antequam Resjudicata prodiret, ut prosequitur prædicta mea Decisio § 5.

2 Multo autem magis hæc locum sibi vindicant in themate, quia absonum valde esset, ut tamqnam validum haberetur Decretum Cardinalis Pro-Camerarii a Pontifice probatum, cum e converso inter alia rationum momenta ex eo præcipue censuerit Sacrum Tribunal aperitionem oris germanis fratribus Pacetti concedere, quod non vadato prius nec monito defuncto Equite Pacetti Cardinalis Pro-Camerarii Decretum in lucem venerit, ut ostendit alia mea Decisio super *aperitione oris diei* 21 *Aprilis superioris anni*, quæ in proximis, ac postremis Comitiis nova subjicienda erit examini: Si itaque constat honestum patrem familias, proculcato judiciorum ordine, indefensum omnino fuisse damnatum ad sculptorum marmorum restitutionem, succurrendum ei sane est ope restitutionis in integrum, et in eum statum reducendus est, in quo versabatur ante Decreti promulgationem. Etiamsi ergo, contendi velit, generaliter loquendo, nullitatum judicia ad Sacrum Nostrum Ordinem haud pertinere, quoties nihilominus rei cognitio eidem Sacro Nostro Ordini commissa fuit *prout de jure* definienda, judicii ratio postulat, ut tam justitia, quam validitas Reijudicatæ, vel Sententiæ expendi debeat, potissimum quia nulla datur major injustitia, quam nullitas, et in nullitate injustitia continetur, ut arguit præcedens mea Decis. § 3.

3 Prætermissa tamen etiam nullitatis indagine, restitutionem in integrum maxime requirebat evidens injustitia Decreti Cardinalis Pro-Camerarii. Si enim defunctus Eques Pacetti non levi soluto pretio in aurea argenteaque moneta, marmorea signa ex legittimo contractu emptionis venditionis acquisiverat, non erat amplius poenitentiæ locus, nec venditori Barberinio licebat dimissam rei venditæ possessionem, emptore non consentiente, recuperare, cum ea, quæ primum simplicis voluntatis fuerunt, necessitatis postmodum evadant. Neque dicendum enormissimæ læsionis vitio emptionis venditionis contractum inquinari, quæ cæteroquin, tamquam odii plena, et juris præsumptioni contraria, adeo vehementes, atque omni exceptione majores requirit probationes, ut in qualibet ambiguitate adversus odiosam læsionis querelam ferendum judicium sit, veluti tradit prædicta mea *Decis.* § 4. Primo siquidem loco animadversum est, nullam objectæ læsionis mentionem occurrere in eo Decreto Cardinalis Pro-Camerarii, qui non alia de causa rescissionem contractus imperavit, nisi ob multas venditoris Barberinii preces, et quodammodo ex officio. Ineptum deinde erat ex eo læsionem arguere, quod Fauni simulacrum inter primas, ac nobiliores Attici Cæli statuas ab omnibus existimaretur, ac post factam a Pacetto restitutionem scutis *octomillibus* Bavariæ Regi divenditum fuerit.

Cum enim elementaris juris nostri regula sit, ad æstimandam in emptionis venditionis contractu læsionem, unum præ oculis habere oportere tempus contractus, nec investigandum esse, quod antea fuerit, vel postea tulerit incertus eventus, ad tradita per superiorem Causæ *Decis.* § 5, ideo ad diem contractus redeundum est, ac diligenter inspiciendum, quanti ejus generis monumenta per id temporis æstimarentur. Atqui nemo non scit ex Gallica invasione, ac bellorum tumulto, adeo infelicem fuisse illorum temporum conditionem, ut non modo in summa abjectione manerent pretiosa quælibet monumenta, licet a Græcis artificibus elaborata, sed ipsa etiam frugifera prædia ex imminutis agricolationis proventibus, ex aucto ad gravem usque mensuram pecuniæ fænore, ex intributionum gravitate, ex multitudine demum bonorum Ecclesiæ, et Fisci, quæ venui publice subjiciebantur, infimo prætio emi, vendique solerent. Si hæc igitur erat tempore contractus veterum monumentorum artis abjectio, ut pariter 4

celebriores liberalium artium cultores, ac eximii testabantur artifices, omnis sane collabescit, vel enormis, vel enormissimæ læsionis exceptio, quia res tanti valet, quanti comuniter emi, vendique solet, veluti inqnit juris adagium, quod exornat præterita *Decis.* § 7.

5 Et re quidem vera nulla probatio a venditoris hæredibus afferebatur, ex qua colligi posset, marmorea signa, de quibus agitur, duplo, aut triplo pluris valuisse tempore contractus. Justum, quin imo fuisse prætium ab emptore solutum, nec majus inveniri potuisse, id etiam suadet, quod res non agebatur in ora deserta, sed in Urbe Roma, in copioso scilicet hominum commercio, quos inter numquam ii desunt, qui ut quaestum faciant, id emunt, quod pluris se venditurος fore sperant. Non is rursus erat venditor Barberinius, qui vellet quanti minoris simulacra distrahere, si majus protium reperire datum ei esset. Erat imo in rebus suis administrandis adeo cautus, et prudens, ut nil minus suspicari possit quam quod improvide suum jactare voluerit. Quocirca, si assentitus fuit, ut prætio argenteorum nummorum *mille tercentum* marmorea signa Pacettus sibi compararet, concludendum omnino est, id non alia de causa Barberinium fecisse, nisi quia fere impossibile erat pro temporum circumstantiis majorem pretii quantitatem obtinere. Irrito autem conatu reponeretur necessitate compulsum, quam cito parandi certam pecuniæ summam ut intributioni satisfaceret a Gallis indictae, vili praetio simulacra vendidisse, aut enim monumenta illa pluris vendi poterant, aut non poterant. Si hoc, jam corruit laesionis actio, quia laesio non adest, ubi contractus tempore res tanti valeret, quanti vendita fuit, si primum, tunc non est praesumendum, Barberinium ipsum, qui in rebus suis agendis summa utebatur diligentia, in alterius gratiam, non vero ex peculiaribus circumstantiis, minoris id voluisse distrahere, quod pluris communiter emi, vendique solebat.

6 Crescit argumenti vis, si animadvertatur rei venditae praetium ab eodem Pinacothecae custode huic negocio praecipue delegato a venditore Barberinio constitutum fuisse in argenteis nummis *mille quingentum*, qui deinde *ad mille tercentum*, mutuo contrahentium consensu, imminuti fuerunt. Invictissime id ostendebant positiones hac de re a Barberinio exhibitæ, quibus Pacettus, interposito juramento, respondit. Compertissimum autem in jure est; post datas positiones, non aliud attendi, nisi id, quod juratum est, nec amplius fas esse rem juramentum firmatam in discrimen adducere, veluti probat praeterita mea *Decis.* § 9. Quod si igitur Pinacothecae custos, harum rerum aestimator eximius, non aliud praetium postulavit quam nummos argenteos *mille quingentum*, ac Pacettus scuta *millia tercentum* obtulit, et reapse persolvit in argentea, aureaque moneta, si praeter Pacettum nemo alius ad emendum accessit; si ipse Barberinius multis precibus Pacettum rogavit, ut emptioni venditioni operam daret, nemo unquam denegabit, justum, et æqualem undequaque contractum fuisse. Neque enim agebatur de rebus, quæ vi sua intrinsecum, realemque valorem apud homines obtineant, sed quæ imo pendent a conditione temporum, ab emptorum frequentia, a copia nummorum, et ab *affectione* demum, aliisque circumstantiis, ex quibus barum rerum æstimatio sæpe mutatur, æs a levissima ad maximam augeri, atque a maxima ad levissimam summam decrescere quandoque potest.

Verum luculentius evincebatur æqualitas, et justitia contractus ex monetæ qualitate in stipulationem deducta. Nam ea scuta *millia tercentum*, quæ in auro, atque argento persolvit Pacettus, sexies excedebant æstimationem cupreæ, ac papyraceæ monetæ, quæ tunc publici in commercio erat. Porro tempore contractus, scilicet anno 1798 mense Decembris, quodlibet argenteum scutum integra scuta *sex* papyraceæ monetæ in commercio comuniter exhibebat, ut ad rem testabantur publici proxenetæ negociatores, et argentarii. Quin imo 7

emptiones venditiones non modo rerum sterilium, et earum, quæ ab affectione hominum pendent, sed bonorum quoque frugiferorum, quæ semper intrinsecum valorem servant, fieri tunc temporis solebant, aut cum nummariis tesseris, aut cum aurea, argenteaque pecunia, quæ tamen ita æstimabatur, ut responderet *nominali* valori, quem ex usu, et consuetudine commercii cedulæ, et aliæ hujus generis nummariæ tesseræ babebant. Si ergo nummos argenteos *mille tercentum* numeravit Pacettus in pretii causam, quo tempore quilibet nummus argenteus scutis *sex* papyraceæ monetæ respondebat, idem est, ac si integra scuta *septem millia octingentum* persolvisset. At hoc in casu, si hanc pecuniæ summam exhibuisset revera Pacettus, nemo certe obtrudere posset contractus læsionem, aut ex qualitate, aut ex quantitate pecuniæ deductam. Non quidem ex qualitate pecuniæ, quia pecuniæ qualitas læsionem tunc temporis non inducebat, et decem rite, legitimeque emi potuisse cum papyracea moneta, quod decem intrinsecus valebat, ex pluribus Sacri Nostri Auditorii Responsis comprobat prima mea Decisio § 10.

8 Non item ex quantitate pecuniæ, quia licet Fauni pretium ad nummos *octomille* perveniat, quanti simulacrum illud erga Bavariæ Regem divenditum fuit, atque huic prætio addantur alia scuta *bismillia* pro cæteris marmoreis signis una cum Fauni simulacro a Pacetto coemptis quælibet semper abest a contractu macula Læsionis, sive infra bessem, sive infra dimidiam; sive etiam infra trientem æstimetur. Quare, aut negant Barberinii hæredes argenteos nummos *mille tercentum* a Pacetto persolutos eo tempore respondisse scutis circiter *octomillibus* papyracæ monetæ; aut læsionis insimulant contractum, quamvis scuta *octomillia* papyracæ monetæ Pacettus pensitavit. Si primum: tunc id negant, quod in commercio communiter obtinebat, et centies Sacer Ordo probavit. Sin alterum: eo casu, ut quidquam proficiant, ostendere debent, marmorea signa scutis *viginti quatuor millibus*, aut saltem *sexdecim millibus* valuisse tempore contractus, unde læsio ex Jure Communi, aut ex Statuto Urbis eruatur. At tam longe abest hujusce valoris probatio, ut Bavariæ Rex, dum in Fauni prætium scut. octomille numeravit, maximum rependerit practium et prætium quidem affectionis, a quo nullum colligi potest læsionis argumentum, ut disserit prima mea *Decisio* §. 12.

Neque vero prætereundum est hunc emptionis venditionis contractum initum cum Bavariæ Rege fuisse, post quam, non modo, mutata luctuosa temperum conditione, vetera monumenta pristinum receperant valorem, sed ipse imo Pacettus, insignis jam nostrae Urbis Sculptor, Fauni simulacrum mendis pluribus refertum, tam ingenti cura, gravibusque sumptibus instauraverat, ut celebriores Urbis artifices reparationum prætium æstimaverint scutis plusquam *quator millibus*, et ipsi periti homines, qui ex jussu Cardinalis Pro-Camerarii selecti fuerunt, quamvis Barberino benevoli, idem reparationum pretium constituerint in argenteis nummis *sexcentum*. Explosa igitur, penitusque rejecta læsionis exceptione, pronum est, ut restitui debeat Equitis Pacetti filii, et hæredes in eum statum, in quo erant, antequam a rerum suarum possessione, ne reddito quidem pretio, nec refectis reparationum expensis, exturbarentur. Licet enim ea occasione Barberinius deponere visus fuerit apud publicum argentarium pretii quantitatem a Pacetto persolutam, postea tamen, ex aliorum marmorum Rev. Cam. venditorum causa, depositam summam impune vindicavit, ac reliqui prætii ab eadem Rev. Camera Pacetto soluti creditorem se fecit. Ferendum itaque non erat, ut contractus cæteroquin justissimus, bona fide initus, consensu finitus, ac per quinquennium probatum, absque ulla ratione, rescinderetur. 9

Et ita relatione habita ad priorem Decisionem, resolutum fuit altera tantum etc.

ROMANA RESTITUTIONIS
IN INTEGRUM
QUOAD REM-JUDICATAM
R. P. D. FERRARI ANNI 1806.

ARGUMENTUM

Lunae 5 *Julii* 1824.

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CXLV. -

SUMMARIUM

1. *Ubi eadem ratio, ibi eadem juris dispositio esse debet.*
2. *Etiam in judicio laesionis enormissimae, emptori refici debent sumptus quos erogavit in instauranda re empta.*
3. *Ad firmandam aestimationem quae dari debet rebus artis, peritum semper adhibere oportet.*
4. *Emptor non debet carere re et pretio.*

DECISIO CXCV.

Inter cæteras quæstiones, quæ in superioribus, et postremis hisce Comitiis acta sunt, quæsitum quoque est de viribus alterius meæ decisionis die 25. Aprilis superioris anni editæ, in qua restitutio in integrum tributa fuit filiis, et hæredibus Equitis Vincentii Pacetti adversus Decretum Præsulis Ferrari, quod reliquas statuas a Pacetto retentas, ac in priori Decreto Æconomico Cardinalis Pro-Camerarii, aut per errorem, aut alia quacumque de causa non comprehensas, restitui jussit. Dilatione autem ab hæredibus defuncti Viri Principis Caroli Barberini frustra petita, factum est, ut assuetæ Dubii formulæ hodie responderetur » *In decisis* ».

1 Eadem profecto concurrunt juris et facti momenta, quæ in alia diei 25. nuper elapsi Junii Decisione Patres Dominos impulerunt, ut adversus Decretum Cardinalis Pro-Camerarii, ex quo rescissio legitimi contractus indicta fuit, germanis fratribus Pacetti beneficium restitutionis in integrum indulgerent. Posita namque equalitate, et justitia contractus emptionis venditionis marmorum, quam plene vindicarunt, tum prima mea Decisio diei vigesimæ primæ Aprilis superioris anni, tum secunda diei 25. Junii præteriti super *restitutione in integrum* a Decreto 30. *Maii* 1804. sicuti injustitia laboravit primum Decretum Cardinalis Pro-Camerarii, quod coemptorum marmorum Pacetto prorsus indefenso, et comminatis imo contra eum poenis, restitutionem demandavit, ita pari injustitiæ nota inficitur posterius Decretum Præsulis Ferrari, qui ad reddenda cætera simulacra, Rev. Cameræ interim vendita, vel ad eorum pretium persolvendum, Pacettum damnavit. At ubi eadem viget juris ratio, ibi eadem juris dispositionem locum habere advertit prima mea *Dec.* § 2.

In hac tamen, de qua agebatur, controversia illud etiam accedebat pro Pacetto ed obtinendam restitutionem in integrum, quod ipse creditor, semper supererat, quamvis enormissima læsione inquinatus dici velit emptionis venditionis contractus. Non solum enim restituendum ei erat pretium, quod nummos argenteos *mille tercentum* conficiebat, sed rependenda præterea erant, tum scuta *tercentum nonaginta*, quot compendii nomine, et in causam fœnoris traditæ a Pacetto pecuniae ipse Cardinalis Pro-Camerarius in Decreto suo constituerat, tum etiam alia scuta *sexcentum*, quæ Pacettus impenderat in instaurando Fauni simulacro. Hæ omnes summæ simul additæ quantitatem exhibent argenteorum nummorum *bismille biscentum nonaginta*, quorum creditor omnino renunciari debebat Pacettus, etiamsi quoad sumptus reparationum præ oculis habeatur peritorum hominum, quos Eminentissimus Cardinalis Pro-Camerarius deputavit, relatio, et despiciendum prorsus sit testimonium prudentiorum artificum, qui impensam operam in instauratione Fauni erogatosque sumptus scutis *quatuor millibus* æstimarunt. Injuria ergo Præsul Ferrari debitorem declaravit Pacettus in scutis *mille noningentis octoginta quinque*, quanti contendebatur marmorea signa Rev. Cam. emisse, talique pacto eam ipsam summam scutorum *mille quingentum nona-* 2

ginta Pacetto negavit, quam idem Barberinius biennio ante apud publicum argentarium depositi loco ideo reliquerat, quia accepto eam habere ille renuerat, ne imperatum contractus rescissionem probare videretur.

3 Quod, si deducto etiam pretio emptionis venditionis, creditor adhuc summæ non levis Pacettus manebat, tam in causam usurarum pecuniæ, quam in causam reparationum, multo minus poterat Præsul Ferrari debitorem eum renunciare erga Barberinium illius reliqui pretii, quod inter summam depositam, et aliam summam a Rever. Camera persolutam intercedebat. Præterea autem neque illud verum est, pretium in scutis *mille nonigentis octoginta quinque* solutum a Rev. Camera fuisse. Non enim in eo contractu continebantur sola signa marmorea, quae Pacettus a Barberio coemerat, sed deducta quoque in stipulationem fuerunt alia simulacra privata, et propria ipsius Pacetti, constituto pretio, non in singula, sed in omnia simul monumenta, nimirum in scutis *viginti sex millibus septigentum quadraginta quatuor*. Ut ergo erui posset, qualis æstimatio fuisset, quæ danda esset marmoreis signis a Barberinio quæsitis, oportebat sane peritum adhibere, qui marmorea signa primum expenderet, et singulorum deinde marmorum æstimationem referret. His omissis, nefas erat Barberinii simulacris estimationem, et valorem ex arbitrio constituere, et tutius integram summam depositam reciperet ipse Barberinius, ac, invita legum æquitate, Pacettus re, et pretio careret.

4 Inutiliter autem objiceretur de his scutis *mille nonigentis octoginta quinque* satisfactum Pacettum fuisse ex pretio marmorum Rev. Cameræ venditorum. Nam pretium inter Pacettum, et Rev. Cam. conventum, quod ex stipulatu rependendum erat post multos annos a die contractus elapsos, æstimatum postea fuit sub Gallorum imperio in nummariis tesseris, quæ vulgo nuncupabantur » *Rescrizioni* », et exilem admodum summam exhibebant. Et si itaque concedi vellet, pretium marmorum ad Barberinium ab initio spectantium a Rev. Camera persolutum fuisse in illis scutis *mille nonigentis octoginta quinque*, exploratum tamen erat, non aliam summam a nummariis tesseris Pacettum elicuisse, quam scuta *sexcentum quadraginta*, quanti scilicet, ex proxenetarum testimonio, valebant illæ nummariæ tesseræ sub Gallorum invasione. Si ergo, post editum a Præsue Ferrari decretum, re non solum empta, sed pretio quoque soluto, Pacettum caruisse patet, tanto magis adversus hoc etiam Decretum merito germanis fratribus Pacetti subventum est ope restitutionis in integrum.

Et ita, confirmata priori Decisione, jus redditum est altera tantum etc.

ROMANA SEU LONDINEN

RESCISSIONIS CONTRACTUS

Veneris 20 Februarii 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO CXL. »

SUMMARIUM

1. *Animalium venditio absque ulla obligatione venditoris peracta, non repellit emptorem ab exercenda redhibitionis actione, si in ipsis animalibus animi vitia reperiantur.*
2. *Eo magis emptori succurrendum hoc remedio ubi adstipulata sit disertissima pactio.*
3. *Ubi simplex adest acceptilatio inferendum est contrahentes sese conformasse legi aedilitiae.*
4. *Contraria consuetudo non obstat quando emptor agit ex pacto eidem consuetudini deroganti.*
5. *Ex brevi tempore quo vitium erumpit oritur praesumptio vitii praeexistentiae.*
6. *Non datur locus novo experimento re non amplius integra.*
7. *In dubio semper vitii praexistentia praesumenda est, maxime in his judiciis ex theorica Bartoli.*
8. *Non datur locus novo experimento, ubi post judicialem peritiam non fuit interposita provocatio.*
9. *In conflicto peritorum hominum ac testium iis*

credendum est, qui rationem reddunt ex propria scientia,

10. Ex dolo is agit, qui animalis vitium occultat.

DECISIO CXCVI.

Hodiernis in Comitiis impleta est Pontificia delegatio S. M. Pii VII., quae controversiam, inter Anglum Guillelmum Drummond De-Lap, et Marchionem Basilium Potenziani ortam, dirimi jussit a S. Ordine Nostro, binis præeuntibus Decisionibus, ac Universa Aula ad suffragium ferendum accita. Postquam enim mea Decisio, decimo secundo Kalendas Julii superioris anni evulgata, in acri Litigantium certamine definivit, excipiendam jure merito esse redhibitoriam actionem, quam idem Guillemus adversus Marchionem Basilium instruxerat, ob contumaciae vitium, quo alter ex coemptis ad eo equis laborabat; cum hodie iterum ex praedictae delegationis lege foret dimicandum, reus conventus, ex mali fortasse juris conscientia, vadimonium deseruit. Quamobrem formulae Dubii, qnae bis verbis de more proponebatur » *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* » Patres Domini continuo responderunt » *In Decisis.* »

1 Nec aliter profecto, salva justitia, judicari poterat in themate, etiamsi Marchio Basilius suorum jurium periculum denuo fecisset. Quandoquidem in emptionibus venditionibus animalium ostendi bona fide a venditoribus debet, si quid morbi, vel vitii in unoquoque eorum sit, ut jubet Ædilitium Edictum, de quo latius edisserit præterita mea *Decisio* § 3. Neque obest, non de corporis morbo, sed de animi vitio rem esse, quod exercendae redhibitionis actioni viam minime praebet, nisi expressa promissio venditoris accedat. Quamvis enim Ædilitium Edictum de corporalibus tantum animalium morbis loquatur, ad animi tamen vitia, procul ab ulla pactione, quoque progreditur, si vitium hujusmodi sit, ut animalis usum, ac ministerium impediat, veluti inquit Jurisconsultus *in Leg.* 1. §. *Sed sciendum ff. de Ædilit. Edict.* Nec evidens ratio in hac Legis censura desideratur. Nam longe differunt inter se corporis morbi, et animi vitia, quia corporis morbi sub emptorum oculis sunt, nec obtegi valent a venditoribus, et e converso animi vitia ita latent, ut facile admodum, et passim occultentur. Quantum idcirco a ratione devium non est, ut venditor a molestiis emptoris liberetur, si de corporis morbis agatur, nec de iis venditor teneri voluerit; tantum eidem rationi congruit, ut animalium venditio, absque ulla venditoris obligatione peracta, non repellat emptorem ab exercenda redhibitionis actione, si in ipsis animalibus animi vitia reperiantur.

In primo siquidem casu emptor imputare sibi debet, si non inspexit animalium morbos, aut morbosa sciens et prudens emere voluit animalia. At in alio casu succensendum emptori non est, quod animalia non expenderit, eorumque vitia non viderit, quæ manebant occulta, et ex usu tantum cognosci poterant. Ut facilius itaque venditorum fallaciis occurratur, in jure cautum rectissime est redhibitionis remedium vires suas pariter exerere adversus animi vitia, etiamsi nulla adsit conventio, aut ea noceat emptori, veluti probat allatis auctoritatum exemplis, superior mea *Decis.* §. 6. Tantum autem magis decepto emptori succurrendum in subjecta specie erat, quia non ambiguæ juris dispositioni adstipulabatur prætorea disertissima pactio, ex qua venditor jugalium equorum sanitatem promisit. Licet enim deficiat scriptura contractus, plures nihilominus testes, qui stipulationi adfuerunt, ac de re propria deponunt, pro veritate referunt » *che avendo domandato al Cocchiere, se avevano difetti, e se erano sani, ci rispose, che erano sanissimi, e che per tali si vendevano* » subduntque etiam » *che il Signor Marchese Potenziani replicò più volte in tale incontro, che i suoi cavalli erano sani, e senza difetti, e che per tali li garantiva* » Quare denegari ne- 2

quit, tam ex jure, quam ex pacto redhibitioni locum fieri.

3 Audiendus post hæc non erat Antonius quidam Palutius a Marchione Basilio in superiori actione adductus, qui pro rei opportunitate testabatur, absque ulla vendentis obligatione initum fuisse equorum contractum. Nullam namque fidem in judicio testis ille merebat, tum quia unicus erat, et mandatarii operam in hoc ipso negocio pro ventitore gesserat; tum etiam quia in manifestum mendacium incidit, dum in testimonio suo asseruit, conventum equorum pretium persolutum ab emptore fuisse triduo post initam stipulationem, cumque magis ideo ratum habuisse contractum, cum e converso ex publicae nummulariae libris appareat, collybisticam solutionis literam eodem experimenti, ac contra ctus die emptorem exhibuisse; tum demum quia verisimile non est, quod ingenti admodum pretio emere Delapius equos voluerit absque ulla vendentis obligatione. Et re quidem vera praesumi certe nequit, simplicem tantum acceptilationem pretii subscribere voluisse venditorem, qui sibi alioquin poterat ea occasione cavero, et initam absque ulla obligatione, et cum omnibus imo suis vitiis equorum venditionem eloquenti pactione declarare Quod si autem acceptilatio simplex est, inferri necessario debet, sese contrahentes conformasse juris sanctioni, quae mandat, ut qui mancipia, animalia, aut res alias distrahunt, palam faciant oportet morbos, ac vitia, quae res ipsas inficiunt.

4 Nec quidquam Marchioni Basilio prodesset, ad consuetudinem donuo redire, ac cum testibus veterinariis inepte contendere, de calcitrosis, refractariis, ac contumacibus equis venditorem non teneri, postquam ipsi ab ejus equili prodierint, ac recepti in ementis stabulo fuerint. In ea siquidem materia, quae plenas exigit facti probationes, simplices afferebat Marchio Basilius testium assertiones, quae caeteroquin adversantur veteri Urbis consuetudini, ex qua quilibet animalium venditor, nisi obsit pactio contraria, de omnibus tenetur morbis, ac vitiis, quae intra spatium quadraginta dierum ab inito contractu deteguntur, nullo facto discrimine, an vitia, et morbi stipulationem praecesserint, vel subsequuti fuerint, ut ex auctoritate *Cardinalis de Luca de empt. disc. 8. num. 1. et seq.* optime statuit eadem mea Decisio § 10. Tametsi autem vetus illa consuetudo in desuetudinem abiisset, et ea solum in praesens observaretur, de qua testes a Marchione Basilio allati loquuntur; recens haec nihilominus observantia nullum praeberet obstaculum, quominus redhibitoriam actionem emptor experiatur *ex pacto*, quod cum observantiae, et consuetudini deroget, nec impermissum ullo modo sit, religiose debet impleri, veluti monet citata Decisio *d cit.* § 10. Actione itaque tam solide constituta tota disputatio redit ad factum. Sed ad factum quod pertinet, exploratum quam maxime est, alterum ex equis renuentiae, et contumaciae vitio laborare.

Enarrant porro testes fide dignissimi, die insequenti post venditionem illico vitium apparuisse, quoniam » *il cavallo di mano dritta non volle mai tirare, e si conobbe essere intieramente restio* » Testium dictis aeque consonat relatio judicialis Periti a Primarum Actionum Judice electi, qui post sedulo initum, ac juxta artis suæ regulas equorum experimentum juratus asseruit » *che il cavallo destro é inservibile per tiro, essendo inveterata la sua piantaggine* ». Inutiliter hinc reponeretur, contumaciæ vitium in equo supervenisse post expletam emptionem venditionem, nec alio modo redhibitoriam actionem proponi posse ab emptore, quam si vitium ipsum ante venditionem extitisse, illudque venditorem non ignorasse probetur. Nam vitii præexistentia ex factis omnibus, quæ contractum præiverunt, concomitata sunt et subsequuta, luculenter evincitur. Ipse primum præexistentiæ vitii notitiam dedit auriga Marchionis Basilii, qui Angli rhedarium, post exactum e- 5

xperimentum, alloquutus, ac verba mediis labiis proferens, cum interogavit = *se ero io* (inquit testis) *che l'avevo da lovorare, ed io gli risposi di nò, ma gli soggiunsi: e perchè? Ma egli non volle parlar chiaro, ma in maniera interrotta mi disse: per una piccola cosa, ma che non è niente* = Quod si proxima post venditionem die, ut referebant testes, repente refractarius, et contumax dexter equus repertus fuit, ex hac celeritate, atque ex hoc brevi temporis intervallo, quo vitium erupit, nemo non intelligit, legitimam juris præsumptionem oriri, ex qua etiam ante venditionem equum vitio laborasse colligitur, ut pariter expendit præcedens *Decis.* § 14.

6 Huic autem juris præsumptioni addenda modo est equorum magistri relatio, qui legem optimo sequutus, quam ei dederat Judex Primarum Actionum, expendendi nimirum, utrum ex artis regulis cognosci posset, an vitium præcesserit, vel subsequutum venditionem fuerit, retulit tandem = *che il cavallo destro è inservile per tiro, essendo inveterata la sua piantaggine* =, et optimam rationem judicii sui reddidit, inquiens = *che se un tal difetto non lo avesse preso da molto tempo, oppure in natura, non avrebbe certamente potuto resistere a tutti gli sforzi, che faceva il cavallo di mano sinistra per tirare il legno, ed a quello degli uomini, che mi ajutavano* = Maxima quippe fides adhibenda est huic equorum magistri relationi, non ex eo solum, quod is electus a Judice fuerit, et de materia vitiorum animalium referat, in qua ex opinione Doctorum attendendum unice est peritorum hominum judicium; sed etiam quia Marchio Basilius, qui maximopere restitit Periti deputationi, novoque equorum experimento, ejus postea relationem approbavit, ratamque habuit, dum ab ea nullam provocationem interposuit, ut animadvertit sæpedicta *Decis.* § 12. At idem præterea Marchio Basilius non indubia dedit argumenta præexistentiæ vitii, dum ab Anglo rogatus de rescindendo ex bono, et æquo contractu, non abnuit primo, ut novum fieret ab auriga suo equorum experimentum, ac fide non bona postmodum propria dicta revocavit, ac reintegrandum periculum vetuit.

Gravissimum denique, veluti in actione superiori, Patribus visum est ipsius Marchionis Basilii factum, qui artes omnes adhibuit,, ut clanculum, et ex condicto cum Ædis Urbanæ ministris, ex fraude repente domaretur vitiosus equus, qui inibi una cum altero depositi loco, ac sub Prætorio pignore manebat. Quantum enim hoc modo adversus leges, et in fraudem tum litis institutæ, ac judicialis relationis, tum etiam futuræ Judicis sententiæ peccavit Marchio Basilius; tantum vitii præexistentiam fassus ipse fuit, cum præsumendum sane non sit, hæc patrare eum voluisse, nisi reapse dexter equus ante venditionem contumaciae vitio laborasset. Perperam hinc reponebatur, moris esse ejusdem Ædis Urbanæ, equos amovere, eosque in gyrum per urbem agere. Nam si in fraudem ferventis judicii hæc patrata non fuissent, nulla ratio suberat, cur alter tantum ex equis, et ille quidem vitiosus in gyrum ageretur, non ex cura ministrorum Ædis Urbanæ, sed imo ipso urgente Marchione Basilio. Nulla rursus ratio suberat, cur idem equus vitiosus = *si attaccasse con un altro cavallo marrone ad uno sterzo* = atque hoc experimentum pluries renovaretur = *facendo diversi giri, e salite, come si usa, e prattica, scozzonando i cavalli polledri* =, ut punctim inquiebat, in testimonio suo custos Ædis Urbanæ. Quocirca dubitari nullo pacto poterat de vitii præexistentia, cum præcipue in quolibet dubio, quod tamen procul abest in themate, præsumenda semper sit vitii præexistentia, ac pro actione redhibitoria judicium ferendum ex celebri *Baldi* theorica *in Leg. Omnes peregrini Cod. Commun. de success.* quam latius enucleat præterita mea *Decis.* § 18. 7

Nec refert, quod tum in primo equorum periculo, tum in alio ab altero ex Arbitris inito placidi, ac do- 8

miti reperti fuerint equi. Ad primum quippe experimentum quod attinet, recte animadversum fuit, de latenti animi vitio agi, quod non semper emergit, sed improviso interdum erumpit; ideoque mirum esse non debet, si ea occasione nullum vitii indicium equi dederunt. Animadversum præterea fuit, primum illud experimentum malis artibus parasse, atque exigisse venditoris aurigam, qui contra communem usum equos rhedæ supposuit = *senza il parrocchio di dentro*, *ed in luogo di mettergli le guide al solito luogo del morso gliele metteva al di sopra*, *e precisamente al morso*, *che aveva in bocca*, *e non alla guardia di esso morso* =, et præterea iter faciens = *tenne sempre i cavalli in fuga*, *ed a galoppo*, *su di che interrogato*, *rispose*, *che lo faceva*, *onde far conoscere la loro bravura* =, veluti referebant testes, qui experimento illi adfuerunt. Abnorme autem fuit aliud equorum periculum, quod marte proprio, et partibus non accitis, tentavit alter ex Arbitris. Postquam enim judicialis Peritus, experimento facto, retulerat, insanabili contumaciæ vitio dexterum æquum laborare, atque hoc periti viri judicium, non interposita provocatione, accepto habuerat Marchio Basilius, nulli amplius erat locus experimento. Cæterum nihil faciendum est hoc novum periculum, re non amplius integra, ab Arbitrio initum, quoties equi ipsi a quinque circiter mensium spatio in Ædis Urbanæ stabulo fame ferc tabuerant, ac vitiosum equum Potentianus occulte domandum curaverat, ut optime arguit superior
9 Causæ *Decis.* § 17.

His ita constitutis, impune posthabendi erant, si adducti in judicium fuissent, multiplices testes, ex quibus ostendere in anteacto certamine conabatur Potentianus, divenditos equos ante contractum quolibet vitio caruisse. Deponebant enim ii de tempore, quod longe venditionem præcessit. Multis præterea mendis, atque exceptonibus obnoxii idem testes erant, cum alii consanguineitatis viculo cum Potentiano conjucti, aut in ejus famulatu, et obsequio constituti; cæteri vero ignoti, ac fervente lite affatim redempti comperti fuerint, nullamque idcirco fidem vindicare sibi poterant in judicio. Hoc unum denique urgebat animadversione dignissimum, in conflictu peritorum hominum, ac testium majorem fidem primis adhibendam esse, qui rationem reddunt juxta propriam scientiam, quam alteris, qui plerumque ex propria opinione, ex gratia, ex odio, et inviti quoque deponerunt, quemadmodum monet, adductis auctoritatum exemplis, prætcrita mea *Decisio* §. 16. Quæ autem argumenta vitii præexistentiam ostendunt, eadem sane demonstrant ejusdem vitii scientiam in venditore. Revera præsumendum non est, animalis vitium eum ignorare, qui non solum versute occultare vitium ipsum adnisus est, et obstacula omnia interposuit, ne relationem suam ederet equorum magister, sed qui præterea captiosum illud studium adhibuit, ut mansuefieret equus, dum in Æde Urbana sub sequestro manebat. Tanto minus vero dicendum est, equi vitium ignorasse venditorem, quo certius in jure scientia præsumitur ubi de ignorantia non constat, si præcipue de domesticis rebus agatur, quatur vitia ex diuturno usu compertissima sæpe fiunt.

At quamvis vitii scientia in vendito- 10
re necessaria alias fuerit ad obtinendum redhibitionis remedium; ad tramites nihilominus Ædilitii Edicti ea minime requiritur, cum ex eo actio redhibitoria competat emptori, etiamsi animalis vitium venditorem latuerit, quia non interest emptoris, *cur fallatur ignorantia venditoris*, *an calliditate* ut ait *Lex.* 1. §. *Causa ff. de Ædilit. Edict.* Neque obiiciendum hanc venditoris ingnorantiam, de qua loquitur Ædilium Edictum, non referri ad ignorantiam morbi, vel vitii animalium, sed ad ingnorantiam potius ipsius Edicti, earumque rerum, quas jubent Ædiles. Præter enim quod neminem excusat, si minores, ac fæminas excipias, juris ignorantia, nemo præterea dixerit ex dolo, et calliditate eum agere, qui jus

ignorat. Ex dolo potius is agit, qui animalis vitium occultavit, licet vitii scientiam haberet. Dum ergo Ædilitium Edictum teneri voluit venditorem ex actione redhibitoria » *etiamsi ignoraverit ea, quæ Ædiles præstari jubent* » non intellexit legis ignorantiam, sed ignorantiam morbi, vel vitii animalium, prout hoc modo ea verba Edicti Ædilitii interpretantur Doctores, quos refert præcedens *Decis.* §. 13. Cuncta itaque simul sumpta cum evidentissimo ostendant, vitium equo inesse non leve, sed maximi momenti; vitium ad diem contractus jamdiu extitisse; vitium latens fuisse, et venditori non ignotum, ac candide manifestandum: tum maximopere probant, ex actione redhibitoria emptori succurrendum esse. In reliquis sese Patres Domini retulerunt ad superiorem Decisionem, quam plenissime confirmarunt.

Et ita altera tantum etc. Universa Aula suffragante definitum fuit.

ROMANA SEU VERULANA

PECUNIARIA

Lunae 9 Januarii 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CXLIII. -

SUMMARIUM

1. *Haeres beneficiatus, qui in sui crediti satisfactionem concurrere vult cum aliis creditoribus, rationem reddere debet de bonis administratis.*
2. *Dos dicitur quantitativa, si fuit constituta in scutis, si restitutio fuit promissa in pecunia numerata, si hypothecae fuerunt subjecta bona.*
   Absque solemniis dos quantitativa converti non potest in qualitativam, quia mulieribus magis expedit dotes in pecunia numerata - *ibidem.* -
3. *Nemo ex quocumque actu haereditatem adivisse dicendum est illius, de cujus vita, aut obitu dubitat.*
4. *Non possunt confundi actiones, quoties non constat de animo adeundi haereditatem.*
5. *Aliud est aliquem esse* - smarrito - *ac esse* - morto. -
6. *Ad excludendam haereditariam qualitatem, et ex ea actionum confusionem, remeandum est ad tempus quo actus fuerunt confecti.*
7. *Excluditur qualitas haereditaria, ex eo quod quis bona retinuit non uti haeres, sed uti administrator.*

DECISIO CXCVII.

Dotem, sibi in scutis *quinque millibus* constitutam, itidemque *numeratam* a Patre Joanne Baptista Renna anno 1795 dum nupsit Francisco Xaverio Phrusinati, Anna Theresia Rennia in tuto ut poneret, una cum dotali lucro, atque spillaticis in annuis scutis *quinquaginta*, ad tramites nuptialis contractus; ac præsertim ut occurret molestiis super viri bonis illatis a Ciccolinio, Ceasio, et Fratelliniis, qui ab anno usque 1804 ejus creditores extiterant, nomine cambii, quod ipse una cum fratribus Vellucciis cum iis contraxerat, e pretio plurium tesserarum = *certificati di Crediti Communitativi* =, quas, etsi in commercio venales scutis *viginti quinque* in singula *centena* valoris nominalis, ii prædictis Pileggio, ac Vellucciis vendiderant scutis *septuaginta quinque* in singula pariter *centena*, quasve hi insumpserant in acquisitionem binorum prædiorum, *Prato di Campoli*, *et Bagnara* ad Communitates Verularum, et Olybani spectantium, quæ semper a Vellucciis tantum retenta, nunc ab anno usque 1818 sub administratione manent, ad commodum eorumdem Ciccolinii, aliorumque, qui illa pro suis creditis specialis hypothecæ nexui obnoxia voluere, sive eorum, qui ab iis caussam habent; suis, inquam, juribus quoad enunciata credita ut consuleret Anna Theresia, Monitorium anno 1808 coram A. C. Ridolphio expedivit adversus singulos prædictos viri creditores, postulans, ob hujus ad inopiam vergentiam, ut tot ex hujus patrimonio, in vim notissimæ Cautbelæ Angeli, bona segregarentur, quot sat essent ad sua illa jura assecuranda. Nullum hæc de re Decretum ab eo Judice prolatum; sed Caussa ad *Informationis Syl-*

labum remissa. Dein vero, Ecclesiastico Imperio a Gallis occupato, invectisque hypothecariis Legibus, atque ad harum normam relatis tam a Rennia, quam ab aliis Francisci Pileggi creditoribus in hypothecarios Codices respectivis creditis, ac hypothecis adversus Pileggia bona, actum iterum fuit anno 1813 coram Judicibus Primarum Actionum, qui Romæ fuerant a Gallo Imperante constituti, de ea controversia, quæ apud A. C. Ridolphium Indefinita manserat; ac ii creditores, cum Angeli Cauthela ab hypotecario instituto sublata fuisset, facile obtinuere ut ipsis liceret debitoris bona hastæ subiicere, ita vero ut prædictum Monitorium a Rennia expeditum deberet = *tener luogo di opposizione alla libera consegna del prezzo da ricavarsi dalla vendita giudiziaria*. =

Res deinceps siluit, ob Gallorum expulsionem, et restitutionem Imperii Sanctissimi Principis, et Rennia, cum vir abesset, in Russiacum profectus bellum ab anno usque 1811., in ejus bonorum retentione perrexit, uti administratrix per procuræ mandatum ab eo constituta; quin retentionis titulum mutaverit; dum anno 1816., ad repellendos Francisci propinquos, qui eum mortuum asserentes, ejus, cui nulla erat soboles, intestatam hereditatem postulabant, ab Judice petiit, obtinuitque ut resignaretur illius olographum Testamentum, ex quo patuit ipsam fuisse ab eo heredem scriptam. Sed hoc innixi facto prædicti Francisci creditores curarunt ut ab A. C. Juridico Conventu exequutoria fieret illa Gallici Primarum Actionum Tribunalis Sententia, quod obtinuerunt anno 1817 Actorum circumscriptionem petiit a Signaturæ Tribunali Anna Theresia, sed assequi tantum potuit suspensivam appellationem, ex quo causa ad Sacrum Nostrum Ordinem definienda venit. Interim vero anno 1818 ipsa, ut tutior esset quoad sua jura, ac retentionem, administrationemque bonorum viri, horum inventarium, seu descriptionem perfici curavit cum declaratione quod exinde « *non si possa indurre alcun deterioramento, o diminuzione ai suoi diritti dotali, e si intenda con ciò giustificata la morte del suo marito giacchè o vivente il medesimo l'è necessario per conoscere la quantità, qualità, e valore dei beni del medesimo, che essa intende di ritenere in conto, e soddisfazione degli accennati diritti dotali ec., se poi passato all'altra vita, dichiara di ritenerli come erede beneficiata, onde in ogni futuro evento essa sia nel caso di far valere li accennati suoi diritti dotali, non che rinunziare a questa eredità* ». Ii autem etiam creditores sibi prospexerunt eodem anno 1818., obtento a Signaturæ Justitiæ Præfecto Decreto, quo bina illa prædia *Prato di Campoli, et Bagnara*, empta tesseris ab eis Vellucciis, et Pileggio venditis, administrationi supposita fuere Publici Depositarii Verularum, pro assecuratione ipsorum jurium, uti jam superius fuit enunciatum. Causa dein proposita in Comitiis diei 17 Aprilis 1820 sub Dub. « *An et quomodo Mandatum A. C. sit exequendum in casu etc.* judicium ampliatum fuit ad *Quintum, et Sextum*; sed *Affirmativum* prodiit Responsum in Rota 13 Junii ejusdem anni, confirmatum alio = *In Decisis* =, dato die 18 Junii 1821 uti patet ex binis Decisionibus a R. P. D. meo Martinez del Campo editis, quibus accessit Rotalis Sententia ab eodem signata. De hujus Sententiæ viribus quæsitum postea a me fuit die 16 Maii superioris anni, et confirmata ea fuit *juxta modum*, ita nempe ut deberet Rennia « *e pretio bonorum viri satisfactionem assequi de suo credito dotali, lucro, ac spillatico juxta gradus prærogativam*, ac deberet « *rationem reddere administrationis illorum bonorum a die aperti testamenti ejusdem viri* »; quæ omnia latius exponit Decisio, quam ad eam diem vulgavi. Indulto Ceasiis, aliisque novæ Audientiæ beneficio, cum Patres hoc mane interrogaverim « *An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc.*, frustra ipsi Ceasii, aliique contenderunt, ut modus prædictus a Decisione demeretur, nam simplex « *In Decisis* » Responsum accepi.

1 Justitiæ sane consona undique comperitur, et Censiis aliisque Pileggii creditoribus, e pretiu venditarum tesserarum, secunda potius, quam adversa S. N. Ordinis hæc definitiu, qua absolute confirmata fuit præcedens mea Decisio, probans illorum creditorum nomina facultatem eis indulgens hastæ subiiciendi Pileggia bona, pro assequenda horum nominum solutione, postbabito prorsus quod ipsi possunt ad hunc effectum experiri, quod prædia *Prato di Campoli, et Bagnara*, pro iis creditis hypothecæ speciali ipsis id exigentibus supposita, et ad ipsorum instantiam, et Commodum ab anno 1818 administrationi publici Depositarii Verularum subjecta, Pileggii ac fratrum de Vellucii jura: Angeli Cauthelam, a Rennia pro suo dotis, lucri dotalis, et spillaticorum credito allegatam, prorsus rejiciens;et huic tantum concedens quod super pretio bonorum Patrimonii Pileggii valeat, ad hujus sui crediti satisfactionem obtinendam, concurrere cum iis creditoribus, juxta gradus prærogativam, onere ipsi injuncto reddendi rationem de Pileggiis bonis, eorumque administratione a die aperitionis testamenti Francisci ipsius viri, quia ad eam diem retrahenda esset assumptio in ea qualitatis heredis beneficiatæ ejusdem viri, si talem sese eam declarare oporteret ad suorum creditorum jura sarcta tecta servanda. Nulla quæstio cum sit in præsens de exsistentia creditorum, quæ Censii aliique proponunt in quantitate a Sententia Tribunalis A. C., illaque S. N. Ordinis constituta, deque illorum juribus adversus Pileggium patrimonium pro satisfatione assequenda; et cum Rennia haud amplius tueri studeat Angeli Cautbelam super vim bonis pro suorum Creditorum assecuratione propositam, sed iisdem Sententiis exclusam, supervacaneum omnino esset de bisce rursus disserere, et sat est relationem habere ad præcedentem meam Decisionem, quæ, do iis agens sub §§ 5 6.; binas elucubratissimas allegat Decisiones a R. P. D. meo Martincz del Campo editas, et Rotali Sententia firmatas, uti superius fuit narratum. Sermo itaque tantum instituendus est de justitia, et æquitate modi, sub quo Rotalis Sententia fuit confirmata juxta prædictam meam Decisionem, cuive hodiernum Sacris Tribunalis Judicium robur adjecit.

Hic vero modus cum præcipue in eo stet quo Anna Theresia super pretio bonorum viri, quæ sub corona vendantur, cum aliis illius creditoribus concurrat pro suo credito dotis, lucri, et spillaticorum, juxta sui gradus prærogativam, præmittendum pernecesse est, sicuti in mea præcedenti Decisione præmittere oportuit, quod Patres perspectissimum babuerunt dotem Annæ Theresiæ, cujus solutionem assequendi e pretio bonorum viri jus ei tribuerunt, *quantitativam* fuisse; secus enim illius restitutionem urgendi in pecunia numerata, atque, ex eo bonorum pretio, potestas ipsi haud fuisset a S. Tribunali tributa. Quantitativa vero hujusce dotis indoles manifesta est ex illius constitutione in scutis *quinque millibus*; ex obligatione a Pileggio, una cum parente, suscepta eam restituendi, si restitutionis casus venisset, in pecunia numerata, subjectis in hanc causam hypothecæ nexui omnibus ipsorum bonis, data etiam eidem Annae Theresiae facultate oa locandi, et vendendi ad instar dominae » *finche essa e suoi si saranno reintegrati, e sodisfatti di detta dote, quarto, ed altre ragioni dotali*; ac demum ex illius solutione per Annæ Theresiae patrem expleta in pecunia numerata, ac e respondentibus Pileggii, ejusque parentis acceptilationibus. Quin obsit in dotali Instrumento conventum fuisse, ut dos prædicta investienda esset in aliquo fundo quod deinceps fuit cum ea acquisitus Census, venditus a Comunitate Velitrarum, cum declaratione quod « *sia dotale soggetto al vincolo della dote, e fondo dotale* » Hujusmodi namque pacta; et dictiones eo spectant, ut dotales hypothecae in tuto fortius ponantur, et fundi eis subjecti *improprie* dicuntur « *fondi dotali*; Quod eo magis in themate tenendum est e conspectu praecedentium Instrumentorum constitutio- 2

nis, et solutionis dotis Annae Theresiae, quibus hanc dotem *quantitativam* fuisse evincitur; praesertim vero, *quia quantitativa* haec dos in *qualitativam* converti haud poterat absque necessariis solemniis, in perniciem ejusdem Annae Theresiae, cum mulieribus expediat dotes in pecunia numerata potius, quam in fundis habere, et quia dotalis Renniæ factus haud fuisset aliquis fundus immutabiliter doti respondens; sed incertum pecuniarum creditum, quod facile perire aut imminui poterat, uti revera accidit de illo eum Veliterna Communitate Censu, qui extinctus fuit ope tesseræ « *certificati* » a Pileggio receptæ, ac in proprium eommodum adhibitæ: sicuti hæc omnia perpendit, et adductis authoritatibus, firmat superior mea *Decisio* §§ 7 8 9.

3 Consequitur ex hisce in facto quod Anna Theresia viri creditrix sit in pecunia numerata tam pro scutis *quinque millibus* dotis, quam pro lucro dotali, ac spillaticis, ac conseguitur in jure quod pro assequenda borum creditorum satisfactione persequi ei liceat ejusdem viri patrimonium in concursu cum aliis ejus creditoribus, et juxta sui gradus prærogativam, ex quo justitiæ et æquitati conveniens quam maxime est, iterum dicam, modus confirmationi Sententiæ Rotalis appositus in Comitiis diei 16 Maii superioris anni atque in hodiernis probatus. Frustra autem suadere conantur Ceassi, aliique haud posse Renniam sua jura pro creditis prædictis exercere adversus viri patrimonium, quia ejus adiverit hæreditatem, et de ea inventarium confecerit, tam quoad formam, quam quoad substantiam imperfectum, ac ideo nullum, ex quo ipsa viri simplex hæres extiterit, et suas cum ejus hæreditate actiones confuderit. Non enim petita per ipsam eaperitio testamenti viri, nec mandatum ad ipsa datum Diamantio ad effectum conficiendi inventarium, seu simplicem descriptionem bonorum ejusdem viri, ac hujus inventarii sive descriptionis confectio suum ferre potuerunt in ipsa assertam illam hæreditatis aditionem. In jore siquidem certissimum est neminem ex quocumque actu hæreditatem adivisse dicendum esse illius, de cujus vita, aut obitu ipse dubitet, sicuti ex Legum Censura, et Doctorum traditis statuit, ac probat præcedens mea Decisio § 10. Est autem in facto perspicuum Annam Theresiam, aut repelleret vexationis propinquorum Francisci, qui ex ejus absentia, et quodam documento, epistola nempe anno 1815 Mediolani scripta a Præfecto rei militari, ac nauticæ, qua dicebatur « *Il Signor Francesco Saverio Pileggi è smarrito nella Campagna del* 1812 *alla ritirata* di *Mosca* » ipsum defunctum arguentes, primum immissionem petierant ad bona fideicommissaria, quæ ipse possidebat, dein deputationem administratoris super bonis ipsius obtinuerant, ac demum actionem instituerant pro assequutione ipsius intestatæ hæreditatis, nulli ei namque erant liberi, coactam fuisse Judicem adire, ab eoque petere facultatem aperiendi Olographi testamenti viri, quo sese in casu ejus obitus hæredem ab eo scriptam sciebat, declarans sese, quæ ab eo relicta fuerat « *libera, ed assoluta amministratice del di lui patrimonio in forza di procura* » id postulare quia « *per parte di alcuni parenti del suo marito si è veduta molestata, e citata, perchè supponendo eglino la di lui morte, pretendono dei diritti alla di lui eredità* ». Hæc itaque Rennia apertissima incertitudo de viri vita vel obitu in actu postulationis, quod ejus aperiretur testamentum, excludit ipsius in eodem actu animum adeundi viri hæreditatem, et assertam hanc aditionem ex eo inducere vetat.

Nec minus manifesta est eadem Renniæ dubietas, dum procuratori Diamantio mandavit confectionem inventarii, 4 seu descriptionis bonorum patrimonii Francisci. Id enim ipsam egisse, ut tutius in illorum bonorum retentione, administratorio nomine pergeret, et suis juribus adversus ea bona melius consulcret, patet ex declaratione ab ipsa in procuræ mandato expressa, nimirum « *senza che da questo atto si possa indurre nè alcuna diminuzione*, o

deterioramento ai suoi diritti dotali, e si intenda con ciò giustificata la morte del suo marito »; cum hic actus ad eum effectum perficiendus esset ut « *vivente il medesimo* » bona ejus retinere posset pro quantitate valoris suis creditis respondente; « *passato poi all'altra vita,* » jura sibi pro hisce creditis competentia posset super iis bonis experiri, ac ipsi liberum esset « *rinunziare a questa eredità* ». Adeo vero ad tramites hujusce declarationis confectum a Diamantio fuit prædictum inventarium, sive bonorum descriptio, ut in ea de verbo ad verbum ea videatur declaratio repetita. Incerta cum igitur fuerit Rennia de viri vita vel obitu, tam dum ejus testamentum aperiri postulavit, tam dum ejus bonorum descriptionem perfici curavit, et cum in utroque actu defuerit ipsius Renniæ animus adeundi viri prætensam hæreditatem, extranea prorsus a themate est juris quæstio super præsumptione mortis illius, qui in longinquas profectus regiones per *quinquennium* abfuerit, absque quo ulla de eo pervenerit notitia. Si ipsa namque dubitavit, si prædictos actus, non pure, sed conditionaliter perfecit, ex quo ii, utpote e genere actuum legitimorum, irriti fuere, ut probat, Legibus, et Doctorum sententiis, ac S. Tribunalis auctoritati innixa, prima mea Decisio § 11., hæc ejus incertitudo sat est, quidquid de illa juris præsumptione sit, ad excludendam ab ipsa hæreditariam viri qualitatem, et exinde deductam in ipsa actionum confusionem.

5 Plura quidem Ceasii, aliique in hodiernis Comitiis proposuere, e quibus arguere vellent Renniam viri obitum uti certum habuisse; et omnia, quæ dicta fuere, gessisse animo ejus adeundi hæreditatem, et ejus hæreditaria qualitate indutam; sed ea prorsus spernenda Patribus visa sunt. Afferunt primum epistolam superius memoratam Mediolanensis Præfecti rei militari, et nauticæ, qua anno 1815 scripsit quod Pileggius « *è smarrito nella Campagna del* 1812, *alla ritirata di Mosca* »: at quisque intelligit hanc epistolam aptam fuisse ad augendam potius, quam ad tollendam dubietatem de vita vel obitu Pileggii, cum longe aliud sit aliquem esse « *smarrito* » præsertim in remota regione, ac esse « *morto* » Ajunt deinde, Pileggii propinquos, ad quos ejus intestata hæreditas spectasset, petiisse eodem anno 1815 ab A. C. Cuneo, atque obtinuisse deputationem Administratoris super « *hæreditate bo. me. Francisci Pileggii* »: addunt, administratorem deputatum, nempe Canonicum Joannem Baptistam Benvenuti, Pileggia bona, quorum ex Judicis Decreto administrationem suscipiebat, nuncupasse « *hæreditatem defuncti Francisci Pileggi* »: urgent demum Renniam, dum petiit circumscriptionem prædicti Decreti, latum illud dixisse, apud Signaturæ Tribunal « *super bonis hæreditariis defuncti Francisci Pileggi* » atque etiam postulasse quod caperetur provisio « *super administratione bonorum hæreditariorum bo. me. Francisci Pileggi* »; e quibus Pileggii mortem, ante aperitionem illius testamenti, certam Renniæ fuisse contendunt.

Sed Domini animadverterunt inania 6 hæc esse, quia prædicti Pileggii propinqui ejus mortem tantum asseruere, sed non probarunt in prædictis actibus; et quia, dum de eorum circumscriptione, ac revocatione egit Rennia, debebat pernecesse illorum tenorem, illamque assertionem repetere. Præterea perspicuum Eis fuit de Pileggii morte vel vita dubitasse tam Renniam, quam etiam eos illius propinquos; ipsi enim in iis actibus, non de immissione ad ejus intestatam hæreditatem, quam, eo absque prole, et ab intestato defuncto, sibi asserere potuissent, sed de ejus patrimonio administrationi subiiciendo egerunt; Rennia vero, dum illorum circumscriptionem petiit, se dixit « *Administratricem universalem constitutam a Francisco Pileggi possessore eorumdem bonorum* »; et dum instantiam promovit quoad provisionem super bonorum Francisci administratione, postulavit « *per modum provisionis mandari, præstita fidejussione, ac facta obligatione per instantem de bene, et fideliter administrando, removeri admini-*

stratorem; et mandatum de removendo concedi » quod certo haud fecisset, si virum defunctum putasset; hoc namque in casu, cum sciret sese ab eo hæredem scriptam fuisse, sibi prospexisset, non petendo reintegrationem ad illius bonorum administrationem, sed allato ejus testamento, quod deinceps aperiri petiit, ut, vel vivo, vel defunto Francisco, omni spe obtinendi ejus bona destituerentur, qui ea inhiabant, et ipsa tuto posset in eorum possessione, ex administratione, sibi ab illo concredita, manere. Firmum itaque et constans est Annam Theresiam incertam de viri obitu, vel vita fuisse, dum superius perpensos actus, quoad aperitionem testamenti ipsius, ac ipsius bonorum inventarium, seu descriptionem explevit; nec querendum quid postea senserit; nam ad excludendam in ea hæreditariam viri qualitatem, et ex ea actionum confusionem, remeandum est ad tempus, quo fuere ii actus confecti cum lis agatur super asserta illa ejus qualitate, et actionum confusione, quam ex iis actibus Ceasii, aliique desumere conantur.

7 Remota a Rennia ea hæreditaria viri qualitate, nil ad rem facit quidquid proponitur de inventarii vitiis; si ipsa namque animum haud habuit adeundi viri hæreditatem, descriptio ipsius bonorum ab eo Diamantio commissa, inventarii nomen mereri haud potest, sed habenda est uti simplex actus ab ea, vel ejus mandato, expletus ut ipsius juribus quolibet in eventu consultum foret. Hanc vero descriptionem si mancam Ceasii aliique probent, et aliquid in ea de bonis ad Pileggium patrimonium spectantibus omissum fuisse demonstrent, id in imminutionem Renniæ creditorum cedere debebit; at eam actiones suas cum viri hæreditate confudisse ex deficientia, vel imperfectione inventarii numquam admitti poterit, cum numquam ipsa viri hæres extiterit. Nec melius obiicitur retentio per ipsam bonorum viri, vel uti actus hæreditarius, vel ad arguendam ex ea satisfactionem ipsius creditorum. Non enim ipsa ea bona occupavit post viri testamentum reseratum, sed, ea possidens in vim mandati ab eo accepti super eorum administratione, ea retinere perrexit, non, uti viri hæres, qualis numquam fuit, sed uti administratrix ab eo constituta. Præsumi vero nequit ipsam de suis creditis sibi satisfecisse ex administratorum bonorum reditibus, cum constet hos vix pares esse ad ejus exhibitionem, mensurandam saltem ad tramites fructuum ipsius dotis ac lucri dotalis, sicuti superior perpendit ac auctoritatibus adductis, statuit superior mea Decisio, quæ confirmatur, et ad quam me refero §§ 12 13. Præterea autem satis superque consultum fuit hac de re Ceasiorum, aliorumque juribus per injunctionem Annæ Theresiæ oneris reddendi rationem de administractione praedictorum bonorum a die reserati Testamenti Francisci Pileggi, a quo tempore quæri potest an administratrix fuerit bonorum ipsius viventis, vel hæreditatis ipsius defuncti; cujus oneris injunctio pars est modi, sub quo Rotalis Sententia fuit confirmata, et cujus vires hodierna S. Tribunalis controversiae definitio adauxit.

Et ita, Patribus usque ad Sextum suffragantibus, jus fuit dictum utraque etc.

ROMANA SEU URBEVETANA

PECUNIARIA

Lunae 16 *Martii* 1824.

ARGUMENTUM

Quum agatur de ingenti summa, ac de loco Pio, nunquam praesumitur, quod solutio expleta fuerit absque acceptilationibus. Lex quae praescribit mercedes artificum intra biennium, est intelligenda de mere manualibus, minime vero de artificibus sublimioris notae.

SUMMARIUM

1. *Revocanda est sententia, quae injustitiae labe inficitur.*
2. *Ab exceptione factae solutionis recte infertur, debitum olim extitisse.*

3. *In extimanda mercede architectonici operis, sequenda est relatio periti architecti.*
4. *Post delatum, praestitumque juramentum, unum quaeritur, quid juratum sit.*
   Juramentum habet vim transactionis, et re-judicatae - ibidem. -
3. *Error temporis, si constat de identitate causae, personarum, et solutionis, nullo in calculo habetur.*
6. *Nemo praesumitur solvere absque acceptilatione, praesertim si agatur de summa non levi, et de loco Pio.*
7. *Mercedes artificum intra biennium, praescriptae censentur.*
   Verum hoc non intelligitur, de mercedibus quae debentur artificibus summae notae - ib. -
8. *Eadem semper est pecuniae quantitas persolvenda, aut ea in argentea moneta, aut in papyraceis nummis aextimetur.*
9. *Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.*
10. *A solutione expleta cum papyracea moneta, detrahi debet, quidquid reductio ferebat tempore solutionis.*

DECISIO CXCVIII.

Ictu fulmineo deformatum, ac deustum, Anno 1795. exeunte, primarium Urbisveteris Templum, cum ex jussu S. M. Pii Sexti instaurasset insignis Urbis Architectus Josephus Valadier, nec architectonicæ operæ mercedem, præter scuta millia in papiracea moneta, ab ejusdem Ecclesiæ Moderatoribus unquam accepisset, judicio egit coram Vicario Urbevetano, ut reliquum creditum in nummis argenteis 2776., et obulis 66. ab eis assequeretur, veluti extimaverant periti homines extra judicium petiti. Inimica Sententia repulsus provocavit ad Sacrum Ordinem Nostrum, coram quo in Comitiis diei 20. Martii Anni 1820., vadimonium deserentibus Ecclesiæ Curatoribus, R. P. D. meus Tiberi primam in lucem edidit Decisionem, quæ in scutis 1772., et obulis 91. Valaderii creditum probavit. Renovato tamen certamine ad diem 26. Junii ejusdem Anni, placuit Patribus controversiæ definitionem differre, et periti hominis deputationem injungere, ut de Credito Valaderii referret, inspectis libris administrationis, qui retinebantur ab Ecclesiæ Curatoribus. Ex Decreto Judicis Urbevetani hanc in rem delegatus fuit, Partibus annuentibus, ratiocinator Franciscus Gisvaldus, qui non solum retulit, ex libris, ac codicibus administrationis nullum apparere Valaderium creditum, sed ex monumentis aliis evinci, præter scuta *millia* in papiraceis nummis, alia scuta *bismillia* in eadem moneta in mercedis causam eum habuisse.

Cum itaque Sacer Ordo vidisset, non bene tunc temporis explicari, quæ dixerat ratiocinator, et institutam a Valaderio actionem in specie clandicare, in novo propterea controversiæ periculo, quod initum fuit ad diem primam Junii Anni 1821., assuetæ Dubii formulæ respondit, *Recedendum esse a decisis*, veluti patet ex alia Decisione, quam pariter ad dictam diem publici juris fecit R. P. D. meus Tiborj, et quam statim excepit Sententia Rotalis. Provocatione igitur interposita, id præ primis Valaderius curavit, ut Ecclesiæ Curatores, præstituto termino cogerentur ad acceptilationes exhibendas de scutis illis *bismillibus*, quæ sibi soluta contendebantur, sed revera fuerant in operarios divisa: alias enim se admitti petiit ad juramentum in litem super existentia dictarum acceptilationem penes Ecclesiæ Curatores, earumque veritate. Rei autem cognitione a Me uti Causæ Ponente, delata ad Sacrum Tribunal, probanda Valaderii vota Patres censuerunt. Cum tamen terminus Ecclesiæ Moderatoribus præscriptus inutiliter effluxisset, ideo Valaderius jurisjurandi religione professus fuit, scuta illa *bismillia* missia ad Curatores acceptilationibus, a suo negociorum gestore Hieronymo Caudia diribita fuisse inter operarios, et deducta tantum ab ea summa fuisse scuta *centum*, quæ aliis *nongentis*, in papyraceis pariter nummis, addita quantitatem scutorum *millium* constituunt, quam se reapse recepisse declaravit.

Actum hinc est in Comitiis diei 26. Junii superioris anni de viribus Rotalis Sententiæ, ac in acri litigantium conflictu probe jussit Sacer Ordo, deputari Peritos architectum, et ratiocinatorem, ut ille mercedem Valaderio debitam constitueret; hic vero, subductis solutionibus, ejusdem creditum præfiniret.

Quamobrem selecti, utraque Parte plaudente, fuerunt Eques Dominicus Palmucci Architectus, et Joseph Caporri Ratiocinator, quorum primus ivit in rem præsentem, et architectonicum Valadierii opus æstimavit in scutis *mille sexcentum nonaginta*. Huic credito adjecit ratiocinator Caporrius scuta *quingentum sexaginta* in causam fusorii operis in hac summa taxati ab extrajudiciali hujus artis Perito: addidit etiam alia scuta *tercentum triginta tria* pro pretio vitrorum: demum nominibus omnibus insimul collectis, deductisque scutis *mille* papyraceæ monetæ, quæ nummos argenteos 530. 86. solutionis tempore reddebant, creditorem in scutis 2057. 98. Valaderium renunciavit. Post hæc in disquisitionem denuo venit hodiernis in Comitiis ipsius Valaderii Creditum, eademque hanc in rem proposita Dubii formula = *An sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* = Patres Domini rescripserunt = *Sententiam esse infirmandam, et mandatum esse relaxandum in summa scutorum* 1468. 46. *restitutis per Josephum modulis* =.

1 Revocandam enim esse Sententiam, quæ injustitiæ labe inficitur, vetus est in jure adagium: Injusta autem est Sententia, quæ Valaderii actionem rejecit, de cujus credito in genere nulla esse potest disputatio. Extat primo loco codicillus recolendæ memoriæ Pontificis Pii VI., quo jussum Valaderio, ut Urbemveterem peteret, et instaurationi Gothicæ frontis illius primarii Templi incumberet. *Potrà ella disporre* (ita Pontifex Sacratissimus) *la sua partenza per Orvieto, comunicando la lettera ai due Deputati di quella Città, coi quali potrà andare di concerto* = Si itaque absque mora Valaderius sese conferre Urbemveterem debebat, et Pontificias literas Urbevetanis Legatis ostendere, quid jam antea Romam venerant, et a Pontificis beneficientia opem imploraverant ad reparandam Venerabilis Ædificii calamitatem; nemo profecto non intelligit, Pontificiam voluntatem, ac Legatorum, Curatorumque studium amice conspirasse, ut ingenio, et opera eximii Architecti uterentur pro conficiendis Ecclesiæ reparationibus. Pontificiis literis accedunt præterea artificum testimonia, qui sculpturæ, statuariæ, ac musivo, delineante Valaderio operam navarunt, quique mandatum instaurandi Templum eidem Valaderio, tam a S. M. Pio VI., quam ab Ecclesiæ Curatoribus datum fuisse, non ex vulgi rumoribus, sed ex facto proprio deponunt, nempe = *per essere stati essi artisti, non che per aver fatti quei lavori a ciascuno di loro ordinati dal detto Signor Valadier, e per essere stati col medesimo in Orvieto, ed eseguiti i lavori di loro sfera* =.

Ipsi rursus Ecclesiae Curatores Valaderii creditum pluries probarunt. Si quando enim satisfactionem ipse petebat, modo temporum calamitates lugebant; modo exaustum Rev. Fabricae Urbevetanae aerarium caussabantur, modo inducias ad solvendum postulabant. Testimonium hac de re perhibent epistolae apud acta delatae, quas, tum Vicarius Urbis Veteris Mense Aprilis Anni 1803., tum etiam ipsius Rev. Fabricae Camerarium ad Valaderium miserunt. In praesens imo tam longe absunt Rev. Fabricae Administratores ab ulla disceptatione do credito in genere, ut de mercede sua plenissime satisfactum Valaderium fuisse contendant. Ab exceptione siquidem factae solutionis recte infertur, debitum olim extitisse. Caeterum Valaderii creditum jam in genere probavit Sacrum Auditorium, quoties perlustrari jussit Rev. Fabricae codices, et Kalendaria, eligique mandavit Peritum Architectum, qui mercedem hoc nomine solvendam constitueret. Quaestio igitur redit ad factum, hoc est ad videndum, quanti sint aestimanda honoraria Valaderio debita, quaeque solutiones subducendae sint. Tria porro sunt elementa, ex quibus Valaderius creditum suum desumit: primo scilicet ab architectonici operis mercede alia, quam ipse meruit ob instauratum Agni simulacrum, et statuas Pontificum Nicolai VI, et Pii VI, ex aere ductas, tertio demum ex pretio vitrorum, quibus in instauratione Templi usi fuerunt operarii. 2

In extimanda autem mercede architectonici operis sequendam Patres du- 3

xerunt extrajudicialem relationem Periti Architecti Virginii Bracci, qui mercedem hoc nomine debitam scutis 1439 32 aestimavit. Sic pariter in constituenda mercede fusorii operis servandam censuerunt iidem Patres extrajudicialem aliam æxtimationem Francisci Righetti fusoriæ artis peritissimi, qui Valaderii computum taxavit in scutis 660. Probavit enim ratamque habuit Valaderius ipse utramque extrajudicialem relationem, dum in judicium rapuit Ecclesiæ Curatores, et mercedem sibi debitam ad tramites harum relationum postulavit: Nec audiendi erant extrajudiciales alii Periti, qui architectonici operis mercedem ex arbitrio deprimebant. Animadvertendum siquidem occurrebat, hosce Peritos mercedem extimasse, non invisis operibus architectonicis, eorumque relationi maximopere adversari relationem alteram judicialis Periti Architecti Dominici Palmucci, qui majoris eastimavit mercedem architectonici operis, quam ipse aestimaverit Peritus extrajudicialis Virginius Bracci, eamque constituit in ingenti summa scutorum 1695 26. Errasse autem patet judicialem Peritum ratiocinatorem Franciscum Gisvaldum, dum in sua relatione inquit plene satisfactum de mercede sua Valaderium fuisse, semelac scuta *quatuor millia* ex invictis monumentis eum recepisse constabat. Nam, præter scuta *millia* in papyracea moneta, nil aliud habuit Valaderius in causam propriæ mercedis ab Ecclesiæ curatoribus.

4 Quandoquidem non erat Valaderii debito adscribenda solutio altera scutorum *bismillium*, papyraceæ pariter monetæ, quia hanc summam Hieronymo Candia, Valaderii negociorum gestori, tradiderunt Ecclesiæ Curatores, non in causam mercedis, sed imo = *per farne col sentimento del Signor Valadier quell'uso, che destinerà* =, ut patebat ex epistula diei 16 Octobris anni 1797, quam ipse Candia misit ad Rev. Fabricæ Camerarium, ut de receptis pecuniis cum moneret. Atqui tam ab eadem epistola, quam ab aliis solutionum monumentis, indubium est, divisam inter secundarios artifices eam summam fuisse. Quominus vero amplius de hac pecuniæ erogatione quæstio moveatur, juramentum prohibet Valaderio delatum ex Sacri Nostri Ordinis Rescripto, cujus ope juratus asseruit = *che gli scudi duemila in Cedole furono distribuiti fra i sudetti Artisti* = addens = *che le ricevute furono spinte al Signor Ravizza Camerlengo della Rev. Fabrica, e che scudi cento rimasero in sue mani in una cedola ricusata dall'Artefice De Angelis, la quale aggiunta poi ad altri scudi novecento compì la somma di scudi mille, de' quali parla la ricevuta inserta nella giudiziale Perizia* = At post delatum, præstitumque juramentum unum quæritur quid juratum sit, nec licet juramento definitam litem instaurare, cum maximum remedium expediendarum litium sit juramentum, et vim habeat transactionis, et Reijudicatæ, ac finitæ litis exceptionem secumferat *Leg.* 1 *ff. de jurejuran. Marant de ord. jud. par.* 2. *cap*, 9 *art.* 9. *num.* 1 *Ridolfin. in prax. part.* 1 *cap.* 12 *num.* 117 *Mascard. de probat. conclus.* 857 *per tot. Rot. in Bononien. Contractus* 2 *Decembris* 1818 §. 6 *cor. Emo Serlupi, et in Romana Litterarum Cambii* 24 *Aprilis* 1818 §. 7 *cor. Emo Odescalchi.*

Nec pariter Valaderii debito adscribenda sunt alia scuta *millia*, quæ in computo adnotavit. Nam recepti syngrapha scutorum *millium* papyraceæ monetæ, et adnotatio de aliis scutis *mille* in computo facta unam, eamdemque respiciunt solutionem, tametsi Valaderius dixerit = *di aver ricevuto a conto scudi mille in Cedole a dì* 5 *Ottobre* 1797. =, cum e contra Mense Decembris ejusdem anni conscripta fuerit acceptilatio. Erronee siquidem Valaderium inscripsisse solutionis diem in adnotatione sua ex eo maxime patet, quod ejus negociorum gestor Hieronymus Candia ad diem 25. Octobris anni 1797. vix scuta *bismillia* acceperat, quæ postea fuerunt inter operarios divisa. Quamquam vero Valaderius urgeret, ut sibi saltem solverentur scuta *millia*, ea tamen eo tempore minime receperat, sed penes Fabricæ Questorem extabant, Valaderio deinde numeranda, cum Urbemveterem reverteretur, ut pariter constat ab Epistola 5

Hieronynimi Candia, tunc temporis ad Valaderium scripta. Perperam hinc unicam solutionem, unica acceptilatione comprobatam, in duplicem solutionem convertere conabantur ex erronea diei adnotatione Ecclesiæ curatores. Error enim temporis, si aliunde constet de identitate causæ, personarum, et solutionis, nullo in calculo habetur, nec rei veritati præjudicium ullum afferre potest, *Leg. Si quis in fundi vocabulo ff. de Legat.* 1. *Menoch. cons.* 337, *num.* 11. *Rot. in Rec. decis.* 160. *numer.* 13. *part.* 7. *et decis.* 1186, *num.* 62. *cor. Molines.*

6 Quod si revera suluta hæc scuta *millia* fuissent, proferrent sane Ecclesiæ Curatores factæ solutionis acceptilationem, aut notatam saltem in Fabricæ codicibus solutionem ipsam ostenderent. Profecto si neminem solvere absque acceptilatione præsumitur, multo magis hæc juris præsumptio valet in Piorum Locorum administratoribus, si præcipue de summa non leviores sit. Quare nihil aliud, quam scuta *millia* papyraceæ monetæ, in mercedis causam Valaderium habuisse exploratum in facto est. Inanis autem erat postulatio, delendam esso a notula operis architectonici partitam illam, quæ respicit modulos, et typos, quia nimirum Urbevetani asserunt Lapicidæ, sese operam instaurationibus dedisse = *sotto la direzione del Signor Giuseppe Ravaglini* =, nec habuisse umquam = *i modini, e disegni del Signor Giuseppe Valadier* =. Præter enim quod ex legitimis monumentis apparet ipsos lapicidas, et cæmentarios pluries confessione propria declarasse, se typos, et exemplaria a Valaderio habuisse, accedit etiam, quod iidem Lapicidæ, et cæmentarii operas suas pro Ravaglinio præstiterunt, qui præerat lapidariis operibus, quique pro veritate testatus fuerat = *di aver fatti i lavori ordinati dal Signor Valadier, che regolò l'andamento dei lavori dirigendo tutti gli Artisti a detta operazione incaricati* = Recte igitur tam Valaderius in architectonici operis notula recensuit, quam Periti Architecti Braccius, et Palmuccius typorum, ac modulorum mercedem sumptusque taxarunt.

Immerito deinde contendebant Rev. Fabricæ Administratores, delendam esse 8
ex alia notula fusorii operis partitam scutorum *millium* in Causam pretii coempti æris, et in sumptuum causam, quos perficere oportuit ad æs ipsum fundendum. Hæc namque scuta *millia*, quæ ad operis exitum, et perfectionem necessaria fuerunt, credito suo non adscripsit Valaderius, qui tantum mercedem sibi debitam postulavit, eamque in notula cobibuit ad scuta *quingentum sexaginta*, nimirum = *scudi* 230. *per acer accommodato un Agnello di bronzo fra spese, modelli, doratura della bandiera, giornate, ed altro* = prætereaquo = *scudi* 230. *per le statue dei due Pontefici Nicolò IV., e Pio VI. tanto in gesso, quanto in cera preparate per fondersi in bronzo* = Falso itaque supposito laborat objectum. Despicienda demum erant cætera, quæ dicebantur ab Ecclesiæ Curatoribus de Crediti præscriptione, ejusque reductione. Una enim exceptio alteram elidit, quia, si præscriptum est creditum, persolvi per consequens præscriptioni non subest. Sed ad præscriptionis exceptionem non pertinet, licet mercedes artificum intra spatium biennii, aut ad summum triennii præscriptæ censeantur *ad Text. in Leg. Fortissimi Cod. de erogat. milit. ann. quam late exornant Cost. de rat. quæst.* 128, *num.* 14. *Long. de præscript. quæst.* 6. *num.* 5. *Rot. in Romana Pecuniaria.* 29. *Martii* 1819. §. 4. *cor. R. P. D. Bussio, et in Romana Mercedis* 5. *Julii ejusdem anni* §. 9. *et* 10. *cor. Emo Odescalchi*, non erat tamen merces Valaderio debita cum iis mercedibus æquiparanda, quas ii merentur, qui operas suas locant, et de quibus prædicta jura loquuntur.

Actio enim crediti, quam experitur 7
Valaderius, cæteris actionibus congruit, quæ decennii spatio inter præsentes, et viginti annorum curriculo inter absentes præscribi solent. Nunquam autem aut triennalis, aut decennalis præscriptio excurrere potuit in hoc themate, in quo Valaderius, sive extra judicio sui crediti solutionem semper postulavit. Quare nulla obiici potest crediti præscriptio. Multo minus vero con-

tendi valet, mercedem Valaderio debitam ita solvendam esse, ut aestimationi respondeat papyraceae monetae, quae tunc temporis in commercio erat. Etenim, tam extrajudicialis Peritus Architectus Dominicus Palmucci, mercedem Valaderio debitam in argentea pecunia aextimarunt, quamvis scirent de eo tempore agi, quo papyracea, atque aenea pecunia in commercio versabantur. Quamobrem, si voluissent Periti Architecti mercedem constituere in papyracea moneta, mercedem ipsam ita statuissent, ut usque ad argenteae monetae valorem assolvenda, aut ea in argentea moneta, aut in papyraceis aextimetur. Dum vero Patres Domini debitam Valaderio mercedem, tam pro fusorio, quam pro architectonico opere probarunt, creditum alterum rejecerunt, quod idem Valaderius ostentabat ex cessione quam scutorum 333, et ob 59. a vitrario obtentam.

9 Exhibebant enim Rev. Fabricae administratores acceptilationem cujusdam Sylvestri Pericoli, cui creditum illud ab eodem vitrario cessum fuerat, eique ab Administratoribus ipsis ad diem 22. Julii anni 1810 fuerat persolutum. Verum utique est cessionem Valaderio factam fuisse usque a die 13 Junii anni 1807. Non docebat nihilominus ipse, ut oportuisset, se rite, ac opportuno tempore eosdem Administratores de inita cessione monuisse, ne ipsc creditori, aut alteri pro eo pecuniam numerarent. Quin obsit administrationis Quaestorem, dum Silvestro Periculo debitum persolvit, ab eo cavisse = *di essere rilevato da ogni molestia, che pel pagamento di detto conto potesse venirgli dal detto signor Valadier, o da altri inferita* = Id enim tantum ostendit aliquam solventis haesitationem, aut suspicionem: non autem certam scientiam inducit, multoque minus probat monitos Administratores fuisse, ne solverent sive ipsi creditori, sive ei qui ejus mandatum, aut cessionem afferret. Cum vero *bona fides non patiatur, ut bis idem exigatur*, ut inqnit Jnrisconsultus in Leg. *bona fides ff. de Reg. Jur. et in Leg. Si quis dolo ff. de Rejudicata*; ita omnis interpretatio capienda est, ut evitetur paena reiteratae solutionis, a qua omnis juris dubietas excusat. *Cost. de jur. et fact. ignoran. Cent.* 1. *distinct.* 21. *num.* 2. *Calvin. de aequitat. lib.* 3. *cap.* 201. *num.* 22, *Rot. in decis.* 354. *num.* 12. *part.* 4, *et decis.* 1106. *num.* 63 *cor. Molines*,

His animadversis, planum erat ad 10
tramites, tum extrajudicialis relationis Virginii Braccii, qui architectonicum opus in scutis 1439. 32. aestimavit, tum alterius extrajudicialis relationis Francisci Righetti, qui fusorii operis mercedem in scutis 560. taxavit integrum Valaderii creditum, posthabita cessione illius ex causa vitrorum, constituendum esse in scutis 1999. 36, ut calculanti patet. Ab hac vero summa detrahenda erant scuta *millia* papyraceae monetae, quae revera Valaderius accepit, quaeque reddunt, inita reductione, argentea scuta 530. 86. Quo circa, si priori illa crediti summa scutorum 1999. 32. haec altera quantitas scutorum 530. 86, in satisfactionis partem a Valaderio recepta detrabatur, ipsius Valaderii creditum, ut ex calculo pariter constat, reliquum est in scutis 1468. 46, pro quibus Patres Domini mandatum adversus Ecclesiae Curatores ipsi tribuerunt. Sed ideo modulos ab eo restituendos esse mandarunt, quia, si rependendum ab Ecclesiae Curatoribus illorum pretium est, justitiae congruit, ut id habeant ipsi Ecclesiae Curatores, pro quo pretium solvunt. Et ita etc. utraque etc.

ROMANA SOCIETATIS

SUPER PRIMO DUBIO

Lunae 26 *Januarii* 1824.

ARGUMENTUM

Morte alterius ex sociis, societas perimitur ipso jure, et hoc adeo, ut nec valeat conventio, quod haeredes alterius socii in societate succedant. Nec potest dici renovata, aut prorogata societas, ex quo non fuerit statim redditum caput sociale. Prae-

sertim, si agatur de mulieribus, ac minoribus, qui societatem coire nequeunt absque necessariis solemniis.

SUMMARIUM

1. *In divisione peragenda, vitia irrepere possunt, tum quoad formam, tum quoad substantiam.*
2. *De stylis, arvinmento, creditis, debitis, ac suppellectile, existentibus de tempore divisionis, ratio habenda est.*
3. *Societas coiri potest, re, verbis, per nuncium, neque indiget scriptura.*
4. *Unius socii morte, societas ita perimitur, ut nec ab initio caveri possit, quod haeredes alterius socii in societate succedant.*
5. *Extincta societate, haeredibus competit actio communi dividundo.*

Merces, quae inserviunt ad instruendam tabernam, constituunt quoddam corpus universale, quod semper idem manet, ope subrogationis - ibidem. -

Ex simplici communione haud arguitur societas, si deest conventio de lucri, et damni participatione - ibidem. -

6. *Custodia et conservatio capitis socialis sumpta ab altero socio, secumfert societatis cessationem.*
7. *Divisio socialis capitis, ob obitum socii, dicitur actus necessarius, qui in minoribus, solemniis non indiget.*
8. *Merces inferioris notae, vel quae usui communi non sunt amplius accomodatae, tanti minime aestimari debent.*
9. *Caput in mercibus, ad bessem, vel etiam ad dodrantem rationem frugiferum dici potest.*
10. *Concordiae exequutio quamlibet excludit societatem.*
11. *Dissoluta societate, alteri socio, aliud jus non competit, quam condicendi propriam partem.*
12. *Societatis continuatio, aut renovatio, illius praeexistentiam pernecesse supponit.*

Mulieres, ac minores societatem coire nequeunt absque necessariis solemnis - ibid. -

13. *Etiamsi socii haeres, reliquerit mercatoriae substantiae portionem penes alterum socium, non ob id dicitur continuata societas.*
14. *Non potest dici continuata societas, si quis qua institor, et non qua socius negociationi incumbuit*
15. *Communia excluditur, si quis rem decernere non curavit, ob rationes quas reddere debebat.*
16. *In divisione detrahi debet, quidquid alter socius de suo haeredi alterius socii subministraverit.*

DECISIO CXCIX.

Negociatio = *di Cristalli, e Chincaglierie* = quam in taberna his mercibus bene instructa exercebant olim in Urbe Fratres Petrus, et Joannes Baptista Samonati Seniores, ex Oppido Bieni Tirolensis Comitatus, iis defunctis transiit in eorum alterius, Petri nempe, filios, Aloysium, Bonifacium, et Perfectum, qui eam communem habuerunt ab anno 1795 ad annum 1803, quo Aloysius obiit, tribus relictis filiis Petro, Johanne Baptista, junioribus, ac Balthaxare, sub matris, Cæciliæ Tognoli, ejus viduæ tutela. Dissoluta itaque per Aloysii obitum quavis negociationis Societate quoad mercium ratam portionem, quæ ad ipsum pertinuit, egerunt statim Bonifacius, ac Perfectus cum ejus filiis, et hæredibus, sive eorum matre, ac tutrice, et curatrice de rebus componendis = *onde non abbiano a nascere in avvenire questioni, e per provvedere nel tempo stesso all'educazione dei due figli minori lasciati dal Signor Luigi Samonoti, e che si trovano attualmente in Roma* =.

Fuit autem reapse sub die 30 Martii 1805 coram Vicario Ivani, adstante, tam proprio, quam Perfecti fratris nomine, Bonifacio, ac pro Aloysii filiis prædicta Cæcilia, per actum legittimum conventum, quod ipsi Bonifacius, et Perfectus retinere deberet = *tutto il capitale del Negozio in Roma ancora indiviso, e ne siano responsobili per la terza parte di quello spettante agli eredi del quondam Signor Luigi Samonati sino al tempo della restituzione* =; et quod, assumpto per eosdem onere = *di mantenere in Roma, ed in propria Casa di vitto, e vestito da sani, ed ammalati li due Nipoti Pietro, e Giovanni Battista, e di educarli, ed istruirli* =, ac præterea suppeditandi Cæciliæ annuam Florenorum *nonaginta* præstationem, cum penes ipsam maneret parvulus alter filius Balthaxar, =*tanto gli utili, che discapiti del negozio di Roma siano, ed andar debbano a carico delli Signori Fratelli Perfetto, e Bonifazio* =; ac demum quod hæc cessare deberet conventio cum Petrus, vel Joannes *vigesimum quartum* exegissent ætatis annum; quo tempore possent ii = *senza altro farsi consegnare la terza parte del Capitale del negozio di Ro-*

ma apparente dall' Inventario giudiziale formato in Roma nell'anno 1803 =. Cum vero deinceps Cæcilia ab hac conventione, cui subscripserat, recedere se velle declarasset, die 9 Aprilis ejusdem anni 1805, eam leviri, fratres Bonifacius, et Perfectus, apud prædictum Ivanensem Vicarium vocarunt petentes, = *giacchè colla morte del Fratello Luigi fu da per se separata la Società, e correlativamente alle divisioni degli altri beni, che prima della di lui morte venivano in comunione fra essi goduti* =, quod ei constitueretur = *il termine legale di tre mesi per ricevere la porzione del negozio in Roma esistente in tante merci, crediti, capitali, apparenti dall'inventario ivi formato all'occasione della morte del prenominato Luigi; non che a riceversi li due di lei figli minori ivi esistenti* =. Quod sibi filiisque quam maxime damnosum ipsa cognoscens, interpositis officiis Parochi = *di Strigno* =, a Leviris obtinuit, ut prædicta concordia firma maneret, suumque omnino sortiretur effectum.

Juxta igitur superius expositas conventiones tertia mercium pars in mercatoria taberna Romæ existentium, et ad Aloysii filios spectans, indivisa remansit una cum aliis duabus tertiis partibus ad Bonifacium, et Perfectum pertinentibus penes hosce, qui inter se tantum negociationis Societatem prosequuti fuere super universa taberna; et pro illa mercium parte nepotibus tradenda, cum ad ætatem pervenissent annorum 24, qua super etiam, proprio commodo, et damno negociationem exercebant, annuos persolverunt eorum matri Cæciliæ florenos *nonaginta* ac propriæ domi omnimodam suppeditarunt exhibitionem Petro, et Joanni Baptistæ, quorum primus mercaturæ operam dedit, alter Chirurgicæ artis Studio vacavit. Obiit postea Bonifacius, relicta filia Margarita, et uxore Anna Maria Morganti, cui, una cum Antonio Pozzi, ipsius filiæ tutelam concredidit in suo testamento, quo fratrem superstitem Perfectum rogavit = *di volere assumere la direzione del negozio Sociale, che col medesimo si passa* =, data ipsi = *la facoltà di appropriarsi qualche somma annuale a tenore degli incomodi, e delle brighe, che dovrà soffrire, secondo la sua coscienza* =, et cum approbatione prædictorum = *Tutrice, e Curatrice come sopra deputati* =. Hinc anno 1810 confectum fuit Bilancium prædictæ mercatoriæ Tabernæ, quod Petrus, alter e filiis Aloysii, proprio charactere exaravit, atque inscripsit = *Bilancio di tutte le merci, Stigli, Crediti Debiti, Mobilie, ed altre Robe esistenti nei Negozj l'uno ad uso di Chincaglierie, e l'altro ad uso di cristallaro di pertinenza del Signor Perfetto Samonati, e degli eredi del fu Bonifazio Samonati* =.

Diem etiam vidit supremam anno 1812 Perfectus, cui superstes fuit uxor Joanna del Negro, ac tres filiolæ, Violantes, Apollonia, et Maria, et qui in testamento, per acta Notarii Conflenti sub die 15 Februarii illius anni condito, post filiarum tutelam Joannæ earum matri tributam, jussit quod Petrus = *il quale è stato nei due negozj sotto la mia direzione, continui a stare nei negozj medesimi, volendo ancora, che esso ne abbia la firma per procura* = addens quod = *quando egli corrisponda all'espettazione comune, compiti li ventiquattro anni di sua età, potrà essere ammesso in società nell'esercizio di due negozj, ponendo tutti i capitali, che avrà di sua proprietà, e la prestazione della sua opera personale* =: quo vero ad Joannem Baptistam = *il quale secondo la convenzione fatta fra me, e Cecilia Tognoli, madre del sudetto, è stato finora mantenuto in mia casa* = voluit = *che esso continui ad esserlo fino all'età di ventiquattro anni, nel quale tempo sarà libero di disporre come più gli piacerà e di se stesso, e dei suoi beni* =. Quæ omnia demonstrant Ivanensem concordiam summa cum filiorum Aloysii, eorumque Matris Cæciliæ utilitate semper fuisse servatam, ac quamlibet excludunt societatem, rerumque communionem inter Perfectum, ac Bonifacium, ac prædictos Aloysii filios, et hæredes, atque evincunt eam Societatem super universa taberna mercatoria, ac negociatione inter eosdem Bonifacium, et Perfectum tantum extitisse.

Defuncto Perfecto, filiorum interes-

se censuit illius vidua harum tutrix, divisionem urgere mercatoriæ substantiæ adversus hæredes Bonifacii, et Aloysii, et anno 1812 auctorante Consilio Familiæ, rite juxta illius ævi Leges convocato, petita ab ipsa hæc fuit divisio coram Tribunali Primarum actionum, a Gallis in Urbe constituto, et ejus Sententia diei 31 Augusti 1812 fuit decreta, dato munere alteri ex Ejus Judicibus eam exequutioni mandandi, adhibita periti opera; et reapse, post omnia ad legum tramites peracta, expleta fuit die 15 Decembris anni 1813, comprehensis in portione Johannæ, sive ejus filiabus, tributa, instrumentis = *Stigli* = mercatoriæ utriusque tabernæ, eisque præterea datis selectissimis mercibus, ac optimis nominibus ad conspicuam usque summam scutorum 5406 24 pro dissolvendis tabernæ debitis, quibus præcipue ipsæ Perfecti filiæ erant obnoxiæ, cum creditores fidem illius qui negociationem exercuerat, sequuti fuissent. Ad portionem Margharitæ filiæ et hæredis Bonifacii, quod spectat, fuit hæc deinceps die 1 Martii 1814 sciente ac plaudento Petro Aloysii filio, empta a Joanna pro filiabus, accedente ipsius solidali fidejussione, convento pretio scutorum 1676 78 solvendo = *in rate annue ciascuna di scudi duecento cinquanta, a principiare il pagamento della prima rata dal giorno, in cui detta Signora Margarita avrà compito l'anno* 21 *di sua età* =, depactis usque ad debiti extinctionem fructibus compensativis, ad rationem *semissem*. Quo vero ad portionem hæredum Aloysii, mansit hæc in mercatoria taberna penes Joannam, tum quia perdurabat adhuc Ivanensis concordiæ effectus, nam ipsi Aloysii filii vigesimum quartum ætatis annum haud exegerant, tum quia iidem eam secernere haud poterant, nisi post rationes initas de conspicuis pecuniæ summis eis, præter præstationes in illa Ivanensi concordia constitutas, suppeditatis. Venit postea Romam Balthaxar, alter ex prædictis Aloysii filiis, et, domi ab Joanna receptus, per sex annos ibi omnimodo exhibitus fuit, usque ad ejus in Patriam reditum. Petrus vero porrexit primum in præstando suam in taberna operam, utens = *della firma per procura* =, juxta Perfecti testamentum; sed postea ab Urbe discessit; primum ad declinandam civicam militiam; ac rursus dein sub prætextu reducendi Matrem in patriam; atque hac secunda vice diu abfuit, parumve ideo vel nihil pro negocio agere potuit. Quamvis vero in Oppido Biani degens plures exegisset summas ad Joannæ filias spectantes, numquam de iis rationem reddidit.

Interim autem et ipse, et frater Johannes Baptista, et eorum mater Cæcilia tantum pecuniæ ab Joanna perceperunt, ut exinde eorum substantiam, ab Aloysio in taberna relictam, penitus absortam fuisse ipsa contendat, atque idcirco eo magis illos ab ea, secernenda substantia sese abstinere debuisse, testium dicto freta, proponat. Verum cum quidquam aliud tandem eis ipsa suppeditare negasset, in filiarum præjudicium, jactare ii cæperunt cum eis etiam progressam semper fuisse negociationis societatem, atque hinc in pretio haberi haud posse divisionem anno 1813 perfectam, sed novam esse ineundam juxta præsentem utriusque tabernæ statum. Quibus ut occurreret Joanna, rem omnem primum cum Balthaxare altero ex Aloysii filiis composuit, acquisitis ab eo pro filiabus = *nel nome di tutrice, e curatrice* =, omnibus ipsius juribus super mercatorijs tabernis, pretio scutorum *mille*, per actum legitimum coram Capitolino Judice, Notario adstante, perfectum die 12 Februarii anni 1812 instituit dein apud Collegiale A. C. Tribunal postulans, ut prædictis Petro, ac Joanni Baptistæ terminus præfiniretur ad effectum recipiendi binas tertias partes paternæ hereditariæ substantiæ ad tramites divisionis superius relatæ anni 1813, deductis pecuniis eis jam persolutis, eisque reservato jure percipiendi super debita quantitate mercatorias usuras, et sibi contra sarta tecta manente facultate exigendi a Petro redditionem rationem de eo omni, quod, ad Perfecti filias pertinens, ipse

exegerat, dum in patria morabatur. At illius Tribunalis Judices ejus rejecerunt instantiam, ac decreverunt novam ineundam esse mercatorii capitis divisionem juxta illius præsentem statum, post rationem de eo ab ipsa Joanna reddendam, cjusque capitis unum *trientem* ipsis Aloysii filiis, et hæredibus tribuerunt; et quoad *trientem*, quem Joanna emerat a Margarita, filia, et herede Bonifacii, judicium in posterum proferendum sibi reservarunt, an hic etiam *triens* dividendus esset inter ipsos Aloysii filios, et filias Perfecti, seu potius integer, ab has spectaret. Provocante Joanna, controversiæ omnes ad S. N. Tribunal definientæ, venerunt. Consona itaque a me Patribus proposita fuere Dubia, *Primum* ad prætensam societatis continuationem, et novam divisionem spectans: *Alterum* pertinens ad portionem Bonifacii: *Tertium* respiciens redditionem rationis, et in omnibus bis hæsit ancæps S. N. Ordinis judicium. Quare hoc mane de sententia rogavi Universam Aulam quoad duo prima Dubia, quoad Tertium postea rogaturus; et ad illud, de *divisione et societatis continuatione* agens, ita conceptum = *An et quomodo sit exequenda divisio anni* 1813, *seu potius constet de continuatione, seu renovatione societatis, et quomodo sit locus divisioni in casu etc.* = Responsum mihi fuit datum = *Affirmative ad primam partem, impulatis solutionibus, Negative in omnibus ad secundam* =.

1 Mercium siquidem, ad hæredes Aloysii, Bonifacii, et Perfecti Samonati spectantium, divisionem ita eos inter, exeunte Anno 1813, perfectam fuisse, ut nihil in eam, tum quoad *formam*, tum quoad *substantinm* vitii irrepserit apertissimum est. Ad *formam* enim quod spectat, constans in facto est Joannem Del Negro matrem, et tutricem filiarum, post obitum Perfecti ejus viri, harumque patris, ex Familiæ Consilio, juxta Gallicas Leges rite convocato, necessaria facultate præditam, coram Judicibus Tribunalis Primarum Actionum petiisse, ut trifariam divideretur mercatorium caput, prius spectans ad Aloysium, Bonifacium, ac Perfectum Fratres Samonati et post horum obitum, ipsorum filiis, ac hæredibus obventum, atque banc divisionem illius Tribunalis Sententia diei 31 Augusti 1812 fuisse imperatam, delegato etiam altero ex iis Judicibus pro ejus implemento: constat etiam a perito deputato fuisse in tres partes illud caput divisum, seposita illius quantitate respondente æri alieno, quo gravabatur: constat demum, post hanc divisionem ab eodem Tribunali probatam, et ejus exequutionem decretam, fuisse deinceps, die 16 Decembris anni 1813, solemniter per acta Notarii Conflenti, sortitionis ope, suam partem tributam, tam filiis Aloysii, quam filiis Bonifacii, ac filiabus Perfecti, sive eis, quibus earum tutela fuerat concredita.

Quo vero ad hujusce divisionis *substantiam* indubium est merces in utraque taberna de tempore perficiendæ divisionis existentes, uti etiam stylia, avviamentum, credita, debita, ac domus suppellectilem, accurate a perito in pretio habitas, ac divisas fuisse, ita, ut unicuique parti sua obtigerit debita portio, ab ære alieno prorsus libera. Servanda itaque est hæc divisio, numeris omnibus *intrinsecus*, atque *extrinsecus* absoluta, et executioni danda est quoad Aloysii filios, quorum portio penes Johannam, sive ejus filias, una cum illa ad eas spectante, ac altera, quam emerant pretio Scutorum 1679. 78 ab hærede Bonifacii in mercatoriis tabernis mansit a prædicto anno 1813, uti ad rem docet *Gratian. discept. Foren. Cap.* 740 *num.* 21 *Card. de Luca de Credito Disc.* 44 *num.* 11, et statuti *Rat. Decis.* 2 *num.* 12 *Tit. de Fid. Instrument. coram Falconeria*, *Dec.* 230 *num.* 1 *cor. Tanara, in Romana Datis super Transactione* 12 *Martii* 1751 § 3 *coram Vicecomite in Ravennaten.*, *seu Ferrarien. Census* 2 *Decembris* 1756 *Stadira in Fulignat. donajionis* 4 *Julii* 1757. § 3 *cor. Eodem*, *et in Æsina Divisionis quoad Decretum A. C.* 16 *Aprilis* 1805 § 5 *coram Eminentissimo Bardaxi de Azara.* Quia vero iidem Aloysii filii haud exiguam pecuniæ vim ab Johanna perceperunt, præter eis debitas præstationes, vel pro ea, sive ejus filiabus exegerunt, hinc a prædicta ipsorum 2

portione deducendum esse quidquid eis solutum vel ab ipsis exactum fuisse evincatur, Patres merito statuerunt.

3 Hanc autem divisionem anni 1813 ut evertant aliamque perfici obtineant juxta novissimum mercatoriæ negociationis ab Johanna prosequutæ statum, Petrus, et Joannes Baptista Aloysii filii, eorum enim alter, Balthaxar, omnia sua jura ad paternæ hæreditatis portionem Perfecti, ac Johannæ filiabus cessit, uti superius expositum fuit, toti in eo sunt ut suadeant societatem, jamdiu inter eorum parentem; ac ejus fratres Bonifacium, ac Perfectum existentem, numquam post illius obitum fuisse intermissam, vel saltem fuisse tractu temporis renovatam. Quod ut demonstrent ajunt ex jure societatem esse = *contractum consensu initum, quo inter duas pluresve res, atque operæ circa lucrum, et damnum communicantur* = ut docet Peretius *Tit.* 16 *Instit. de Societate lib.* 3 *post leg.* 4. 5. 6 *ff. pro socio*; *et Ferrar.* in *Bibliothec. verb. societas*; *Const. Vot.* 225 *num.* 11 *et Zanch. de Societate part.* 2 *cap.* 7 *numer.* 151, nullaque ad eam coeundam opus esse scriptura, quia = *societatem cocire, et re, et verbis, et per nuncium posse nos dubium non est* = quae sunt verba *Text. in leg.* 4 *ff. pro socio*: asserunt *in facto* Aloysii portionem, eo defuncto, remansisse in negocio sociali, atque ipsos ejus filios, vel per tutorum personas praestitisse in negociatoriis tabernia operam. Addunt præterea, seposita etiam societate, communionem tamen in socialibus rebus perdurasse post Aloysil obitum eos inter, ac Bonifacium, et Perfectum, horumque filios, et haeredes, quia eis paterna socialis substantiae portio tradita non fuit, sed cum hac substantia commixta remansit, et indivisa, ac inhaerent *in leg. Verum* § *in heredem ff. pro socio, Leg. Action.* § *Morte ff. eodem*; ac traditis *per Mantic. De Tacitis, et Ambiguis lib.* 6 *tit.* 25 *num.* 32, *et seq.*, et firmatis per *Rot. decis.* 224 *num.* 8 *coram Bichio, et Decis.* 350 *num.* 3 *part.* 3 *Recent.*: hinc omnia lucra, et utilia, ex ea portione in negociatione obventa, sibi deberi tuentur. Verum hæc omnia ad divisionem anni 1813 evertendam, aliamve exigendam nullius esse ponderis Patres censuere.

4 Quamvis enim haud ambigatur socialem negociationem = *di chincaglierie, e di cristalli* = ab anno usque 1790 institutam sub nomine Petri, et Joannis Baptistæ Samonati, sicuti superius fuit expositum: deinceps, post illorum obitum, socialiter, ac sub eodem nomine prosequutam fuisse ab anno 1795 inter eorumdem hæredes, fratres, nempe, Aloysium, Bonifacium, ac Perfectum Samonati, eam tamen dissolutam fuisse anno 1803 dubitari nequit, quia tunc obiit alter ex iis, scilicet Aloysius, et exploratissimum in jure est unius socii morte societatem ita perimi, ut nec ab initio caveri possit, quod hæredes alterius e sociis in societate succedant uti ad apertissimos *textus in Instit. Tit. de Societate* § *solvitur Leg.* 4 *et leg.* 35 § *Idem respondit*, *et Leg. Action.* 66 § *Morto ff. pro socio* docent *Connanus Commun. juris Civilis lib.* 7 *Cap.* 13 *num.* 14. *Zanch. De Societat part.* 4 *Cap.* 3 *num.* 35, 36, ac passim firmat S. Noster Ordo, præsertim *Decis.* 280 *num.* 5 *et sequent. coram Rembold, in Romana Avocationis Pecuniarum* 1 *Junii* 1731 § 4 *coram Aldovrando, in Romana Avocationis Pecuniarum* 4 *Juli* 1760 § 10 *coram Canitliac, et in Romana Consignationis* 26 *Martii* 1821 § 5 *coram Gamberini*; atque id ob eam potissimam rationem Legibus constitutum est, quia, qui societatem contrahit, ad certam eligendam personam movetur, ejus industria, et honestate inspecta, vel etiam ex mera animi affectione, ex quo cogi nequit ad permanendum, ea defuncta, in societate cum ejus heredibus, forte ipsi ignotis, vel non iisdem, ac defunctus, dotibus præditis, sicuti observant *Connan. loc. sup cit. Zanch. De Societate part.* 4 *Cap.* 8 *num.* 11 *et sequent.*, et animadvertit *Rot. Decis.* 827 *num.* 1 *coram Ansaldo, in Romana Pecuniaria* 12 *Junii* 1778 § 5 *coram Sentmanat, in Maceraten. Contractus super restitut. in integrum* 11 *Maii* 1781 § 4 *coram Origo, et in sup. cit. Roma-*

na Consignationis 26 *Martii* 1821 § 5 *coram Illmo Gamberini.*

5 Extincta itaque per Aloysii mortem prædicta societate, nullum aliud jus erat illius filiis, et haeredibus, sive illius viduae horumque matri, ac tutrici Caeciliae Tognoli Samonati, super prius sociali substantia, quam actiu *communi dividundo* pro lubitu exercenda ad *Text. in leg. ultima Cod. Commun. dividundo*, et tradita per *Zanch. de Societate part.* 1 *Cap.* 7 *num.* 170, et firmata per Rotam praesertim *in eadem cit. decis. Romana Consignationis* 26 *Martii* 1821 § 7 *coram Gamberini.* Quod si tertiae illius substantiae pars ad ipsos spectans relicta ab ipsis fuit penes patruos Bonifacium, ac Perfectum, mansitque commixta, et indivisa cum horum portionibus, non exinde ipsi in ea substantia, ejusque negociatiune socii cum praedictis patruis extitere, sed condomini tantum pro *triente*, cujus custodiam, et conservationem eisdem patruis commiserunt, uti evenisset quoad aliquod commune praedium haud divisum, ad cujus instar considerantur merces, quae inserviunt ad instruendam tabernam, atque ita constituunt quoddam corpus universale, quod semper idem est ope subrogationis, quamvis quotidie hae merces vendantur, atque alienentur uti optime disserit *Card. de Luc. Discurs.* 12 *num.* 7. Neque ex hoc condominio, consortio, sive etiam communione, si placeat hanc admittere, ulla unquam potuit argui societas, quia ad societatem constituendam satis non est rerum communio simplex; nam oportet quod communioni accedat conventio de lucris e communi re obventuris communicandis, qua deficiente societas excluditur uti docet *Vinnius ad Instit. in Prœm. ad tit. de Societate.* Ad praetensam vero operae communicationem ex parte filiorum Aloysii, vel eorum matris ac tutricis quod spectat, praeterquam quod haec operae collatio *in jure* haud sufficeret ad societatem constituendam, deficiente conventione de lucri, et damni participatione certum *in facto* est hanc operam conferri haud potuisse, nec a filiis Aloysii, quia infantibus, vel in pupillari aetate anno 1803 existentibus, nec ab eorum matre, quia faemina, ac praesertim ab Urbe absente, non post viri mortem in patriam remeaverit.

Perspicuum ex hisce satis abunde 6 est, Aloysio defuncto, ejus filios, et haeredes in Societate manere, haud potuisse cum ejus fratribus Bonifacio, ac Perfecto. Verum ad quodlibet, si adesse posset, dubium prorsus removendum, apertissima accedit concordia die 30 Martii Ivani 1805 coram illius Civitatis Reverendissimo Vicario inita, inter Bonifacium et Perfectum, ac Caeciliam filiurum Aloysii matrem, et tutricem inita, = *onde non abbiano a nascere in avvenire questioni, e per provvedere nel tempo stesso alla educazione dei due figli minori, lasciati dal Signor Luigi Samonati, e che si trovano presentemente in Roma* =, Petri nempe, et Joannis Baptistae, Balthaxar namque adhuc infans, penes matrem vivebat. Hac enim concordia expressim cautum fuit quod Bonifacius, et Perfectus retinere deberent = *tutto il Capitale del negozio in Roma ancora indiviso, e ne siino responsabili per la terza parte di quello, spettante agli eredi del quondam Signor Luigi Samonati fino al tempo della restituzione* = et quoad = *tanto li utili, che discapiti del negozio siano ed andar debbano a carico* = ipsorum = *Fratelli Perfetti, e Bonifazio Samonati* =, gravissimo per eos onere assumpto = *di mantenere in Roma, ed in propria casa di vitto, e vestito da sani, ed ammalati, li due nipoti Pietro, e Gio. Battista, e di educarli, ed istruirli* ac suppeditandi praeterea = *alla Signora Cecilia vedova del quondam Signor Luigi Samonati curatrice dei suoi figli fiorini novanta l'anno* = conditione tamen adjecta = *che li due sudetti Pietro, e Gio. Battista Samonati debbano prestare la loro opera in vantaggio dei Signori Zii durante la minorità* =, conventumque fuit quod hujusce concordiae implementum prosequi deberet, donec alter ex Aloysii filiis ad *vigesimum quartum* aetatis annum exactum perveniret = *di maniera che se Pietro Samonati il più vecchio se-*

guirà la carriera della mercatura, e che Gio. Battista si dasse a qualche scienza, compiti li anni 24 possa senz' altro farsi consegnare la terza parte del capitale del negozio apparente dall' inventario giudiziale formatò in Roma nell' anno 1803, e così debba succedere se tutti due si applicassero alla mercatura: ma volendo Pietro battere la carriera di qualche professione Scientifica, la consegna del capitale, come sopra, seguir debba tostochè Gio. Battista avrà compiti i ventiquattro anni.

7 Frustra vero hujus concordiæ vim destruere conantur Petrus, ac Joannes Baptista, proponentes eam irritam fuisse; utpote destitutam solemniis in contractibus minorum necessariis, eisque damnosam, atque præterea exequutioni haud fuisse datam. Si namque per Aloysii obitum statim ipso jure cessavit progressus societatis, quæ ipsum inter ejusque fratres Bonifacium, et Perfectum extiterat, uti superius fuit demonstratum, atque si superstites hi Aloysii fratres cogi nequibant ad Societatem prosequendam cum ejus filiis et hæredibus *ad text. in Leg. final. Cod. Communi divid.* . *et Zanch. de Societate part.* 3. *Cap.* 8. *num.* 44., plane consequitur dissolutionis societatis actum prorsus necessarium prædictis Aloysii filiis, ac eorum matri, et tutrici, cum ad eum devenire vellent eorum patrui, quibus in terminis mulierum, minorumque actus irritos dici haud posse ex solemnium defectu docent *Jorius de solemnit. in contractus minor. Gloss.* 22. §. 11. *num.* 8. *Gratian. Discept. Forens.* 45. *num.* 34. *Asculan. ad Statut. Urbis Tom.* 2, *Adnot.* 44. *num.* 680., *et* firmat *Rota in Recen. Decis.* 337. *num.* 19. *part.* 19. *tom.* 1., *Decis.* 39. *num.* 15. *coram Ubago*, *et decis.* 529. *num.* 3. *coram Emerix Junior.*, *Adden. ad Decis.* 26. *num.* 29. *coram Ansaldo in Nepesina Juris Ledimendi* 21. *Junii* 1802. §. 9. *coram De Bagan. Senogallien, Laudi* 11. *Decembris* 1801. §. 9. *coram nunc Eminentissimo Serlupi*, *et in Romana Pecuniaria super Credito* 23. *Martii* 1808. §. 8. *coram Eodem.* Quod eo magis nostro in thema tenendum est, quia Jvanensis concordia inita fuit inter Bonifacium, et Perfectum, et Coeciliam, uti filiorum tutricem, ac curatricem coram competenti Judice Jvani nempe Vicario, ad firmata per *Rotam post Constantin. ad Statut. Urbis decis.* 149. *n.* 3., *et decis.* 4. *num.* 1. 2. *part.* 18. *in Recen. decis.* 544. *num.* 5. *coram Olivatio*, *et decis.* 599. *num.* 7., *et decis.* 654. *num.* 19. *coram Eodem in Interamnen. Census super reservatis* 26. *Aprilis* 1728. §. *Minusque coram Nunez*, *et in citata Romana Pecuniaria super Credita* 23. *Martii* 1808. §. 8. *coram nunc Eminentissimo Serlupi.*

Utilitas autem hujusce concordiæ nequit, salvo pudore, in quæstionem adduci. Portio siquidem Aloysii filiis tributa in divisione anni 1813. aliquanto majori fuit illa, quam ipsi assequi potuissent ad tramites inventarii anni 1803., ad quod in eo concordia partes sese retulere, uti non controvertitur; atque hoc *leve* argumentum Joanna, ejusque filiæ prædictis Aloysii filiis concesserunt, tam ex liberalitate, quam etiam ne duplex cum duplici impensa eo anno 1813. perficeretur mercatoriæ substantiæ divisio; altera, inspecto hujusce substantiæ in hoc anno statu, quoad filiam Bonifacii; altera juxta inventarium anni 1803., quoad eosdem Aloysii filios. Habeatur tamen ad dimittendam Jvanensis concordiæ utilitatem in calculo horum portio secundum divisionem prædictam anni 1813. Ex hac ipsis obtigit, sortitionis, *triens* mercium = *che porta la somma di franchi* 8136., *e centesimi* 42., *compresa la terza parte del valore degli Stigli* » respondens scutis 1520. 82. ½, ac creditorum negocii =, *che porta la somma di franchi* 3006., *e centesimi* 83. =, e quibus conficitur summa scutorum 562. 2., ascendit itaque in totum ea portio ad scuta 2082., et *obul.* 84. ½ Atque hic animadvertendum est inter merces plures extitisse vel inferioris qualitatis, vel communi usui non amplius accomodatas; quæ enim præcipuæ erant fuerant pro dimissiono do- 8

bitorum sepositæ, et Joannæ, quæ illa filiarum nomine in se susceperat, traditæ; et inter credita plura fuisse, aut difficilis exactionis, aut prorsus inexigibilia; ex quibus verus illius portionis valor longe inferior dignoscitur æstimationi illi tributæ, quod evincitur e pretio scutorum 1679., et *obul.* 78. quo parem portionem, Margharitæ, Bonifacii filiae obventam, bujus mater, et tutrix Anna Maria Merganti, una cum contutore Antonio Pozzi vendidit Joannae, sive ejus filiabus.

9 Verum, hoc praetermisso, nemo non intelligit, caput in mercibus, in creditis vix scuta excedens *bismillia*, etiamsi ab *bessem*, ac etiam *dodrantem* rationem, juxta mercatorium Stylum, frugiferum dicatur, ita ut ejus annui fructus ad summam ascenderent scutorum 180., vel etiam 190., impar prorsus fuisse sustinendo oneri a Perfecto, et Bonifacio assumpto omnimode exhibendi Petrum, et Johannem Baptistam, et subeundi expensas ipsorum educationis, ac erudltionis in qua etiam arte liberali, atque præterea suppeditandi eorum matri Cæciliæ annuos florenos *nonaginta*, dum hi semper securi.erant de prædicti capitis integritate, cum patrui essent de eo » *responsabili fino al tempo della restituzione* =, atque deberent » *tanto li utili*, *ehe i diseapiti del negozio andare a carico* » eorumdem patruorum. Quin rem vel minimum mutet conventio quod si Aloysii filii suam præstare deberent in negociatione operam, nullum enim fere exinde commodum poterat Perfecto ac Bonifacio obvenire, quia anno 1805 Petrus tantum vix pupillarem excesserat ætatem, et Balthaxar adhuc infans erat; præterea fieri poterat quod Aloysii filii nullam unquam in negociatione operam præstarent aut ei parum incumberent, vel quia mercaturæ vacare nollent, vel quia ab Urbe discederent, uti reapse evenit. Manifestam hæc omnia reddunt utilitatem Jvanensis concordiæ; quaposita, ratio crescit, ex qua solemniis ad ejus validitatem opus haud fuisse teneatur, ut probant superius adductæ Doctorum, ac S. N. Ordinis Auctoritates.

Quæ legitime inita, ac quam maxime Aloysii filiis utilis evidentissime jam fuit demonstrata Janensis Concordia, ea etiam omnino exequutioni data fuit; ex quo validior ejus fuit effectus ad excludendam quamlibet etiam speciem societatis ac communionis in negociatione eos inter ac eorum patruos. Visa quidem fuit Cæcilia eorum mater ab illa concordia, in quam convenerat velle illico recedere. Sed, oum leviros audivisset petentes alacri libentique animo coram Januensi Vicario quod, » *giacchè colla morte del Fratello Luigi fù da per se separata la società, e correlativamente alle divisioni degli altri beni, ehe prima della di lui morte venivano in communione fra essi goduti* » ipsi Cæciliae constitueretur » *il termine legale di tre mesi per riavere la porzione del negozio in Roma esistente in tante merci, crediti, capitali apparenti dall' inventorio ivi formato all' occasione della morte del prenominato Luigi, non ehe a rieevere li due di lei figli minori ivi esistenti* »; id ipsa sibi filiisque quam maxime damnosum agnovit, et in se reversa, amicorum adhibitis officiis, ab illis obtinuit ut omnia ad illius concordiae tramites procederent. Ac factum reapse fuit *quod* Bonifacius, et Perfectus indivisam cum propriis portionem filiorum Aloysii retinerent; *quod* proprio tantum nomine ac ad proprium commodum, vel damnum ipsi tantum socialiter super ea etiam portione negociationem exercerent; *quod* demum ipsi religiose implevcrint susceptum onus exhibendi omnimode propriae domi Petrum et Joannem Baptistam, sumptusque fecerint necessarios ad institutionem primi in mercatura, alterius in arte chirurgica, eorumque matri annuos semper persolverint conventos florenos *nonaginta*; ac praeterea Balthaxarem etiam eorum fratrem natu minorem, post ejus Romam adventum, domi et ipsum receperint, et plures per annos aluerint, omniaque necessaria ei suppeditaverint.

Haec concordiae exequutio, ac filiorum Aloysii a quavis societate, ac 11

cammnnione negociationis cum patruis exclusio *confirmatur* testamento Bonifacii, qui superstitem Perfectum rogavit = *di volere assumere la direzione del negozio sociale che col medesimo si passa* = *confirmatur* descriptione mercium, ac creditorum negocii, quam anno 1810. proprio charactere exaravit alter ex Aloysii filiis, Petrus, jam ad *vigesimum* aetatis annum perventus, et ideo non in rebus suis imprudens, quam ipse inscripsit = *Bilancia di tutte le merci*; *stigli*, *crediti*, *debiti*, *mobili*, *ed altre robe*, *nei negozj*, *l' uno ad uso di chincagliere*, *e l' altra ad uso di cristallaro* =, haec omnia explicite declarans » *di pertinenza del Signor Perfetto Samanati*, *e degli eredi del fù Bonifazio Samanati* =; quoad ipsum enim fratresque; nullum aliud jus erat quam condicendi a patruis valorem *trientis* mercatoriae substantiae, qui ad eorum patrem pertinuerat, juxta inventarium post ejus mortem confectum anno 1803 quidquid namque postea de ea mercatoria substantia evenerat esse debuerat, ex Jvanensi concordia, tam quoad » *li utili* » quam quoad » *i discapiti* » *a carico delli Signori Fratelli Perfetto e Bonifazio* =; ac denique » *confirmatur* testamento Perfecti, qui anno 1812. quo diem vidit supremam jussit,

12 Cum itaque ex hisce omnibus apertissime pateat nullam unquam inter Bonifacium, et Perfectum, ac Aloysii filios, negociationis societatem extitisse, delirium est quæstionem, vel de ejus continuatione, vel renovatione proponere; societatis enim continuatio, aut renovatio, illius præexistentiam pernecesse supponit, qua deficiente, absurdum est illam continuatam, vel renovatam contendere, uti apposite notat *Zanch. de Societate part.* 2 *Cap.* 12 *num.* 92, *et advertit. Rota in Septempedana Societatis* 12 *Aprilis* 1735 § *Nec vero coram Aldovrando, et in Romana Societatis et Pecuniaria* 25 *Januarii* 1751 § 2 *coram Molina.* Nec ulla in re adeo perspicua dubietas oriri potest ex eo, *quod* etiam post divisionem anni 1813 portio Petri, et Joannis Baptistæ ac Balthaxaris relicta ab eis fuerit in mercatoriis tabernis, haud sejuncta a portione filiarum Perfecti, et illa spectante ad Margaritam filiam Bonifacii, atque ab iis Perfecti filiabus empta; vel *quod* Petrus, etiam post eam initam divisionem suam, dum Romæ erat, præstiterit in Tabernis mercatoriis operam, et negociationi quodammodo præfuerit; vel domum *quod* Joanna persæpe in epistolis ad eum, ab Urbe absentem, missis de negocio fuerit loquuta, verbis utens quamdam speciem ejus super illo consortii præseferentibus. Quælibet enim vis ac efficaciæ hisce factis tribui vellet, non tamen paria hæc esset ad inducendam inter Aloysii filios, et filias Perfecti societatem, quam antea, nec cum eis, nec cum earum patre unquam extitisse fuit superius ineluctabiliter demonstratum. Post siquidem divisionem eos inter tanta cum solemnitate, judiciali etiam auctoritate accedente, expletam, fieri haud poterat ut statim inter eosdem societas super eadem divisa substantia iniretur ulla absque scriptura, ac tacite prorsus. Præterea, cum ageretur de interesse mulierum, ac præsertim in pupillari ætate, et sub matris tutela existentium, societas cum iis coiri nequibat absque necessariis solemnis. Demum vigebant eo tempore Gallorum leges, quæ in Commercii Codice præscribebant sub *Articulis* 42 *et seq. lib.* 1 ut irrita esset omnino quælibet, nedum institutio novæ societatis, sed declaratio etiam progressus societatis antea existentis, cujus terminus ad exitum pervenisset, nisi omnes servatæ essent = *formalità prescritte dagli articoli* 42 *et seq. etc.* =, quos hic recensere supervacaneum esset.

Verum, his etiam sepositis, sat est 13
prædicta perpendere facta ut illico dignoscatur ex iis nullum contractæ societatis argumentum posse desumi. Et sane si Aloysii filii post eam anni 1813 divisionem haud segregarunt, sibique sumpserunt mercatoriæ substantiæ portionem, ad eos juxta illam divisionem spectantem, id evenit, *tum* quia ne Petrus quidem natu major annum adhuc *vigesimum quartum* ætatis

suæ exegeral, ex quo adhuc progrediebantur Ivanensis concordiæ effectus, et esse debebant = *tanto li utili, che discapiti del negozio a carico* = filiarum Bonifacii, et Perfecti cum onere prestandi prædictis Aloysii filiis, eorumque matri omnia in ea concordia conventa; tum etiam quia ii Aloysii filii secernere ipsorum portionem haud poterant, nisi post rationes initas de conspicuis pecuniæ summis eis, præter illas præstationes in ea concordia constitutas, a patruis vel horum heredibus suppeditatis; sicuti exinde factum fuisse quod ipsi penes patruorum filias, et hæredes suam illam portionem relinquerent instructissimi deponunt testes Barghiglionus, Pozzius, et Florianus.

14 Quod autem post sæpius memoratam divisionem perrexerit Petrus interdum, dum Romæ erat, suam in negociatione operam impendere, eique præfuerit, ex quo socius a quibusdam reputari potuerit, id tribuendum tantum est progressui primum Ivanensis concordiæ, ac deinceps voluntati a Perfecto in suo testamento panditæ, quod scilicet Petrus = *continui a stare nei Negozj, volendo ancora, che esso ne abbia la firma per procura* =; qua institor ergo, non qua socius illi ipso negociationi incubuit, eique præfuit; et quamvis addidisset Perfectus quod ipse = *quando corrisponda all'espettazione comune, compiti li ventiquattro anni di sua età, potrà essere ammesso in società nell'esercizio dei due negozj, ponendo tutti i capitali che avrà di sua proprietà, e la prestazione della sua opera personale* =, haud satis esse poterat ad eum in negociatione socium constituendum dum simplex factum non secretæ a mercatoria substantia suæ portionis, et præstationis operæ in negociatione, nisi ejus accessisset declaratio quod vellet in societatem admitti, et consensus filiarum ipsius Perfecti ac Bonifacii, quæ profiterentur, quod ipse in negociatione institorio nomine = *corrisponda all'espettazione comune* = Quæ demum enunciativæ, ac verba in pluribus leguntur Johannæ epistolis Petro ab Urbe absenti scriptis, quibus negocium sæpe appellatur = *nostro* = *di noi* = aliisque similibus, cum ei scriptæ fuerint, cui fuerat negocii administratio concredita = *per procura* = nullam, nedum societatem, sed ne consortium quidem inducere valent, quia moris est inter dominum alicujus rei, hujusque administratorem inter se loquentes, ut hæc res ab ipsis dicatur = *nostra* = *di noi* = sicuti apposite animadvertit, ac firmat *Rota in Romana*, *seu Sabinen. Societatis* 40. *Martii* 1753. §. 6. *coram Figueroa, et in confirmatoria* 18 *Junii* 1763. §. 6. *coram Eodem, et novissime in Cesenaten. Societatis* 19. *Aprilis* 1822. §. 2. *cor. R. P. D. meo Tiberj.*

Negociationis itaque societas, quæ ab 15 anno usque 1795. extiterat inter fratres, Aloysium, Bonifacium, et Perfectum Samonati cum anno 1803. per Aloysii mortem resoluta fuerit, progredi idcirco, vel renovari haud potuit inter ejus filios, ac Bonifacium, et Perfectum, obstante præsertim Ivanensi concordia, rite inita, et exequutioni religiosæ, constanterque data. Post annum vero 1813 et divisionem mercatoriæ substantiæ eo anno peractam, instituta ex integro dici haud potuit inter prædictos Aloysii filios, ac filias, et hæredes Perfecti, et Bonifacii, deficiente scriptura, deficientibus solemniis, quæ necessaria fuissent, cum ageretur de interesse fœminarum, in pupillari præsertim ætate, et sub matris tutela existentium, deficiente demum forma, quam in contrahendis, ac etiam continuandis societatibus Gallicæ Leges servari jubebant. Quæ autem facta propununtur ab iisdem Aloysii filiis ad societatem adstruendam, nullius esse ponderis satis superque demonstratum fuit. Nec minus exulat inter ipsos ac patruos, vel horum filias, et hæredes communio, quæ induci vellet ex relicta ab ipsis propria mercatoriæ substantiæ portione cum illis patruorum, vel horum filiarum ac hæredum commixta. Hoc enim factum fuit in exequutionem primum Ivanensis concordiæ, et deinceps, quia eam secernere ipsi non curarunt cum noscerent ab ipsis prius reddendas esse rationes de ingenti pecuniæ vi, quam, præter debitas ex Ivanensis concordia præstationes, ex egerant.

16 Maneat hinc firma immotaqne oportet illa anni 1815. divisio, nec alteri divisioni locus esse potest: et jus est Petro, et Joanni Baptistæ condicendi prædictæ ipsorum portionis *bessem* ad tramites hujus capitis in illa divisione anni 1813. constituti; reliquus enim ejusdem portionis *triens*, ad Baltbaxarem spectans, rite transiit in Perfecti filias, et hæredes per legitimum contractum coram Judice, et Notario initum cum eodem Baltbaxare, qui de eo procul dubio disponere poterat, cum nullum super illo jus ipsius fratres sibi asserere possent; atque ideo, quoad hunc *trientem*, Balthaxarem repræsentant eaedem Perfecti filiae, et haeredes, uti in locum successore filiae, et haeredis Bonifacii, ex legitimo pariter emptionis contractu, quoad portionem praedictae mercatoriae substantiae, ipsi ex jure paterno in eadem divisione anni 1813. obventam, de qua contemporanea mea agit Decisio. Ab illo autem capitis *besse*, quem assequi possunt Petrus, et Joannes Baptista, omne id expungendum erit, quod jam ipsi, eorumve mater exegerunt, praesertim a filiabus Perfecti, seu earum nomine, præter conventas ipsorum favore in Ivanensi concordia præstationes, quæ imputanda, seu deducenda exactae pecuniae quantitas, quam Perfecti filiæ monnmentis allatis, sequare ac etiam excedere contendunt integrum illud caput, ad liquidum perducetur, dum ad rationum expunctionem inter ipsos ac eas Perfecti filias devenietur, ut hujusce capitis nomine ipsi illud tantum consequantur, quod, ea imputatione, sive deductione facta, reliquum esse comperiatur.

Atque ita Unixersa Aula quaestionem absolvit, utraque Parte summo stndio sua jure deducente.

ROMANA SOCIETATIS

SUPER SECUNDO DUBIO

Lunae 26 *Januarii* 1824.

ARGUMENTUM

Qui comparat rem pecunia aliena, non ei, cujus fuerunt nummi, sed sibi actionem, et dominium acquirit. Idque obtinet etiam in societate particulari, si alter e sociis acquisiverit, nomine proprio, rem, pecuniis socialibus.

SUMMARIUM

1. Qui in actu emptionis emptor apparet, ac suo nomine stipulatur, is verus emptor existimandus est.

2. In societate universali, omnia bona praesentia, et futura quocumque titulo quaesita communicantur.

In generali veniunt tantum quae ex quaestu, non quae ex fortunae beneficio obveniunt - ibidem. -

In particulari ea solum, quae ex cohibita negociationis specie - ibidem. -

3. Etiam in generali et particulari societate, ut acquisitio ab uno e sociis facta socialis dicatur, probandum est quod non fuerit facta antequam societas dissolveretur.

4. Nullius momenti est exceptio, quae in facto corruit.

5. Qui aliena pecunia comparat, non ei, cujus nummi fuerunt, sed sibi tam actionem empti, quam dominium, si ei tradita fuerit possessio, quaerit.

6. Etiam in societate particulari, socius propria acquirens nomine pecuniis socialibus, sibi, non societati acquirit.

7. Societas excluditur, ex quo quis negocia praefuit qua institor, et non qua socius.

DECISIO CC.

Juridicus A. C. Conventus Sententis lata die 8. Junii 1822. haud attendendam esse decrevit divisionem mercatoriæ substantiæ Samonati, exeunte anno 1813. initam inter hæredes Aloysii, Perfecti, ac Bonifacii Samonati, ac ad novam divisionem deveniendum esse juxta præsentem negocii statum, præviis rationibus de ea substantia a filiabus Perfecti, sive earum matre Johanna Del Negro, reddendis, ita ut Aloysii filii ad tramites ineundæ divisio-

nis assequerentur ejusdem substantiæ *trientem* ex paternis juribus. Quoad alium vero *trientem* ad Bonifacii filiam spectantem, et die 1. Martii 1814 legitimo emptum, pretio scutorum 1679. et ob. 78. ab iis Perfecti filiabus, quo etiom super bas inter et filios Aloysii quæstio erat, ab Eodem Juridico Conventu dirimenda, hic eadem Sententia ita statuit = *rapporto poi alla terza parte una volta spettante agli Eredi di Bonifacio Samonati, e quindi comprata dalla Vedova del Negro, siccome non è stato ancor discusso con quali denari sia stato fatto l'acquisto della medesima, così riserviamo di decidere in appresso, se spetti alla Vedova suddetta, ovvero debba ripartirsi frà i figli della Vedova in stirpes, ed i figli di Luigi in stirpes.*

Ob appellationem ab hac Sententia per Johannam interpositam controversiæ omnes inter Partes ortæ S.N. Tribunalis judicium subire debuerunt; et sub tribus specialibus Dubiorum formulis Patribus a me propositæ, Ipsorum in prima, ac secunda propositione discrepantibus suffragiis, definiri haud potuerunt. In hodiernis vero Comitiis, interrogante me Universam Aulam, nedum super Divisione prædicta, de qua agit mea contemporanea Decisio *Romana Societatis super I. Dubio*, sed etiam quoad portionem Bonifacii, sub primæva formula Dubii « *An, et cujus favore constet de proprietate tertiæ partis haereditariae Bonifatii, seu potius sit locus illius divisioni in casu etc.*, quæstio hæc resoluta fuit Responso = *Affirmative ad primam partem favore hæredum Perfecti; negative ad secundam*=.

1 Constat quippe ex prædictæ portionis venditionis actu diei 1. Martii 1814 quod Anna Maria Morganti, uti Mater, tutrix, et curatrix, minorennis Margharithæ Samonati, Bonifacii filiæ, et hæredis, atque hujus contutor Antonius Pozzi » *vendono, e cedono con atto, e titolo di perfetta, ed irrevocabil vendita, e cessione alle minori Signore Violante, Appollonia, e Maria Samonati, figlie del fù Perfetto Samonati, la Signora Giovanna del Negro, qual di loro Madre, e Tutrice, e sotto la di lei sicurtà, e mallevadoria solidaria accettante, tutte le mercanzie, generi, e crediti esigibili, che alla detta minore Signora Margherita sono toccati in divisione, mediante l' atto accennato passato avanti il detto Notaro Conflenti nel giorno* 16. *Decembre prossimo passato* 1813. = merces ideo traditæ fuerunt Johannæ pro filiabus, ac super iis mercibus omnia jura cessa fuerunt « *alle riferite Sorelle Samonati* » et filiorum nomine eadem Johanna se soluturam promisit Margharitæ conventum pretium, earum mercium, et creditorum in scutis 1679., et obulos 78. in tot annuis ratis scutorum 250., incipiendo a die, qua ipsa Margharita annum exegisset suæ ætatis *vigesimum primum*, cum *semissi* usura, interim de trimestri in trimestrem solvenda, usque ad absolutam illius pretii solidationem. Quæ cum sint in facto, et cum in jure certissimum sit, quod qui in actu emptionis venditionis emptor apparet, ac suo nomine stipulatur, is emptor reapse existimandus sit per *Rot. Decis.* 54. *num.* 1. *part.* 17. *Recen.*, *Decis.* 700. *numer.* 19. *T.* 3. *coram Lancetta*, *Decis.* 400. *numer.* 56. *coram Ratto*, *et in Romana Nullitatis Deliberationis* 15. *Junii* 1821. §. 7. *coram Illustrissimo Gamberini*; plane consequitur Perfecti filias tantum emptrices portionis Bonificii fuisse. Quod confirmatur, evidentiusque fit ex tenore acceptilationum de prædicta pretii usura ab Johanna pro filiabus soluta, in quibus omnibus legitur « *Ho ricevuto dalla Signora Giovanna del Negro come Madre, e Tutrice delle Signore Appollonia, Violante, e Maria Samonati scudi etc., quali sono per un trimestre anticipato dei frutti del Capitale etc.* Si itaque Perfecti filiæ tantum Bonifacii portionem emerunt, si ipse solutiones ex hac emptione conventas expleverunt, absurdum omnino est, in Aloysii filiis, contendere quod ipsi hujusce emptionis participes fiant.

Inutiliter vero ut hanc prætensam emptionis communicationem assequantur iidem Aloysii filii ajunt, quidquid a socio contrahitur communiter contractum intelligi debere, si ad commune negocium pertineat, doctrinam afferen- 2

tes *Zanch. de Societale part.* 2. *cap.* 6. *numes.* 68. *et Cap.* 11. *numer.* 153. *Mantic. de tacitis, et ambiguis lib.* 6. *tit.* 17. *numer.* 43., *et Connan Comment. Juris Civilis Lib.* 7, *capit.* 13. *numer.* 10. Etenim in falsissima etiam hypothesi existentiæ societatis negociationis mercium inter eos Aloysii filios, et filios Perfecti, non ageretur de societate *universali*, in qua omnia bona præsentia, et futura quocumque titulo quæsita communicantur; nec de *generali* ex qua ea tantum ex quæstu venientia, non, quæ aliunde hominum vel fortunæ beneficiu adveniunt, communia sunt; sed de *particulari*, ad quamdam nempe negociationis speciem cohibita, uti harum trium societatum naturam optime post *Heinec. in Instit. lib.* 3. *Tit.* 26. *de Societat.* §. 945. distinguit, ac explicat *Zanch. de Societate praesertim part.* 1. *Capit.* 5. *numer.* 1. 2. Oporteret ita emptionem illius portionis Bonifacii ad eam assertam socialem negociationem particularem mercium pertinuisse evidenter ab iis Perfecti filiis demonstrari. At contrarium manifestissimum est. Nam, non emptæ ab Johanna, seu ejus filiabus fuere aliæ merces ad eam particularem negociationem spectantes, præter illas in tabernis extantes, sed nil aliud actum ab ea fuit, nisi subingressus, filiarum nomine, in jura filiæ Bonifacii quoad *tertiam partem* mercium, ac creditorum illius negocii, quæ huic in divisione obtigerat; ex quo negocii conditio eadem semper mansit, nec fuit ex hoc subingressu aucta; ac idem erat Aloysii filiis quod Margheritæ portio ab ipsa fuisset retenta, aut fuisset in Perfecti filias translata, cum utroque in casu *triens* negocii, in eodem statu manentis, illorum esset.

3 Illud præterea momentosissimum accedit, quod, nedum in particulari, et generali societate, sed etiam in universali, ut acquisitio ab uno e sociis facta socialis dicatur, præter societatis præexistentiam, probandum est recessum ab ea haud fuisse: hic vero a societate recessus satis desumitur ab acquisitione ab uno e sociis proprio dumtaxat, ac non sociali nomine expleta per *Zanch. de Societate part.* 4. *Cap.* 2 *numer.* 73. 74., *et Rot. decis,* 118. *num.* 5. 6. 17., *et per tot. cor. Benincasa* = Pernecesse vero quamlibet nostro in themate prætensam societatem dissolutam fuisse concludendum est ex divisione mercatoriæ substantiæ inter hæredes Perfecti, Bonifacii, et Aloysii anno 1813 et ideo ante contractum emptionis, de quo agitur, perfecta. Extranea etiam esset, in eadem damnatissima hypothesi existentiæ societatatis, post Aloysii mortem. inter hujus filios, et hujus fratres, vel horum hæredes, alia objectio, quod non licebat filiæ Benifaci ex dispositione *Statut. Urbis lib.* 1. *Cap.* 110. suam portionem distrahere, irrequisitis sociis: primum enim alienatio haud fuisset facta erga extraneos, sed erga alterum e sociis, nempe Perfecti filias: dein, dum hic fuit actus expletus Statutariæ Sanctiones ex Gallicis Legibus in Urbe cessaverant. Ad assertos vero extrinsecos contractus defectus quod spectat, hoc objectum, etsi subsisteret, proponi tantum posset a venditrice Margharita, nunquam vero a filiis Aloysii, qui nullum interesse super ejus portione habebant. Vindicarent hæc omnia prorsus a prædictis exceptionibus emptionem porptionem portionis Bonifacii a filiabus Perfecti initam, ipsarum nomine, ac commodo, etiamsi prætensa admitteretur societas. Supervacanea vero sunt, et ad abundantiam tantum deducta, cum perspicua sit hujus assertæ Societatis insubsistentia ex iis, quæ disseruntur in contemporanea *Decisione Romana Societatis super Primo Dubio*, quævе hic referre ociosum omnino esset.

Nec prodest Aloysii filiis proponere 4 quod acquisitio portionis Bonifacii, a Perfecti filiabus facta, sit cum ipsis communicanda, uti expleta pecunia communi, quia eae pro solutione pretii illius portionis, et conventæ usuræ obligarunt integrum negocium, atque idcirco ipsorum etiam portionem ab eo negocio haud separatam, ac amotam. Id enim nec in *facto*, nec in *jure* subsistit. Non *in facto*: quia Perfecti filiæ, dum integrum negocium favore Margheritæ, ex prædictæ emptionis caussa, obligarunt, hanc cohi-

buisse obligationem censendæ sunt ad negocii portionem ipsarum propriam, ac illam etiam a Margharita acquisitam, non vero eam portendisse ad filiorum Aloysii portionem, nisi hoc etiam ipsas egisse concludentissime demonstratur ad tradita per *Torr. de Pactis lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 36. *Tartagl. de reservatione Statutaria art.* 59. *num.* 82. *Zanch. De Societate part.* 2, *Cap.* 5. *num.* 109. et firmata per *Rot. Decis.* 135, *num.* 10. *part.* 14. *Decis.* 320. *num.* 19. *seq.p.* 16. *Decis.* 58. *num.* 2. *et seq, part.* 17. *in Recen.*

5 Haud vero *in jure* prædicta consisteret objectio, quia inquirendum non est, sua quis an aliena pecunia pretium solveri rei proprie nomine acquisitæ, sibique traditæ, etenim « *Qui aliena pecunia comparat, non ei, cujus nummi fuerunt, sed sibi tam actionem empti, quam dominium, si ei tradita fuerit possessio, quærit. Cum itaque de rebus communibus fratrem patruelem tuum, quædam comparasse contendas: de sua pecunia hunc conveniendo facies consultius. Nam in rem de rebus ab eo comparatis tibi contra eum petitio* = uti rescripserunt Imperatores *in leg. Qui aliena* 8. *Cod. si quis sibi, vel alteri*; atque = *si ex pecunia, quam deposuerat, is, apud quem collocata fuerat, sibi possessiones comparavit, ipsique traditæ sunt, tibi vel omnes tradi. vel quasquam ex his, compensationis causa, ab invito eo in te transferri injuriosum est* = respondit Imperator *in Leg. si ex ea pecunia* 6. *Cod. de rei vindicatione*, quibus consonat *leg. ex pecunia Cod. de jure dotium, ibique Gloss.* et quod traditur a *Peregrin. de Fideicommiss. art.* 24. *num.* 29. *Urceol de Transactionibus. Quæstion.* 82. *num.* 89, *Donell. Comment. Jur. Civ. Tom.* 2. *Columm.* 187. *num.* 3. et quod firmatur a *Rota decis.* 283. *num.* 3. *part.* 18. *Deci..* 35. *num.* 1. *coram Riminald. et Decis.* 69. *num*, 4. *coram eod. in Romana Pecuniaria* 5. *Junii* 1745. §. 6. *coram de Vaiis, in Tolentina Cauthelæ Angeli* 5. *Julii* 1805. §. 3. *coram Eminentissimo Cesarei De Leonibus*; *in Confirmatoria* 21. *Aprilis* 1806. §. 6. *cor. Eodem, et in Romana, seu Parisien. Pecuniaria* 31. *Januarii* 1806 §. 3. 4. *cor. cor. Emo Bussio.*

Quæ procedunt etiam in hypothesi existentiæ cujusdam particularis societatis; quia tunc etiam socius, proprio acquirens nomine pecuniis socialibus, sibi, non societati acquirit, cum statutum videamus *leg. si Patruus* 4. *Cod. Com. utriusque judicii* quod » *Si Patrruus tuus ex communibus bonis res comparavit, sibi negocium gerens, non omnium bonorum socius constitutus, pro competentium portionum modo indennitati tuæ consuli oportet, et ideo rem emptam communicare eam contra juris formam postulas* =: atque *in leg. si unus ex sociis, qui non totorum bonorum socii erant, communem pecuniam fœneraverit, usurasque perceperit, ita demum usuras partiri debet, si societatis nomine fœneraverit; nam si suo nomine quoniam sostis periculum ad eum pertinuerit, usuras ipsum tenere oportet* =, quibus adhærent *Alexandrin. Cons.* 49. *num.* 11. *Vol.* 1. *Mantic. De Tacit, et Ambig. lib.* 6. *Tit.* 16. *num.* 19. *Tom.* 1. *Tartagl. de Reservat. Statut. art.* 59. *num.* 86. *Ubald. de duobus Fratr. part.* 5. *num.* 3. *Schrader. de Contract. Tit.* 26. *de Societat. num.* 47. *Ansald. de Commercio, et Mercatura disc.* 93. *num.* 13. 15., *Carol. Ant. De Luc. de Pluralitate homin. Legal. Cap.* 72. *num.* 1. *et per tot*; *Zanch. de Societat. Part.* 2. *Cap.* 5. *num.* 65. 66 *et cap.* 9. *num.* 115., *et seq. Rot. decis.* 106. *num.* 9. *tom.* 5. *part.* 1. *et Decis.* 41 *num.* 10. *Tom.* 9. *et in Romana Societatis* 6. *Decembris* 1754. §. 14. *coram Caprara.* 6

Frustra demum iidem Aloysii filii prædictæ emptionis communicationem inducere vellent ex epistolis ab Johanna hac de re Petrum, dum ipse Roma aberat, et de eo ineundo contractu inter ipsum, et Margharitæ tutricem, tutoremqua agebatur, missis. Redit hic enim quod in contemporanea *Decisione super* 1. *Dubio* animadversum fuit; Johannam nempe Petro scripsisse quoad interesse filiarum, uti quodammodo de re ad ipsum spectante, quia ipse negocio præerat, qua institor, ex Perfecti voluntate: quamobrem nihil exinde concludi potest pro prætensa communicatione. At plura præterea ad hanc futillimam inductionem eliminandam concurrunt. Primo e- 7

nim Petrus Romæ erat, dum contractus emptionis prædictæ filiarum Perfecti nomine tantum, fuit initus; ex quo inverisimile prorsus est ipsum præsentem, omniaque scientem, ac videntem silere voluisse, si aliquod super eo contractu jus sibi, fratribusque asserere potuisset. Ipsemet insuper proprio exaravit charactere acceptilationes pro pecuniarum summis, quas Margharitæ mater recipiebat, in illius venditionis causam = *dalla Signora Giovanna Del Negro madre, tutrice delle Signore Violante, Apollonia, a Madre Samonati* =, nec ullam in hisce nonscribendis acceptilationibus de asserto illo proprio, fratrumque jure mentionem fecit. Demum prætensum hoc jus convenire nequit tot epistolis a Petro ad Amitam Johannam missis post expletam anno 1813. mercatoriæ substantiæ divisionem, et illam perfeciam venditionem, in quibus suam semper egestatem flebiliter exponens, ut ejus miserationem excitaret, eam semper de aliquo subsidio rogavit; ex quibus manifestissimum sit ipsum, fratresque, nedum ullum proponere haud posse super illa Bonifacii, sive hujus filiæ portione consortium, sed propriam etiam portionem fere, nisi omnino, absumpsisse, ob pecunias ab Johanna, præter debitum receptas, vel ejus filiarum nomine exactas, ac in proprium usum conversas, recte exinde coniici posse; de quo tamen in rationum redditione videndum erit. Patet ex hisce omnibus quam merito Patres decreverint Bonifacii portionem filiabus tantum Perfecti fuisse acquisitam, nec ullam adesse rationem, ex qua hæc cum filiis Aloysii sit dividenda.

Atque ita omnes una simul suffragantes Patres definierunt: Utraque etc.

ROMANA SUCCESSIONIS

Mercurii 4 Februarii 1824.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Si cum venerit substitutionis dies, haeres decesserit, ejus portio devolvitur caeteris cohaeredibus.*
2. *Successiones delatae, tempore quo vigebant leges gallicae, deferebantur indistincte tam masculis, quam faeminis.*
3. *Pater filio, sine liberis elato, consuccedit cum defuncti fratribus.*
4. *In judicio petitionis haereditatis, fructus restitui debent a die apertae successionis.*
5. *Ubi agitur de taberna mercatoria, fructus ad rationem semissem constitui solet.*

DECISIO CCI.

Bene nummatus olim in Urbe negotiator, Joannes Carolus Tritonius, duas ex Conjuge Antonia Cerruta suscepit filias Mariam Annam, ac Theresiam, et utramque nuptu collocavit. Theresiæ, quæ nupsit Josepho Maggio, dotem constituit in scutis *termille*, et quia convenit integram pene dotem ad scuta nempe *bis mille octingentum viginti quinque* in mercatoria taberna mansuram, ibique et Maggium in Soceri levamen sadulam operam præstiturum; hinc Tritonius obligatione sese devinxit = *di somministrare ai Signori Sposi il commodo di casa, ov'esso abita, e di somministrargli un conveniente, e decente trattamento di cibarie, anche per la famiglia, che dai medesimi Signori Sposi sarà per nascere* = ceu nuptiales perhibent tabulæ ad diem 13. Junii 1790. conscriptæ. Inito matrimonio, res universa, uti fuerat præstituta, ita processit ad annum usque 1802. quo Tritonius supremam adventare diem sentiens, testamentum condidit, eoque subscripsit = *Erede universalela Consorte Signora Antonia Cerruti, dichiarandola de' beni tutti libera, ed assoluta padrona, fintantochè ella naturalmente vivrà* = Huic substituit Mariæ Annæ, quæ præobierat, filios ex æquo cum Theresia Maggia, ejusque filiis nullo sexus discrimine facto.

Legata quoque addidit nonnulla, quæ inter Theresiæ universam domus supellectilem prælegavit; hoc tamen cunctis adjecto solutionis modo = *da conseguirsi però dopo la morte della Signora Consorte Antonia Cerruti* = Post hæc gravi morbo correptus diu quidem ægrotavit; hinc

ut gratum animum erga filiam Theresiam ostenderet, utpote, quæ sollicitissima cura die, noctuque ægrotanti assederat, atque amantissime opitulata fuerat, codicillo mandavit = *Oltre di tutto ciò, che in favore della medesima ho disposto nel mio testamento, lascio alla medesima per titolo similmente di prelegato la somma di scudi tremila sull' accennato fondaco di merci, ossia negozio, in guisa che prima di procedere alla divisione di esso nelle due porzioni da conseguirsi dalla riferita Maria Teresa, e dalli figli della defonta Marianna altra mia figlia, debba togliersi, ed escorporarsi l'enunciata somma di scu di tremila da consegnarsi alla divisata Maria Teresa in tante merci a stima dei Periti, o in denaro contante, ma in moneta d'argento, come ad essa più parerà, e piacerà* =.

Paulo post defuncti hæreditatem adivit ejus Vidua Antonia, quæ cum Josepho Maggio, ejusque familia vivere, et illius opera in taberna exercenda uti, ut antea, perrexit, nec ei dotem tradidit. Subinde et ipsa ad ultimum condendum elogium convertit animum; Legata a viro relicta in eo confirmavit: Theresiam scripsit hæredem, ejusque filios, tum et cæteros nepotes ex Maria Anna Petrarca. De mense Julii anni 1811. obiit Theresia, quinque superstitibus filiis, Laurentio, Joanne Maria, Carolo, Maria, Agata. Nondum tertio effluxo mense, matrem sequutus fuit filiorum alter Laurentius. Istorum vero Avia Antonia Cerruta tunc donatione irrevocabili transferri voluit in Nepotes Joannem Mariam, et Carolum = *tutti gli oggetti mobili di qualunque genere, e specie esistenti, e che esisteranno nella sua abitazione, come ancora gli scudi tremila provenienti dai riferiti due prelegati lasciati alla suddetta defonta Maria Teresa dal di lei Padre Gio: Carlo Tritonio* =; et, licet perpenderet indubium esse, prædefunctam Theresiam quæsitum jus ad ea prælegata ad suos hæredes transmisisse; nihilominus donavit = *per aggiungere sempre più ragioni a ragioni* =; at tamen = *con'espressa condizione, che sopra tanto la proprietà de' beni, come sopra donati, non che dell'usofrutto dei medesimi, non possa averci ingerenza persona alcuna, ma debbano amministrarsi dai medesimi donatarj indipendentemente da qualunque persona, e pur' anche dal loro Padre* =.

Idipsum obfirmavit altera quoque eorumdem favore emissa donatione, qua præcipue valedixit potestati, quam eidem fecerat Joannes Carolus Tritonius de hæreditariis suis bonis pro lubitu disponendi, atque insuper addidit sese ita donasse = *a favore delli prefati Giovan Maria, Carlo, Maria, ed Agata suoi nepoti per maggiormente assicurare ai medesimi la suddetta porzione de' beni, bene inteso però, che tutti debbano conseguire quel tanto, che di ragione può competergli* =. Quibus ita peractis, occubuit Antonia, et tunc, inventario confecto, tabernam, cæteraque hæreditaria omnia occupavit Joannes Maria Maggius, excluso Patre Josepho, cui etiam Oeconomum dari curavit. Quæ vero de multifaria hæreditatum divisione; ac successionum modo illico exarsere quæstiones, Nostro S. Ordini ablegatæ sunt cum clausula *prævits duabus, Videntibus omnibus Dominis, appellatione remota* = Tria initio denegabat Sororibus, et Patri Joannes Maria; successionem nempe in hæreditate tum Mariæ Theresiæ, tum Joannis Caroli Tritonii, et Antoniæ Cerruti, tum Laurentii, tum alterius fratris Caroli, qui post Aviam obierat: prælegatum scutorum *termille* Theresiæ quæsitum: usumfructum Josepho debitum super bonis filiorum.

Tribus jam conciliatis formulis, apposito Decreto rerum omnium gestio Paulo Barghiglionio in locum Joannis Prosperi, qui se munere abdicaverat, suffecto, credita fuit: At Joannes Maria inopinato ab Urbe evasit, haud leve auferens pecuniæ pondus; hinc, absens licet, duas alias institui quæstiones satagit; tum nempe de divisione, tum de redditione rationum. Quinque itaque diversis formulis hæ contentiones omnes comprehenduntur, quarum primam, et alteram hoc mane proposui = Prima vero hæc est = *An, cujus favore, in quibus hæreditatibus, et pro qua parte sit locus consuccessioni; ita ut sit danda immissio,*

restituendi fructus, et relaxandum mandatum in casu etc. =: silente Joanne Maria, Patres Informantium vota exceperunt, tum pro subministratione, quam seorsim petebant, iisque assignarunt in scutis *tercentum*; tum pro Responso = *Affirmative in omnibus juxta modum* =, nempe = *in hæreditate Mariæ Theresiæ pro duabus ex quinque partibus favore Agathæ, et Mariæ; in hæreditatibus Joannis Caroli Tritonii, et Antoniæ Cerruti pro duabus ex quatuor partibus item favore Agathæ, et Mariæ, in hæreditate Laurentii pro quadrante favore Josephi, pro duabus ex quatuor partibus reliqui dodrantis favore Agathæ, et Mariæ: in hæreditate Caroli pro semisse favore Josephi; restituendos esse fructus a die apertarum successionum ad rationem scutorum sex pro quolibet centenario, et anno, et esse relaxandum Mandatum pro summa liquidanda* =.

1 Non aliud enim ferri poterat judicium, bene perpensis tum hæreditatibus, de quibus res est, tum titulis, e quibus debentur, tum Legum regimine, sob quo earum singulæ delatæ fuere. Quinque porro sunt hæreditates; hæreditas nempe Joannis Caroli Tritonii; hæreditas illius Uxoris Antoniæ Cerrutæ; hæreditas Theresiæ Maggiæ; hæreditates Laurentii, ac Caroli Maggi. Solemne prostat testamentum, ex quo patet Joannem Carolum Tritonium Conjugem suam hæredem instituisse, ac post ejus obitum Theresiæ, ac Mariæ Annæ filios sive masculos, sive fæminas indiscriminatim vocasse: At, cum substitutionis dies venit, alter ex quinque Theresiæ filiis Laurentius jam decesserat. Ergo hæreditas Joannis Caroli devenit pro semisse ad cæteros quatuor filios superstites, quos inter aderant Maria, et Agatha; ideoque his medietas, sive duæ ex quatuor partibus delatæ hæreditatis erant adscribendæ. Eodemque prorsus modo dividenda hæreditas Antoniæ Cerrutæ, quæ Theresiæ filios æque sibi scripserat hæredes.

2 Cum autem intestata obiit Theresia nondum extremum diem viderat Laurentius: obiit vero illa die 28 Junii 1811, quo adamussim tempore Gallorum Legibus regebamur. Atqui in eorum Codicis Articulo 745. sancitum erat = *I figliuoli, o loro discendenti succedono al loro Padre, Madre, Avo, Avola, o altri ascendenti senza distinzione di sesso, o di primogenitura, e quantunque nati fossero da diversi Matrimonj* = Non est itaque ambigendum super divisione intestatae hujusce haereditatis, quae obvenit aequis portionibus quinque sospitibus filiis, ideoque pro duabus ex quinque partibus Mariae, et Agathae. Nullo pariter relicto elogio ad plures migravit Laurentius Maggius, Theresiae filius eodem ferme tempore, quo mater, die scilicet 19. Octobris annis 1811., iisdemque dominantibus Gallorum institutis: Porro, si superstites defuncto fuere, tum Pater Josephus, tum duo fratres, Joannes Maria, et Carolus, et totidem Sorores Maria, et Agatha, jus postulat Patrem in quadrante, Sorores vero in semisse reliqui dodrantis succedere, ita quippe sese habet Lex Gallica in Codicis Articulo 751. = *Se il Padre, e la Madre del defonto senza posterità sono rimasti superstiti, i suoi fratelli, sorelle, o i loro rappresentanti sono chiamati alla sola metà della successione. Se il Padre solamente* (pro ut in themate) o *la Madre è sopravissuta, succedono quelli nei tre quarti della Eredità* = Atque hinc merito Patres ex haereditate Laurentii quadrantem Josepho, duas ex quatuor partibus reliqui dodrantis Mariae, et Agathae addixerunt.

Tandem haereditatem Caroli ex aequo dividendam censuerunt inter Josephum Patrem, et Joannem Mariam fratrem defuncti. Reque vera Carolus Maggius obiit die 30. Aprilis 1821., et tunc jamdudum in lucem prodierat notissimus Motus proprius inclitae memoriae Pontificiis Pii VII., in quo postremam de successionibus regundis normam habemus. Haec enim habet Articulus 106. = *Nelle eredità dei Collaterali maschj le femmine coi loro figli, e discendenti dell'uno, e l'altro sesso, quantunque in uguale, o in più prossimo grado sara no escluse dai maschi agnati congiunti col defonto fino al quarto grado della computazione civile inclusivamente* =. Cum itaque 3

ab haereditate Caroli faeminas Mariani, et Agatham excludant non alii profecto masculi agnati, praeter ipsum Joannem Mariam, ejusque, ac defuncti patrem Josephum, istorum hujus haereditatis semissis obvenict; explorati quippe juris est patrem filio, sine liberis elato, succedere quidem, ubi nulli adsint defuncti fratres; istis vero extantibus, cum iis consuccedere ad *Text. in Nov.* 118. *Cap.* 2., *et* 3., *et in Authen. Defuncto Cod. od S. C. Tertull.*

4 Symbola cuique sua in quinque propositis haereditatibus ad tramites, sive testamentorum, sive Legum tributa, consequens omnino erat, fructus quoque a die, ut ajunt, apertarum successionum singulis haeredibus esse addicendos. Sunt enim fructus accessiones veluti quaedam bonorum, monente, *Rota in Firmana Primogeniturœ super immissione in specie quood fructus* 12. *Maii* 1784., §. 2. *coram Azedo, in Setino Immissionis super fructibus* 5. *Julii* 1784. §. *znali coram Lancellotto*, *et in Beneventena quoad vineam super fructibus* 4. *Julii* 1791. §. 2. *corom Acciajuoli*; ideoque ad eos pertinent, ad quos et bonorum dominium pertinere dignoscatur, teste eadem Rota *in Firmono Primogenituroe super immissione in specie quood reservolo super fructibus* 9. *Maii* 1784. §. *finoli coram Azedo*, *et in Urbevetana nullitotis transactionis quoad fructus* 13. *Maii* 1791. §. 10. *coram Strosoldo*, et cum ipsis bonis fructus indebite perceptos restitui jura volunt, ut in *Firmano Primogeniturae super immissione in specie quoad fructus* §. 2. *corom Azedo*. In judicio autem petitionis haereditatis, ejusmodi fructuum restitutionem a die apertae successionis incipere debere testatur eadem *Roto in Firmono Successioni* 19. *Junii* 1741. §. *Fundomentum corom de Vois*, *et in Viterbien. Successionis quoad bono extra territorium Viterbii super non resolutis* 21. *Mortii* 1791. §. 10. *coram Soderino.*

5 Placuit demum Patribus harum haereditatum fructus ad rationem semissem constituere, quia res non erat de bonis rusticis, aut urbanis, quorum fructus excedere non solent mensuram trientem, seu quincuncem, sed de Taberna Mercatoria, quae inter Urbis florentissimas merito habetur, et in qua idcirco baereditaria capita fructus triente, aut quincunce longe majores dietim gignere verosimile est suadente *Rota in Decis.* 172. *numer.* 3., *et* 4. *corom Riminoldo*; *et in Decis.* 116. *numer.* 25. *coram Herzan*. Caeterum, quia quid quantumque haereditas quaeque contineret ignorabatur, quod explorandum supererat in liquidatione postmodum ineunda, dum idcirco immissionem cuique ad singulas haereditates pro sua symbola Patres concessere, mandata tamen pro summa liquidanda singulis baeredibus tribuere existimarunt.

Atque ita Universa Aula suffragante etc. Altera tantum etc.

ROMANA SUCCESSIONIS

Veneris 11 *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur - DECISIO CCI. -

SUMMARIUM

1. *Haereditas aequis partibus, inter cohaeredes dividi debet.*
2. *Juxta Codicis Gallici articulum 751, pater et mater, filiis superstitibus, consuccedebant pro quadrante cum fratribus.*
3. *Motus proprius 6 Julii 1815 in articulo 106, correxit notissimam* Novellam 118, *quoad successiones.*
4. *In judicio petitionis haereditatis fructus sunt restituendi a die apertae successionis.*
5. *Pecunia immissa in negociationem, fructus natura sua gignit.*
6. *Stylia, et avviamentum, constituunt caput sociale frugiferum.*
7. *Qui negociationi praefuit in commune commodum, suorum operum salarium petere haud potest.*
8. *Ubi agitur de mercatoria taberna, fructus statuuntur ad semissem.*

DECISIO CCII.

Successio deferenda ad testatas hereditates Johannis Caroli Tritonii, qui

florentissimam possidebat mercatoriam tabernam e conspectu Ædium Archigymnassi Urbis, ejusque Uxoris Antoniæ Cerruti, atque ad hereditates intestatas Theresiæ illorum filiæ, nuptæ Josepho Maggio, et Laurentii, et Caroli, qui ab hisce conjugibus ortum habuerant; prælegatum scutorum termillium, et supellectilis a patre prædictæ Theresiæ relictum, earum hereditatum, et prælegati explenda divisio, ususfructus ad legum tramites super iisdem hereditatibus, ac prælegato, ac etiam super lucro in dote defunctæ Theresiæ ejus superstiti viro tribuendus, ac demum rationes de prædictæ mercatoriæ tabernæ administratione reddendæ pluribus causam dedere quæstionibus inter Josephum, ejusque filias Mariam, et Agatham ex una parte, ac Johannem Mariam illius filium, harumque fratrem ex altera. Cum interposita pro hisce conciliandis officia in irritum cessissent, harum definitio Principali Rescripto S. N. Ordini commissa fuit cum clausula = *tamquam in prima præviis duabus, Videntibus omnibus, appellatione remota* =. Quinque itaque sub congruis Dubiorum formulis comprehensæ, resolvendæ a me universo Ordini propositæ fuere, illæ nempe ad successionem, et Prælegatum spectantes die 4 Februarii hujusce anni, aliæ respicientes Usumfructum, ac Divisionem die 6 ejusdem mensis, postrema demum, de redditione rationum agens, eodem mense, ejusque die 20 omnesque fuere, vadimonium Johanne Maria deserente, resolutæ pro Josepho, ejusque prædictis filiabus, uti monstrant Decisiones ad eas dies a me evulgatæ, quæ præsertim earum prima, ad successionem pertinens, factorum seriem fuse exponunt.

De harum Decisionum viribus ex superius memorati rescripti lege cum sit videndum, in hodiernis Comitiis Patrum examini subjeci illas agentes de successione, ac Prælegato. Harum prima originario Dubio = *An, cujus favore, in quibus hereditatibus et pro qua parte sit locus consuccessioni, ita ut sit danda immissio, restituendi fructus, et relaxandum mandatum in casu etc* = Responsum exhibet = *Affirmative in omnibus juxta modum* = *nempe* = *in hereditate Mariæ Theresiæ pro duabus ex quinque partibus favore Agathæ, et Mariæ, in hereditatibus Johannis Caroli Tritonii, et Antoniæ Cerruti pro duabus ex quatuor partibus item favore Agathæ, et Mariæ, in hæreditatibus Laurentii pro quadrante favore Josephi, pro duabus ex quatuor partibus reliqui dodrantis favore Agathæ, et Mariæ; in hæreditate Caroli, pro semisse favore Josephi, restituendos esse fructus a die apertarum successionum, ad rationem scutorum sex pro quolibet centenario, et unno, et esse relaxandum mandatum pro summa liquidanda* =; eamque Domini, contradicente quamvis Johanne Maria, in omnibus confirmarunt, respondentes assueto Dubio = *An sit standum vel recedendum a Decisis in casu etc.* = ulla absque hæsitatione = *In decisis* =.

Hoc responsum justitiæ in omnibus 1
consonum est. Videatur primum de testatis Johannis Caroli Tritonii, et ejus Uxoris Antoniæ Cerruti hereditatibus. Constat in facto Johannem Carolum heredem sibi fecisse Uxorem Antoniam Cerruti, testamento scripto die 19 Septembris anni 1801, ac aperto post ejus obitum die 20 Novembris anni 1802 eique demptis legatis, substituisse pro dimidia parte Mariam Theresiam filiam, nuptam Josepho Maggio, borumque filios, nullo inter mares feminasque discrimine facto, ac pro altera dimidia parte filios prædefunctæ Mariæ Annæ, alterius ipsius filiæ, quam connubio sibi junxerat notissimus olim in Urbe Causidicus Severinus Petrarca, constat pariter Antoniam Cerruti testamento diei 12 Martii 1807, post plures alias dispositiones, jussisse, suam hereditatem diribendam esse inter Theresiam, ejusque filios, ac filios prædictæ Mariannæ, quod postea confirmavit binis Donationis Instrumentis, altero diei 19 Junii 1816, altero diei 4 Octobris ejusdem anni; constat demum dum eodem anno 1816 die 24 Decembris obiit Antonia, factusque fuit locus successioni in hereditatibus ipsius ac Johannis Caroli, e vita jam mi-

grasse die 28 Junii anni 1811 Theresiam Maggi, ac sub die 19 Octobris ejusdem anni, alterum ex ejus quinque filiis, nempe Laurentium, quare superstites Antoniæ fuerunt quatuor ex hisce, scilicet Johannes Marin, Carolus, Maria; et Agatha. Quæ itaque u triusque hereditatis portio ex testatorum voluntate ad Theresiæ, et Josephi filios pervenit, inter eos quadrifariam dividi debuit, ita ut binæ, e quatuor illius partibus Mariæ, et Agathæ addicendæ fuerint.

2 Transeundum nunc ad intestatas Theresiæ, Laurentii, et Caroli hereditates. Obiit intestata Theresia die 28 Junii 1811: Vigebant tum Gallicæ leges, ac in Gallici Codicis art. 745 statutum fuerat quod = *i figliuoli, e loro discendenti succedono al loro Padre, Madre, Avo, Avola, o altri ascendenti senza distinzione di sesso, e di primogenitura, e quantunque nati fossero da diversi matrimoni* = Nondum tunc e vita excesserat Laurentius, cum ipse, ut superius dictum fuit, ad plures migraverit die 19 Octobris ejusdem anni 1811. Omnes igitur Theresiæ quinque filii in ejus hereditate successerunt; quapropter, divisa hac hereditate in partes quinque, duæ ex hisce Mariæ, et Agathæ obvenerunt. Ad hereditatem dein Laurentii, quod spectat, diribi, et hæc debuit juxta sanctionem Codicis Gallici art. 751 præscribentis = *Se il Padre, o la Madre del defonto senza posterità sono rimasti superstiti, i suoi fratelli, sorelle, o i loro rappresentanti sono chiamati alla sola metà della successione, se il Padre solamente, o la Madre è sopravissuto, succedono quelli nei tre quarti della Eredità* = Superstites ideo Laurentio cum fuerint ejus pater tantum Joseph, ac bini ejus fratres Johannes Maria, ac Carolus, binæque sorores Maria, et Agatha, quadrans per consequens ejus hereditatis Josepho obtigit, et duæ e quatuor reliqui illius dodrantis partibus ad Mariam, et Agatham devenere.

3 Quo demum ad hereditatem Caroli, constat hunc vita functum fuisse die 30 Aprilis anni 1821, ac Gallicis abrogatis legibus de successione ad hanc hereditatem judicium esse ferendum ex notissima *Nov.* 18 *cap.* 2 3, *et authentic. defuncto Cod. ad Senatus Consultum Tertullianum* jubente quod = *defuncto sine liberis filio, si cum parentibus fratres, et sorores utrinque defuncto conjuncti supersint, vocantur cum adscendentibus gradu proximis ita, ut viriles portiones fiant exclusa prorsus omni differentia sexus, et patriæ potestatis* =; atque ex notissimo Motu proprio diei 6 Julii 1816, qui Romanas corrigens leges in art. 106 constituit quod = *nelle eredità dei collaterali maschi le femmine coi loro figli, e discendenti dell'uno, e dell'altro sesso, quantunque in eguale, o più prossimo grado saranno escluse dai maschi agnati congiunti col defonto fino al quarto grado della computazione Civile inclusivamente* = Hinc itaque superstitibus ipsi extantibus Josepho parente, unoque masculo fratre Johanne Maria, exclusis ad tramites Motus proprii a successione in ejus hereditate sororibus Agatha, et Maria hanc pro virili assequuti fuerunt prædicti Joseph, et Johannes Maria, et ejus semissis ad Josephum pertinet.

Adeo evidenter hæc omnia demonstrant justitiam definitionis S. Tribunalis quoad prædictarum omnium hæreditatum delationem *in genere*, de quo nunc agitur, cum suo loco, et tempore videndum sit quid in singulis comprehendatur, ut ne ipsi quidem Johannis Mariæ defensores eam in discrimen adducere audeant. Nec minus Juri consona est altera definitionis pars, qua fructus earumdem hereditatum a die apertæ earum successionis eis adducuntur, ad quos spectant, præscripta horum liquidatione ad rationem semissem. Fructus siquidem sunt bonorum accessiones per tradita a Rota passim; presertim in *Firmana Primogeniture super Immissione in specie quoad Fructus* 12 *Maii* 1784 § 2 *coram Azedo, in Setina Immissionis super fructibus* 5 *Julii* 1784 § *fin. coram Lancellotto, et in Beneventana quoad vineam super fructibus* 4 *Junii* 1791 § 2 *cor. Acciajuoli*. Quamobrem cui dominium bonorum competit, huic fructus quoque competere certum est, ideoque ei sunt una cum 4

bonis restituendi per *Rot.* in *Firmana Primogeniturae super immissione in specie quoad reservata super fructibus* 9 *Maii* 1784 § *final coram Azedo*, in *alia citat. Firmana Primogeniturae super immissione in specie quoad fructus* 12 *Maii* 1784 § 2 *coram Eodem*, *et* in *Urbevetana Nullitatis Transactionis quoad fructus* 13 *Maii* 1791 § 10 *coram Strasoldo*. Cum vero in judicio versemur petitionis hereditatis, notissimum est, fructuum restitutionem fieri debere a die apertarum successionum, sicuti semper tenuit S. N. Ordo, præcipue in *Firmana Successionis* 19 *Junii* 1741 § *Fundamentum coram de Vais*, *et* in *Viterbien. Successionis quoad bona extra Territorium Viterbii super* non *resolutis* 21 *Martii* 1791 § 10 *coram Soderino*, et advertit præcedens Decisio § 9.

5 Hanc fructus restitutionem, ut excludat Johannes Maria, contendit primum nullos deberi fructus, ob naturam rerum, quibus prædictæ constant hereditates, mercibus, nempe, pecuniis, ac nominibus debitorum, quæ omnia infrugifera sunt. Perperam vero: nam, etsi pecuniæ, credita, et merces nullos ex propria indole valeant gignere fructus, longe aliter se res habet, cum in lucrosam immittantur negociationem, quo in casu fructus ex iis condicere licet, uti quoad pecunias post *text.* in *Leg. Usura* 121 *ff de verborum significant.* docent *Gall. de fructibus disp.* 4 *art.* 1 *num.* 22 *Mans. Consult.* 102 *num.* 5 *tom.* 2, *Zanch, de Societate part.* 1 *Cap.* 3 *num.* 11, *et sequ.*, *Rot. Dec.* 140 *num.* 3 *part.* 17 *Recen.*, *et* in *Fulginaten. Pecuniaria* 9 *Februarii* 1759 § 8 *coram Paraccian.*, et quoad merces tradunt *Magon. Dec. Lucen.* 1 *num.* 36 *Zanch. de Societate part.* 1, *Cap.* 3 *num.* 117 *et sequ.* Quare constans in Foro est quod, si de mercatoria taberna res sit, quæ procul dubio mercibus, pecuniis, creditisque constant, quibus universum quoddam veluti corpus conficitur, ea frugifera semper habeatur per *Rot.* in *Dec.* 712 *num.* 3 4 *coram Riminaldo*, *et Dec.* 116 *num.* 25 *coram Herzan*. Indubium autem est, omnes prædictas hereditates, nulla excepta, commixtas fuisse in una mercatoria taberna Tritonia, quæ usque adhuc communis, et indivisa permansit, et in commune commodum exercita, et administrata, communem idcirco fructum reddidit, cujus participes esse ii debent, ad quos, eæ pertinent hereditates.

Quin obiici rite possit adversus hæc, 6
Decisio S. N. Ordinis in *Romana Fructuum, damnorum, et interesse a me edita die* 6 *Maii* 1822, qua fratribus Petrarca repetentibus a Maggiis fructus pecuniarum, et mercium in eadem, de qua agitur, mercatoriu taberna Tritonia extantium, et ad ipsos pertinentium, fuerunt hi fructus denegati; et enim in illius Decisionis themate actionem prædictorum fratrum plura removebant; præsertim *quod* tabernæ, stylia, et Avviamentum fuerant ab Johanne Carolo Tritonio, ejusque Uxore Antonia Cerruti relicta Theresiæ, ejusque filiis, ita ut super iis = *nulla possino pretendere li figli della defonta Marianna* =; *quod* etiam Johannes Maria tabernam administraverat, suaque industria negociationem exercueral, qua administrator, in sui, ac fratris Caroli sororumque commodum, nec unquam in eam iidem Petrarca sese ingesserant: *quod* demum sequestrum adversus eas indictum a Doctore Phisico del Monaco, eorum creditore, super parte mercium, ac pecuniarum, et nominum in dicta taberna existentium, ad ipsos spectante, impedimento fuerat Administratori, quin hisce in negociatione uteretur. Nil mirum itaque, si infrugiferæ pro Petrarca dictæ fuerunt merces, ac pecuniæ, quas reliquerant in mercatoria taberna, cujus avviamentum, et stylia spectabant ad Maggios, et in qua pro hisce industria sua Johannes Maria, uti horum Administrator, negociationem exercebat, quasve pecunias, mercesque intactas præterea servare debebat in vim prædicti sequestri Nil pariter mirum, quod frugiferas præsenti in casu pro Josepho, sororibusque Maggiis S. Tribunal edixerit merces, pecunias, ac nomina, quæ constituunt portiones hereditatum ipsis obventarum; cum hæc omnia in Merca-

toria Tritonia taberna existant, cujus stylia, et avviamentum in his hereditatibus comprehenduntur, et in qua negociatio exercita fuit, administratorio nomine, ab Johanne Maria in commune. commodum.

7 Inaniter etiam proponit Johannes Maria, nullos deberi parenti, sororibusque mercatoriæ tabernæ fructus, tum quia maxima eorum pars ad ipsum spectet, qui sua industria negociationem in ea taberna exercens, solus merces, pecuniasve in ea existentes frugiferas fecit, et jus habeat ad mercedem suorum laborum obtinendam, tum etiam quia sorores alimenta ex ea taberna habuerunt. Quo enim ad primum, si ipse negociatoriæ tabernæ præfuit, id egit in commune commodum, non pro se ipso tantum, atque ab ea omnimodam exhibitionem assequutus fuit, ex quo, nec sibi negociationis fructus asserere potest, nec suorum operum salarium petere; quod præterea non debetur, nisi fuerit conventum, uti, innumeris relatis auctoritatibus Doctorum, ac Tribunalium docet *Zacchia de Salario quæst,* 102 *num.* 1, *cui consonat Decis.* 66 *post Eumdem num.* 12, eoque magis, cum agatur de eo, qui suam pro consanguineis operam præstitit, cui salarium haud deberi, quamvis adesset consuetudo, quod illud non conventum etiam peti posset, tradit idem *Zacchia cit. quæst.* 102 *num.* 22. In qualibet vero falsissima hypothesi sua jura quoad hanc prætensam mercedem deducere poterit praedictus Johannes Maria, dum gestae administrationis rationes exponet. Ad alterum vero quod spectat, alimenta nempe ab ejus Sororibus a praedicta mercatoria taberna percepta, haec ipsis non adimunt jus ad ejus fructus, ex negociatione obventos pro rata ipsis competente, sed erunt haec alimenta in fructuum praedictorum liquidationo supputanda.

8 Cum constet ex hisce hereditariarum portionum ad Josephum, Mariam, et Agatham pertinentium fructus hisce deberi, ac pariter constet hasce hereditatum portiones constitui ex respondenti eis parte illius mercatoriae tabernae, ac negociationis in illa exercitae, merito horum fructuum liquidationem Domini perficiendam esse ipsorum favore statuere ad rationem semissem, quia de mercatoria agitur in Urbe taberna, inter alias florentissima, dum ejus administrationem suscepit Johannes Maria, ex qua fructus ampliores etiam provenisse tenendum est, ad firmata per *Rotam in Dec.* 712 *num.* 3 4 *cor. Riminaldo, et dec.* 116 *num.* 25 *cor. Herzan,* sicuti animadvertit Decisio superior, quae confirmatur § 10, ac mandatum idcirco, praeter immissionem ad hereditarias quotas, ipsis pro summa, ex hac liquidatione eruenda tribuerunt.

Atque ita cum Universae Aulae Suffragio, praecedenti Decisioni confirmationis robur adjectum fuit Utraque etc.

ROMANA USUSFRUCTUS

Veneris 6 *Februarii* 1824.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. Pater et avus, super bonis adventitiis filiorum et nepotum, quos in potestate habent gauden, usufructu.
2. Idem jus competit patri, super lucra dotali.
3. Super adventitiis, patri nedum ususfructus sed gestio et administratio competit.

DECISIO CCIII.

Quæsitum fuit in novissimis Comitiis diei 4 hujus mensis quo jure, et pro quibus partibus tribuenda esset successio Josepho Maggio, ejusque filiis Joanni Mariæ, Agathæ, et Mariæ in hæreditatibus Joannis Caroli Tritonio, ejusque Uxoris Cerrutæ, nec non Theresiæ Conjugis prædīti Josephi Maggii, Laurentii, et Caroli horum filiorum. Quæsitum pariter seorsim, quomodo dividendum esset inter præfatum Josephum, Filiosque Legatum suppellectilis, ac Prælegatum sc. *termille,* quod

Avus Joannes Carolus Tritonius favore Theresiæ scripserat in Codicillo, testibus duabus ad eam diem a me editis Decisionibus *Romana Successionis*, *et Romana Prælegati*. Quærendum erat hoc mane, quoad usumfructum patri debitum super bonis filiorum « *An*, *super quibus bonis, a quo tempore, et pro qua parte debeatur ususfructus ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.*, » et jugiter latitante Joanne Maria, Patres responderunt secundum vota Josephi Maggii informantis una cum Sororibus Maria, et Agatha, nempe « *Affirmative et usumfructum deberi a die obitus Antoniæ Cerruti super universa hæreditate Theresiæ, super lucro dotali, et super prælegato quoad tres ex quinque portionibus obventas Joanni Mariæ, Agathæ, et Mariæ juxta modum in Decisione exprimendum, et esse relaxandum mandatum pro summa liquidanda* ».

1 Textum siquidem habemus apertissimum in *Leg. Cum oportet Cod. de bonis, quæ liberis etc.*, qua sancitum prostat, usumfructum ex adventitio filiorum peculio patri, vel avo, sub quorum potestate vivant, omnino esse addicendum. Actionem itaque in genere, qua Joseph usumfructum in bonis filiorum petebat, Legum præscriptis apte convenire indubium erat. Quod autem attinet ad præcipua bona, super quibus tale jus a Patre esset exercendum, ultro excipiebat Joseph tum ea, quæ ab aliquo Parentum ea conditione relicta essent, ne ad patrem perveniat ususfructus, tum etiam illa, ad quæ Pater ipse una cum filiis hæreditario jure admissus fuisset. Quibus regulæ limitationibus innixus, nil se petere profitebatur super hæreditatibus Laurentii, et Caroli filiorum suorum, quibus ille successerat una cum horum fratribus: nil pariter super hæreditate Antoniæ Cerrutæ, utpote quæ universum patrimonium suum donaverit nepotibus, ea adjecta lege, ne eorum ususfructus, et administratio unquam Josepho quæreretur: nil demum super hæreditate Joannis Caroli Tritonii, qui amplissimam Antoniæ fecerat potestatem de sua hæreditate pro lubitu disponendi, qua utens Antonia eam quoque nepotibus donaverat.

Ad unam itaque hæreditatem Theresiæ uxoris suæ intentionem cohibeat quæ ideo Patribus probata fuit pro tribus ex quinque partibus obventis scilicet Joanni Mariæ, atque Agathæ, quia patula erat mox memoratæ Legis dispositio, quæ Patri usumfructum in peculio adventitio filiorum concedit. Haud absimili ratione, ac modo metiendum esse usumfructum, ac Josepho tribuendum censuerunt quoad lucrum dotale, ex peculiari stipulatione tabulis adjecta, qua convenerat restituendam dotem suo tempore, et loco esse « *coll'accrescimento*, o *colla detrazione del quarto dotale da superlucrarsi scambievolmente dall'una*, o *l'altra parte a norma dello Statuto di Roma* » Atqui ea Municipali Lege, dum obtinuit, sancitum erat superstiti Conjugi dotale lucrum quæri in proprietate quidem, nullis ex Matrimonio susceptis filiis, in usufructu vero, adnata, ac sospite ex eo prole. Tandem in tribus pariter ex quinque partibus, exclusis nempe iis, quæ Laurentio, et Carolo obvenerant, idem jus Josepho addicendum erat super prælegatis, tum domesticæ supellectilis, tum scutorum *trium millium*; quibus Theresiam auxit ejus pater Joannes Carolus Tritonius, quæque prælegata ad quinque superstites Theresiæ filios æquo jure migraverant. Quia vero cum obiit Antonia Cerruta Tritonii Uxor, atque hæres, tunc dies venit, qua dos, et prælegata persolvi Theresiæ, sivo illius hæredibus debebant, hinc ab ea die cœpit Joseph jus utendi fruendi portionibus suis filii obventis. 2

Cæterum ad patrem nedum ususfructus in bonis adventitiis filiorum; sed jus quoque gestionis, seu administrationis circa eadem pertinere indubium erat ex *Text. in Leg. cum oportet* § *dominium autem Cod. de bonis, quæ lib. Leg. Si infant. Cod. de jur. delib.* § 1 *Instit. per quas personas cuique acquir.*, *et Rota in decis.* 207 *num.* 10 *coram Buratto, et decis.* 411 *num.* 7 *p.* 16 *Recent.* quapropter gestionem bonorum, quibus uti frui 3

debeat, Josepho credendam esse Patres arbitrati sunt. Præter hoc aliud quoque, per modum responso adjectum hic exprimi voluerunt; nempe usumfructum, de quo res est, metiendum esse ad rationem semissem; cum enim constaret Theresiæ hæreditatem, et prælegatum scutorum *termillium* haud exiguam constituere partem mercatoriæ tabernæ, quam olim Joannes Carolus Tritonius exercuit, quæque inter Urbis florentissimas merito recensebatur, immissa ea cspita inibi fructum semissem commode reddere plusquam verosimile erat, ceu alias dictum fuit in *Decis.* 116 *n.* 13 *coram Herzan.*

Atque ita Omnibus suffragantibus Dominis etc. Altera tantum etc.

ROMANA USUSFRUCTUS

Lunae 22 *Martii* 1824.

ARGUMENTUM

Si conjugi superstiti, ususfructus omnium bonorum relictus in testamento fuerit, juxta Bulgari doctrinam, hic ususfructus resolvitur in legatum alimentorum, si extent filii superstites. Conticescit tamen praedicta doctrina, si testator, vel expresse formalem usumfructum reliquerit, vel adhibitus fuerit institutionis titulus, vel ubi aliae conjecturae id suadeant.

SUMMARIUM

1. Ex Bulgari theorica, universum bonorum usumfructum superstiti conjugi relictum, extantibus filiis, in pura alimenta resolvitur.

Verum id non obtinet, ubi parens in testamento, filiis satis abundeque providerit - ib. -

2. Conticescit itidem praedicta theorica, si aperte patet, conjugem alteri conjugi, relinquere voluisse formalem usumfructum.

3. Ubi adhibitus fuit institutionis titulus, atque verbis amplissimis usus fuit testator, praesumi nequit quod simplex relinquere voluerit alimentorum legatum.

4. Alimentaria praestatio, creditorum actioni haud subjacet.

5. Usufructu una simul cum proprietate coalescente, mutui crediti, et debiti confunduntur actiones.

6. Paritas rationis non patitur, ut ii, quibus communis ususfructus relictus est, diversa lege judicentur.

7. Conjecturae enumerantur, ex quibus argui licet, num simplex alimentorum legatum, ael ususfructus formalis relictus est.

8. Quoties de institutione in usufructu dispositive, de alimentis vero causative mentio fit, formalis usufructus relictus intelligitur.

9. Lex aedictalis cod. de sec. nupt., statuit, quod si quid a parente binubo, plusquam juris est, superstiti conjugi relictum, tamquam non scriptum habeatur.

Ususfructus relictus sexagenario, ex juris praesumptione, non excedit quinquennium - ibidem. -

10. Ubi alter in usufructu, alter in proprietate institutus fuit, institutus in proprietate non concurrit in usufructu.

11. Testamentum non potest redargui de nullitate ope simplicis exceptionis.

Tabernae stylia, post octo supra decem annorum spatium, praesumuntur consumpta - ibidem. -

12. Qui rem haereditariam reposuit, antequam conficeretur inventarium, a quovis dolo et culpa expers est.

DECISIO CCIV.

Catharina Cassinelli, ex Urbe Januæ, orbata viro Cæsare Ginochio, ex quo unicam Filiam Mariam Barbaram susceperat, cum ad substinendam defuncti Viri pastillorum negociationem sese imparem cognosceret, opesque deficerent, providentissimo Consilio ut necessaria subsidia virilemque industriam sibi comparsret, cum Josepho Marè, viro nedum navo, et industrio cum primis, sed etiam rei familiaris copiis satis locuplete, quamvis aliquo ære alieno implicitus esset, societatem coivit. Ex quotidiana vitæ consuetudine, ut plurimum fit, amor cum sensim irrepserit, brevi fida societas artiori connubii vinculo perstricta fuit. Attamen cum negociatio haud satis prospere Januæ procederet, haud multo post Conjuges Marè Patriæ pertesi, Majores quæstus sibi comparandi causa Romam lares suos transferre statuerunt. Hoc Consilium tam prospera fortuna secuta est, ut expectationem vicerit eventus. Ipsi enim cum primi ex Januensibus pastillorum fabricationem, *- ad uso di Ge-*

nova = in Urbem invexerint, duabus Tabernis, altera ad Templum Agrippæ, vulgo = *a Piazza della Rotonda* = altera ad Marcelli Theatrum, vulgo = *a Piazza Montanara* = instructis, antequam emulatio concursum excitaret haud exiguas cumularunt divitias. Quo circa rebus summopere florentibus, occasione Matrimonii, quod Maria Barbara cum Joanne Baptista Fontanarosa iniit, tum Mater, tum Vitricus una simul ei dotem, quam Pater Cæsar Ginocchio in scutis 1115 in suo Testamento constituerat, usque ad scuta 3500 extulerunt, expressa tamen adiecta lege, ut scuta tantum 5000 statim numerarentur, reliqua vero scuta 3000 quincuncibus interea depactis usuris, ad dotantium libitum persolvenda essent = *Di modo tale che il pagamento di essi anche possa prolungarsi fino alla morte dei medesimi* =.

At Casinellia anno 1822 cum extremum sibi diem impendere præsenserit, tabulas suas obsignavit, quibus, uti optimam Mater familias, tum Viri, tum Filiæ æque amantissimam, docebat, bonis suis legem dixit. In proprietate si quidem omnium bonorum Mariam Barbaram Filiam ex priori Conjugio susceptam hæredem scripsit. Hæredem vero in universali omnium bonorum usufructu amplissimis verbis Josephum Marè virum suum dilectissimum, concredito ei vicissim onere administrationis hæreditariæ substantiæ instituit, excepto tamen usufructu Tabernæ optime uti erat instructæ ad Marcelli Theatrum positæ, qua uti frui voluit ipsam hæredem proprietariam una cum ejus Viro Fontanarosa, a quibus eadem exercebatur, loco fructuum dotis, qui in Noptiali Instrumento ei promissi fuerant. Verumtamen, ut fallax est hominum providentia, hoc tam æqum, quod quisque sanctum fore putasset suæ voluntatis arbitrium, præbuit acerrimæ litis argumentum. Vix enim tabulæ Testamentariæ apertæ sunt, conjuges Fontanarosa non puduit audaciter contendere universum usumfructum filiis extantibus superstiti Conjugi relictum juxta notissimam Bulgari Theoricam ad sola alimenta cohiberi. Cujus propositi cum adeo tenaces ii cessent, ut vitari nequirent litis ambages, ultro Joseph Marè coram A. C. Triumviris eis diem dixit, instans = *che senza pregiudizio di qualunque ragione all'Istante competente sulla separazione dei Capitali di suo dominio, e pertinenza venga dichiarato,, che l'usufrutto della Casa, e Fabrica di Paste esistente nella Piazza della Rotonda, non che di tutti i mobili, ed Argenti spetta intieramente all'Istante a forma del Testamento della fu Caterina Casinelli* =. Verum illud vix credibile accidit, quod adversam ejus votis A. C. Juridici tulerunt sententiam, quæ imperavit, ut ipse dimisso usufructu, menstruæ præstationi Scutorum decem acquiesceret. Provocavit vero ulla absque mora Josephus, et provocasse juvit. Nam Causæ ad Sacrum Nostrum Auditorium cognitione delata, cum hoc mane dubium proposuerim « *An, quomodo, et in qua summa, et super quibus bonis debeatur ususfructus in causa etc.* Conjugibus Fontanarosa non contradicentibus, responsum accepi « *Pro informante* » Josepho Marè Scilicet « *Affirmative, et usumfructum deberi super omnibus bonis hæreditariis, excepta Taberna ad Theatrum Marcelli* ».

Et Consultissime sane Conjuges Fontanarosa indictum certamen refugerunt, 1
cujus ex tum plane sibi adversum certo verebantur. Aperta siquidem ita est Catharinæ voluntas, quæ ex supremis ejus tabulis constat, ut dubitari non possit, qui Joseph Merè ejus Vir dilectissimus in universa hæreditate, excepta Taberna ad Marcelli Theatrum posita, hæres usufructuarius fuerit institutus. Cum itaque exploratissimum in jure sit, integra esse servanda quæcumque, prodeunt ex defunctorum arbitrio, ac justa esse debere, uti quisque de re sua disposuit, necessario consequitur, quod Joseph donec vivat, non autem Barbara, hæreditatis, quam Casinellia reliqoit fructibus potiri debeat, quin huc traduci possit Bulgari doctrina in consuetudinem prolapsa, qua vulgo receptum est, universum bonorum usumfructum extantibus filiis,

superstiti Conjugi relictum in pura alimenta resolvi. Non enim ea Theorica locum sibi vindicare potest in themate. Ex præsumptione siquidem, quod naturæ repugnans, et a parentum pietate alienum sit, ut quisquam Conjugis causa, filios miseriis sordescere atque fame perire voluerit, obtinet illa tantum, quoties quis in Conjugem superstitem universum usumfructum contulerit, filios vero præterierit, nullamque de iis mentionem fecerit. Verum in casu, quo versamur, res aliter atque aliter se habet. Catherina enim haud filiam præteriit, sed summa quinimmo utens erga eam liberalitate fructus omnes ei addixit pastillorum Tabernæ ad Marcelli Theatrum, quæ opportunissimo ad commeatus in loco sita, maximum compendium reddere solet. Cum igitur filiæ necessitatibus satis abunde consultum fuerit, cessat ratio, ob quam æqua visa fuit, plausumque promeruit Bulgari consuetudo, ut passim docent *Menoch. de præsumpt. lib.* 4. *Præsumpt.* 139 *n.* 4 *Andreol. controv.* 71 *n.* 6 *Rocc. disput. Jur. selert. cap.* 31 *n.* 10 *Calder. Res. n.* 14 *P.* 1 *Rota in Faventina seu Ferrarien usufructus* 18 *Aprilis* 1755 § 8 *cor. Figuerra, et in Forolivien. Manutentionis* 8 *Junii* 1792 § 14 *cor. Malvasia.*

2 Satis superque id unum esset, ut, quamvis ambigendi ratione sublata, extranea comperiretur omnino Bulgari doctrina. Verum et si missum id fieret, haud tamen rectius conjuges Fontanarosa præsidium ab ea mutuarentur. Nam, quoniam in hujusmodi dirimendis quæstionibus omne fert punctum conjecturata Testatoris voluntas, qui non censetur voluisse in grave præjudicium filiorum omnium bonorum, superstiti Conjugi usumfructuum relinquere, ita, si aliæ urgentiores concurrant conjecturæ, quæ suadeant certam fuisse Testantis Sententiam, ut Conjux superstes, non pura alimenta, sed formalem ususfructum consequatur, tum prorsus conticescat eadem consuetudo necesse est, ut ab ullo procul contradictore communiter docent *Merlin. controv. Cent.* 2 *cap.* 3 *num.* 7 *molegna altera Leg.* 87 *n.* 7 *Gall. de Except.* § 2. *except.* 61 *num.* 32 *Cyriac. controv.* 52 *num.* 8 *Rodolfi Alleg.* 146 n. 2 *Rot. Decis.* 145 *n.* 20 *cor. Octobon. Decis.* 1320 n. 6 *cor. Pernia; decis.* 310 *n.* 2 *cor. Cerro decis.* 1813 *n* 12 *cor. Coccino, et in Faventina, seu Ferrarien. Usufructus* 18 *Aprilis* 1795 § 5 *coram Figueroa.* At sedulo qua late patet perlustrata Catharinæ dispositione, nec anceps, nec dubia, sed mitissima undique ejus mens apparuit Josephi voti conformis; adeo ut nefas pene sit dubitare, quin ei verum, et formalem usumfructum, haud vero alimentorum legatum relinquere voluerit.

Reque vera primo oculi ictu momentosissima statim urgent verba, quæ testatrix in suo Testamento adhibuit. Non enim persolam, aridamque legati speciem usumfructuum omnium bonorum superstiti viro reliquit, sed amplissima adhibuit verba, honorificentissimoque usa est institutionis titulo. Legisse sat est « *In tutti, e singoli miei beni stabili, mobili, e semoventi; crediti, azioni, e ragioni presenti, e future ovunque poste, ed esistenti, erede usufruttuario vita naturale durante, istituisco, e nomino il mio dilettissimo Consorte Giuseppe Marè* » ut illico pateat apertissime penitus adversari Catharinæ voluntati, quæ non irrito, inutilique consilio æstimanda est, effreno eo sermone abbundasse, si quis germanum verborum sensum a naturali significatione divertens, Josepum alimentorum tantum legatarium esse arbitraretur, scite igitur Bulgari sententia constanter limitationem passa est, quoties amplissima occurruntur verba, quæ omnia bona, universamque hæreditatem complectantur, ut tradunt *Decius cons.* 454 *n.* 4 *Gratian. discept.* 7 n. 59 *Andreol. controv.* 71 *n.* 1 *Rot. decis.* 502 *n.* 2. *Par.* 14 *recen. Decis.* 5 *num.* 1 *de usufruct. cor. Falconer.* Potissime vero si etiam validior accedat institutionis titulus, ut monent *Natt. cons.* 297 *n.* 1 *lib.* 2 *Gratian. discep. for.* 70 *n.* 51 *Castil. de usufruct. lib.* 1 *Cap.* 45 *n.* 9. *Mantic. de tacit. lib.* 9 *Tit.* 7 *De Luc., de servit. disp.* 50 2 8 *Rot. Decis.* 385 *n.* 16 *cor. Crisp. et in Ci-* 3

vitatis Castelli hæreditatis super immissione quoad fructus 14 *Decemb.* 1807 § 5 *cor. Emo Cœsarei.*

4 Perspicua sane hæc sunt, sed majori etiam luce donantur, reliqua si expendantur Testamenti verba, quæ immediate sequuntur « *E tale istituzione, calcolati i pesi per la condotta del negozio, e tutt'altro, lo faccio a titolo, e luogo di alimenti, con espressa dichiarazione, che niun creditore possa falcidiarlo, e percuotere detti miei beni* » Duo enim hinc profluunt, alterum altero gravius argumenta, quæ concurrunt amice, ut magis magisque Bulgari opinionem a themate excludant. Primum profluit ex eo, quod non gratuito, sed ea sub lege, ut administrationis onus, mercaturæque exercitium susciperet, Casinellia Virum usufructu donavit. Nam cum hujusce indicti oneris gravitas legatario alimentorum non conveniat, fateamur idcirco oportet, Casinellium, semel ac eo onere voluit virum prægravatum, de vero, et formali usufructu cogitasse ex perpensis per *Pichum in leg. Titia ff. de legat.* 2 *Castren. Cons.* 71 *n.* 177 *Soccin. jur. cons.* 85 *n.* 15 *Surd, de aliment. quæst.* 9 *n.* 2. Secundo vero argumento viam sternit sollicita Casinelliæ providentia, ne Creditores, quibus dilectissimus Vir maxime præmebatur quidquam possent in perniciem usufructus moliri. Anxiæ ei sollicitudini nullus profecto locus fuisset, si, ut fingitur, ususfructus in legatum alimentorum converteretur; haud enim alimentaria præstatio Creditorum actioni subjacet, uti animadvertit *Surd. de aliment. quæst.* 33 *n.* 35., *et Rota in recen. decis.* 145 *n.* 23 *Par.* 16 *Decis.* 307 *n.* 13 *Par.* 18 *Decis.* 241 *n.* 11 *Par.* 19 Cum igitur evidentissime liqueat haud aliam esse potuisse causam illius testatricis interdictionis, nisi quia ipsa, verum omnium bonorum usumfructuarium esse virum suum præoptaverit, aut aperta fraus facienda est Casinelliæ voluntati, aut necessario fatendum, stultitiæ fere proximum esse contendere, ut ususfructus in simplex alimentorum legatum convertatur.

5 Manifestæ hujus voluntatis nec majora desunt argumenta, si ea testamenti pars inspiciatur, qua Catherina animo perpendens; quod in nuptiali Mariæ Barbaræ Instrumento pro dote, quæ solvenda in scutis 3000 supererat « *furono accordati i frutti compensativi al* 5 *per* 100 *da protrarsi l' estinzione del Capitale anche dopo la morte dei dotanti* » ut tranquillitati Viri, unaque simul filiæ indemnitati consuleret, solemniter jussit « *che l'usufrutto della Maccaroneria a Piazza Montanara amministrata dai Conjugi Fontanarosa, sia in luogo dei detti frutti compensativi, e per conseguenza nulla possino pretendere per tal titolo* ». Hæc porro sollicitudo de dotalibus usuris, quæ necessario præsefert prohibitionem, ne filia dotale caput ante Vitrici funus condiceret, nil porro desiderandum reliquit, ut manifestum cuique sit alte fuisse in Casinelliæ animo fixum, ut Maria Barbara, quoad Vitricus in humanis ageret, cæterorum bonorum usufructu, excepta Taberna ad Marcelli Theatrum, careret. Alias enim si ususfructus Josepho relictus, ut perperam sibi blandiuntur Conjuges Fontanarosa ad alimentariam tantum præstationem cobiberetur, jam illico de ea dispositione actum esset, quæ fructus quaestuosissimæ Tabernæ usurarum dotalium loco assignavit. Usufructu siquidem una simul cum proprietate coalescente, mutui crediti, et debiti confusis actionibus, amplius fieri nequiret, ut pro dote, ejusque fructibus condicendis Conjugibus Fontanarosa jus reliquum foret. Verum conjecturis, et argumentis opus non erat ut statueretur Mariam Barbaram, vivente Vitrico, dotem repetere non posse, cum explicite Casinellia ratum, probatumque in suo elogio habuerit dotale Instrumentum, quo haud secus ipsa Vitricusque Mariæ Barbaræ dotem a Patre in scutis 1115 constitutam, ad scuta 3500 auxerunt, nisi adjecta explicita conditione, « *che il pagamento di essi possa prolungarsi fino alla lor morte* ». Si igitur ad tramites earum tabularum jus ususfructus Josepho Marè quæsitum fuisse, dubitare non licet, si Ca-

sinellia firma, ac stabilis in proposito, ut Vir omnium bonorum, quæ reliquerat fructus perciperet, sollicite dotalibus usuris consuluit, nec inextricabilem oriri contradictionem contingat, credere necesse est, ejus mentem, voluntatemque fuisse, ut Vir non alimenta, sed formalem usumfructum consequeretur.

6 Ne tamen plura. Ipsa quippe sola simultanea, *tum* Viri *tum* Filiæ in usufructu conjunctio vehementissimum aliud præbet argumentum excludens omnino quamcumque ejus restrictionem ad alimenta. Reque vera, si Casinellia suam hæreditatem promiscue a Viro utendam fruendam una cum filia reliquit, quomodo ambigendum non est, quin ipsa verum filiæ contulerit, ejus usumfructum, ita nec est dubitandum quin de vero usufructu senserit etiam quoad Virum. Paritas etiam rationis non patitur, ut ii, quibus communis ususfructus relictus est, diversa lege judicentur, meritoque hisce in terminis nullum aditum patere posse Bulgari Theoricæ uno ore constanter tradunt *Rocc. disp. Jur. Cap.* 31 *n.* 6., *Paulut. disc.* 6 *n.* 9 *De Luca de legat. disc.* 39 n. 4, *Andreol. controv.* 75 *n.* 10 *Gratian. discept.* 70 *n.* 48. *Rota decis.* 1813 *cor. Coccino, et in Faventina, seu Ferrarien. usufructus* 18 *Aprilis* 1755 *Par.* 6 *cor. Figueroa.* Quin imo mente sane concipi non posset, quo pacto ususfructus Conjugibus Fontanarosa relictus taxative ad Tabernam ad Marcelli Theatrum cohibitus reliqua etiam bona complecti valeret. Quo circa eo magis perspicua evidensque fit Testatricis voluntas filiæ tribuendi, quod ei satis fore putavit, et conferendi titulo universali in proprium Virum id omne quod superest.

7 Cum igitur omnia, quot pene sunt Testamenti verba, totidem firmissima præbeant veri, et formalis ususfructus indicia, aliæ profecto ex tacita præsumptaque Casinelliæ voluntate quærendæ non essent conjecturæ, quibus magis magisque verum usumfructum, non autem alimenta Josepho competere dignosceretur. Verum, si conjecturæ desiderarentur, plures quidem, et urgentissimæ præsto essent, quæ rem ad ipsum extollerent evidentiæ fastigium. Siquidem de usufructu agitur ab Uxore suo Viro dilectissimo relicto, qui jam sexaginta annos natus ad id Ætatis pervenerat, qua, cum pene mors impendere videatur, liberalitas effusior esse solet; De usufructu agitur Viro relicto, qui sua præcipua industria, suo consilio, suisque opibus, nedum ipsius inopiam sublevaverat, sed etiam effecerat, ut exilis census Cæsaris Giuocchio ad florentissimum Statum pervenerit; De usufructu demum agitur Viro relicto, qui, cum Creditoribus undique præmeretur, si usumfructum amitteret, egentissimus fieret. Hisque sane perpensis, quod Casinellia dilectissimum Virum tam bene de se, deque filia sua meritum, dejicere a fruitione bonorum, quæ ab eo acquisita certo cognoscebat, eique tantum necesseria, ut vilissimo famulo, vitæ subsidia tribuere voluerit; id incredibile, absurdum atque omni æquitati, omnique pudori quam maxime repugnans, nemo non dixerit. Potissime vero, cum profuse satis filiæ, *tum* institutione in universa Assis hæreditarii proprietate, *tum* legato ususfructus instructissimæ, quæstuosissimæque pastillorum Officinæ consuluisset.

In tanta igitur Casinelliæ voluntatis 8 perspecuitatis rationumque copia affatim probantium, quid testatrix disponere voluerit, apertum reddebatur omnino jure, meritoque definitum fuisse, verum, et formalem usumfructum super omnibus bonis hæreditariis prædefunctæ Uxoris excepta Taberna ad Marcelli Theatrum Josepho addicendum esse. Perperam vero ut horum omnium vim declinarent, conjuges Fontanarosa ad ea verba confugerent, quibus Catharina usumfructum Viro suo tribuere declaravit « *in titolo, e luogo di alimenti, giacchè la mia volontà precisa è, che ei non debba mancare dei necessarj alimenti* ». Ut inde conficerent specie tantum usumfructum, sed re sola alimenta Josepho relicta fuisse. Nil porro ineptius quam tria illa verba in triumphum adducere; nil absurdius,

quam iisdem abuti ad cæteras delendas Testamenti partes. Reque vera si ea copulate, ut decet nedum cum iis, quæ sepuuntur « *Con espressa dichiarazione, che niun creditore possa falcidiarlo, e percuotere i miei beni* «. Sed etiam cum universo contextu accipiantur, statim compertissimum fiet, mentionem illam alimentorum anxio animo a Casinellia additam fuisse, non quia perstringere usumfructum voluerit, sed quia ad avertendum periculum ne liberalitatis suæ compendium non viri, sed ejus creditorum commodo cederet, remedium fore putavit, si alimentorum titulo ei usumfructum relinqueret. Hæc est ratio potissima, hæc causa finalis, hæc recta ejus dispositionis intelligentia, ut omnia vicissim respondeant, congruantque inter se. Secus enim sequeretur primo, quod non frustranea modo, sed irridenda ea providentia redderetur, qua vetitum est ne vir ullas molestias a creditoribus pateretur, cum alimenta ex ipsa juris dispositione a creditorum actione immunia evadant. Sequeretur deinde, ut tota reliqua dispositionis substantia ageretur transversa, materialisque verborum cortex apertissimam testatricis voluntatem deleret. Verumtamen hisce etiam sepositis, re intrinsecus ex tabulis spectata, nil dubii, nil ambigui superesse puterat. Siquidem disertissimis verbis testatrix usumfructum pro alimentis haud vero alimenta ex usufructu reliquit. Omnes porro norunt, optimeque sua cuique ratio suadet, quod quoties præcipue ususfructus in obligationem deducitur, alimenta vero demonstrationis causa, ac in favorem usufructuarii adjicentur, ac ut forenses ajunt, de institutione in usufructu *dispositive*, de alimentis vero *causative* mentio fit, naturæ ususfructus nil detrabere possit, quidquid de alimentis adjectum fuerit, ne ea, quæ in favorem usufructuarii inducta videntur, in ejus odium detorqueantur, ut egregia ad rem docet *Surd de aliment. Tit.* 2 *Quæst.* 1 *n.* 1.

9 Deterius vero Conjuges Fontanarosa ad *Leg. Hac Ædictali Cod. de Sec. nup.* provocarent, quæ sive jus, sive factum spectetur a præsenti quæstione prorsus aberrat. Ad jus enim quod attinet ea Lex Ædictalis solemniter statuit, quod si quid a parente binubo, plusquam juris est superstiti conjugi relictum, vel donatum fuerit, quidquid plus æquo datum est « *Tamquam non scriptum, neque relictum, neque donatum habeatur* « et rursus » *idipsum quod plus relictum est ad personas liberorum deferatur* » Cum igitur hæc in jure se habeant si Catharina potiorem fecerit secundi Viri quam Filiæ conditionem, tum excessiva Casinelliæ liberalitate erga Virum ad æqualitatem cohibita, filiæ tribuendum esset, quod Vir ultra modum assequutus fuisset, sed nunquam id consequens foret, quod ususfructus restringeretur ad alimenta, id unum ex jure superabundaret, ut objectionem omnino prosterneril. Verum etiam illud accedit in facto, penitus constare nullam injuriam Mariæ Barbaræ eas erga virum liberalitate a Matre amantissima illatam fuisse. Res porro multis non eget, ut evidentissime pateat. Ad effectum siquidem cognoscendi num superstiti Conjugi ususfructus a Parente binubo relictus immodicus sit, expendere oportet, an quod filia ex materna liberalitate assequuta est, ei respondeat, quod probabiliter Vitricus in legali vitæ suæ curriculo, ad tramites *leg. hæreditatum ff. ad leg. falcid.* computando ex fructibus bonorum percipere potuerit, ut disertissime docet *Voet ad Pandect. Lib.* 33 *Tit.* 2 *num.* 20. At si ususfructus Josepho, jam sexaginta annis nato, relictus haud gratuito, sed cum onere hæreditariam substantiam administrandi, conferatur cum proprietate universi assis, cujus ususfructuum perceptio ex juris præsumptione haud ultra quinquennium expectanda erat, si insuper addatur ususfructus lucrosissimæ pastillorum tabernæ ad Marcelli Theatrum positæ, si demum habeatur in pretio quidquid ultra dotem, vel persolutum, vel promissum liberaliter a Conjugibus Marè fuit, ita expressim jubente Textu in dicta *leg. Hac Ædictali*, erit oppido plusquam manifestum longe minus vitrico,

quam filiæ relictum fuisse, neque procul idcirco a calumnia distare a Maria Barbara objecta illatæ sibi injuriæ quærela.

10 Neque magis excipere prodesset, quod cum Testatrix in omnibus suis bonis, juribusque effrænis, amplissimisque verbis filiam hæredem scripserit, hæc hæres, nedum proprietaria, sed etiam usufructuaria dicenda sit, argumento ducto *ex Leg. si alii ff. de usufruct. leg.*, qua sancitum est, quod si alteri fundus, alteri ususfructus ejusdem fundi legetur, uterque in usufructu concurrat. Tota enim hujusmodi cavillatio præterquamquod nil prorsus Bulgari Theoricæ conferret, falso etiam innititur fundamento, nam cum fundi appellatio, propter verbi universalitatem, necessario vi sua, *tum* proprietatem, *tum* usumfructum secum trahat, quia alias, alterutro deficiente non fundus, sed nudus usus, vel nuda proprietas diceretur, nil mirum si ea lex statuit, ut fundi legatarius ejus fructuum etiam portionem perciperet. At secus longe est ubi, prout in casu, alter in usufructu, alter in proprietate institutus fuerit. Nam, cum proprietas recte consistat in jure abstracto, nullaque adsit juris implicantia, quod ususfructus apud unum, proprietas apud alterum resideat, nil oritur absurdi, si hæres in proprietate tantum universi Assis constitutus a bonorum fruitione repellatur. Obvia, solemnisque est in jure hæc distinctio, quæ indurioribus etiam terminis obtinet, scilicet ubi quis effusiori sermone in hæreditate, alter in usufructu fuerit institutus, ut optime ad rem animadvertit *Castill. Lib. 1. de Usufruct. Cap. 47. num. 17.*

11 Minus autem recte urgeretur totum ex paterna substantia profectum id fuisse, quo Casinellia post obitum Viri petita est, ita ut de iis bonis ipsa in præjudicium filiæ, ad quam hæreditario titulo pertinebant, disponere haud potuerit. Nam ea exceptio ad præsentis quæstionis Judicium haud spectat. Et sane, si nullum, et irritum Matris Testamentum Maria Barbara contenderet, non perfunctorie in hoc judicio, in quo omnis stat pro ejus validitate præsumptio, sed in congrua, et separata actione jura sua experiri deberet. Verum arduum aggrederetur opus, si audacter id pertentaret. Nil enim prorsus accenseri potest hæreditati, quam Caesar Ginocchio moriens adeo exiguam reliquit, ut Cassinellia una simul cum filia ad summam inopiam brevi redacta fuisset, nisi Joseph Marè sua industria; suisque opibus ejus egestatem sublevasset. Neque vera prædefunctum Cæsarem, vel numeratam pecuniam, vel aliquid aliud reliquisse penitus non constet, præter pacua stilia mediocris Tabernæ, quæ omnia longo octo supra decem annorum spatio ex ipsa juris præsumptione extimanda essent consumpta quamvis etiam officina, olim a Patre exercita, paulo post ejus mortem laribus a Catharina Romam translatio, derelicta, atque obclusa non fuerit. Paternæ igitur officinæ, avviamento sublato, omnibusque paternis styliis deficientibus, dici nullatenus potest ex patris substantia derivasse lucra, quæ ex posteriori negociatione Romam invecta conjugibus Marè, summa favente fortuna ubvenerunt, sed eis omnia merito adscribenda sunt, qui laboribus, copiisque suis sibi ea quæsiverunt, Demum, si veritas in pretio est, nemo, cui mens sana sit, suum in animum inducere poterit, quod, si quid juris præter dotem Mariæ Barbaræ ex Paterna substantia competeret, ipsa perpetuo silens usque ad hanc diem sua bona vindicare distulisset.

Post hæc spernenda potius, quam responsione digna, esset illa diatriba ad eruendam tantum invidiam coram A. C. Triumviris proposita, de assertis rerum hæreditarium occultationibus, quas Josephum patrasse obtruditur. Non solum enim extranea ea prorsus est a præsenti, qua versamur, quæstione, sed etiam nulli nititur veritatis fundamento. Siquid enim Joseph a bonis hæreditariis uxoris in tuto posuit, id haud fuit, quia ea in fraudem Privignæ subripere voluerit, sed = *per ritirargli dalle ricerche dei Creditori te-* 12

mendo, *che potessero perseguitare i beni della Moglie* = ut ipsi narrant testes a conjugibus Fantanarosa producti. Cum vero res omnes, quas occultaverat, antequam inventarium conficeretur, ad locum Joseph restituerit, unde dimotæ fuerunt, quælibet doli, fraudisque suspicio omniao cxulet oportet. Verum hæc ad abundantiam. Nam, si quid a Matre e paterais bonis usurpatum, si quid a Vitrico ex materna hæreditate subreptum fuit, id a Maria Barbara in congruo Judicio vindicandum erit.

Atque ita etc. unica etc.

ROMANA USUSFRUCTUS

Lunae 14 *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur. - DECISIO CCIV. -

SUMMARIUM

1. *Patri super filiorum peculio adventitio, debetur usufructus.*
   Limita in casu, quo id expresse testator vetavit - ibidem. -
   Vel ubi filius cum ipso patre consuccedat - ibidem. -
2. *Ususfructus super lucro dotale, spectat patri.*
3. *Ubi agitur de re ad mercatoriam tabernam spectantem, fructus calculantur ad semissem.*
   Quum agatur de rebus mobilibus, etiam patir cautionem favore filiorum praestare debet - ibidem. -

DECISIO CCV.

In superioribus Comitiis album Domini calculum adjecere binis Decisionibus, quæ spectant ad controversias inter Johannem Mariam Maggium, et ejus parentem Josephum, sororesque Agatham, et Mariam super successione ad hæreditates Johannis Caroli Tritonii, Antoniæ Cerruti, Theresiæ Maggi, ac Laurentii, Caroliqne Maggi, et super pertinentia prælegati a prædictu Johanne Carolo Theresiæ filiæ per codicillum relicti. Hodie vero ad examen revocare oportuit binas alias Decisiones, quæ agunt de usufructu, quem Joseph postulat super quotis earumdem hereditatum, et prælegati, ad filios delatis, ac lucro super dote Theresiæ, atque de earum hereditatum, prælegatique divis'one. Geminæ a me evulgatæ fuerunt de hisce Decisiones sub die 6. Februarii currentis anni. In ea, ad usumfructum pertinente, videtur dubio » *An*, *super quibus bonis*, *a quo tempore*, *et pro qua parte debeatur ususfructus*, *ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* » datum responsum, Johanne Maria silente, = *Affirmative*, *et usumfructum deberi a die obitus Antoniæ Cerruti super universa hereditate Theresiæ*, *super lucro dotali*, *et super prælegato quoad tres ex quinque portionibus obventas Johanni Mariæ*, *Agatæ*, *et Mariae juxta modum in Decisione exprimendum*, *et esse relaxandum mandatum pro summa liquidanda* =. Quæsivi a Patribus quoad hanc Decisionem = *An sit standum*, *vel recedendum a decisis in casu etc.* » Stetit judicio Johannes Maria, at responsum audivit » *In decisis* », modo tantum adjecto, quod ab Josepho, usumfructum una cum administratione petente, cautio exhiberetur pro Conservatione substantiæ, qua super ei hic usufructus, et administratio addicitur.

Usumfructum porro deberi patri super filiorum peculio adventitio notissimum est ex censura Legis *Cum oportet Cod. de bonis*, *quæ liber. in potest Patris constit. ex matrimon.*, *vel alias acquirunt*. *et eorum administrat*: Actio itaque in *genere* Josepho competit ad assequendum super portionibus hereditatum ad filios delatis usumfructum ei per leges debitum. Verum quod *in specie* attinet ad has hereditatum portiones, in jure certissimum pariter est, patrem petere haud posse usumfructum super bonis filiis relictis ca sub lege, ut pater super his usumfructum habere nequeat ad *Text. in Auth. excipitur Cod. de bonis quæ liberis*, *Authentic*; *ut liceat matri*, *et Aviæ Collat.* 8. *Cap. in princip.*, *Donell. de jure Civil. lib.* 4. *Cap.* 5. *num.* 26. 27., *Andreol. controv.* 1

224. *num.* 1., *Samminiat. Controv.* 17. *num.* 21., *Cutell. de donat. Tractat.* 2. *disc.* 3. *num.* 9. *part.*, 1. *Pascal. de Patria potest. part.* 1. *Cap.* 3. *num.* 28. *Castill. de Usufructu Cap.* 3. *num.* 56, *Rot. cor. Dunozzet Jun. dec.* 160. *num.* 5., *in Romana Fideicommissi de Avita* 2. *Maii* 1698. §. *minusque coram Pio, et in Romana Officiorum vacabilium, seu Usufructus* 15. *Maii* 1711. *num.* 15. *coram Molines*; nec etiam super illis, in quibus filii una cum ipso patre successerunt ad *Text. in Nov.* 118. *Cap.* 2. *Authentic. item hereditas Cod. lib.* 6. *tit.* 60. *de bonis, quæ liberis*; *Donell. de jure Civili lib.* 9. *cap.* 5. *num.* 27., *Brunemman. in Cod. lib.* 6. *tit.* 60. *in Auth. item hereditas*, *Rot. decis.* 64. *num.* 4. *coram Riminaldo*, *et dec.* 490. *num.* 21. 22. *coram Lancetta*

2 Hinc itaque usufructus tribuendus non est Josepho super hereditatibus Johannis Caroli Tritonii, ac Antoniæ Cerruræ, ad ejus filios delatis sub lege, quod ipse nullum ad eas jus haberet, ita præscribente Antonia tam jure proprio, tam ex arbitrio in eam a viro collato; nec super quotis hereditatum Laurentii, et Caroli, ipsius filiorum, in quarum prima alii omnes ipsius filii consuccessionem cum ipso habuere, in altera cum ipso consuccesset Johannes Maria; et ita ipsiusjus cohibetur ad hereditatem Theresiæ quoad tres ex quinque illius partibus, delatis Johanni Mariæ, Agathæ, et Mariæ, qua in hereditate recensenda sunt, præter Theresiæ dotem, etiam prælegata scutorum *termillium*, ac suppellectilis, rei linteariæ, argentorum, victualiumque, ei a patre relicta, atque ab ipsa acquisita usque ab illius obitu, uti probat, ac statuit utraque mea Decisio 4. Februarii, ac 11. Junii huiusce anni super *Prælegato*. Addicendus ei est etiam usufructus lucri super dote Uxoris Theresiæ; cum nemo nesciat ex Urbis Statuto; juxta quod conventum fuerat in nuptialibus tabulis, quod dotale quartum unus, vel alter conjugum assequi deberet, constitutum fuisse uno e conjugibus decedente cum filiis e matrimonio susceptis, superstitem conjugem usumfructum tantum super dotali lucro obtinere posse, hujus proprietate ad prædictos filios spectante.

Hic vero usufructus super prædictis 3
hereditatis Theresiæ quotis addicendus Josepho est ab obitu usque Antoniæ, quia tum locus factus fuit illorum delationi, una cum prælegatis. Quin obsit quoad prælegatum scutorum *triummillium* mercatoriam tabernam non adhuc fuisse divisam; nam scuta ea *triamillia* in mercibus, vel pecunia argentea, quamvis confusim cum omnibus rebus, quibus ea constat, etiam nunc maneant, in dominium heredum Theresiæ statim ab obitu Antoniæ venere, et fructus pro iis, ac ideo pro Josepho, relate ad quotas superius constitutas, cedere. Præter vero usumfructum administratio etiam danda Josepho est illarum portionum hereditatum ex *Text. in Leg. cum oportet* §. *dominium autem Cod. de bonis, quæ liberis*, *leg. si infant Cod. de jure deliberandi*, *Instit.* §. 1. *per quas personas cuique acquiritur*; *Rot. decis.* 207. *num.* 10. *coram Buratt. dec.* 411. *num.* 7. *part.* 16. *recen.* Libella autem, quam juxta commensurandus est usufructus, a die obitus Antoniæ, est ratio semissis, cum agatur de parte mercatoriæ tabernæ, ad firmata per Rotam *Decis.* 116. *num.* 13. *cor. Herzan.*, et pro summa Josepho usque adhuc hoc nomine debita, quæ ad liquidum erit perducenda, mandatum ejus favore relaxandum est, ut monet *Rot. dec.* 89. *num.* 19. *et Dec.* 122. *num.* 34. *coram Riminaldo*. Ita Patres in omnibus præcedentem Decisionem confirmarunt. Verum, etsi ex Juris censura in *Leg. Finali* §. *sin autem* 4. *in fin. Cod. de bon. quæ liber.* pater haud teneretur cautionem exhibere de bene utendo filiorum bonis, quorum administrationem, et usumfructum habet, tamen in hoc peculiari casu S. Ordini visum fuit hanc esse ab Josepho cautionem favore filiorum præstandam, cum agatur de rebus mobilibus, et ne dubitetur ipsum, jam Æconomi curæ subjectum, non admodum in rerum ei creditarum conservatione, ac administra-

tione diligentem esse futurum; et hic est modus, quem præcedentis Decisionis confirmationi Domini apposuere.

Et ita etc. Omnibus suffragantibus Dominis etc. Utraque etc.

SUTRINA CONTRACTUS

Lanae 21 *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

In illis contractibus, qui cedunt in evidentem Ecclesiae utilitatem, non requiritur Beneplacitum Apostolicum. Ac id eo magis, si de bonis agatur, quae jam alia vice, divendita fuerunt, obtenta venia apostolica. Multoque minus vera, si facultas fuit reservata obtinendi Beneplacitum, quia tunc contractus manet in implicito validitatis statu.

SUMMARIUM

1. *Pacta, et conventiones, etiam sola aequitate naturali duce, sunt servandae.*
2. *Beneplacitum Apostolicum, haud requiritur in contractibus, qui in evidentem cedunt Ecclesiae utilitatem.*
3. *Semel obtenta Apostolica venia, non est ea secunda vice imploranda, si eadem bona iterum vendantur.*
4. *Reservatio obtinendi Beneplacitum Apostolicum in posterum, contractum in implicito validitatis statu relinquit.*
5. *Haud licet cedenti, post initam semel cessionem, de bonis cessis iterum disponere.*
6. *Praetermitti potest quaestio de aperitionis orie, quoties Rescriptum clausula sublata, et Decreto irritante non fulcia'ur.*

DECISIO CCVI.

Quo facilius, totiusque Beneficiurum redditus perciperent Archipræsbiter Joannes Baptista Mecaroccius, atque Canonici Dominicus Paradisius, et Carolus Soldatellius, fundos in regione = *Valle Oscura* =, Nepesini Territorii, suis Præbendis addictos, de anno 1796 vendiderunt Marchioni Philippo Filonardio pretio scutorum 3131. 20, quæ insumere emptor promisit = *intieramente nell' acquisto di altri beni stabili più utili, e di frutta naturale corrispondente alla ragione almeno d' un quattro per cento* =, intereaque ad eam rationem compensativos fructus sese soluturum spopondit. Sacræ Congregationis, Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ Auctoritas, nec non Capituli consensus contractum, ut par erat, præcesserant. Fundos postea a Filonardio coemit Joachim Braminius; ab hoc Hyeronimus Mariani: quæ translationes adeo incommodiorem fructuum perceptionem reddiderunt, ut Canonici = *volendo evitare un lungo, e dispendioso litigio, ed indispensabile, per conseguire non solo i frutti arretrati, non pagatigli, ma ancora l' intiero ammontare dei rispettivi valori integrali di detti Terreni, per dar luogo a quanto nell' Istromento di vendita tra i venditori, e compratore si fu stabilito in riguardo al rinvestimento da farsi* =, solemni stipulatione diei 30 Aprilis 1815 inita cum R. P. D. Ægidio Agnelli convenerit = *di cedere a lui tutti i diritti loro tali e quali gli hanno sopra non solo il Signor Filonardi compratore, ma ancora sopra i medesimi terreni* =, ac vicissim Præsul contentus fuit = *addossarsi in correspettività gli obblighi stessi in detto Istromento accollati dal Sig. Filonardi compratore, e di pagare ad essi Canonici, ed Arciprete la somma dovutagli, ed ancora non pagatagli per ragion de' frutti compensativi scaduti con animo di rivalersene contro il Signor Filonardi, o chi per esso* =, data etiam fidejussione Ptholomæi Penteriani.

Dubium excitaverat quidem Præsul Agnellius utrum consisteret contractus sine Apostolico Beneplacito initus; attamen, = *siccome nell' istromento fatto col Signor Marchese Filonardi v' intervennero le facoltà Apostoliche* = ipsi Canonici = *furono di sentimento, che non vi fosse necessità di nuovamente domandarle* =, iis ipsis testantibus, qui contractui adfuere. Mox contractum, ut ajunt, transcripsit, ac subinde judicio egit, tum adversus Marchionem Filonardi, tum adversus Marianum possessorem prædiorum = *Valle Oscura* =. Hæc, urgentibus etiam cæteris Mariani creditoribus, sub hasta publica posita, adjudicata tandem fuere Aloysiu Flacchi, qui nomen dederat licitationi pro R. P.D.

Carolo Mauri, pretio scutorum 5700 in Æde Sacra deponendo. Dum vero cessionarius Præsul Agnellius depositum scutorum 3131. 20 alacri animo persequebatur, obtento etiam in id competentis Judicis Decreto, Rescriptum prodiit prælaudatæ S. Congregationis Episcoporum, et Regularium negotiis præpositæ, quo R. P. D. Carolus Mauri subrogatus fuit in locum Marchionis Filonardi, inauditis, tum Præsule Agnellio, tum Episcopo, atque inscio etiam altero ex Canonicis, quorum omnium nomine supplicatio porrecta fuerat. Huic tamen Rescripto innixi Canonici, labente anno 1819 novum iniverunt cum Præsule Mauri contractum, quo hic, retenta summa scutorum 3131. 20, trientes pro ea usuras promisit; quod vix rescivit. Præsul Agnellius, stetit apud A. C. Triumviros adversus Canonicos, ut cessionem sui favore conscriptam servare cogerentur. Rejectus tamen fuit Decreto diei 19 Decembris 1820, proindeque re ad S. Nostrum Ordinem delata, Patres hoc mane consulere debui per formulam Dub. = *An cessio jurium sit servanda in casu etc.* = et, vadimonium deserentibus Canonicis, R sponsum accepi = *Pro Informante* = Præsule Agnellio, nempe = *Affirmative* =.

1 Pacta siquidem, et conventiones, etiam sola æquitate naturali duce, ad unguem esse servandas, nemo est, qui ignoret. Porro Nepesini Canonici publicis conscriptis tabulis ad diem 30 Aprilis 1815 solemni modo, atque adhibita etiam jurisjurandi religione in præsulem R. P. D. Ægidium Agnellium transtulerunt = *tutti i diritti loro tali, quali li hanno sopra non solo il Signor Filonardi compratore, ma ancora sopra i terreni medesimi* =. Ea igitur absolutissima jurium cessio oneribus a Præsule susceptis correspectiva, nullimode per Canonicos, etsi adfuissent, convelli poterat, maxime si perpendatur illam fuisse diu servatam, suæque datam exequutioni, non solum per iteratas solutiones a cessionario Agnellio Canonicis, et Archipresbitero Nepesinis cedentibus peractas, quarum acceptilationes proferebantur; sed etiam per expensas, quas cessionarius obire coactus fuerat, sive ad cessionem necessaria transcriptione roborandam, sive ad judicio agendum contra Marchionem Filonardium, ejusque in possessione bonorum Successores Braminium, et Marianium, ad capitis, et fructuum credita vindicanda.

Quin eadem cessio everti posset ex 2
defectu formæ, quod peculiare Apostolicum Beneplacitum illam minime præivisset. Nam, etsi illud omnino requiratur in contractibus omnibus, qui Ecclesiæ interesse respiciunt, potest tamen ab iis abesse stipulationibus, quæ in evidentem cedant ipsius Ecclesiæ utilitatem, ad tradita per *Mantic. de Tacit. lib.* 3 *tit.* 16 *num.* 12, *Gratian. Discept. Forens. Cap.* 20 *num.* 25 *Surd. Decis.* 131 *num.* 17, *et per Rot. decis.* 277 *num.* 15 § 11 *Recent.*, *Decis.* 2 *num.* 2 *tit. de pactis coram Falconerio, Decis.* 303 *num.* 5 *coram Olivatio, in Valentina Transactionis* 22 *Junii* 1757 § 14 *coram Canilliac, et in Ferrarien. Decimarum* 25 *Januarii* 1768 § 7 *coram Riminaldo* = Utilem vero Canonicis, et Archipræsbytero fuisse cessionem jurium, favore Præsulis Agnellii conscriptam, ipsi testati fuerant cedentes dum in cessionis tabulis de mora Filonardii debitoris in fructibus persolvendis conquesti, = *essendo che non sieno pagati alla scadenza de' frutti compensativi* =, declararunt sese, ea semota cessione, haud posse = *evitare un lungo, e dispendioso litigio, per conseguire non solo i frutti arretrati non pagatigli, ma ancora l'intiero ammontare dei rispettivi valori integrali di detti Terreni* = Quo remoto discrimine, illud etiam emolumenti adepti fuerant Canonici, ut integris omnino cauthelis in prima emptionis venditionis contractu stipulatis, novæ obligationis nexu devinctum haberent, nedum ipsum Præsulem R. P. D. Agnellium, hominem satis divitem, sed illius quoque fidejussorem Penteriani, qui in solidum cum illo accesserat. Quæ omnia initæ cessionis utilitatem mirum in modum evincebant, cum per eam cedentes, ne dum nil prorsus quæsiti juris amiserint, sed alia insuper commoda, et cautio-

nes adepti fuerint, ceu perpensum quoque fuit in *Decis.* 607 *num.* 50 *coram Olivatio.*

3 Praeterea haud incongruum videbatur, quod Praesulis Agnellii defensores addebant, Beneplacitum nempe Apostolicum, quod priorem emptionis venditionis contractum permiserat, secundum quoque hunc cessionis, erga eumdem Praesulem initae, in antecessum comprobasse videri. Nil siquidem in cessione aderat, quod praecedentis venditionis limites praetergredi videretur, nisi majus commodum, et securitas Praebendatorum; ita ut prioris contractus, quem Suprema Auctoritas firmaverat, secundus accessorium, ac pene necessarium consequens dici posset. Novum autem non est, etiam in terminis verae alienationis, semel obtenta Apostolica, venia, non esse eam secunda vice implorandam, si eadem bona iterum vendi contingat, teste = *Ferrari in Biblioth. Verb. Emphyth. num.* 22, *et Rota in Decis.* 367 *num.* 22 *Part.* 5, *et Decis.* 155 *num.* 17 *part.* 26 *Recen.* = Eademque manente ratione utilitatis in secundo contractu, quae in primo Apostolicum Beneplacitum meruerat, uterque una venia probatus dici poterat, cessionariorum post habita diversitate = *Card. de Luca de alienat. disc.* 1 *num.* 54 *et Rota in Dec.* 46 *num.* 28 *et seq. Part.* 10 *Recent.*

4 Tandem sedulo animadvertendum in facto erat, quod, tum Tabellio, qui cessionis tabulas exaraverat, tum Penterianus, qui pro Praesule Agnellio fidejusserat, tum demum Canonicus Fiamma alter ex Canonicis contrahentibus uno ore deponebant, scilicet in actu cessionis Praesulem Agnellium protestatum fuisse de Beneplaciti Apostolici defectu, et Canonicos respondisse nullo opus esse novo Beneplacito, cum sufficeret illud pro contractu venditionis cum Filonardio obtentum. At ni hujusmodi responsum Canonici dedissent, certo Praesul nunquam contraxisset; hinc perinde habenda erat cessio illa ac si sub reservatione inita fuisset Apostolicam veniam postmodum obtinendi, quae reservatio, cum contractum in implicito, ut ajunt, validitatis statu relinquat, potestatem facit contrahentibus formam illam, quatenus necessaria esset, etiam posmodum implendi, *ut in Ferrarien. expulsionis* 20 *Junii* 1791 § 6 *coram Origo.*

Itaque, ea manente cessione favore Praesulis Agnellii conscripta, inutilis omnino erat posterior stipulatio, quam iidem Canonici cum altero Praesule R. P. D. Maurio iniverunt. Vulgatum quippe est haud licere cedenti, post semel initam cessionem, de bonis, aut juribus cessis iterum disponere *Decis.* 254 n. 2 *coram Kaunitz, Caesenaten. bonorum* 23 *Junii* 1755 § 2 *coram Elephantutio, et confirmat.* 29 *Novembris* 1756 § 1 *cor. Eodem.* Neque id rite recteque permissum Canonicis dici poterat per Rescriptum S. Congregationis Episcoporum, et Regularium negotiis praepositae, quo Praesul R. P. D. Maurius fundorum = *Valle Oscura* = deliberatarius, in locum emptoris Filonardi suffectus fuerat, et per quod subversam fuisse cessionem favore Praesulis Agnellii conscriptam iidem Praebendati contendebant. Ejusmodi enim Rescriptum plura extrinsecus inficiebant; sive quod nempe imploratum fuerat insciis Praebendatis; sive quod fuerat evulgatum, inaudito Praesule Agnellio, qui praecipuum in re fovebat interesse; sive quod in lucem prodierit nulla praemissa rei cognitione, nullaque contra laudatae Congregationis morem, requisita Ordinarii informatione; sive demum, quod ad acta publica minime fuerit delatam. 5

Hisce intrinsecus adstipulabatur, preces Praebendatorum, queis Rescriptum innititur, nonnulla continere cum factorum veritate satis alioquin perspecta, omnino pugnantia. Nullam siquidem dixerant cessionem favore Praesulis Agnellii, cujus validitatem superius recensita rationum momenta satis vindicabant. Eam incaute emissam fuisse narrabant, dum e contra stipulationem praecesserant plures a Praebendatis ipsis, unaque simul ab Agnellio et fidejussore Perteriani habitae discussiones; atque insuper ex praemissis evidens erat cessionis utilitas. Temere demum asserue- 6

rant Præsulem Agnellium minus solvendo esse, dum in vulgus notum erat, tum ipsum, tum ejus fidejussorem Penteriani, satis ampla frui possessione in Nepesino Territorio. Hæc, cæteraque hujusmodi, ad enervandam Rescripti auctoritatem posse proponi Patribus visa sunt, omissa etiam præjudiciali quæstione super Aperitione oris, quia Rescriptum clausula *sublata*, et Decreto *irritante* minime fulciebatur, tradita per *Rot. in Decis.* 28 *num.* 22 *cor. Olivatio* = Cæterum Rescriptum illud cessionem, de qua quæstio, nullimode infringere voluisse videbatur. Si enim Præsulem Maurium in locum Marchionis Filonardii fundorum emptoris posuerat, jam hoc ipso Præsulem exceptionibus, et actionibus omnibus obnoxium fecerat, queis Marchio ipse Filonardius a Præsule Agnellio tamquam Canonicorum cessionario poterat submoveri.

Atque ita etc. Altera tantum etc.

SUTRINA MANUTENTIONIS

SUPER BONO JURE

Lunae 12 *Januarii* 1824.

ARGUMENTUM

Servitus aquae, probatur vel pacto, vel dominio, vel possessione. Caput aquae est semper illud, unde aqua nascitur. Et ubi servitus fuit quaesita ex solo lapsu temporis, dominus fondi superioris, potest semper vertere aquam in proprium commodum, licet id praejudicium, inferat dominis fondorum inferiorum.

SUMMARIUM

1. *Qui aquas in suum fundum derivare contendit, oportet quod exhibeat titulum aut dominii, aut servitutis.*
2. *Aqua alicujus territorii proprii, a possessoribus fundorum in diverso territorio existentium, usurpari non potest.*
   Pacto, loci natura, ac consuetudine deficientibus, servitus exclusa censetur - ibidem. -
3. *Aqua quaesita ex lapsu temporis, a domino fundi semper verti potest in proprium commodum.*
4. *Instrumenta probant, quibus temporibus opera manufacta perfecta sunt.*
5. *Decennii saltem lapsus, inter praesentes requiritur, ad costituendam servitutem in genere.*
   Inutilis est cursus temporis, ubi possessio servitutis, nunquam fuit pacifica - ibidem. -
6. *Opus manufactum non probat servitutem, ubi non fuit constitutum ab illo, qui servitutem asserit.*
7. *Nemini res sua servit.*
   Si canalis interfluat fundos ad plures alios possessores pertinentes, servitus inducta dici nequit, nisi consensus omnium possessorum accedat - ibidem. -
8. *Rescriptum apographum, et adulteratum nulla in pretio est habendum,*
9. *Nequeant rescripta protendi ultra preces.*
10. *Est denegandа manutentio, ubi non constat de bono jure.*
11. *Caput aquae illud est, unde aqua nascitur.*
    Domino fundi superioris, licet aquas divertere, quamvis praejudicium inferat, possessoribus fundorum inferiorum - ibidem. -
12. *Diuturna aquarum possessio, maximi ponderis est etiam in judicio petitorio.*

DECISIO CCVII.

Ad Cimini Montis radices, Austrum Orientemque versus, Lacus extat in Territorio Civitatis Roncilionis, Vicanus dictus, a quo, per Incile, seu Emissarium a Farnesiis Ducibus extructum, aquæ defluunt in alveum Torrentis, cui nomen *Rio Vicano*, atque per hunc alveum ad prædictam Civitatem, ad opificia ei proxima, et ad totum ejus Territorium, quod exinde irrigabile est, decurrunt. Hinc Roncilionensibus, in quorum utilitatem eæ vergunt aquæ, onus incumbit expurgandi illius Emissarii ostium; hinc, ut facilius irrigarentur ejusdem Territorii agri, Roncilionensis Communitas confecit ad eum alveum = *una Legata per condurre le acque alla irrigazione di una quantità di Terreni*; *ed a favore de proprietarj dei fondi medesimi, per cui i detti proprietarj si sono sempre serviti, e si servono della legata medesimo, costruita appunto a beneficio della Comunità, e dei divisati Proprietarj* =; hinc demum hi fundorum, qui iis irrigantur Aquis Vicanis, Possessores, majus pro iisdem fundis vectigal solvunt,

quam pro iis solvatur, qui irrigationis commodo destituuntur, uti patet ex praedictae Civitatis publico Censu. Caeteros inter Roncilionenses praediorum possessores, quorum Agri Rivi Vicani aquis irrigantur, est Familia Vencia, quae, sicuti alii illi possessores, semper earum aquarum usu a tempore immemorabili fuerat potita, uti non controvertitur, et ineluctabilibus evincitur monumentis, quaevo eos agros cum irrigationis commodo in Censuales Codices retulit.

Dum in hoc res erant statu, Albertus quidam Rosignoli Pedemontanus, qui ab anno 1798. Roncilionem petierat, et in Roncilionensi Territorio, una cum Jacobo Zoletio, quo cum Societatem inierat, Oryzae culturam instituerat, ut hanc ampliare in eo Territorio posset, supplicem Anno 1806 Libellum porrexit SSmae Mem. Pontifici Pio VII., exponens sese cum Socio eam Oryzae culturam suscepisse = *nei piani di Ronciglione* =, eamque ampliare studere; sed ipsis obstare Roncilionenses Agrorum possessores =, *con impedirgli specialmente l' allacciamento delle acque ove necessita* =; Atque idcirco postulans quod facultas ipsis tribueretur = *di allacciare, ove gli occorra, le Acque per irrigare le Risiere suddette* =; cum onere tamen pensitandi praedictis possessoribus incomoda, et reficiendi damna, quae exinde eis obvenire possent; ac simul petens, quod ipsis praelatio daretur = *a qualsisia concorrente per li affitti*; o *enfiteusi dei terreni confinanti alle medesime Risiere, affinchè siano queste sempre più estese in vantaggio del publico* =; has vero preces SSmus ille Pontifex benigne excepit Rescripto diei 14. Junii illius anni 1806, quo petita facultas Oratoribus tributa fuit = *in casibus expresse Nobis ante significandis* =, licet ii dissentirent, quorum Aquarum ductus intererat, = *quatenus tamen eorum dissensus irrationabilis dignoscatur, et non alias* =; ac fuit etiam concessa implorata prælatio = *in contractibus conductitiis, aut emphyteuticis praediorum praefatae culturae limitrophorum* =; dummodo tamen horum domini assentirentur; et, ad rem omnibus notam faciendam, ejusque memoriam servandam, præscriptum fuit, ut hoc = *originale Rescriptum per Instrumentum publicum per acta Nardi Secretarii, et Cancellarii R. C. A.* = ab Oratoribus exhiberetur, sicuti reapse canalem, quem dicunt = *Formone* =, perfecit, ad Rivi Vicani aquas derivandas in alia Roncilionensis Territorii prædia, nuncupata = *di Campo Maggiore* =, ad quæ Orizæ cultura ampliaretur, damnumque ex canalis excavatione ortum refecit domino Agri, per quem hic transiit.

Societati deinceps, anno 1809 de mense Septembris, accessit Hyeronimus Camillus Mariani Roncilionensis, quibusdam, ad Oryzæ sationem, collocatis suis bonis, ac postea inter ejusdem agrariæ negociationis consortes adscitus fuit Joachim Bramini, pariter Roncilionensis, qui, præter fundos in Roncilionis Territorio positos, alios etiam in Nepesino districtu possidebat in Regione = *Valle oscura* =, quos ab anno usque 1805 acquisiverat a Marchione Philippo Filonardi. Orta tum inter Socios controversia super obligatione Braminii ad conferendum in societatem fundos, quos possidebat; sed ab hac obligatione immunem Braminium declaravit Decisio ab Aula Appellationis Urbis edita die 5 Januarii 1813 a Sociis, et præcipue a Mariano accepto habita; ex quo prædicta Braminii bona in Regione = *Valle Oscura* = Nepesini Territorii, compræhensa numquam fuerunt inter Agros Oryzæ sationi a Sociis destinatos, qui ex superius exposito Pontificio Rescripto anni 1806. Rivi Vicani aquis poterant irrigari.

Desiit post hæc ea culturæ Oryzæ Societas, qua perdurante, etsi illæ Vicani Rivi aquæ derivarentur in Agros, in quibus Oryza serebatur, numquam Venciis, aliisque possessoribus fundorum interdictus fuit pacificus earum aquarum usus; immo auctoritate Tribunalis S. Consultæ, et Sententia Tribunalis Viterbii repressi fuerunt Marianii conatus; qui ausus fuerat illum prædictorum possessorum pacificum u-

sum turbare. Verum mense Martio anni 1813 emit idem Marianus a Brominio ea prædia in = *Valle Oscura* =; ac anno 1815 adiit S. Boni Regiminis Congregationem, prædicans sese ea Prædia ad meliorem redegisse culturam, ac postulans facultatem ea restringendi, ad arcendos Nepesinos Cives, qui super eis pascendi jus sibi adserebant; et S. illa Congregatio, audito SSmo Principe, rescripto diei 22 Decembris anni 1815 potestatem ei fecit = *retinendi Latifundium de Valle Oscura ad usum pratorum artificialium, eaque irrigandi, ut antea* =. Hoc quamvis Rescriptum nullum jus dare posset Mariano ad aquas Rivi Viconi, pro irrigatione latifundii *di Valle Oscura* =, quia aquæ illæ ad id Latifundium derivare non poterant ante illud Rescriptum editum, et facultas in illo Marianio indulta cohibebatur = *ad irrigandum ut antea* =; tamen ipse rursus anno 1817 pertentavit earum aquarum usum Roncilionensibus fundorum possessoribus eripere; sed judiciali præcepto vetitum ei fuit = *di deviare in alcuna, benché minima quantità l'Acqua dal corso del Rio Vicano* =.

Tum sese ipse convertit adversus Vencios, qui præter fundos, quos od Vicanum Rivum jam possidebant, alios etiam acquisiveront; ad superius memoratam societatem culturae Oryzæ spectantes, illos præsertim in regione *Campo Maggiore*, *Massarella*, et *Vespena*, et instituto jndicio apud Roncilionis Gubernatorem adulteratum attulit Apographum Pontificii Rescripti diei 14 Junii 1806 superius expositi, quod Autographum dixit, et jactans sese in possessione versari ex eo Rescripto Aquarum Rivi Vicani pro irrigatione fundorum = *di Valle Oscura* =, atque sese confecisse od effectum irrigandi hos fundos opportunum canalem a duodecim annis ante, qui tamen nec confectus ab ipso fuit, nec confici potuit pro irrigatione illorum fundorum = *di Valle Oscura* = ut patet ex superius narratis, querelas movit de assertis in novationibus adversus prætensam suam possessionem o Venciis patratis, ac eorum condemnationem ad reductionem in pristinum, et damnorum sarcitionem postulavit, consonumque instantiæ Decretum obtinuit die 7 Maji 1817. Verum hoc Decretum, una cum omnibus actis in eo judicio gestis, circumscriptum fuit a Signaturæ Tribunali die 12 Februari anni 1818 cum remissione Causæ ad Tribunal Viterbii, quia Roncilionis Gubernator, jus dicens *in petitorio* suæ jurisdictionis limites excesserat. Incepta hinc fuit, sed haud prosequuta a Marianio cor. Viterbiensibus Judicibus ea de manutentione in asserta possessione, Causa. Vencii vero una cum alio Roncilionensium fundorum possessore, ut Marianio silentium inponerent, steterunt apud eumdem Roncilionis Gubernatorem, oc, demonstrato ipsorum possessione, quoad prædictarum Aquarum usum, Decretum pro eis latum fuit die 2 Maji 1820, manutentionem ipsis tribuens in ea Aquarum possessione, ac prohibens Marianio, ne eis ullas quoad hanc inferret molestias, cum facultate adhibendi adversus ipsum, si opus foret, armatam vim.

Interim vero Marianii Creditores hastæ subjecerant prædictum Latifundium *di Valle Oscura*, illudque designatum, uti = *parte prativo, parte sodivo, parte selvato, e querciato* =, non vero uti irriguum, deliberatum fuit die 19 Aprilis 1819 R. Præsuli Carolo Mauri, pretio scutorum *quinque Millium, ac septingentum*, quamvis rubris constaret *quinque supra centum*; ac illud paulo post idem etiam Præsul, solemni quodam Instrumento, redactum a Mariono declaravit = *a miglior coltura colla sterpatura, e politura* =, sed irrigabile houd dixit,. nec dicere potuit. At vix hujusce Latifundii dominium adeptus fuerat prædictus Præsul, cum per Epistolam Venciis indixit sese nolle sibi ab eis præpediri = *quel dritto, che mi hanno dato i due Rescritti Sovrani per l'uso dell'Acqua* =, illius nempe Vicani Rivi, jactans secus sese posse = *Assicusarmene l'uso anche con una conferma Sovrana* =, eosque etiam rogavit, ut ipsi permitterent, quod per unum ex eo-

rum prædiis transire posset = *Una nuova legata* =, quam conficere velle dicebat = *per arer l'acqua perenne nella mia Tenuta di Valle Oscura* =. Venciis nutem renuentibus, Signaturæ Tribunal adivit, atque rursus proponi curavit, uti Successor in jure Marianii quoad hoc Latifundium, causam super Circumscriptiune Judicati Gubernatoris Roncilionis superius relati, quo die 7 Maii 1817 Marianio fuit tributa manutentio in asserta possessione usus Aquarum Rivi Vicani, et quamvis hujus Tribunalis rescriptum, quod hoc Judicatum cum aliis actibus coram eodem Gubernatore gestis circumscriptione deleverat, fuisse a Marianio accepto habitum, aliud super eadem jam absoluta controversia Rescriptum obtinere potuit Venciis adversum = *Nihil et utatur Jure suo* =. Nec minus sibi secundum expertus fuit Collegiale A. C. Tribunal, a quo die 3 Maii 1822 prædictum Gubernatoris Roncilionis Judicatum in gradu Appellationis fuit confirmatum. Aliter vero res ei cessit coram S. N. Ordine, ad quem ex Signaturæ Rescripto in devolutivo judicio Causa definienda conscendit. Nam, cum in Comitiis diei 4 Julii superioris anni dubium Patribus proposuerim = *An constet de Rejudicata, seu potius de Caussis restitutionis in integrum in casu etc.* responderunt ipsi = *Dilata et videatur de bono jure etiam ad effectum manutentionis* =; hodie vero quærenti mihi = *An et cujus favore constet de bono jure, ita ut sit danda manutentio in casu etc.* = responsum fuit datum = *Affirmative favore Fratruum Venci juxta modum in Decisione exprimendum* =, qui modus in eo stat = *quod Fratres Venci moderate aquis utantur, ut non impediant quaminus, quae culturae supersunt, sive = i scoli = decurrant ad irrigandum Latifundium di Valle Oscura* =.

1 Cum siquidem R. Præsul Mauri ex juribus Marianii auctoris sui, contendat ad se spectare usum Aquarum Rivi Vicani pro irrigatione Latifundii *Valle Oscura* in Territorio Nepesino positi, quod a Marianio emit, exclusis ab hoc aquarum usu Venciis, aliisque Possessoribus fundorum in Roncilionensi Territorio existentium, quos Rivus ille Vicanus interfluit; Vencii contra, aliique ii Possessores sibi eas vindicent aquas, Mauro prorsus remoto, Patres, qui judicium super Manutentione in aquarum possessione, utrinque petita, summa cum prudentia pendere voluerunt ab inspectione boni juris, quo una vel altera pars polleret, suscepto examine titulorum, quos Partes allegant, ut unaquæque bonum, quod sibi adserit jus demonstret, statim compertum habuerunt injuria prorsus prædictum Præsulem sibi eas aquas adscribere conari. Ad prætensum enim jus adstruendum derivandi in suum Latifundium *Valle Oscura* Vicanam Aquam opus ei fuisset evincere sese hujus Aquæ dominio, aut condominio potiri, quia hæc in suo fundo Ortum habeat, aut, ipsum interfluens, ejus propria fuerit facta; vel ineluctabilia ab ipso argumenta proferenda fuissent de servitute super fundis Familiæ Venciæ, aliorumque Roncilionensium, ad eum effectum, ac pro eo Latifundio constituta.

At nullum ipsi, vel ex propriis, vel 2
ex sui Auctoris Marianii juribus, ejus aquæ dominium, aut condominium esse manifestissimum est, quia ea Aqua oritur ex Vicano Lacu, in Territoriu Roncilionis extante, atque Vicanus Rivus per illud Roncilionense Territorium decurrit per plura passuum millia, nullum, aut Maurii, aut Marianii prædium lambens, nec ad Latifundium *Valle Oscura* pervenire potest, nisi postquam ingressus fuerit Nepesinum Territorium quod nil communis habet cum illo Roncilionensi, et in quo illud Latifundium jacet, et quia notissimi juris est aquam, alicujus Territorii propriam, a possessoribus fundorum in diverso Territorio existentinm usurpari non posse, *ad Text. in Leg.* 1 *Vers. sed et apud de Aqua pluv. Arcend. et Pecch. de Aquæduct. lib.* 4 *quæst.* 69 *num.* 7., *Cyriac. controv.* 79 *num.* 1 *et seqq.*, *Gob. de Aqua quæst.* 11 *num.* 2 *et seqq.*, *et Rot. in Bononien. Aquarum* 28 *Junii* 1727. § *Præsertim coram Cincio.* Nulla pariter ab eo probatio affertur, qua evincatur servitus im-

posita fundis a Roncilionensibus possessis, in cujus vim hi pati cogantur, ut aqua hosce superiores fundos interfluens, integra delabatur ad inferiorem Nepesinum fundum, non enim exhibet pactum, quo hæc fuerit servitus constituta; non demonstrat eam exigere naturam loci; non valet demum enim ex antiqua consuetudine deducere: hisce vero deficientibus servitutem excludi notissimum est per *Text. in Leg. in summa ff. de Aqua pluvia arcenda, leg. si cui* § *denique ff. eod., Cyriac. controv.* 179 *num.* 1., *Rot. decis.* 597 *num.* 7 *cor. Molines, decis.* 679 *num.* 11 *coram Olivatio, et in Hortana seu Narnien. Mutuationis fovei* 27 *Junii* 1757 § 4 *coram Canilliac.*

3 Summo ipse quidem studio suadere conatur de ea servitute constare ex *cursu temporis*, ex *opere manufacto*, atque ex *consensu dominorum* fundorum servientium. Verum, seposito etiam quod quamvis de hac Aquæ derivandæ servitute constaret, non injuria contendere possent ii fundorum domini eam cessare, vel intermitti debere, quoties ipsi sese ea Aqua indigere in proprium usum commodumque demonstrent, siculi ex *Text. in Leg.* 6 *Cod. de Servitute et Aqua* statuit *Rota decis.* 105 *numer.* 16 *coram Ansaldo*; proposita illa servitutis fundamenta perscrutantes Patres, inania ea prursus esse agnoverunt. Quod enim spectat od temporis cursum, ut hujus initium Præsul Maurus constituat, ponit *primum* Marianum acquisivisse a Braminio Latifundium *Valle Oscura*, longe ante annum 1813 atque hoc Latifundium ab anno usque 1805 comprehensum fuisse inter fundos ad Societatem Rossignolium pertinentes, et Oryzia e Culturæ adscriptos, ad quos irrigandos apertus fuit Canalis, per quem Vicana aqua in eos fundos derivaretur: asseruit *secundo* hunc Canalem fuisse a Marianio confectum anno 1806., ex quo, ne dum prætensam servitutem eo Anno incæpisse, sed etiam eam Manufacto opere foveri contendit. Neutrum autem in facto consistere apertissimum est. Testatur quidem Braminius, atque una cum eo Gaspar Gualdanius Latifundium *Valle Oscura*, quod ipse Braminius Anno 1805 emit a Marchione Filonardio, fuisse ab ipso communicatum Anno 1806 cum aliis bonis addictis culturæ Oryzæ, qua super societas fuerat a Rossignolio instituta, cujus participes eumdem Braminium, ac Marianum ab eo usque anno fuisse illo testimonio asseritur. Sed hosce testes in hcc eorum depositione errasse, falsa forsan reminiscentia deceptos, demonstrat apocha Societatis inter Rossignolium, Marianium, ac Braminium conscripta, quæ diem præsefert 29 Septembris anni 1809., atque est ideo longe posterior anno 1806 demonstrant acta judicialia Braminii, qui anno 1812 Marianio ac Rossignolio, postulantibus communionem ipsius bonorum in eam Societatem, quæ inter prædictum Latifundium *Valle Oscura*, firmiter obstitit, Sententiamque sibi secundam obtinuit anno 1813 ab Aula Appellationis Gallis in urbe constituta, quam Sententiam Marianius accepto habuit per renunciationem liti; demonstrat demum publicum Instrumentum diei 21 Martii 1813 ex quo patet, non ante eam diem dominium Latifundii *Valle Oscura* in Marianium pervenisse. Excluditur itaque evidentissime comprehensio hujus Latifundii inter fundos adscriptos culture Oryzæ, ed irrigabiles Aqua Vicana, quia longe ante, quam illud Marianius acquisivisset, Societas super ea Cultura evanuerat.

Nec minus a vero distat alterum Præsulis Mauri suppositum, quod nempe anno 1806 constructus fuerit a Marianio Canalis, seu *Formone* ad deducendas Vicanas Aquas in Latifundium *Valle Oscura*, uti suadere conatur eodem Braminii et Gualdani testimonio, ac dictis aliorum ignotorum, et illiteratorum testium, qui prorsus spernendi sunt. Non enim fieri poterat, ut Canalem illum conficeret Marianus anno 1806 ad fundos pro Oryzæ cultura irrigandos, cum certum sit in Societatem, pro hac cultura institutam a Rossignolio, adscitum ipsum haud fuisse ante annum 1809., ne confici idem Canalis potuit pro irrigatione Latifun- 4

dii *Valle Oscura*, quia, ut superius fuit demonstratum, nunquam hoc Latifundium ad eam pertinuit Societatem, et in Marianii dominium transiit anno 1813., post eumdem Societatem prorsus dissolutam. Omne vero ad removendum dubium, si quod in re manifestissima oriri posset, sat superque esset judicialis ipsius Marianii confessio, emissa in actis Tribunalis Roncilionis, qua ipse die 7 Aprilis anni 1809 solemniter professus fuit quod « *i lavori per fare transitare le Aeque per alcuni Campi dei Fratelli Venci sona stati fatti con ordine del detto Signar Rossignoli in farza di un Rescritta Pontificio ehe accarda pater fare dei Cavi anche nelle possessioni altrui, all'oggetta di poter Coltivare le semente dei Terreni* » Agros scilicet designatos « *per la semenza de' Risi* ». Rossignolius ergo, ipso fatente Marianio, Præsulis Mauri auctore, Canalem prædictum confecit, nec confici hic potuit pro irrigando etiam Latifundio *Valle Oscura*, quod nunquam fuit inter Sociales « *Terreni per la semenza de'Risi* ».

5 Hisce in facto firmissime positis assertæ servitutis Argumentum a temporis cursu deductum illico corruit. Cum namque Latifundium *Valle Oscura* numquam ad societatem super Oryzæ cultura initam, spectaverit, et numquam recensitum fuerit inter Agros illi colturæ adductos, et cum a Marianio acquisitum fuerit non ante annum 1813 ab hoc anno tantum propositus temporis cursus incipere potuisset. Nec ejus initium desumi potest ab anno 1806 quo extructus fuit Canalis ad derivandas e Vicano Rivo Aquas in Agros, in quibus Oryzæ Cultura exercebatur, quia constat ex superius perpensis, quod hic Canalis confectus a Marianio non fuit, et quod prædictum Latifundium numquam constituit illorum Agrorum partem. Ab anno igitur 1813., ad summum cum iniri posset Calculus de temporis cursu, hic ad *quadriennium* Vix extenderetur, quia anno 1817 ea de Aquæ pertinentialis, quæ subjectum constituit hodierni judicii habuit Ortum. At juxta receptam doctrinam, quam inhærendo *Leg.* 1 § 1 *ff. de Aqua pluvia Arcendu*; *Leg. Si quis ff. si servitus vindicetur, et Glassa ad hanc Leg. tradit. Cujac. in Commentar. Tam.* 5 *Calumn.* 661., *et* 662 *Litt. E. A. Edit Neapolitana decennii* saltem lapsus inter præsentes pro ea constituenda servitute requiritur, ergo nulla oriri potuit servitus a solo quatuor Annorum decursu. Eo vero magis asserta excluditur Servitus e temporis cursu deducta, quia, cum Aquæ Vicanæ inserviant irrigationi tot fundorum in Roncilionensi Territorio existentium, quorum plures ab Ecclesiis, a Locis Piis possidentur, et cum prætensa Servitus dividi nequeat, ita ut Vencii ei subiiciantur, et immunes ab ea sint Ecclesiæ, ac Loca Pia, horum namque prædia conjuncta, ac intermixta sunt cum illis a Venciis possessis, sicuti ostendit tabula topographica, hinc omnibus prædictis fundis commune esse debet Ecclesiarum Piorumve Locorum jus servitutem excludendi, a temporis cursu desumptam nisi hic cursus *quadragenarius*, aut saltem *tricenarius* sit. Accedit præterea temporis cursum inutiliter prorsus ad servitutem exinde inferendam proponi, cum numquam Marianus, Præsulis Mauri auctor, Vicanis Aquis pacifice uti potuerit, ejus enim conatus semper repulsi fuere a Venciis, ope Actorum judicialium, criminalium etiam; præceptorum, ac Sententiarum.

6 Assertum etiam opus manufactum, sive confectio Canalis « *Formone* ». ad derivandas aquas Vicanas, frustra profertur pro ea adstruenda servitute; hic enim canalis, quidquid pro Præsule Mauro dicant Braminius, et Gualdanius, ac plures alii omnino spernendi testes, cum contra veritatem loquantur, confici numquam potuit; nec confectus fuit a Marianio, ac ad irrigandum Latifundium *Valle Oscura* uti superius ineluctabiliter probatum fuit, quia illum anno 1806 extruxit Rossignolius, longe ante quam Marianus cum ipso in societatem culturæ Oryzæ coiret, id eodem Marianio judicialiter fatente, et quia fuit constructus ad derivandas Aquas Vicanæ in fundos designatos pro

illa Oryzæ cultura, existentes in Roncilionensi Territorio, in quo eæ oriuntur Aquæ ipsum interfluentes, et ad quod eæ spectant, quos inter fundos haud extitit unquam Latifundium *Valle Oscura*, positum in Districtu Nepesino, quod Marianus anno tantum 1813 acquisivit, dum prorsus cessaverat illa culturæ Oryzæ Societas; ex quo canalis ille, seu opus a Rosignolio manufactum eo numquam spectare potuit, ut illius ope prædictum etiam irrigaretur Latifundium, ad societatem non pertinens; et in extero situm Territorio, uti ad rem optime perpendit, ac firmat « *Rota in Bononien. Fovei castri Veteris* 21 *Februarii* 1785 § 9 *coram Lancellotto*.

7 Nec magis aliud prætensæ servitutis fundamentum, assertus scilicet consensus domini fundi servientis consistit. Illud namque semper redit quod canalis, sive *Formone* sæpius memoratus, qui excavatus fuit in prædio præsertim *Campo Maggiore*, cujus domina nunc est Familia Vencia, non fuit factus a Mariano, nec pro irrigando etiam Latifundio *Valle Oscura*, sed fuit confectus a Rosignolio, ad derivandas Aquas in Agros Oryzæ culturæ addictos; ergo consensus præcedentis possessoris illius prædii *Campo Maggiore*, nullum jus tribuere potuisset Mariano, ac ideo ejus Successori Præsuli Mauri ad Vicanas Aquas in commodum Latifundii *Valle Oscura*. Præterea prædium *Campo Maggiore* anno 1806., dum Canalis fuit extructus, possidebatur a Rossignolio, qui illum in suo fundo, ad propriam utilitatem, et ad sociales Agros irrigandos confecit, hujus itaque operis perfectio nullam super eo prædio inducere poterat servitutem quia res sua nemini servit. Insuper vero, cum canalis interfluat fundos in Roncilionensi Territorio ad plures alios possessores, ac etiam Loca Pia spectantes, inutiliter semper proponeretur domini servientis adversus Vencios consensus, cum nulla probatio afferatur de consensu ab hisce omnibus possessoribus, præsertim Locis Piis, quæ absque Pontificia venia assentiri legitime nequivissent, canalis excavationi in eorum fundis præstito. Quin prosit Maurio urgere Vencios acquisivisse prædium *Campo Maggiore*, quod ad Rossignolium spectabat, eratque inter fundos, in quibus Societas culturam Oryzæ exercebat, antequam dissolveretur, onere ipsis imposito « *di soffrire tutte le servitù delle quali potesse esser gravato* ». Nam cum asserta super eo prædicta servitus erga Marianium, et Latifundium *Valle Oscura* exclusa omnino fuerit, ex superius deductis, numquam inter onera illi prædio inhærentia, et a Venciis in se suscepta, ea potuit servitus recenseri. Ex hisce itaque omnibus per necesse concludendum est, quod proposita servitus, quæ, in falsissima etiam hipothesi quod aliqua dubietas adesset de ejus inexistentia; excludenda semper esset; per *Text. in obscuris si ita* 10 § *ult. ff. de rebus dubiis, et rot. coram Caprara decis.* 744 *num.* 5 *decis.* 744 *num.* 5 *decis.* 527 *num.* 13 *coram Crispo*: *in Sutrina juris Pascendi* 16 *Martii* 1753 § 2 *coram Elephantutio, et in Nullius, seu Sublacen. Molendini* 5 *Junii* 1761 § 10 *coram Riminaldo*, reiicienda prorsus sit nostro in themate, in quo omnia ad eam fulciendam argumenta allata ineluctabilibus juris, factique responsis eliminantur.

Quod vero præsidium, ad Vicanas sibi adserendas Aquas inani labore a prætensa, ac penitus explosa servitute assequi Præsul Maurius studuit, id inutiliter etiam a Pontificiis Rescriptis haurire conatur. Potuit quidem Marianus anno 1817 abuti Pontificio Rescripto diei 14 Junii 1806 quo Rosignolio, ejusque Socio Zolezzio tributa fuit facultas e Vicanio Rivo « *ducendi Aquas pro eadem Cultura* Oryzæ nempe; *opportunas* » quia apud Roncilionensem Gubernatorem adulteratum illius Rescripti exemplar exhibuit, in quo Sociorum precibus, cobibitis in authographo ad petitionem aquarum pro « *le risiere introdotte nei piani di Ronciglione* » addere non dubitavit « *Sutri, e Nepi, ed altre diverse sorte di culture* » *ed altre coltivazioni* » atque in Rescripti tenore, illam facultatem tribuentis « *in* 8

casibus expresse nobis antea significandis ». Substituit aliud « *Significatis* », ut Pontificis concessio absoluta ac pura, quamvis reapse conditionata esset, videretur, ex quo facile ei fuit Decretum Venciorum juribus ad eas aquas adversum obtinere; quod tamen Decretum, quamvis non adhuc detecta Rescripti adulteratione a Signaturæ Tribunali anno 1818 fuit circumscriptiona deletum, aliunde dein ab eodem Gubernatore prodiit Venciis omnino secundum anno 1820. Potuit etiam Præsul Maurius, post acquisitum a Marianio Latifundium *Valle Oscura*, jactare in Epistolis Venciis scriptis suum prætensum jus ad illud irrigandum Vicanis aquis, deductum ex illo adulterato Rescripti apographo, atque minitari sese posse quoad eas aquas « *assicurarmene l' uso anche con una conferma Sovrana* ». Potuit præterea idem Præsul, ei semper falso exemplari innixus, obtinere a Signaturæ Tribunali revocationem circumscriptionis superius memorati Decreti Gubernatoris Roncilionis anni 1817. Potuit demum ipse, idem proferens Apographum, Triumviris A. C. suadere Vencios Marianium violenter spoliasse aquarum prædictarum dominio, et usu pro irrigatione Latifundii *Valle Oscura*, atque ab iis assequi confirmationem illius Decreti Anni 1817., et dein præpedire, ne Vencii suspensivam appellationem obtinerent a Signaturæ Tribunali, atque ita assertam contra eos remjudicatam portendere. At res longe alia fuit, dum controversiæ definitio ad S. N. Tribunal fuit ablegata.

9 Allato enim per Vencios authographo Rescripti, quod extabat in actis R. C. A., nec extare umquam potuit aut Roncilione, aut alibi, quia in eodem rescripto fuerat imperatum « *quod Oratores exhibeant præsens originale Rescriptum per Instrumentum publicum per acta Nardii Secretarii, et Cancellarii R. C. A.* » sicuti factum reapse fuit, illico patuit aquarum ex eo Rescripto concessionem restrictam fuisse ad culturam Oryzæ, et ad Ronciliones Agros, non vero extensam ad alias Culturæ species, et Nepesinum, vel Sutrinum Territorium, cum illud tantum, et non hoc, uti prius asserebatur, fuisse petitum, et cum Rescripta nequeant protendi ultra preces, ut firmat *Rota passim, et præsertim in dec.* 269 *num.* 13, *et seq. cor. Olivatio*; atque patuit quod concessio vim suam exerere haud poterat, nisi antea Pontifici significarentur casus, in quibus ea uti socii voluissent, ut Ipse videret an eorum « *quorum interest aquarum ductus dissensus irrationabilis dignoscatur* » iis enim dissentientibus « *non alias* » facultas ducendi aquas, sociis tributa, locum habere potarat; atque ideo Patribus perspicuum fuit nullum jus ex eo Rescripto oriri potuisse vel Marianio, vel Maurio ad irrigandum Vicanis Aquis Latifundium *Valle Oscura* jacens in Territorio Nepetis, atque etiam Culturæ Oryzæ numquam adscriptum; eoque magis cum non probetur consensisse concessæ derivationi Aquarum Roncilionenses, ad quos eæ spectant vel irrationabiliter dissensisse.

Impar etiam omnino ad inducendum 10 prætensum jus dominiumque Vicanarum Aquarum pro irrigatione prædicti Latifundii *Valle Oscura*, agnitum fuit aliud Pontificium, per S. B. Regiminis Congregationem, a Mariano Rescriptum obtentum die 22. Decembris 1815., quo ei facta fuit potestas = *retinendi Latifundium Valle Oscura ad usum pratorum artificialium*, *eaque irrigandi ut antea* = Hoc namque Rescriptum, quod intra limites precum cohibendum est, eo tantum spectavit, ut illud Latifundium immune declararetur a servitute pascuorum, qua Nepesini Cives eo super frui contendebant, atquo restringi posset pro cultura Pratorum Artificialium, nec ullum jus ad illius irrigationem ex aquis Vicanis, in præjudicium Roncilionensium Marianio tribuere potuit, quia hoc jure illo destituebatur, ut superius probatum fuit, ante illud Rescriptum editum, et in eo facultas fuit data = *irrigandi ut antea* =; ac ideo nil novi quoad hanc irrigationem fuit ei concessum. Præterea assertam Latifundii irrigabilitatem Vicanis Aquis excludit In-

strumentum illius acquisitionis per Præsulem Maurium anni 1819. quo descriptum fuit uti « *parte sodivo, parte prativo, Selvato; e querciato* = non vero uti irriguum; et posterior ejusdem Præsulis solemnis, in publico pariter Instrumento, declaratio, quod idem Latifundum fuerat a Mariano redactum « *a miglior cultura sterpatura, e politura* », non vero quod esset irriguum, quæ haud spernenda qualitas, si illi reapse inhæsisset, non fuisset certo certius silentio prætermissa. Quo vero ad aliud, quod extare dicit Præsul Maurius, Rescriptum S. Consultæ, datum anno 1807., ex quo Latifundii prædicti irrigabilitatem Vicanis Aquis desumi asserti, ob datam facultatem serendi in Agris Nepesini Territorii Oryzam, Maurii assertiunem Patres nullo in prætio habuere, cum Rescriptum haud exhibeatur, et ejus loco prolatum tantum fuerit testimonium, ac Consultum Physicorum Doctorum Morichini, et Bomba. quod « *Le risaje stabilite in Ronciglione, e Nepi erano innocue* », ex quo prætensum Mauri jus ad Vicanas Aquas induci numquam potest. Corruunt itaque omnia, o quibus PræsulMaurius assertum adVicanas Aquas jus pro irrigando Latifundium *Valle Oscura* desumere contendit; quare, cum de manutentione judicium proferendum hodie sit ad tramites boni juris, ei est pernecesse hæc manutentio deneganda, sicuti constanter censuit Rota, præsertim in *Aquipendien. Juris pascendi* 11. *Januarii* 1751. §. 2. *coram Canilliac. in Sabinen. seu Reatina Confinium* 14. *Januarii* 1754. §. 10. *coram Molino: in Imolen. seu Faventina Aggerum super bono jure* 7. *Aprilis* 1758. §. 2. *et* §. *final. coram Bussio, et in Romana Donationis super manutentione* 18. *Junii* 1804. §. 2. *cor. Emo Rusconi* ». Quin obsint Judicata, quæ pro Mariano, ac Maurio prodiere in judicio possessorio, cum nunc res agatur in judicio petitorio, in qno palam est Maurium bono prorsus jure destitui, uti advertit « *Rota Decis.* 578. *num.* 7. *e* 8. *coram Olivatio, et Decis.* 63. *num.* 4. *cor. eodem.*

11 Sicuti autem in comperto est boni juris defectus in Præsule Maurio super Vicanis Aquis, ita Vencios hoc anper eisdem bono jure pollere apertissimum est. Oritur quippe Vicanus Rivus in Territorio Roncilionensi, cum profluat ex Vicano Lacu in eodem Territorio existente, et in jure certum sit, quod « *Caput Aquæ illud est unde aqua nascitur: si ex fonte nascatur, ipse fons; si ex flumine, vel lacu prima incilia, vel principia fossarum, quibus ex flumine, vel lacu in primum rivum compelli solent* » quæ sunt verba » *Ulpiani in Leg.* 1. *ff. de aqua quotidiana, et aestiva.* Propria huic aqua ea est Roncilionensium, atqne ob hanc causam eis incumbit onus propriis sumptibus « *di pulire, e spurgare l'Emissario del Lago di Vido, da dove ha origine il Fosso denominato Rio Vicano, e ciò per il godimento dell'acqua medesima* =, Atque a tempore cujus initium antiqnitatis tenebris obvolvitur extructus a Roncilionensi Comunitate fuit fovcus » *per condurre le Acque alla irrigazione di una quantità di Terreni a favore dei Proprietari dei fondi medesimi, ed a benefizio della Comunità, e dei divisuti Proprietarj* », uti Roncilionensis municii Rectores testantur. Si vero ea aqua ad Roncilionenses spectat, pertinet præcipue idcirco ad Vencios etiam pro eorum fundis irrigandis, cum ipsis inter principes agrorum possessores in Boncilionensi Territorio recenseantur. Interfluit præterea ea aqua per Vicanum Rivum Roncilionensium, ac præsertim Venciorum prædia; licet eis itaque ea uti aqua, eamque etiam prorsus divertere, quamvis diversio præjudicium inferret possessoribus inferiorum fundorum; etenim = *Si in mea aqua erumpat, quæ ex tuo fundo venas habeat, si eas venas incideris, et ob id desierit ad me aqua pervenire, tu non videris vi fecisse, si nulla servitus mihi eo nomine debita fuerit, nec interdicto quod vi, aut clam teneris* = uti statuit = *Lex si in meo* 21. *ff. de Aqua pluvia arcenda*, quam sequitur *Rota decis.* 597. *numero* 8. *coram Molino, et Beneventana Molendini* 16. *Junii* 1760. §.2. *curam Frangipane.* Adstipulante præterea in themate pro Venciis natura Loci, qnoad Latifundinm *Valle Oscura*, quod eorum fundis inferios est; nam exigit hic fundornm situs, quod superiores præ in-

feriori irrigentur; iniquum enim esset, ut iis in statu siccitatis relictis, aquæ ad illum inferiorem irrigandum defluere deberent, contra præscriptum *in Leg. Cod de servitute, et aqua*, quæ statuit = *Præses Provinciæ usu aquæ, quam ex fonte juris tui profluere allegas, contra statutam consuetudinis formam, carere te non permittat: cum sit durum et crudelitati proximum ex his prædiis agmen aquæ ortum, sitientibus agris tuis, ad aliorum usum vicinorum injuria propagari.*

12 Adstruitur insuper Venciorum jus ad Vicanas Aquas ex eo, quod ipsi, uti cæteri omnes Roncilionenses irrigabilium fundorum possessores, titulo oneroso potiuntur earum aquarum usu. In publico namque Censu hi fundi descripti sunt, uti = *adacquativi* =, et graviori ob hanc causam Dativæ Vectigalis oneri subjiciuntur; quapropter eo magis eorum super iis aquis dominium consistit, ad tradita per *Decis. cons*, 196. *num*. 14. *Paris. cons*. 27. *num*. 25. *Pech. de acqueductu Cap*. 3. *numer*. 25. *Bondun. Collect. Leg*. 44. *num*. 273. *Lib*. 2. *Rot. dec*. 55. *num*. 8. *coram Ratto decis*. 107. *num*. 7. *cor. Eodem Decis*. 92. *num*. 12. *cor. Olivatio, et in Aurien. Aquarum super bono jure* 4. *Julii* 1760. §. 2. *coram Ubaldo*. Animadvertendum etiam est quod Vencii possident prædium *Campo Maggiore*, aliosque Fundos, qui pertinebant ad dissolutam Culturæ Oryzæ societatem, atque eis itaque, non Maurio favet excavatio Canalis ad eos irrigandos a Rossignolio confecti, et Rescriptum anni 1806 hanc irrigationem concedens. Quibus si addatur eorum diuturna in aquarum usu possessio, fulcita inhibitionibus adversus Marianium, qui eos in illo usu turbare conabatur, ac Sententia Tribunalis Primæ Actionis Viterbii Anni 1812 alteraque Gubernatoris Roncilionis die 2. Maii anni 1820, cujus diuturnæ possessionis maxima vis est ut tradit *Rota in Firmana Remotionis Aggerum* 21. *Junuarii* 1760. §. 7. *coram Frangipane*, adeo patens efficitur eorum bonum jus, ut nequeat de hac ulla oriri dubietas. Ita vero bono eorum jure super Vicanis aquis firmiter constituto, plane consequitur, quod eis manutentio in earum aquarum possessione sit tribuenda per *Rota in Sublacen. Manutentionis* 15 *Martii* 1748. §. 2. *coram Lana*; *in Nullius, seu Sublacen. Manutentionis* 27. *Aprilis* 1750. §. 1. *coram Molino, in Placentina Manutentionis* 4. *Junii* 1753. §. 7. *coram Caprara, et in Seatina Servitutis super bono jure* 12. *Januarii* 1759. §. 9. *coram Olivatio*. Sacer tamen Noster Ordo, rectus justitiæ distributor, cum æquitatem etiam libenter amplectatur, si rerum conditio id permittat, nec ulli præjudicium afferatur, dum constare respondit de bono Venciorum jure, eisque manutentionem tribuit, modum Decisioni adjectum voluit, quod nimirum Vencii ad libitum; et libere Vicanis Aquis, ad proprios fundos quantum oportet irrigandos, utantur, sed eas inutiliter haud disperdant, atque illas, quæ culturæ supersunt, sive = *Li Scoli* = defluere sinant in commodum Præsulis Mauri, ne secus per æmulationem et in ejus odium agere videantur.

Et ita etc. Utraque etc.

SUTRINA MANUTENTIONIS

SUPER REJUDICATA

Veneris 16 *Januarii* 1824.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Manutentio non est danda illi, qui pacificam possessionem numquam habuit.*
2. *Ubi possessorium fuerit cum petitorio cumulatum, ex defectu boni juris, possessio etiamsi de ea constet, corruere debet.*

DECISIO CCVIII.

Decreto, a Gubernatore Roncilionis Anno 1817 prolato, constitutum fuit Hieronymum Camillum Mariani manutenendum esse in asserta possessione, et usu Aquarum Rivi Vicani, ortum habentis in Roncilionis Territorio, et per hoc decurrentis per plura passuum

millia, ut illæ aquæ inservirent irrigationi Latifundii *Valle Oscura* in Nepetis Territorio jacentis, frustra obsistentibus Venciis, qui sunt inter alios Roncilionenses Possessores Fundorum iis Acquis ab immomorabili ævo irrigabilium, quia portendebat Marianus adulteratum exemplar Pontificii Rescripti Anni 1806, quo ex Apografo desumi posse videbatur prætensum Mariani jus ad illas Aquas, ac in commodum illius Latifundii, quod ex Rescripti Authografo jus ei nunquam fuisse tributum apertissime constat. Circumscriptum hoc fuit Decretum a Signaturæ Tribunali Anno 1818 et Marianus illud de Circumscriptione judicium solemniter accepto habuit. At, vix Præsul Maurius Latifundium *Valle Oscura* adeptus Anno 1819 fuit, illud de circumscriptione Rescriptum ab eodem Signaturæ Tribunali revocari obtinuit; quare innixus semper adulterato illi exemplari Pontificii Rescripti Anni 1806, et Testium depositionibus, a vero prorsus aberrantibus, pro Roncilionensis Gubernatoris Decreti confirmatione stetit apud Collegiale A. C. Tribunal, a quo declaratum fuit de Causa Spolii, potius quam Manutentionis agi, atque ideo Decretum illud fuit confirmatum, ejusque exequutio fuit præscripta.

Postularunt tunc Vencii a Signatura Appellationem, quam *in devolutivo* tantum obtinuere. Re hinc ad S. N. Ordinem delata, de assertæ Reijudicatæ viribus disceptatum fuit in Comitiis diei 4 Julii superioris Anni, ac me Patres de more interrogante = *An constet de Rejudicata, seu potius de Causis restitutionis in integrum in casu etc.* = Ipsi, præ Ipsorum prudentia, rescribendum censuere = *Dilata, et videatur de bono jure; etiam ad effectum Manutentionis* =. Proposita itaque in superiori Rotali Consessu diei 12 Januarii currentis Causa super bono jure, et ab eo pendente Manutentione, nedum inter Vencios, et Præsulem Maurium, sed etiam inter alios Roncilionenses Possessores Fundorum, in Territorio Roncilionensi existentium, Vicanis Aquis irrigabilium, atque eumdem Præsulem, Responsa in utraque prodiere Venciis, ejusque Roncilionensibus Possessoribus omnino secunda, uti patet ex binis Decisionibus, ad eam diem a me editis, *Sutrina Manutentionis super bono jure*, atque *Sutrina Aquarum*, quarum prima factorum seriem, Actorumque judicialium vices, atque exitos fuse enarrat. Hodie vero, proposito a Me iterum super Rejudicata Dubio, fieri non potuit, quin dirimeretur Responso = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam* =.

1 Cum enim manifesta sit assertæ Reijudicatæ injustitia, quia manutentionem tribuit Maurio in possessione Aquarum Rivi Vicani, pro irrigatione Latifundii *Valle Oscura*, dum, tam ejus Auctor Marianius, quam ipse quovis jure ad eas aquas destituti sunt; ac præterea numquam eas Aquas ad illud effectum pacifice possederint; corruat illico oportet hæc Resjudicata, et restitutio in integrum Venciis adversus eam est tribuenda, ut ad *Text. in Leg.* 4 § 7 *ff de Rejudicata*, passim S. N. Ordo firmavit, præsertim in *Auximana, seu Anconitana Censuum* 8 *Maji* 1807 § 4 *coram Emo Cesarei*. Ad bonum siquidem jus quod spectat, cum S. Ordo in præteritis Comitiis, post Causæ definitionem antea dilatam, ut videretur de bono jure ad effectum Manutentionis, examine suscepto juris tam Maurii, quam Venciorum, ad Aquas Vicanas, agnoverit hoc jure Vencios aliosque Possessores Roncilionensium irrigabilium Fundorum pollere, non vero Maurium, eisque idcirco manutentionem tribuerit in earum Aquarum possessione, et usu, palam est Maurium nullum posse ad Aquas prædictas, nec ex propria, nec ex sui Auctoris Mariani Persona jus proponere. Possessionem vero frustra allegat, dum, si quando ante hanc motam litem Marianius in ea versatus fuit, pacifica hæc numquam fuit possessio, sed turbativa tantum illius, qua Vencii aliique prædicti Roncilionenses Possessores præditi erant, uti probant Acta Civilia, et Criminalia, ac inhibitiones, quæ adversus Marianium intercesserunt, ac Senten-

tiæ contra ipsum latæ. Quod autem post banc litem motam ab anno 1817 evenit, in pretio haberi nequit, cum litis subjectum constitnat.

2 Et sane illusorium fuisset Sacri Ordinis judicium de bono jure pro Venciis, aliisqne Roncilionensibns Possessoribus, et de eis tribuenda manutentione, si staret Resjudicata, quæ possessionem Maurio addiceret; unumque cum altero judicium pugnaret. Quin obsit Remjudicatam prodiisse, ut Maurius contendit, in possessorio judicio, et ideo haud posse in petitorio everti. Primum enim constat Decretum Roncilionensis Gubernatoris in petitorio potius, quam in possessorio judicio latum fuisse, quia, cum inhæsisset Pontificio asserto Rescripto Anni 1806 ad jus potius, quam ad possessionem Marianii spectavit. Sententia vero Tribunalis Collegialis A. C. potius quam Mauri possessionem, sive ejus Auctoris Marianii constitueret, eam exclusit, dum lata fuit perinde ac si ageretur de spolio Marianio illato, ita ut Maurio ejus Successori esset danda redintegratio ad prætensam possessionem, qua haud constitit Marianium umquam fuisse præditum. Dein vero, cum ex Sacri Ordinis Rescripto, mandante, quod disceptaretur de bono jure, a quo Manutentio penderet, possessorium ne dum fuerit cum petitorio cumulatum, sed fuerit etiam ab hoc absorptum, plane consequitur, quod ex defectu boni juris debeat possessio, etiamsi de ea constaret, prorsus corruere per *Rotam Dec.* 40 *num.* 14 *cor. Ansaldo, et Dec.* 81 *num.* 2 *cor. Eodem.* Extraneæ itaque a themate sunt Auctoritates pro Maurio allatæ, quæ procedunt in terminis puri possessorii judicii, nullo modo cum petitorio commixti, atque ab hoc haud pendentis.

Et ita etc. Utraque etc.

TUDERTINA

JURIS PASCENDI, LIGNANDI ET VENANDI

Lunae 8 *Martii* 1824.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CLIII. -

SUMMARIUM

1. *Saepe evenit, ut is, qui vicit possessorio, vincatur in petitorio.*
2. *Qui rem alienam possidet, sat est vincere per non jus actoris.*

   Ubi in concessionibus, nulla fuit facta distinctio inter cives originis, ac cives allectos, intelligitur omnes indistincte vocatos fuisse ad fruenda jura civica - ibidem. -
3. *Vocabula*, Universitatis, *atque* hominum, *latius patent, quam simplex civium mentio.*
4. *Status civitatis acquiritur etiam ex pacto, quando quis in civitatem, ejusque jura recipitur.*

   Absonum non est, ut quis duplici civilitate eodem tempore polleat - ibidem. -
5. *Quicumque retineat in civitate praedia, ac publica tributa rependat, loco civis habetur.*
6. *Ad probandum quod quis solverit canonem, satis sunt acceptilationes a legitimis exactoribus emissae.*
7. *Privatio habitum secumfert.*
8. *Quem locum, quisque occupavit ad venandum destinatum, ob eo nisi per injuriam exturbari potest.*

   Actus ad cauthelam gestus, nemini infert detrimentum - ibidem. -
9. *Decuriones, sub Municipii nomine, nequeunt lites instaurare, absque venia S. Congregationis Boni Regiminis.*

DECISIO CCIX.

Postquam Aloysius Laurenti in possessorio judicio egit primum coram Cardinali Camerario, ac deinde apud Sacrum Ordinem nostrum, ut Civium Castri *Monticuli* in Umbriæ Provincia conatus retunderet, qui contendebant, haud dandam ei esse manutentionem in possessione juris pascendi, lignandi, ac præcipue venandi in eo Montium illius Oppidi loco, qui apud Incolas an-

tiqnitus audiebat = *la femmina morta* =; absoluto demum manutentionis judicio per renunciationem liti a Monticulensibus emissam, oportuit etiam de bono jure disputare, eorumque impetum reprimere in petitorio judicio, quod primo actum est coram iis Judicibus, qui de Primis Actionibus Perusiæ jus dicunt. Cum autem inimicam sortem experti Monticulenses fuissent in priori illa actione, provocarunt statim ad Nostrum Sacrum Tribunal, ubi propositæ dubii formulæ ita conceptæ = *An*, *et cujus favore constet de jure lignandi, venandi, et pascendi in montibus emphyteuticis Montecchi communibus cum Castris S. Restitutæ, Melazzolæ, Morræ, et Morrutiorum, nec non exclusive venandi in situ nuncupat.* = *la femmina morta* = *in casu etc.* =, responderunt illico Patres Domini = *Affirmative in omnibus favore Aloysii* = veluti constat ex mea Decisione ad diem *decimam secundam* mensis Martii superioris anni in lucem edita, quæ factorum historiam latius enarrat. Facta tamen Monticulensibus potestate iterum decertandi super bono jure, ac instaurato ab eis judicio adversus Antonium Laurenti, interea defuncti Aloysii filium, cum hodie mane resolvendam Patribus exhibuissem assuetam Dubii formulam = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = Responsum protinus accepi = *In Decisis* =.

1 Et merito: Quamvis enim maximum intercedat discrimen inter judicium *possessorium*, ac judicium *petitorium*, in quorum primo nuda, ac simplex possessio sufficit, ut concedatur manutentio: e converso autem plenæ requirantur probationes, ubi de titulo possidendi quæritur, adeo ut sæpe eveniat, ut is, qui vicit in possessorio, vincatur in petitorio veluti post *Textum* in §. 1., *et* §. *Retinendæ Instit. de Interdict.* late disserit *Rota dec.* 274. *num.* 6., *et sequen. cor. Olivatio*; ea nihilominus argumenta, quæ in causa fuerunt, cur in possessione lignandi, pascendi, ac venandi in montibus emphyteuticis Oppidi *Monticuli* servaretur Aloysius, in hodierno boni juris examine maximi momenti sunt, ut idem jus lignandi, pascendi, ac venandi in defuncti Aloysii filio, ejusque familia firmum, atque integrum habeatur. Ne de jure suo decidat, sat est in primis Antonio, jugi quadraginta annorum spatio Auctores suos ad pasqua misisse pecus: occupasse rursus venationis locum: lignis in communi sylva cæsis usum fuisse, absque ulla Civium Oppidi Monticuli querela. Nam actus ii omnes, qui possessionem Familiæ Laurenti constituunt, tanto minus revocari in dubium possunt, quo magis probati a Sacri Nostri Ordini Decisionibus fuerunt, quæ prodierunt dum de possessione tantum disceptabatur, quæque tanti ponderis visæ sunt ipsis Monticulensibus, ut accepto eas habuerint, nuncium institutæ possessionis, ac manutentionis liti mittentes, veluti optime arguit prima *mea Decisio* §. 6.

Non aliter proinde poterant Monticulenses diuturnam istam Familiæ Laurenti possessionem evertere, quam si plenis, ac undequaque claris probationibus evincerent, nullo prorsus titulo eam pollere, ex quo rite, ac legitime utatur hoc jure pascendi, lignandi, et venandi, veluti utuntur cæteri Cives *Monticuli*, et alii circumjacentes Oppidani. Secus enim repelli ab judicio possunt Monticulenses unica exceptione, et juris adagio = *Quoad te liberam rem possideo* =; cum alioquin non obsit, quod non de simplici, ac materiali possessione, sed de titulo ipsius possessionis in præsens inquiratur, quia etiam is, qui alienas res possidet, licet nullam retinendi rationem habeat, non alii cogitur rem ipsam restituere, quam ei, qui intentionem suam legitime probat, ut ex Imperatorio monito *in Leg.* 1. *Cod. de rei vindicat.* expendit eadem *Decisio* §. 7. Quod si placeat concessionem interpretari, hæc inimica certe non est Civibus *ex allectione*. Nullam siquidem distinctionem fecerunt Emphytheuticæ Tabulæ inter Cives *originarios*, et Cives *allectos*, qui cæteroquin non aliter censentur frui non posse privilegiis, quibus gaudent Cives originarii, quam si expressis verbis de Civibus tantum originis mentio in concessione fiat. Quin imo celebrata fuit Emphytheusis, et concessa 2

jura fuerunt lignandi, pascendi, et venandi *Universitati, atque hominibus Castri Monticuli Civitatis Tuderti* «, sub qua dicendi formula vocati ad privilegia civica fruenda reputantur tam Cives originis, quam Cives allecti.

3 Ex hoc autem ipso, quod ad jurgia, et litigia tollenda, quæ inter Monticulenses, ac finitimorum Pagorum Cives exarserant, Sacra Boni Regiminis Congregatio, Municipiorum negociis proposita, emphytheuticam concessionem ampliavit ad conterminas regiones *Melazolis, S. Restitutæ, Murrium, et Murrutiorum*; ideoque voluit, ut eorum Cives, etsi originarii non sint Castri Monticuli, iisdem tamen juribus pascendi, lignandi, et venandi potiri debeant, denegari profecto nequit, non solis Civibus originariis Monticuli, sed domiciliariis etiam eadem jura fuisse tributa. Si namque sub nomine Civium continentur tam Cives originis, quam Cives domicilii, ut probat superior Causæ *Decisio* §. 2., multo magis hæc vocatio *Universitatis*, atque *Hominum*, quæ dictiones latius patent, quam simplex Civium mentio, comprehendere necessario debet Cives originis, et domicilii, cum nullum potissimum occurrat in concessione verbum, quod denotet ad Cives tantum originarios respexisse concedentem. Quæ autem in medium afferebatur Sacri Ordinis oracula *in Decis.* 328. *coram Rezzonico*, *et dec.* 982. *cor. Molines*, in quibus potiores visi fuerunt Cives originis, quam cives allectionis, et domicilii, extranea penitus a themate erant. Quandoquidem Decisiones illæ, et quotquot aliæ adduci possent super re controversa, de iis loquuntur dispositionibus, in quibus non modo una tantum persona dispositionis compendium assequi debebat, quo in casu Cives originarii præferendi semper sunt Civibus allectis, et domiciliariis, sed ex ipsa etiam disponentis voluntate, ac dispositionis verbis patebat, Cives *originarios* ad rei emolumentum unice fuisse vocatos.

4 Quamobrem nihil commune habent Decisiones illæ cum casu nostro, in quo absque ullo discrimine sub nomine *Universitatis*, atque *Hominum* emphyteutica concessio tributa fuit, tam Civibus originariis, quam Civibus aliis allectionis, et domicilii. Ut ut vero Familia *Laurenti originariam* civilitatem non duxerit ab Oppido Monticuli, pollet tamen eodem in loco civilitate domiciliaria, et allectitia. Cum enim compertissimum ex Jure Publico sit, status Civitatis ex *nativitate* primum acquiri, si quis nimirum a Patre Cive ex justis nuptiis nascatur: deinde *ex pacto*, quando videlicet quis in Civitatem, ejusque jura recipitur, qui actus *naturalizatio* a Juris Publici Scriptoribus appellatur; in Jure Civili propterea absonum minime est, quod aliquis duplici civilitate donetur, una *originaria*, altera *adscititia*, atque ex incolatu quæsita. Quin imo ne id quidem in jure repugnat, ut quis non duplici tantum, sed quadruplici quoque civilitate polleat, quemadmodum sane esset, si in una Civitate sortitus sit nativitatem, in alia originem, in tertia domicilium, in postrema denique privilegium, veluti ex Doctorum, et Sacri Nostri Ordinis Sententia demonstrat prior mea *Decisio* §. 10. Si itaque Familia Laurenti civilitate allectionis, et domicilii gaudet in Oppido Monticuli, necessario descendit, ut gaudere debeat iis omnibus juribus, quibus gaudent omnes Cives originarii Castri Monticuli.

5 Licet enim Cives domiciliarii, et allecti melioris conditionis esse non debeant, quam ipsi sint Cives originis, tralatitium nihilominus est, Cives domiciliarios, et allectos veros Cives haberi, veluti ac si Cives essent originis, iisdemque potiri privilegiis, juribus, et honoribus, quibus potiuntur, ac participes sunt Cives originarii. In hoc quippe casu non sunt Cives domiciliarii, et allecti melioris conditionis, sed omnino æquales cum ipsis Civibus originariis. Atqui de Civilitate domiciliaria, et allectitia Familiæ De Laurentis in Oppido Monticulo ambigi nullo pacto poterat. Non solum siquidem ex Testium depositionibus constabat, sed nec ipsi præterea inficiabantur Monticulenses, Familiam de Laurentis domo non carere in Oppido Monticuli, ad quam sæ-

pius inter annum accedit: in eodem rursus Oppido Monticuli ejusdem Familiæ Majores publica, et municipalia munia obtinuisse summa cum laude: prædia itidem possedisse, ac in præsens adhuc possidere; vectigalia demum solvisse, atque adhuc solvere, tam pro ipsis prædiis, quæ ibi jacent, quam pro pecore, quod in montibus emphytheuticis continue depascit. Quicumque autem retineat in aliqua Civitate dominium, ibique prædia possideat, ac publica tributa rependat, ex communi Doctorum, ac Tribunalium judicio illius loci Civis existimatur, quasi natus in ea Civitate fuisset, ut pariter ostendit sæpedicta *Decisio* §. 11.

6 Missis testibus, de solutione canonis dubitare non sinunt acceptilationes a publicanis exaratæ. Quocirca si emphytheuticum canonem Domino directo una cum cæteris Monticuli Civibus Familia De Laurentis jugiter numeravit, gaudere multo magis debet iis juribus, quæ in caussam ipsius Canonum solutionis tributa fuerunt. Neque enim obest, quod in tabulis, quæ fieri de istis Canonum solutionibus solent, inscriptum inter cæteras Emphytheutas nunquam reperiatur Aloysii nuper defuncti nomen, quia satis sunt acceptilationes a legitimis Exactoribus emissæ, et quia præterea nullam fidem mereri poterant in judicio objectæ Emphytheutarum tabulæ, quas abrasas, corruptas, ac pluribus mendis refertas iidem Testes dignoverant, qui cæteroquin factam ab Aloysio Canonum solutionem confirmabant, et vim ideo earumdem acceptilationum augebant. Non levis demum urget suspicio, ipsos Monticulenses attulisse tabulas clanculum, et ad opportunitatem confictas, ut iis juribus Familiam De Laurentis fraudarent, quæ ex emphyteutica concessione, atque ex observantia exercere potest, veluti ac si originaria esset Castri Monticuli.

7 Neque pariter refert, quod in Municipalibus Codicibus inter Consiliarios adscriptus idem Aloysius, recens vita functus, nullo modo legatur. Non sola enim adscriptio inter Consiliarios, et Municipes Civilitatem constituit, et aliquem Civem facit, qui alio modo probat, se Civem esse, ac Majores suos municipalibus muneribus functos fuisse demonstrat. Et levia admodum erant, quæ reponebantur de Comitiis habitis = *dalla Comune de' Baschi* = ubi interdictus fuit Aloysius jure pascendi, lignandi, et venandi. Nam præter quod haud servarunt Decuriones illi in comitiis habendis ea solemnia, quæ jugiter servari solent, nullam præterea facultatem habebant ipsi Municipes, Aloysium his juribus destituendi, quæ sibi legitimo titulo quæsiverat. Potius autem fovebant, quam inimica essent Aloysio prædicta comitia, semel ac Apostolica Perusiæ Delegatio reprobans Municipiorum arbitrium, irrita, ac nulla declaravit ipsa consilia, ac quidquid in eis fuerit constitutum. Cæterum ex eo ipso, quod Monticuli Municipes conabantur Aloysium expoliare civicis istis juribus, manifeste fatebantur, gavisum eum antea fuisse iisdem juribus, cum ex obvio juris adagio privatio habitum secumferat, ut monet laudata *Decisio* §. 12. Pronius vero duxerunt Patres servandum esse Familiæ De Laurentis jus istud civicis privilegiis fruendi, quia pascuorum usus, inspecta Romanorum jurisprudentia, communis est omnium Civium, et Incolarum, ut prosequitur eadem *Decisio* §. 13.

Quæ dicta sunt de jure pascendi, et 8 lignandi, multo magis sibi vindicant locum in jure venationis exercendo. Et inveterata quippe consuetudine receptum est inter Monticulenses quoad jus venationis, quæ adversus turdos, et palumbos copiose in illis montibus exercetur, ut quem locum sibi quisque ex Monticuli Incolis a nemine antea occupatum, ad venandum destinaverit, ibique casas, tabulatum, scalas, cellulasque construxerit, hunc proprium sui faciat, ex quo non possit, nisi per injuriam exturbari. At vero adeo sui propriam fecit Familia De Laurentis eam positionem in culmine Montis, ubi aucupium exercet, ut qui locus antiquitus vocabatur = *la Femina morta* = appellari postea cœperit ex possessione ipsa, ac venandi usu = *il posto dei Signori Lau-*

renti =. Nec prætereundum , quod ipse Aloysius Prætoris auctoritate conatus rejecit cujusdam Oppidani, hujusce litis Consortis, qui prope eum locum tabulatum fixerat ad venationem exercendam. Perperam hinc vitio vertebantur Familiæ De Laurentis *patentales*, ut inquiunt, *literæ*, seu venandi venia, quam plurimos post annos ab occupatione loci, idem Aloysius obtinuit a Nobilissima Corsiniorum Gente , quæ directa est illorum montium domina. Cum enim Familia De Laurentis non precarie, sed jure proprio, ac ex concessione emphythentica quæsito , venandi facultate in iis montibus polleat, nihil idcirco ei nocet, quod ad hoc jus magis, magisque confirmandum directi Domini placitum, et auctoritatem addere voluerit Aloysius, cum præsertim actus ad cauthelam gesti nemini inferant detrimentum.

9 Tam igitur ex litera concessionis, quam ex subsequuta observantia, cujus ope emphytheutica concessio ampliata fuit ad Cives circumjacentium Oppidorum, optime constat jus, quo ab antiquo tempore potitur Familia De Laurentis pascendi, lignandi, et venandi in montibus Castri Monticuli, etiamsi eodem Familia originaria Monticuli non sit. Corruebat proinde actio a Monticuli Municipibus instituta, quamvis rite, ac legitime ipsi judicio sisterent. Verum hoc animadvertendum occurrebat, haud posse Decuriones sub Municipii nomine, et gravibus ejus impensis lites instruere, et sustentare, nisi venia accedente Sacræ Congregationis Boni Regiminis, quæ præest Municipiorum negociis. Cum enim sæpissime non ad publicam quærendam utilitatem, sed ob privatas tantum rationes , et ob odii quandoque , ot inimicitiarum causae injustæ agantur, et calumniosæ controversiæ, merito propterea cautum est, ut nequeant Municipiorum nomine Decuriones, et Consiliarii sine peculiari venia Sacræ Congregationis ullum judicium instituere , aut judicium jam incæptum prosequi , si præcipue in prima actione Decuriones causa ceciderint, ut ad rem observat prima *Decisio* §. 5. Tum ergo extrinsecus, tum intrinsecus discussa controversia, rejicienda omnino erat actio per Monticulenses instructa, et præterita mea Decisio confirmanda, ad quam in cæteris sese PP. Domini retulerunt.

Et ita etc. utraque etc.

TUDERTINA

NULLITATIS CARCERATIONIS

Veneris 25 *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

Juxta Motum Proprium 6 Julii 1816, Milites Stationarii , poterant exequi mandatum personale , absque venia apparitoris. Neque hoc casu , testibus erat opus. Lectum debitori mandatum praesumitur, quoties ex processu apparet mandatum ipsi fuisse panditum.

SUMMARIUM

1. *In quolibet dubio , pro validitate carcerationis judicandum est.*
2. *Juxta Motum proprium* 6 Julii 1816 , Articul. 243 , *militse stationarii exequutionem personalem committere poterant , absque apparitoris praesidio.*
3. *Praedicta lex , distinctionem induxit quoad formulam processus, in casu quo exequutio committeretur a solis militibus stationariis . et in casu quo apparitoris opera adhiberetur,*
4. *In posteriori casu , militibus ipsis injunxit modum conficiendi processus.*
5. *In quolibet dubio jurisdictio comulative, nunquam privative data censetur.*
6. *Articulus* 1262 *ejusdem Codicis, refertur tantum ad apparitores* – non approvati. –
7. *In re ambiqua , dubium removet , declaratio emissa a Cardinali a Secretis Status.*
8. *Communis opinio , saepe jus facit.*
9. *Non sunt novae illae leges, quae antinomiam aliquam cum prioribus legibus , tollunt.*
10. *Testes non desiderantur in exequutione commissa a militibus , qui exequutionem nequeunt patrare , nisi sint numero plures.*
11. *Mandatum perlectum intelligitur debitori, quoties ex processu constat debitori fuisse* – reso ostensibile il detto mandato. –

DECISIO CCX.

Cum creditor esset Fabritii Gregorii Tudertini ex reliquo pretio collybisticæ

literæ in scutis *tercentum nonaginta octo* Antonius Boscaglia, ab iis Judicibus, qui de commercii, et mercatorum negociis Anconæ jus reddunt, adversus prædiprædictum suum debitorem obtinuit mandatum, cujus ope sexto Kalendas Martii anni 1821. debitor ipse luendo nomini impar, dum Roma profectus in patriam suam remeabat ex improviso apprehensus fuit a stationariis militibus, *Carabinieri* vulgo nuncupatis, et publicas Tudertis carceres illico traductus. Sed queri cœpit de nullitate conjertionis in vincula Fabritius, ideoque in judicium rapuit creditorem suum apud Judices Perusinos, qui interlocutoria primum Sententia a custodia publica educi jusserunt eumdem Fabritium, præstita tamen ab eo cautione *de stando*, ut inquiunt, *juri, et judicatum solvendo*: deinde vero, definitiva alia Sententia edita, patratam conjectionem in carcerem irritam, nullamque declararunt. Hinc, appellatione a creditore interposita, itum est ad Triumviros Tribunalis A.C., a quibus revocata fuit Perusinorum Judicum Sententia. Quo circa in hoc judiciorum discrimine dirimenda quæstio conscendit ad Sacrum Ordinem Nostrum, mihique commissa Causa, sciscitatus sum hodie mane Patres per Dubii formulam = *An constet de nullitate carcerationis, ita ut sit locus emendationi damnorum, et expensarum judicialium, et extrajudicialium, seu potius sit relaxandum mandatum de reconducendo ad carceres in casu etc.* = cui responsum est = *Negative in omnibus ad primam partem; Affirmative ad secundam* =.

1 Optime quidem controversia ex neotoricis praxeos Legibus orta, cum iisdem Legibus, cum iisdem Legibus definita fuit. Cum enim omnis juris præsumptio pro actorum validitate pugnet, et damnorum exclusione, quæ in quovis dubio, utpote opii plena, rejicienda sunt; non aliter proindo probari poterat actio a Fabritio instituta, quam si ad evidentiæ gradum ostendisset, passam in vincula conjectionem adeo insanabili nullitatis vitio infici, ut nullo pacto abstergi valeat *Gloss. in Cap. Non solum de appellat. Lancellot. de attentat. in præfat. num.* 121., *Rot. decis.* 179. *num.* 3. *cor. Benincasa, decis.* 590. *num.* 9. *cor.* Riminaldo. At levia, et nullius ferme momenti visa sunt ea *tria* nullitatum capita a Fabritio proposita, qui personalem exequutionem irritam dicebat, *quia* eam milites illi patraverant, quos vocant *Carabinieri* absque apparitoris præsentia: *quia* expleta sine testibus: *quia* facta demum, non lecto debitori mandato. Nam ad primum, quod attinet, ut antiquitus ex testimonio *Scanarol. de visit. carcerat. lib.* 2. §. 25, *num.* 1. soli satellites, apparitore remoto, remotisque testibus, debitores ducebant ad carceres; sic hodie eamdem methodum servare rite possunt stationarii milites *Carabinieri* in satellitum locum suffecti. Profecto in notissimo Motu Proprio S. M. Pii VII. die sexta Julii anni 1816, publici juris facto *sub art.* 243. demandata primo loco fuit institutio novæ cujusdam militum cohortis, quæ in unoquoque Status Pontificii loco resideret, et jussa Judicum, tum in civilibus, tum in criminalibus negociis exequeretur = *Oltre l'organizzazione delle truppe di linea, e delle Provinciali, che si sta attualmente compiendo, saranno tanto nella Capitale, che nelle Provincie prese le opportune disposizioni per regolare nella maniera più conveniente il sistema generale della forza esecutrice, in quanto è anche destinata agli oggetti che riguardono l' amministrazione della giustizia nel Civile, e nel Criminale.*

Constituta dein post unum, alterumve mensem hac militum cohorte, cui inditum est nomem *de' Carabinieri Pontificj*, prodiit die vigesima secunda Octobris ejusdem anni Pontificia Lex, cui titulus erat = *Regolamento sulla instituzione del Corpo dei Carabinieri Pontificj*; in eaque descripta fuerunt officia, et munera, quibus novi isti milites fungi debebant. Usque autem ab initio disertis verbis dictum fuit, bujusmodi militiam illam ipsam esse in præcedenti Motu Proprio promissam ad munera exequenda, quæcumque ad justitiæ administrationem, sive in civilibus rebus, sive in criminalibus pertinerent = *In virtù* (inquit citata Lex) *del Moto* 2

Proprio di Nostro Signore emanato li 14 del caduto Luglio, esisterà per la forza esecutrice, in quanto è anche destinata agli oggetti, che riguardano l'amministrazione della giustizia nel Civile, e del Criminale, un Corpo Militare, che porterà il nome di Carabinieri Pontificj = Sed, nedum in proemio Legis stationariis his militibus concessa potestas fuit personalia mandata exequutioni committendi absque apparitoris presentia, et ministerio, verum etiam multo magis *art.* 236 sub §. 4., ubi voluit prædicta Lex, quod = *i mandati d'arresto rilasciati dal Governatore, o da altre Autorità competenti potranno essere notificati ai prevenuti, e messi ad esecuzione dai Carabinieri* = Non ergo tenebantur stationarii milites *Carabinieri*, dum mandatum Anconitani Tribunalis exequutioni commiserunt, et Fabritium imparem solvendo conjecerunt in vincula, ministerium apparitoris exquirere, si potestatem personale mandatum exequendi absque apparitoris præsidio nominatim a Lege concessam habebant.

3 Idque certius retinendum erat in themate, quia eadem Lex diei 22. Octobris anni 1816. duus distinguit casus: primum, in quo placeat uti apparitoris opera in exequendis Civilium Judicum mandatis: alterum, in quo stationarios milites adbibere quis velit. In priori casu quia facile evenire poterat, ut inermis apparitor aliquid sibi metueret in exequendo mandato, providit prudentissime Lex, ut apparitor ipse posset stationarios milites evocare subsidio, ideoque cavit, quod « *Le Brigate dei Carabinieri presteranno mano forte, allorchè ne saranno richiesti legalmente dai Cursori, Balivi, ed altri esecutori dei mandati di giustizia, i quali saranno obligati a presentare le sentenze, i giudicati, e i mandati, in virtù delle quali essi domanderanno manforte ai Carabinieri* » Contra vero in alio casu, in quo eisdem militibus exequutio mandati committeretur, cum in iis ipsis armata vis inesset, quin aliunde subsidia peterentur, prædicta Lex imperavit « *che i mandati d'arresto potranno esser messi ad esecuzione dai Carabinieri* ». Hinc dictæ distinctioni inhærens præfata Lex, diversam addidit normam, et formulam conficiendi processus, tam si apparitores mandata exequutioni committant militum accito præsidio, quam si soli milites stationarii, procul ab apparitoris præsentia, mandata ipsa exequantur.

In prima siquidem specie exequutionis processus ab apparitore describi voluit, quin milites in ea re sese intermisceant, ut cautum est in *formula quarta* de processibus ordinandis, quæ eidem Legi adjungitur « *Se i Carabinieri sono accompagnati da un Cursore portante un mandato di condotta, o di arresto, non avranno bisogno di far essi il Processo verbale. Ciò riguarda il Cursore stesso. Non faranno, che indicare sopra il suo foglio di servigio le osservazioni, che avranno fatte, e che saranno verificate dal Cursore indipendentemente dalla requisizione scritta, che dovrà essere fatta a termini delle Leggi veglianti* ». Postquam vero hoc modo formula quarta munus describendi processus in apparitorem rejecit, si una cum militibus ad exequutionem mandati deveniat, ad casum alium se vertit, in quo milites soli mandatum exequantur. Hoc in casu militibus ipsis descriptionem processus injungit, et normam, modumque præbet conficiendi processus iis verbis, quæ legenda sunt sub eadem formula quarta. Si itaque utrosque casus tam bene Lex ipsa distinguit, calumniæ proximum esset obiicere, non alium a Lege præscribi modum exequendi mandata, quam ope apparitoris. 4

Vim, et auctoritatem hujusce Legis, quæ omne punctum in hac quæstione dirimenda ferebat, ipsi sentiebant debituris Fabritii defensores. Quamobrem arripere, quasi extremam naufragii tabulam, conabantur postea superventum anno 1817. Judiciarium Codicem, ex quo abrogatam contendebant præfatam Legem, quia *in art.* 1403. *et seqq.*, in quibus agitur = *dell'esecuzione sulla persona* », id præscribitur, quod ab apparitoribus fieri debet, quin ulla mentio de stationariis militibus habeatur. Semel ac tamen ex demonstratis probatum est, *cumulativam* potestatem exe- 5

quendi mandata, tam militibus stationariis *Carabinieri*, quam apparitoribus a Lege fuisse tributam, non aliter eorum alteri a posteriore Lege adempta dici posset, quam si claris, ac undiquo perspicuis verbis id fiat, cum præcipue in quolibet dubio jurisdictio *cumulative*, nunquam *privative* data censeatur. *Altimar de nullitat. Senten. rubr.* 10. *quæst.* 3. *num.* 26., *Card. de Luc. de jurisdict. disc.* 86. *num.* 6., *Rota decis.* 457. *num.* 16. *part.* 5. *Rec.* Si ergo nihil innuit Judiciarius Codex de abrogatione potestatis stationariis militibus factæ exequendi mandatum ab sque apparitoris præsidio, idipsum probat *cumulativam* istam facultatem tam apparitoribus quam militibus stationariis ex Lego tributam, confirmatam hoc Codice approbatamque fuisse.

6 Nec rem mutat alter *art*, 1262. ejusdem Codicis Judiciarii, ex quo habetur « *che l'esecuzione non potrà farsi, che dai soli Cursori approvati in conformità del disposto nel seguente articolo.* Cuique legendi articulum illum statim occurrit, mentem Legislatoris fuisse, ut ab exequutionibus in apparitores removerentur, qui non essent « *approvati in conformità del seguente articolo* », non autem, ut removarentur stationarii milites, de quibus nulla mentio in prædicto Judiciario Codice facta fuerat. Quare nemo non intelligit verba illa « *dei soli Cursori* ». super quibus ludebant, qui a Fabritii partibus, erant *adversative*, nt ajunt, referri ad apparitores non approbatos, et exclusionem secumferre, non militum, sed aliorum apparitorum, qui non essent « *approvati in conformità del seguente articolo* » Nec melior evaderet debitoris Fabritii conditio, etiamsi per hypotesim fingi vellet in eo Codicis articulo stationarios milites ab exequutionibus mandatorum fuisse remotos. Agit namqua in eo loco Codex « *dell' esecuzione sopra mobili, e semoventi*, et e converso in themate res est de mandato, et exequutione personali, de qua loquens ipse Codex nihil dixit, ut certe oportebat, quod potestatem cumulative datam, tum militibus stationariis, tum apparitoribus, aut tolleret, aut ullo modo minueret.

At omne dubium, si quod in declarissima superesse potest, profecto submovent Declarationes, quæ tum ante, tum post patratam, de qua quæritur, exequutionem in lucem prodierunt. Cum enim non deessent morosi debitores, qui nullitatem exequutionum caussabantur ex ea punctim ratione, quod patratæ fuerint a militibus stationariis absque apparitoris præsentia, exortas proinde contentiones primum sustulit ipsorem militum Dux, declaratione emissa Kalendis Maii anni 1810 in qua dicitur « *in via di massima, che se tale esecuzione sia affidata nel mandato a qualunque Agente, e Depositario della forza publica, senza incaricarne esclusivamente il Cursore, i Carabinieri potevano allora mandarlo ad effetto senza la presenza del detto Cursore e* « atque ut exemplo res esset in posterum « *il contento del disposto fu circolarmente comunicato a tutti i Commandanti delle Brigate, e dei Distaccamenti* » Majoris autem ponderis erant Declarationes aliae, quas creditor Antonius Boscaglia, cum in discrimen a debitore suo revocaretur militum potestas mandata Judicium exequendi, tum ab Almae Urbis Gubernatore, tum etiam a Cardinali a Secretis Status impetravit. 7

In earum prima dissertis verbis Præsul ille pandidit « *che i membri del Corpo dei Carabinieri autorizzati dal* §. 4. *dell' art.* 236. *dell' Organico Regolamento* 22. *Ottobre* 1816. *emanato dalla Suprema Segreteria di Stato, hanno notificato, e notificano ai prevenuti, hanno messo, e mettono ad esecuzione senza l' intervento del Cursore quei mandati civili personali, che furono, e sono per tale effetto immediatamente consegnati ai medesimi, redigendo il Processo verbale indicato dalla formola IV. inserita dell' appendice del sudetto Regolamento* » In altera vero amplissimus ille S. R. E. Cardinalis, recens vita functus, satis apto laconismo oratoris precibus satisfecit, inquiens « *che la risposta si trova nel Rescritto di Monsig. Governatore di Roma del* 26. *Agosto* 1821. Compertissimum 8

itaque est, Judicarium Codicem nunquam voluisse milites stationarios facultate illa expoliare, quam præcedens Lex eis tribuerat, Judicium mandata absque ministerio apparitoris exequutioni committendi. Quin imo hæ declarationes editae a Supremis Magistratibus officiunt, ut idoneus reapse Tribunalium mandatis exequendis, etsi non essent existimare stationarios milites *Carabinieri* vulgus debuerit ex communi opinione, quæ jus facere dicitur. Non enim ea res fraudi esse decet vulgo, qui communem opinionem bona fide sequutus est; uti de servo, qui communi opinione pulabatur Judex extat notissima Lex *Barbarini Philippus ff. de Officio Prætor.s, de qua disserit Rota coram Molines decis.* 22. *n.* 12. *et in Anagnina Divisionis, et Redditionis Rationis* 6. *Maii* 1822. §. 13. *coram Me.*

9 Perperam hinc reponebatur nullo in pretio habendas esse hujusmodi Magistratuum Declarationes, quod forte in lucem fervente lite, prodierint, et maxime cautum in jure sit, ne controversiæ juxta Leges editas post contestatam litem definiantur *Novell.* 115. *Authent. tit.* 11. *In med. lit. non fier. Sac. form. etc. Rota in Ferrarien. Exequutionis Contractus* 23. *Februarii* 1821. §. 2. *coram Emo Bussio, et in confirmatoria* 3. *Junii* 1822. §. 2. §. 7. *coram R. P. D. meo Tiberi.* Licet enim prædictæ Declarationes, fervente lite fuerint editae, nihil tamen statuerunt, quod præcedenti Legi non congrueret. Reque vera declaratio ab Almæ Urbis Gubernatore emissa expressis verbis se refertur « *all'organico Regolamento* 22. *Ottobre* 1816. *emanato dalla Suprema Segreteria di Stato* », ex quo, ceu jam demostratum est, *cumulativa* potestas tam apparitoribus, quam stationariis militibus tribuitur Tribunalium mandata exequendi. Illæ igitur Declarationes, quae praecedentem Legem confirmarunt, inani studio traduenntur, ut novae Leges, quæ antinomiam aliquam eum prioribus Legibus praeseferant. Quare concludendum est, nihil validitati personalis exequutionis nocere, quod ea expleta fuerit a stationariis militibus *Carabinieri*, absque ministerio apparitoris.

Sed neque illud nocet, exequutioni 10 commissum fuisse *personale* mandatum absque testibus; quod est alterum vitium, ex quo infectam, atque irritam exequtionem ipsam debitor dicebat. Nam testium praesentia ne in exequutionibus quidem apparitorum semper requiritur, uti passim, et præcipue ex *art.* 1266. Judiciarii Codicis videre est. At in apparitore, qui solus ad exequutionem procurrit, major aliqua ratio adest cur testium præsentia desideretur: non ita vero in militibus stationariis, qui nequeunt exequutionem patrare, nisi sint numero plures. Cum ideo alter alteri advigilet, et testis quodammodo existat, aliorum testium præsentia in exequutionibus, quæ ab iis militibus fierent, numquam necessaria fuit. Nec deficiunt hujus rei invicta documenta, quæ ipsa primum suppeditat jam alias *formula quarta* citatæ Legi diei vigesimæ secundæ Octobris anni 1816. adnexa, in qua, licet multa diligenter recenseantur, in conficiendo a militibus exequutionum processu necessaria, nullum tamen occurrit de requirenda testium præsentia vestigium. Idipsum exploratissimum quoque est ex testimonio edito ab istorum militum duce, qui inter caetera superius enucleata affirmat « *che non esiggesi l'intervento, e la presenza dei Testimonj nell' esecuzione degli arresti, i quali per conseguenza sonosi sempre indistintamente operati senza tale formalità* ». Accedit demum, personalem exequutionem a stationariis militibus patratam adversus Fabritium debitorem, tum ab Almæ Urbis Gubernatore, tum a Cardinali a Secretis Status ratam, approbatamque fuisse, quamvis ex precibus exhibitis appareret, in ea testes non interfuisse.

Tertium nunc superest vitium, quod 11 in exequutionem irrepsisse objieitur, quia mandatum perlectum coram debitore non fuit. Quoties tamen ex processu exequutionis constat debitori fuisse « *reso ostensibile il detto mandato* », jam illud descendit debitorem ipsum

cognovisse quidquid in mandato continebatur. Nam secus dici nequit debitori fuisse « *reso ostensibile il detto mandato* », nisi idem mandatum debitori legerint milites, aut illud legendum ei tradiderint. Ea igitur verba processus « *avendogli reso ostensibile il detto mandato* » eamdem vim habent, ac si ex processu pateret lectum fuisse debitori mandatum. Quamobrem nullum consistit ex iis vitiis, quibus infectam temere Fabritius accusabat passam exequutionem, quam sartam tectamque servari Patres Domini voluerunt. Neque enim plausum ullum merebantur usurariæ pravitatis querelæ a debitore propositæ quæ, non solum extraneæ a præsenti Dubii formula erant, sed nulla præterea, ne levissima quidem probatione fulciebantur. His animadversis, prone sequitur, aut solvendum esse a debitore Fabritio collybisticum nomen, aut in carceres denuo eum esse traducendum.

Atque ita etc. Utraque etc.

UTI PRELATO

VELITERNA DELETIONIS HYPOTHECÆ

QUOAD SCUTA 1000.

Mercurii 5 *Maii* 1824.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Inscriptio hypothecaria, sine credito stare non potest.*

Ex Motu proprio diei 6 Julii 1816 in Articulo 75, sancitur quod - le ipoteche si estinguono con l'estinzione della obbligazione principale - *ibidem.* -

DECISIO CCXI.

Scuta *mille* Joanni Josepho Mancinio Velitrensi cum solvere debuissent fratres Petrus, ac Joannes Corsetti, ex Rejudicata Velitrensis Vicarii, ob prædicti Mancinii creditum, et hypothecam super prædio = *Inviolata* = ab ipsis Corsettis sub hasta cum hoc onere empto, horum deinceps scutorum *mille* restitutionem coram S. N. Ordine petierunt, pluresque prodiere decisiones, ac Rotales Sententiæ inter se pugnantes, quarum altera, eisdem Corsettiis secunda, signata fuit anno 1818. sub die 8. Aprilis, a Præsule Zinanni, tunc S. R. Auditore, cujus obitum adbuc lugemus. Post hanc latam Sententiam Corsettii diei 15. Maii ejusdem Anni 1818. hypothecam inscripsere in hypothecariis codicibus Velitrarum super omnibus Mancinii Bonis in Velitrensi Districtu existentibus pro iis scutis *mille* = *dovuti in forzo di trè Sentenze Rotali, l' ultima delle quali, confermatoria delle due precedenti emonata da Monsig. Zinanni li* 8. *Aprile* 1818. *esigibile, allorchè cesserà d' inibire la rilossazione del Mandato ottenuto.*

At Causæ vices postea Corsettiis adversæ prorsus factæ fuerunt. Inducta enim Mancinio appellatione, ac prosequuto judicio, tres supervenere S. N. Tribunalis Sententiæ editæ a R. P. D. Meo Marco, R. P. D. Gamberini, et Rmo P. D. Meo Isoard, nunc S. Ordinis Decano, quæ Mancinium a restitutione prædictorum scutorum *mille* absolverunt, ac finem omnino liti imposuere, cum datum amplius Corsettiis non fuerit novam restitutionem in integrum, quamvis pluries summo, sed inani conatu, petitam, obtinere. Tunc itaque Paulus Mancini, defuncti Josephi filius, et hæres, amice primum cum Corsettiis egit de illa hypotheca, aliisque ex eadem origine deductis, et inscriptis ad summam usque scutorum *quatuor millium* delendis; sed, cum pertinaces eos invenisset, Judicis auctoritatem implorare debuit. Quare diem eis dixit coram R. P. D. Alessi Generali Auditore Emi Cardinalis Decani, Episcopi, ac Principis, Velitrensis, postulans ut = *in esecuzione delle Regiudicate Rotali, venga radiota l' Ipoteca di scudi mille iscritta sopra i Beni del defonto Gio. Giuseppe Mancini li* 15. *Maggio* 1818. *nell' Officio dell' Ipoteche di*

Velletri; = ac consonam sub die 5 Decembris 1823 Sententiam obtinuit. Provocantibus vero Corsettis, res ad S. Nostrum Tribunal pro definitione remissa, ac mibi, *uti Praelato*, comissa fuit. Hodie itaque proposui dubium = *An sit delenda inscriptio in casu etc.* =; sed judicium refugerunt provocantes; hinc responsum incunctanter fuit datum *pro Informante*, Mancinio, nempe = *Affirmative* =.

1 Nec aliud unquam prodire poterit in hac Caussa judicium, donec stent Res judicatæ S. N, Ordinis, quibus Corsettiis adempta est omnis spes repetendi a Mancinio scuta *mille*, ejus parenti soluta in dimissionem Crediti, quo is pollebat cum hypotheca super fundo *Invialata*, ab ipsis Corsettiis acquisito. Evanuit quippe ex hisce rebus Judicatis quodcumque Fratrum de Corsettis adversus Mancinium creditum, desumptum ex eorum prætenso jure assequendi prædictorum scutorum *mille restitutionem*. Eliminato idcirco hoc Credito; deleatur statim oportet inscriptio hypothecæ pro eo in hypothecarios Codices Velitrarum relatata; cum inscriptionem hypothecariam sine Credito stare non posse, nedum cuique naturalis sensus suadeat, sed apertissime etiam sancitum fuerit notissimo Motu Proprio San. Mem. Pii VII diei 6 Julii 1816 in Articulo 73, Regiminis Hypothecarii quod = *le ipoteche si estinguono con l'estinzione della obbligazione principale* = ac = *con la Regiudicata in stato eseguibile, che dichiara estinta, o l'obbligazione, ovvero l'Ipoteca, che ne è affetta* =; et sub Art. 77 ejusdem Regiminis = *La delezione deve essere ordinata dai Tribunali per deficienza, illegittimità, ed estinzione del titolo, sul quale è appoggiata l'Iscrizione.* Nullum autem dubium, quod sint = *in stato eseguibile* = prædictæ Resjudicatæ Rotales, declarantes haud subsistere prædictum fratrum de Corsettiis creditum; nam eis quævis restitutio in integrum ab iis rebus Judicatis constanter denegata fuit; deletio igitur hypothecæ pro eo credito inscriptæ jure decreta fuit Sententia R. P. D. Auditoris Generalis Velitrensis, ac per necesse idem esse debuit S. N. Ordinis judicium, cum constet de = *estinzione del titolo, sul quale è appoggiatu l'iscrizione.* =

Et ita, meo quoque accedente suffragio, resolutum fuit; Unica etc.

UTI PRAELATO

VELITERNA DELETIONIS HYPOTHECÆ

QUOAD SCUTA 300.

Veneris 7 Maii 1824.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. Ruente crediti capite, exulat etiam accessorium, nempe usura.
Abradi debet inscriptio, nullo titulo fulgita - ibidem. -

DECISIO CCXII.

Dum mordicus Fratres Petrus, et Joannes Corsetti in judicio urgebant Joannem Josephum Mancinium ad restitutionem scutorum *mille*, quot ei ex rejudicata Velitrensis Vicarii numerare debuerunt in solidationem crediti, quod is habebat adhuc contra Comitem Antonelli, cui Credito cum hypotheca subiiciebatur prædium *Invialata*, ab ipsis Corsettiis sub corona emptum; hoc pendente judicio, die 12. Augusti 1808 interpellationem ipsi emiserunt adversus Mancinium *Castrensium Requisitorum* pro fructibus dictorum scutorum *mille* ad rationem *dextantem*. Deinceps vero, post editam eorum favore S. N. Ordinis Sententiam a Præsule Zinanni, tunc S. Rotæ Auditore, pro assequenda horum scutorum *mille* restitutione, nedum hypothecam pro hoc capite in hypothecariis Codicibus Velitrarum inscripsere, ad quam spectat decisio S. Tribunalis a me vulgata post judicium editum in præteritis Rotalibus Comitiis diei 5. Maii currentis, sed aliam etiam una simul die 15. Maii 1818. in eosdem Codices referri curarunt super

omnibus Mancinii bonis, quæ ipse in Velitrensi Territorio possidebat » *per sicurezza*, *e pagamento della somma di scudi* 300. *dovuti per frutti decorsi sopra la sorte di scudi mille in ragione del dieci per cento*, *ed anno*, *e dovuti dal giorno dodici Agosto* 1815. *a tutti li* 11. *Agosto* 1818., *risultante dall'interpellazione dei Requisiti Castrensi, fatta al Debitore sin dal giorno* 12. *Agosto* 1808, *e successivo Decreto dei* 23. *Agosto detto Anno emanato dall' Emo Decano.*

Conversa, uti narrat prædicta mea Decisio diei 5. hujusce mensis Maii, judicii vice, tribusque editis rebus Judicatis S. Nostri Ordinis, quarum postrema ex Sententia a Rmo P. D. Meo Isoard, nunc S. Nostri Ordinis Decano, signata die 9. Augusti 1822. atque ex iis denegata prorsus Corsettiis dictorum scotorum *mille* restitutione, sollicitus fuit Paulus Mancinius, defuncti Joannis Josephi filius, et hæres, de obtinenda hujusce etiam hypothecariæ inscriptionis quoad scut. 300. deletione; amice primum Corsettiis rogatis, ac dein proposita apud R. P. D. Alessi, Eminentissimi Cardinalis Decani, Velitrarum Episcopi, ac Principis Auditorem Generalem, instantia sub die 13. Aprilis 1823. ad hoc ut » *in esecuzione delle Regiudicate Rotali venga radiata l' ipoteca di scudi* 300. = ac Sententia, a prælaudato Auditore Generali lata die 18. Junii 1823. hæc fuit inscriptionis deletio decreta. Interposita per Corsettios ab hac Sententia Appellatione; et quæstione ad S. Tribunal ablegata, datoque mihi munere, *uti Prelato*, interrogandi Patres sub formula Dubii » *An sit delenda inscriptio in casu etc.* = Responsum hoc mane prodiit, vadimonium Corsettiis deserentibus » *pro Informante* Mancinio seu = *Affirmative* =

1 Usuræ quippe accessoriæ sunt capitis Crediti, quod fructus gignere valeat. Cum itaque Resjudicatæ Rotales constitnerint, nullum jus Corsettiis esse ad assequendam a Mancinio restitutionem scutorum *mille*, quæ ei persolverunt ad liberandum ab ejus credito, et hypotheca fundum » *Inviolata* =; plane consequitur, quod inane prorsus factam fuerit prætensum ipsorum creditum, ex cujus capite usuras *decunces* ipsis per Mancininm debitas asserebant. Ruente itaque *principali*, sive crediti capite, exulat statim, et *accessorium*, nempe asserta ejus usura. Quapropter, uti sæpius memorata mea Decisio diei 3. hujusce Mensis Maii, innixa sanctioni notissimi Motus proprii San. Mem. PP. Pii VII. die 6. Julii anni 1816. Regiminis hypothecarii, delendam esse statuit hypothecariam inscriptionem in Velitrenses Codices a Corsettiis pro eo prætenso scutorum *mille* capite relatam, ita per necesse hodie a S. N. Ordine decerni debuit, ut altera abradatur inscriptio, ad praetensas illius capitis usuras pertinens.

Et ita me quoque, uti Prælato, suffragante jus dictum fuit, Altera tantum etc.

VERULANA DELETIONIS

INSCRIPTIONIS PRIMOGENITURAE

Lunae 4 Junii 1824.

ARGUMENTUM

Valor fideicommissorum eruitur - *dalle stime catastrali accresciute di un terzo rispetto ai fondi rustici, e riguarda agli urbani da quelle del censimento.* - Praeterea quodlibet fideicommissum, coostare debet scutis quindecim millibus, io rebus soli, ac detractis omnibus oneribus, tam io proprietate, quam in osofructu. Si jura fideicommissi sint valde ambigoa, licet haeredi gravato super iisdem traosigere, ac traosactio observari debet a futuris vocatis.

SUMMARIUM

1. *Delenda est ea inscriptia fideicomissi, cujus aestimatia in rebus soli, summam non aequat a lege praescriptam.*

   Fideicommissorum valor eruitur, - dalle stime catastrali accresciuto di un terzo rispetto al foodi rustici, e riguardo agli urbani da quelle del censimeoto. - *ibidem.* -
2. *Fundis constituentia fideicomissa, detrahi etiam debeat, onero quae ipsis inhaerent.*

3. *Posita perfecta communione, bona pro medietate dividi debent.*
4. *Ad pensitandum bonorum valorem, valde conferunt instrumenti tabulae.*
5. *Fideicommissorum valor, in scutis quindecim millibus, constituitur, detracto onere dativae realis.*
6. *Detrahenda quoque sunt a valore fideicommissorum, onera alimentorum, et annuarum praestationum.*
7. *Faeminae, deficientibus bonis liberis, jus ad expungendam dotem ab ascendentali fideicommisso habent, ex* Auth. Res. quae.

   Lex fideicommissorum valorem exemptum voluit ab omni onere, nedum in proprietate sed etiam in usufructu - ibidem. -
8. *Testator nequit bona aliis subjecta fideicommissis copulare cum fideicommissa a se ordinato, ac immutare successionis ordinem.*
9. *In quolibet dubia dispositio est retinenda similitudinaria, et a priori fideicommisso prorsus diversa.*
10. *Novum fideicommissum condere voluisse testatorem argui debet, ubi nullum verbum adest, ampliationis, unionis, et aggregationis.*
11. *Diversitas personarum, quae vocatae fuerunt in fideicommisso, discrimen inducit inter unum fideicommissum, ac alterum.*
12. *Ex eo, quod quis ratum habuit alterum testamentum, ob id diversum voluisse condere, censendum est.*
13. *Non licet transigentibus praejudicium inferre vocatis ad diversa fideicommissa.*
14. *In computando fideicommissi valore, non jura, et actiones, sed res tantum immobiles spectari debent.*
15. *Actiones, licet reales, et rei vindicatoriae, recenseri non possunt inter res incorporales.*

   Haeres gravatus potest transigere, super bonis fideicommissariis quaestionibus obnoxiis - ibidem. -
16. *Quousque suppetant res mobiles ad dimittenda debita, non sunt bona fideicommissaria distrahenda.*

DECISIO CCXIII.

Decori non minus, quam diuturnitati Familiæ de Mobiliis ex Oppido S. Joannis in Campanorum Provincia, utprospicerent ejus Majores, quatuor, spatio paulo plusquam sæculari, fideicommissa condiderunt. Primum, ac dividuum quidem, et perpetuo progressurum fideicommissum instituit anno 1689. super omnibus suis bonis Carolus Maria Senior I., ad cujus emolumentum, æque vocavit singulos, quos habebat filios, Benedictum nempe, Joannem Baptistam Seniorem, Franciscum Antonium, et Jacobum, adjecta inter eos, eorumque filios, et Successores reciproca substitutione, si quis forte ex vocatis sine liberis obiisset. Unus germanis fratribus superstes fuit Joannes Baptista Senior, in quem propterea pervenerant tum fideicommissaria patris bona, tum alia quoque, quæ ex præmortuorum fratrum hæreditatibus, vel ab intestato, vel ex testamento sibi quæsiverat. De bonis ad se libere pertinentibus, propriaque industria, ac frugalitate auctis, disponere cupiens anno 1742. ipse Joannes Baptista Senior, alterum ordinavit fideicommissum, ad cujus compendium, quamvis primo loco nominasset geminos filios suos Carolum Seniorem II., ac Franciscum Mariam, his tamen substituit pluribus sub conditionibus ejusdem Caroli filium primo natum, aut primogenitum ex Francisco Maria, si Carolus, desiderata masculorum prole, decessisset.

Eodem enim successionis ordine diu, semperque servato, non modo quamlibet legitimæ, ac Trebellianicæ detractionem prohibuit, sed jussit etiam, ut hæredes gravati tenerentur propria bona libera huic fideicommisso adjicere in majorem masculorum ab ipsis descendentium utilitatem. Voluit præterea, ut unus tantum ex vocatis cujuslibet gradus juxta patris arbitrium uxorem duceret, ac fideicommissaria substantia potiretur, cæteris exclusis, quibus congrua super eodem fideicommisso reliquit alimenta Juxta paternam itaque voluntatem unus Carolus Senior II. Matrimonium iniit cum Angela Pompili, ex quo ortum habuere Joannes Baptista Junior, ac Maria Gratia. Franciscus vero Maria Sacerdotium, optimam partem elegit, ac tertium erga nepotem suum Joannem Baptistam Juniorem, ac alios primogenitos ab eo postea descendentes de propriis bonis instituit fideicommissum, iisdem sub legibus, ac conditionibus, quas pater suus Joannes Baptista Se-

nior I. præscripserat. Ex his omnibus testamentariis dispositionibus evenit, ut Joannes Baptista Junior, qui tunc solus masculus supererat ex Mobilia Familia, possessor evaserit trium fideicommissorum Caroli Senioris I., Joannis Baptistæ Senioris, atque Francisci Mariæ, unaque simul hæreditates liberas retinuerit, quæ, tam a patre Carolo Seniore II, quam a Matre Angela Pompili, et Maria Gratia Sorore ei interim obvenerant. Cum autem quinque ab uxore sua Anna Bisleti suscepisset filios masculos, scilicet Carolum Juniorem, Aloisium, Petrum, Vincentium, ac Jacobum, et insuper fæminas quatuor, Rosam nempe, Cælestem, Magdalenam, ac Cæciliam; conscriptis idcirco testamenti tabulis anno 1787 pridie Kalendas Maii. quarti, ac postremi in Familia sua fideicommissi auctor fuit, de quo hodie potissimum disputatio fervet.

Si nonnulla namque Pia Legata, et annua onera excipias, in cæteris bonis, Majorum vestigia sequens, Primogenituram jussit erga filium suum Carolum Juniorem primonatum, ejusque descendentes masculos cum eodem Primogenituræ ordine, rejectis per modum regulæ fæminis. Dum vero primonatis consuluit, non omnino fæminas, ac natu minores omisit. Primis siquidem, aut dotem in scutis *bismillibus*, auctam deinde ad scuta *bismillia quingenta*, si nupsissent, aut congrua alimenta, præter certam pecuniæ summam testandi causa constitutam, si innuptæ domi mansissent, a primogenito præstari voluit; masculis autem alimenta pariter, ac annuam pecuniæ quantitatem, juxta varios casus augendam, reliquit ea cum lege, ut hæc in annos singulos præstatio vices legitimæ portionis suppleret, nec quidquam aliud iidem masculi natu minores assequi de paterna substantia possent; notissima alioquin adhibita *Soccini* cauthela. Post confectas tamen hujusce testamenti tabulas cognovit Joannes Baptista Junior in eo se quodammodo perturbasse Majorum dispositiones, quod primogeniti electionem, æquo, ac prudenti patris, et Primogenituræ possessoris arbitrio in eis commissam, ab uno, ac fortuito nativitatis beneficio pendere in elogio suo mandaverat. Qua de re, ut errorem corrigeret, ac voluntati priorum fideicommittentium obsequeretur, codicillum exaravit Anno 1795. decimo sexto Kalendas Decembris, in quo ratam, probatamque habuit Primogeniturae institutionem » *salva sempre la facoltà, ed arbitrio del padre possessore pro tempore della Primogenitura di poter presceglière tra tutti i figli, e nominare il primogenito successore.*

Obiit Joannes Baptista Junior Anno 1807., eoque elato, haereditatem illius secundum tabulas occupavit Carolus Junior, qui caeteros praecellebat aetate. Acquieverunt elogio paterno faeminae omnes, de congrua dote plerumque sollicitae. At masculi, Caroli Junioris fratres germani natu minores, tum jura multa proposuerunt adversus avita fideicommissa, tum maxime resistere caeperunt paternae dispositioni. Contendebant enim primo, virilem portionem sibi competere super fideicommisso dividuo Caroli Senioris I., qui omnes aeque filios, ac descendentes, despecto nativitatis ordine, ac privilegio, ad fideicommissum ipsum invitavit. Inquiebant secundo, deducendam esse a primogeniali fideicommisso Joannis Baptistae Senioris congruam alimentorum quantitatem, quam ipse fideicommittens omnibus nepotibus, caeterisque filiorum descendentibus omnino reliquit. Tertio dicebant, jus sibi esse ad legitimam portionem consequendam super medietate patrimonii, quod Presbyter Franciscus Maria indivisum cum germano fratre Carolo Seniore II. possidebat. Facultate praeterea usi, quam filiis ipsis in testamento suo concesserat pater, summis viribus affirmabant, eamdem legitimam portionem addicendam sibi esse super fideicommissaria patris haereditate. Postremo denique virilem successionem pestulabant super alia haereditate eorum Matris Annae Bisleti, quae intestata praedecesserat.

Has tamen omnes quaestiones, interpositis Jurisconsultorum virorum officiis, sustulit amica transactio, *ad diem decimam sextam Novembris* Anni 1807. publicis in tabulis inita, in qua, cum aequa, et justa visa fuerint jura omnia a natu minoribus proposita, hinc oportuit uniuscujusque patrimonii vires expendere, ut inde cognosceretur, ad quam pecuniae summam eadem natu minorum jura pervenirent. Descriptis propterea ex communi transigentium consensu patrimoniis, facile patuit, haereditatem Caroli Senioris I. juxta Censuales Codices aestimari in scutis *septem millibus, et uno*, obulisque *nonaginta*. Sic etiam constitit, simul junctas haereditates, tam Benedicti, quam Joannis Baptista Senioris, iisdem inspectis Censualibus tabulis, ad summam evchi argenteorum nummorum *quinque millium quingentum triginta quatuor*, ac obulorum *quadraginto octo*. Perspicuum rursus fuit, deductis ab haereditate Praesbyteri Francisci Mariae nominibus, tum medietatis dotis Annae Bisleti, tum alterius medietatis Pii Legati in scutis *bismillibus septuaginta duobus*, obulisque *decem septem* censualis aestimationis reliquam ea esse. Expunctis demum ab haereditate Joannis Baptistae Junioris debiti omnibus, et oneribus haud levem summam conflantibus scuta *quindecim millia octingentum nonaginta unum*, et obulos *quinquaginta* censualis valoris eam conficere transigentes cognoverunt.

Expensis uniuscujusque patrimonii viribus, illud quoque patuit, natu minorum jura, tum in causam virilis successionis ad dividuum fideicommissum a Carolo Seniore I conditum, tum ob Legitimam eis debitam super medietate hæreditatis a Præsbytero Francisco Maria relictæ, et ad Carolum Seniorem II spectantis, tum demum ratione paternæ legitimæ, ac virilis portionis super materna hæreditate, summam attingere argenteorum nummorum *novem millium biscentum quadraginta septem*, et obulorum *quadraginta octo*, præter annuam præstationem scutorum *sexaginta*, quam quilibet ex natu minoribus alimentorum titulo sibi vindicabat super Primogenitura a Joanne Baptista Seniore instituta. Seposita itaque hac annua præstatione, quam primogenitus Carolus Junior in singulos annos sese soluturum promisit fratribus natu minoribus, ad omnem tollendam jurgiorum, et litium occasionem, servandamque in familia pacem, pro reliquis juribus cessit Carolus Junior in prædicta transactione eisdem fratribus natu minoribus bona omnia, quæ extant = *nella Terra di Civitella* =, ab hæreditate Angelæ Pompili sibi obventa, et quorum æstimatio in scutis *quatuordecim millibus tercentum quadraginta octo, obulisque septuaginta sex* longe excedebat credita fratrum natu minorum superius enucleata.

Ad tramites hujusce transactionis fratres ipsi natu minores, non modo sese obligarunt istorum bonorum partem, quoad summam scilicet scutorum *bismillium octingentum* et obulorum *septuaginta sex* integram semper servare pro indemnitate fideicommissi a Carolo Seniore I conditi; verum etiam nuncium miserunt = *A tutti i diritti, e ragioni, che ad essi competono, o in qualunque modo spettar dovessero in tutte le sudette eredità, non esclusa quella del detto loro Padre* = In rerum suarum possessione unusquisque manebat, cum anno 1816 die *sexta* Julii in lucem prodiit notissimus Motus Proprius S. M. Pii VII in quo Pontifex ille inductam ex Gallicis Legibus fideicommissorum abrogationem confirmavit, eaque tantum ad vitam restituit, quorum æstimatio, in rebus soli, summam saltem attingeret argenteorum nummorum *quindecim millium*. Tunc ratus Carolus Junior, tanti valere Primogenituram a patre suo Joanne Baptista Juniore institutam, quanti nova Lex Pontificia requirebat, eodem anno 1816 pridie Kalendas Januarii primogeniale vinculum in publico tabulario, ut lex ipsa ferebat, inscribendum curavit, eaque occasione ad scuta usque *viginti quinque millia* Primogenituræ valorem extulit, cumulatis nempe sub primogeniali fideicommisso bonis omnibus un-

dequaque derivatis. At cito cognovit errorem, et grave præjudicium, quod inscriptio ipsa primogenialis vinculi filiis suis natu minoribus attulerat.

Hac de causa anno 1820 die 6 Decembris, dum solemniter protestatus fuit coram tabellione, ac testibus = *che per mero sbaglio, ed errore, ed indotto da falsi, ed insussistenti motivi procedette alla iscrizione* =, revocavit quosque = *l'Atto inconsiderato di detta iscrizione* = inquirens præterea = *che l'iscrizione medesima debba esser cancellata affatto, e tolta di mezzo, ed i beni che sono indicati in detta iscrizione si debbano intendere liberi, e sciolti da qualunque vincolo* = Videns tamen, haud satis esse hanc protestationem, ut vim adimeret inscriptioni, supplex deinde adiit recolendæ Memoriæ Pontificem Pium VII, ab eoque facultatem imploravit disputandi, *tamquam in prima*, coram Sacro Nostro Ordine de viribus inscriptionis. Venia facile obtenta, jam imminebat dies agendæ quæstionis, cum ipse Carolus Junior, lethali morbo correptus, supremum diem obivit, condito antea testamento in quo non modo probavit anteactam protestationem, ac jussit ut ad exitum perduceretur controversia inscriptionis vinculi primogenialis Sacro Ordini commissa; sed etiam æquis partibus hæredes sibi nuncupavit filios omnes, tam masculos, Franciscum nempe, ac Fortunatum, quam fœminas, Olympiam, scilicet, Annam Rosam, Angelam Mariam, Cæciliam, ac Joannam Baptistam. At Franciscus natu major, qui Primogenituram ab avo suo Joanne Baptista Juniore institutam inhiabat, unam præ oculis habens inscriptionem primogenialis vinculi a patre emissam, ex Decreto Præsidis Tribunalis Frusinonis possessionem nactus est, jure vocationis, bonorum omnium ad controversam Primogenituram pertinentium, et aliorum quotquot erant.

Notitia possessionis accepta, tam a Joanne Baptista Franchi de Cavaleriis, cui Carolus Junior exequutionem voluntatis suæ commiserat, quam ab ipsius defuncti Vidua Maria Franchi, ii statim in aciem venerunt, cæterorum filiorum nomine, a Pontificio Auditore petentes, ut captam circumduceret possessionem. Quoniam vero jam ablegata fuerat ad Sacrum Tribunal princeps de inscriptiono controversia, a qua quodammodo pendere videbatur quæstio circumscriptionis; ita hujusce quoque litis definitio ad Sacrum Nostrum Ordinem delata fuit. Hinc in Comitiis dici *decimæ tertiæ* Maii anni 1822 primam proposui Dubii formulam, quæ respicit inscriptionem = *An sit delenda inscriptio Primogenituræ, seu potius sit servanda in casu etc.* = cui Patres responderunt = *Dilata, et ad D. Ponentem pro deputatione Periti Curialis qui referat, habito respectu ad fideicommissa, et ad transactionem anni* 1807 *de valore Primogenituræ Joannis Baptistæ Junioris* =. Quæsitum deinde fuit in Comitiis diei 3 Junii ejusdem anni de Circumscriptione possessionis, ope formulæ Dubii = *An sit locus circumscriptioni possessionis in casu etc.* = quam, nondum definita principe lite super inscriptione, Sacer Ordo censuit dirimendam *Negativo* Responso, ut testis est Decisio a Me ea die, et anno evulgata, sub titulo *Verulana Primogenituræ super Circumscriptione*. Post hæc, cum Advocatus Ludovicus Semprebene, cujus curæ referendi munus a Me, uti Causæ Ponente, commissum fuit, suam in lucem edidisset relationem, in qua fideicommissorum singulorum valorem longe infra summam a lege præscriptam constituit; ac in eo advertit, quod si etiam fideicommissa cumularentur ab utroque Joanne Baptista condita, nec non a Francisco Maria, distinctum enim procul a dubio quolibet patet fideicommissum Caroli Senioris primi, vix summa exurgeret scut. 16737 77, quoties tamen ratio non habeatur detractionum, quas judicio Patrum reliquit instaurata idcirco controversia, primævam hodie mano Patribus exhibui Dubii formulam super inscriptione ac Responsum retoli = *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam* =.

Delenda enim est ea inscriptio fideicommissi, cujus æstimatio in rebus soli summam non æquat a lege præ-

scriptam. In præfato siquidem Motu Proprio S. M. Pii VII diei 6 Julii anni 1816: disertis verbis cavetur Art. 133, quod = *la durazione dei fidecommissi conservati nel precedente articolo non avrà luogo, che negli immobili complessivamente ascendenti ad un valore al di sopra di scudi quindici mila* =. At vero nullum ex quatuor fideicommissis, quæ in Familia de Mobiliis instituta fuisse demonstratum est, scutorum *quindecim millium* valorem attingit, ut fuse demonstravit in relatione sua Curialis Peritus, Censuales tabulas sequutus transactioni adnexas anni 1807, neque a tabulis discrepantes, quas hodie attulit Franciscus. Et re quidem vera, ut ab ipso priori fideicommissi conditore Carolo Seniore I exordiamur, bona tam rustica, quam urbana ab eo subjecta fideicommisso vix quantitatem conficiunt scutorum *septemmillium*, et obulorum *nonaginta*, veluti ipsæ docent Transactionis tabulæ anni 1807, in qua transigentes declararunt = *costare essa eredità in rubbia novantotto, coppe tre, e tre quartucci* di *terreno, e* di *molte case considerate l'una, e l'altre del valore di scudi settemila, e baj.* 90 *a forma del Ristretto Lett. J. N. L. e degli estratti dai Registri d'intavolazione riporta ti nei fogli Lett. D. F. dagli infrascritti Nobili Contraenti sottoscritti, qui inseriti ed allegati* = Non quidem prætereundum est, cumdem Motum Proprium, in quo fideicommissorum valor constituitur in scutis *quindecim millibus* = *libero, ed immune da ogni debito, peso, e detrazione* = voluisse pariter *art.* 139, ut hic valor erui debeat = *dalle stime Catastrali accresciute* di *un terzo rispetto ai fondi rustici, e riguardo agli urbani* da *quelle del Censimento.*

2 Sed, etiamsi tertia pars Censualis æstimationis, quæ conficit scuta 2070. 59 $\frac{1}{2}$, bonis rusticis a Carolo Seniore I relictis addatur, adhuc tamen summam habemus, ut calculanti patet, scutorum 9072 59 quæ longe inferior est summæ a lege præfinitæ, quamvis nulla fiat detractio Legitimæ, quam detrahi posse transigentibus visum fuit, cum ipse fideicommittens Legittimæ prohibitioni non adjecerit *Soccini* cauthelam. Mox succedit fideicommissum alterum, quod scripsit anno 1743. Joannes Baptista Senior. At tanto minorem fuisse hujusce fideicommissi valorem, constat ex eadem Transactione anni 1807, in qua scriptum est = *che l' Eredità del fù Giovanni Battista Seniore consiste a forma del detto foglio Lett. A num.* 2 *e della citata intavolazione riportata ai fogli, came sopra sottoscritti. Lett. E. F. qui inseriti, ed allegati in Rubbia ottantaquattro, e due quartucci di terreno, ed in diverse case, considerate le prime, e le seconde del valore di scudi* 5534 48. Nam bona rustica scutis 4280 47 æstimantur: bona autem urbana non excedunt valorem scutorum 1371 51 juxta censuales tabulas, quas præ oculis transigentes habuerunt. Cum vero ab his summis simul collectis detrahenda sit quantitas scutorum 117 50 pro annuo Missarum onere, hinc tota bonorum æstimatio in supradicta summa scutorum 5534 48 coercetur, cui si addas tertiam valoris partem pro bonis rusticis, vix aestimationem assequimur scutorum 6961 30 $\frac{1}{3}$ ut liquet ex arithmetico calculo.

Millium vero fuit pondus fideicommissi a Francisco Maria instituti. Retinuerunt enim transigentes esse = *l'Eredità della bo. me. Francesco Maria Mobilj a forma del citato Ristretto Lett. A num.* 3, *e dei fogli sottoscritti, e desunti dai Registri d'intavolazione qui inseriti Lett. D. F. consistente in Rubbia trentasei ed una quarta di terreno, ed in molte case oltre a diversi censi descritti negli altri fogli Lett. I anche come sopra sottoscritti, e quì inseriti del valore in tutto di scudi* 2072 17. Addatur modo ad tramites Motus Proprii, huic quantitati augumentum tertiae partis, quæ summam efficit scutorum 690 82$\frac{1}{3}$ at integrum Francisci Mariæ fideicommissum ad scuta 2762 89 $\frac{1}{3}$ ascendere palam erit, quæ certe longissime distant ab ea summa fideicommissorum, quam Lex Pontificia præfinivit. Cæterum expugnenda est ab hoc fideicommisso medietas hujus summæ, quia cer- 3

tum est, et in ipsa transactione constitutum, Franciscum Mariam perfectam vitæ, bonorumque communionem cum germano Fratre Carolo Seniore II servasse. Ita a Patrimonio Francisci Mariæ medietate bonorum avulsa, hæreditatem ea auxit Caroli Senioris II, ac Joannis Baptistæ Junioris, cujus filii natu minores in prædicta Transactione legitimam portionem super eadem medietate sibi vindicarunt. Quare nullum hactenus ex tribus istis fideicommissis quantitatem æquat a nova lege præscriptam. Illud denique videndum superest, an summam scutorum *quindecim millium* attingat Primogenitura, cujus auctor fuit Joannes Baptista Junior.

4 Non dubium, quin post obitum Joannis Baptistæ Junioris Primogenialia ejus bona summam constituerint scutorum 28927 21. Non dubium pariter, quin, expunctis ab hac quantitate debitis hæreditariis, additaque præterea medietate bonorum a Francisci Mariæ patrimonio deducta, reliqua fuerit Joannis Badtistæ Junioris Primogenitura cum incremento tertiæ partis quoad bona rustica in scutis 16927 58 $\frac{1}{2}$ quæ summam a lege præfinitam excedunt, ut in relatione sua Curialis Peritus ostendit. At vero non spectandum est tempus obitus Joannis Baptistæ Junioris; sed imo tempus initæ concordiæ anni 1807, cujus vi fratres Mobilii natuminores, tam pro juribus ad avita Familiæ fideicommissa sibi competentibus, quam pro aliis juribus super paterna Primogenitura, bona omnia *Civitellæ* consequuti fuerunt, quæ maximam ipsius Primogeniture partem constituebant. Ex hac itaque cessione bonorum factum est, ut quæ Primogenitura valoris ante initam transactionem erat scutorum 16028 58 $\frac{1}{2}$, Transactione expleta, usque ad levem summam scutorum 4660 70 $\frac{1}{2}$ decrescere cœperit. Quamvis autem, tum ex juris censura, tum ex convento subrogationis pacto huic quantitati addantur scuta 2800 76 pro bonis fideicommissariis Caroli Senioris I una cum tertia parte hujus summæ in scutis 933 53 $\frac{1}{2}$ nihilominus vix scatet summa scutorum 8395, quæ valorem a lege demandatum nullo modo conficiunt.

Exploratum itaque est, singula familiæ de Mobiliis fideicommissa Summam a lege statutam haudquaquam æquare. Prædictam vero summam ne æquant quidem ipsa fideicommissa simul addita, si fiant, ut fieri omnino debent, onerum omnium detractiones. Pontificia namque Lex, quæ fideicommissorum valorem constituit in Scutis *quindecim millibus* voluit etiam, ut hic valor esse debeat = *libero*, *ed immune da ogni debito*, *peso*, *e detrazione*= Qua posita legis sanctione, sit utique momento temporis illorum fideicommissorum summa in Scutis 25048 72, ut per errorem censuit Carolus Junior. At hæc summa bona omnia complectitur, nulla habita ratione onerum, quæ bonis ipsis inhærent, quæque necessario supputanda sunt. Et primo quidem deducendum est vectigalium onus, quæ nostris hisce diebus, ob publicas necessitates, ad ingentem summam excreverunt. Non enim ambigendum est, quin sub iis nominibus = *debito*, *peso*, *e detrazione* =, de quibus rationem haberi voluit Lex Pontificia in constituendo Fideicommissorum valore, contineantur quoque vectigalia Principis, ut in re simili definivit Sacer Ordo *in Romana Deletionis Inscriptionis Fideicommissariæ* 2. *Decembris* 1822 *coram R. P. D. meo Tiberio*, *in Assisien. Deletionis Hypothecæ* 20 *Junii* 1823 § 15 *coram R. P. D. meo Martinez del Campo*, *et in Confirmatoria* 12. *Decembris ejusdem anni* § 8 *coram eodem*. 5

Præter vectigalia detrahendum quoque est aliud onus alimentorum, et annuæ præstationis, quam sub variis casibus augendam filiis natu minoribus reliquit Joannes Baptista Junior Primogenituræ institutor. Si namque paternæ domi mansissent una cum primo nato filii natu minores, tunc voluit, ut hæres suus teneretur eis solvere = *l'annua somma di scudi* 84 *oltre il vitto, e commodo di abitazione comune.* Iis vero, qui a paterna domo recedere voluissent, ab eodem hærede 6

præstari jussit annuam summam scutorum *centum quadraginta quatuor*. Cæteris denique, qui sese Romam transtulissent, studiorum causa, annuam præstationem scutorum *biscentum sexdecim* constituit. Hic autem alimentorum, et annuæ præstationis modus, et ordo non modo servandus est ex voluntate Testatoris quoad fratres natu minores prioris vocati, et primogeniti, sed etiam quoad alios natu minores ulteriorum graduum in perpetuum = *senza alcuna dimostrazione, o alterazione* ut idem Joannes Baptista Junior in suis codicillis explicavit. Quod si in prima vocatorum sede quatuor aderant filii masculi natu minores, eorumque numerus in posterum augeri poterat; nemo non intelligit, haud levem oportere pecuniæ summam, ut omnium natu minorum tam extantium, quam futurorum alimoniae, et exhibitioni consultum sit.

7 Alimentorum, et annuae prestationis onus sequitur aliud quod Primogeniturae possessori imposuit Testator, tribuendi nimirum singulis filiabus conspicuam dotem Scutorum *bismillium*. Si ergo quinque ad lucem dedit filias Primogeniturae conditor, facile est colligere, bas omnes faeminas, quae, seposita etiam Testatoris voluntate, ac deficientibus bonis liberis, jus ad expungendam dotem ab ascendentali fideicommisso habuissent ex *Auth. Res. quæ Commun. de legatis* Primogeniturae valorem minuere in scutis *decem millibus*. Neque hic sistunt detractiones. Idem deinceps Joannes Baptista Junior, ut Praelatitiam in Romana Curia pro descendentibus suis Dignitatem erigeret, enixe mandavit = *che di detta eredità debba lasciarsi a moltiplico ogni anno la quantità di scudi trecento, sino a tanto che se ne formi un capitale di scudi diecimila, il quale debba in seguito servire di dote, ed antiparte a quello tra i figli cadenti, che si metterà in Prelatura.* Nec profuit excipere onerum istorum aliquod non proprietatem bonorum, sed eorum fructus gravare. Quoties enim Lex generaliter loquuta est, ac fideicommissorum valorem exemptum voluit ab omni nomine, onere, et detractione, nitidam legis dispositionem evertere conaretur, qui distinctionem proprietatis, et fructuum in medium afferret, veluti alias monuit Sacer Ordo in dict. *Assisien Delationis Hypothecae* 12. *Aprilis* 1823. § 8 *coram R. P. D. meo Martinez del Campo*.

Huc re perducta, omittenda non sunt debita omnia, quae reliquit Joannes Baptista Junior. Certum sane est quod relicta debita summam constituebant immanem Scutorum 13055 71. At non aeque certum est an dimissa fuerint nec ne: Vix immo patent praestita scuta 4370 71: superessent itaque nomina in scutis 8665. Si ergo a Fideicommisso omnibus familiae de Mobilis, licet simul additis, ac unum valorem efficientibus, haec onera detrahantur, jam manifestum est, ne umbram quidem Primogeniturae manere. Verum animadversione dignum est fideicommissis ipsa numquam simul addita, ac conjuncta fuisse, sed, ad *similitudinem* instituta, *similitudinaria* ut inquiunt censeri solum posse, re tamen vera inter se omnino diversa ac distincta. Non ambigui profecto juris est, posse quemlibet Testatorem disponere, ut bona sua conjungantur cum fideicommisso jam instituto, ejusdemque leges, ac normam accipiant, *Card. de Luc. de Fideicom. disc* 252 *per tot.* At nequit certe Testator jubere, ut bona aliis subjecta fideicommissis copulentur cum fideicommisso a se ordinato, mutatisque legibus a priori Testatore indictis, novum successionis ordinem, novumque vinculum inducere, ac ita praejudicium vocatis inferre. Leg. si duobus § sed quia Cod. commun. de *Legat. Fusar. de substit, quaest.* 532 *num.* 24. *Costantin. vot. decis.* 82 *num.* 53. *Rota in Rec. decis.* 475 *num.* 13 *part.* 19 *coram Falconerio tit. de donat. decis.* 1 *num.*1 *coram Rezzonico*; *decis.* 210 *num.* 13, *et in alia hujus Causae Decisione Verulana Primogeniturae super Circumscriptione* 3 *Junii* 1822 § 7 *coram Me.* 8

Ex eo autem, quod valeat unosquisque Testator bona propria subjicere fideicommissis jam ordinatis, eorumque 9

legibus, ac succedendi ordini, exarsit antiquitus, ut refert *Bonfin. de jure fideicommiss. tit.* 1 *disput.* 36 *num.* 39 *et seq.*, acerrima quaestio inter celebres Jurisconsultos *Decium*, ac *Soccinum Juniorem*, utrum scilicet haec secunda dispositio ampliet primum fideicommissum, cui se testator accommodavit, veluti censuit *Decius*; vel potius reputanda sit dispositio tantum *similitudinaria*, et a priori fideicommisso prorsus aliena, et diversa, ut existimavit *Soccinus Junior*. In foro tamen et apud Doctores praevaluit opinio *Soccini Junioris*, adeout, nisi verba testamenti hujusmodi sint, quae manifestam ostendant disponentis voluntatem bona sua ad vetus fideicommissum aggregandi, in quolibet dubio retinendum est, fideicommissum ad *similitudinem* tantum alterius institutum fuisse, ac similitudinarium esse *Fusar. de substit. quaest.* 498 *num.* 5 *et* 7; *Peregrin. de fideicom. disc.* 119 *num.* 3; *Rot. coram Coccino decis.* 1748 *num.* 7 *decis.* 432 *num.* 14 *coram Merlino*; *decis.* 162 *num.* 9 *coram Peutinger*, *et decis.* 1023 *num.* 20, *et sequen. coram Molines.* Ad tramites porro harum regularum juris ad trutinam modo revocentur quatuor fideicommissariae dispositiones Familiae de Mobiliis, ut inde cognoscatur an aliquod ex hisce quatuor fideicommissis aggregatum potius quam *similitudinarium* reputari debeat. Nulla sane quaestio oriri potest de fideicommisso, quod primum instituit Carolus Senior I, Nunquam enim de eo fit mentio vel in Testamento Joannis Baptistae Senioris, vel Francisci Mariae, vel denique Joannis Baptistae Junioris.

10 Quin imo cum fideicommissum omnino dividuum ordinaverit Carolus Senior I ejus dispositio toto caelo distat a dispositionibus Joannis Baptistae Senioris, et Francisci Mariae, qui Primogenituram electivam instituerunt. Neque ex eo, quod Franciscus Maria de propria substantia Primogenituram erexerit cum iisdem legibus, et conditionibus, quibus suam erexerat Joannes Baptista Senior, concludendum idcirco est, voluisse Franciscum Mariam propria bona adjicere fideicommisso ejusdem Joannis Baptistae Senioris, illudque ampliare, ac extendere. Nam, si excipias hunc legum, et conditionum aequalitatem, nullum certe adest verbum *ampliationis*, *unionis*, *aggregationis*, nullumque argumentum invenitur ex quo recte argui valeat intentio disponentis sua bona ad praedictum fideicommissum aggregandi. Voluit imo Franciscus Maria de bonis suis novum, distinctumque fideicommissum condere, ad quod primo loco vocavit Joannem Baptistam Juniorem ex fratre Nepotem, ac deinde = *il figlio maschio primogenito da nascere dal medesimo, e così di grado in grado in infinitum, volendo che l'eredità in perpetuo senza alcuna diminuzione vada da primogenito in primogenito figlio maschio della famiglia, ed agnazione Mobilj.*

Postea quoad alienationem prohibitionem se retulit ad paternum testamentum, jubens = *che tal sostituzione in infinito debba regolarsi nella stessa maniera, che ha disposto la buona memoria di mio Padre sul particolare di tal fideicommisso*, ed *ordine* di *discendenza in mancanza di figli maschi, ed in qualunque altro caso cogli stessi patti, e condizioni, come se le stesse parole fossero qui apposte, e descritta de verbo, ad verbum* = Contra vero paternum testamentum *compendiosam* continebat vocationem descendentium masculorum, ex qua rite ambigi poterat, an comprehensi etiam essent *cognati* masculi, quos certe juxta celebre *Fulgosii Cons.* 85 descendentium nomen amplectitur; *Rota decis.* 334 *numer.* 4 *coram Caprara*, *decis.* 311 *numer.* 7 *coram Ratto*, *et in Reatina Fideicommissi* 8. *Februarii* 1754 § 3 *coram Vicecomite.* Ita pariter in testamento Joannis Baptistae Senioris nullam vocationis sedem faeminae obtinuerunt, quae perpetuo a successione removebantur favore masculorum. E converso Presbyter Franciscus Maria casum prospiciens, quo haeres suus sine prole decederet sororem ei substituit, et filium masculum ab ea nasciturum. Nullum quidem magis aptum dari potest argumentum ad demonstrandum fi- 11

deicommissorum discrimen, ac illorum similitudinem tantum inducendam, quam illud, quod trahitur a vocatione in fideicommisso *referente* carum personarum, quae vocatae in fideicommisso *relato* non fuerunt; *Bonfin. de jure fideicomm. disput.* 35. *num.* 46, *de Comit. decis. Senen.* 35 § 1 *num* 44: *Rota in Recent. decis.* 205 *numer.* 2 *coram Emerix decis.* 432 *numer.* 16 *coram Merlino.*

12 Quamobrem no fideicommissum quidem Francisci Mariæ aggregatum ad alind Joannis Baptistæ Senioris dici potest. Multo autem minus aut ad fideicommissum Francisci Mariæ aggregatum renunciari valet postremum fideicommissum Joannis Baptistæ Junioris, qui hæredem sibi nuncupavit filium primogenitum, eique substituit primogenitos masculos ex masculis, exclusis per modum regulæ foeminis, ac multas hinc posuit vocationum sedes ab aliis fideicommissorum institutionibus omnino diversas. Nulla deinde in hoc elogio mentio occurrit fideicommissi a Francisco Maria instituti, ideoque tantum verbum aliquod excidit de fideicommisso Joannis Baptistæ Senioris, quia voluit Testator, ut hæredis nuncupatio vices electionis primogeniti suppleret. Aliqua fortasse dubitatio oriri posset quoad codicillum ab eodem Joanne Baptista Juniore conscriptum, in quo videns, paternum arbitrium nomioandi primogenitum ex omnibus filiis, nativitatis ordine despecto, se quodammodo perturbasse, dum primogenitum nominavit, eique primogenitos semper substituit ac cupiens propterea = *di uniformarsi esattamente alle dette testamentarie disposizioni dei maggiori* =. Primogenituram a so conditam confirmavit = *salva sempre la facoltà, ed arbitrio del Padre possessore pro tempore della Primogenitura di poter prescegliere tra tutti i figli, e nominare il primogenito successore* = Sed hac tantum in re prioribus dispositionibus sese accomodavit Joannes Baptista Junior, cum in reliquis ratum habuerit testamentum prius conditum, quod diversum ab aliis majorum dispositionibus fuisse, manibus ferme contrectatur.

His animadversis, nemo non intelligit, nullum ex quatuor fideicommissis Familiæ do Mobiliis *aggregatum* censeri posse ex disponentium voluntate. Nec asserta aggregatio desumi potest ex concordia anni 1807. Primum enim non licebat transigentibus præjudicium inferre vocatis ad diversa fideicommissa. Dein adeo certum est ipsos transigentes ab hac aggregatione abhorruisse, ut videntur immo hunc transactionis illius effectum fuisse, atque scopum, ne distincta, quæ erant, fideicommissorum jura confunderentur. Hinc fideicommissorum singulorum præcipua habita ratio: Hinc curatoris deputatio, ut, quoniam suis quæque fideicommissa legibus regebantur, et vocationibus, nulla fieret injuria futuris vocatis. Hioc pactum, ut fideicommisso Joannis Baptistæ junioris tot subrogarentur ex bonis Caroli Senioris I, quot ex bonis hisce debita fuissent natu minoribus, sed avulsa potius fuerant ex fideicommisso illo, ut narratum. Hinc pactum, ut quæ ipsa bona cesserant natu minoribus pro suis juribus ad fideicommissum Caroli Senioris = *restassero vincolati allo stesso fidecommisso a forma del Testamento del precitato Carlo Mobilj Seniore* = Huc, ot plura alia pacta. 13

Perculsus enim vero Franciscus hujusce rei veritate ad primogenituram Joannis Baptistæ junioris Avi sui redibat, et perperam cessa patruis fuisse bona *Civitellæ* contendebat, quæ ad eamdem Primogenituram spectabant et plus ex transactione illa retulisse natu minores, quam ex jurium suorum periculo sperare potuissent. Quæ objiciendi ratio, præter quam quod magnam involuebat contradictionem; aut enim transactio non placebat, et tunc neque licebat illam invocare ad inducendam fideicommissorum aggregationem, pro qua totis viribus pugnabat Franciscus: aut transactio illa placebat, et tunc no in hac quidem parte licebat eam impugnare: præter id, inquam, diluebatur objectum responso, quod jure ne, an injuria in Transactione anni 1807 pro juribus suis obtinuerint natu minores bona omnia *Civitellæ*, inquiren- 14

dum in hoc judicio non erat, in quo hoc unice ad examen revocabatur, an singula Familiæ de Mobiliis Fideicommissa summam æquent a lege præscriptam, adeo ut servanda, vel delenda potius sit vinculi primogenialis inscriptio a Carolo Juniore litigantium patre inconsulto, et per errorem emissa. Aut valida, et justa, aut nulla, et injusta ea fuerit Transactio, parum refert, quia semper verum est, ea bona a fideicommisso absoluta fuisse, et actionem tantum vocatis competere ad ea vindicanda. Atqui in computando fideicommissi valore non jura, non actiones, sed res tantum immobiles, idest prædia urbana, vel rustica spectari debent = *La durazione dei fideicommissi conservati nel precedente articolo non avrà luogo, che negl' immobili complessivamente ascendenti ad un valore al di sopra di scudi quindicimila*, ut ait alias cit. art. 133 Motus Proprii diei 6 *Julii* 1816.

15 Jura enim, et actiones, licet *reales*, *et rei vindicatoriæ* propter litium ambages, et dubium earum eventum nunquam recenseri possunt inter res *incorporales*, ac tertium bonorum genus constituunt a mobilibus et immobilibus rebus prorsus diversum *Leg. a Divo Pio* § *In venditione ff. de Rejudic.*; *Tiraquell. de Retractu* § 1 *gloss.* 7 *n.* 11; *Bertazzol. de claus.* 27 *gloss.* 6 *n.* 2; *Rota in Recent. decis.* 83 *num.* 16 *part.* 6 *et decis.* 106 *num.* 23 *part.* 9 *tom.* 1. Cæterum Transactio anni 1807 quamvis iis solemniis destituta, quæ in alienatione fundorum fideicommisso subjectorum requiruntur, tanta justitia fulcitur, ut impugnari nequeat, et multo minus rescindi a successoribus jure proprio venientibus; *tum* quia nullam patiebantur ambiguitatem jura a natu minoribus proposita; *tum* quia transactio super his juribus inita maximam continet bonam contrahentium fidem; *tum* demum quia Transactionis tempore nullus aderat timor deletionis fideicommissorum, quæ postea accidit. Nemo autem ignorat, hæredem gravatum liberam a jure facultatem habere transigendi super bonis fideicommissariis quæstionibus obnoxiis, et hanc transactionem ab ipso hærede gravato sub bona fide initam religiose servandam esse a successoribus *Leg. Præses Cod. de transact. leg. Cum hæreditas* 36 *ff. ad Trebellian.*; *Peregrin. de fideicomm. artic.* 62 *num.* 88; *Gratian. discept. forens.* 949 *num.* 1; *Urceol. de transact. quæstion.* 50 *num.* 1 *Rot. decis.* 726 *num.* 2 *coram Caprara*; *decis.* 472 *n.* 1 *coram Olivatio, in Verulana Transactionis super bono jure* 4 *Februarii* 1737 § *Quid coram Calcagnino, et in Æsina Immissionis* 26 *Martii* 1756 § 4 *cor. Borull.* Redibat illud tandem; quod, et si transactione destructa, Joannis Baptistæ junioris fideicommisso restituerentur vel quæ millia scutorum excedebant, debitum, vel bona etiam omnia *di Civitella* omnia tamen obsorberentur detractionum descriptarum causa.

Spernenda demum erat exceptio, qua 16 idem Franciscus oportuisse dicebat, ut natu minorum nomina rerum mobilium, ac pecuniæ opo dimitterentur. Quousque sano suppetunt res mobiles ad dimittenda fideicommittentis debita, juris disciplina non patitur, ut bona fideicommissaria distrahantur *Leg.* 1 *et Leg.* 5 § *Non passim ff. de reb. cor. qui sub tut.*; *Gratian. discept. forens.* 570 *num.* 12; *Rota decis.* 402 *num.* 4 *cor. Celso.* At si res mobiles satis non erant dimittendis debitis, quæ ipse vivens contraxerat Joannes Baptista Junior, non poterit Carolus Junior, qui transactionem fecit, iisdem rebus mobilibus uti, ut ea nomina dimitteret, quæ hæreditati inhærebant tam ex avitis familiæ fideicommissis, quam ex nova ipsius Joannis Baptistæ Junioris dispositione. Si igitur, neque uti singula, neque simul addita Familiæ de Mobiliis fideicommissa summam efficiunt a lege præfinitam, ut sarta tecta supersint, piaculum esset, eadem reluctante lege, inscriptionem servare vinculi primogenialis, quam ideo Patres Domini prorsus deleri jusserunt.

Et ita VV. OO. DD. resolutum fuit, utraque etc.

ALATRINA

SUPER OBSERVANTIA JURIS PRIVATIVI.

Veneris 26 *Novembris* 1824.

ARGUMENTUM

Solus Summus Imperans potest concedere jus privativum, et quid fuerit in eo comprachensum patet ex tenore chirugraphi. Verum semel legitime acquisitum jus privativum, ac presertim titulo oneroso, et cui adstipuletur observantia, legem constituit, et idem jus cuilibet alteri adimit.

SUMMARIUM

1. ***Jus privativum concedi non potest nisi a Summo Imperante.***
2. ***Quid in jure privativo fuerit comprehensum, patet ex precibus postulantis, et ex Chirographo concessionis.***
3. ***Chirographum SSmum, adsolet confirmari publico Instrumento.***
4. ***Qui jus privativum asserit, nedum de concessione, sed quod ipsum jus fuerit jugiter servatum, ostendere debet.***
5. ***Qui non curavit quod eligeretur peritus, eo ipso acceptam habuit sententiam in ea parte, super qua peritus referre debebat.***
6. ***Laedere qui pertentat jura privativa novo opere hoc aut demolire, aut in alios usus convertere debet.***
7. ***Jus privativum quod quis acquisivit titulo oneroso, et cui adstipuletur observantia, legem constituit.***

   Id singulare habet jus privativum, quod, uni concessum, cuilibet alteri ademptum censetur. - ibidem. -
8. ***Ex eo, quod peritus vir ad cognoscendam aedificii qualitatem deputatus fuerit, sequitur, privativum jus fuisse in genere probatum.***
9. ***Appellatio, juxta pragmaticorum adagium, trahit ad se currum, et boves.***
10. ***S. Tribunal nunquam dubitare solet de propria jurisdictione.***
11. ***Illi qui jus privativum abdicat, sunt reficiendae omnes expensae.***
12. ***Pretia rerum intra decennii spatium solent mutari.***

DECISIO CCXIV.

Quamquam ex Sacri Nostri Ordinis Sententia, quam duo conformes praeiverunt Decisiones a R. P. D. meo Marco in lucem editae, demandata fuerit observantia juris privativi, quo in Aletrii Civitate ex Pontificiis Chirographis ab antiquo tempore potitur Familia de Tofanelliis, in aedificio nimirum aere proprio constructo, ac certa cum mercede purgandi ab oleo pannos, quos in suis officinis Aletrini textores conficiunt: ad tramites tamen judicialis declarationis a Francisco Antonio de Tofanelliis emissae, qua, nihil de jure privativo sollicitus, illico se dimissurum promisit, dummodo Aletrini mercatores sumptus refunderent pro eodem jure inducendo ac conservando a se, et a majoribus suis impensos, rectissime putarunt Patres Domini, terminum unius mensis, ad accepto habendam oblationem, mercatoribus esse praestituendum, quo elapso, ad tollendas jurgiorum occasiones jusserunt, eligendos esse peritos viros, qui congruam justamque mercedem pro unoquoque panni volumine ab oleo purgato constituerent. Provocantibus ab hac Sententia mercatoribus, ac mihi commissa Causa, factum exinde est, ut hodie mane proponerem assuetam Dubii formulam = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.*, cui merito, silentibus ex mali juris conscientia mercatoribus, responsum est = *Sententiam Rotalem esse confirmandam.*

De una privativi juris observantia, 1
non de ipso privativo jure, quaestio ab Aletrinis Mercatoribus excitabatur. De ipso siquidem jure privativo ambigi nullo modo sinebant gemina Pontificia Chirographa, quae S. M. Pontifex Benedictus XIII obsignavit, deindeque rata habuit Clemens XII; qui etiam ad perpetuam rei memoriam in Fiscales codices referri ea voluit. Cum enim plures essent Aletrii apud Hernicos officinae ad tenendos pannos constitutae, non alii nihilominus initio exacti saeculi texebantur panni, nisi rudes admodum, et impoliti, quibus solum agricolae, hominesque gregarii uti solebant. Nonnulli quoque aderant textores, qui aemulatione ducti sequi nitebantur texendi modum, et politiorem formam laneorum pannorum quibus utuntur Arpinates. At videntes, experientia edocti, se nihil proficere posse, tum quia arte, aedificio, et

machinis ad pannos laneos ab oleo purgandos carebant, tum quia deficiebant nummi ad has res comparandas omnino necessarii, consilium cæperunt enixe rogandi concivem suum Franciscum Antonium seniorem de Tofanelliis, non incelebrem Romanæ Curiæ Advocatum, ac amplissimi S. R. E. Cardinalis Camilli Cybo Auditorem, ut auxilium opemque eis ferret, ac ædificium una cum machinis ad pannos expurgandos propriis sumptibus erigeret.

2 Benemereri autem de patria sua cupiens Franciscus Antonius senior, ac laneorum pannorum opus, et commercium augere, supplex adivit recolendæ memoriæ Pontificem Benedictum XIII., ut totius illius Provinciæ utilitati prospiciens concedere sibi dignaretur fatiscentem ac dirutam ædem prope flumen *Aquosam* ad Fiscum spectantem una cum circumjacenti agro exilis æstimationis scutorum *undecim*, et aquæ usu, ubi coustruere posset ædificium ad pannos ab oleo purgandos idoneum, interdicta cæteris potestate similia ædificia in universa Alatrii Diæcesi construendi. Post exquisitam hinc opinionem cl. mo. Cardinalis Hannibalis Albani, tunc S. R. E. Camerarii, et Cardinalis Imperiali, negociis præpositi Sacræ Congregationis Boni Regiminis, exeunto Martio anni 1726 solemni obsignato Chirographo, Pontifex ille Oratoris aunuit votis, in hunc modum jubens = *Desiderando di contribuire* (sunt verba Chirographi) *al vantaggio de' nostri Sudditi, col presente Chirografo di Nostro Moto proprio ordiniamo, che in Nostro Nome diate, e concediate al sudetto Francesco Antonio Tofanelli per se, e suoi Eredi, e Successori qualsivogliano in perpetuo il sudetto Casaleno per la costruzione, e fabbrica della Valca, e spurgo dei panni, ed il gius, e libera facoltà di potersi servire, o valere dell'uso, e comodo dell'acqua, e far lavorare privativamente quanto ad ogni altra persona tanto in essa Città di Alatri, e suo Territorio, quanto in altri Luoghi della Diocesi* =.

3 Pontificium Chirographum subsequuta deinde fuit publici Instrumenti stipulatio. Fervebat itaque opus constructionis ædificii, cum alter ex concivibus Alatrinis, malo ferens animo Ponficis concessionem, jactitare cæpit sese ad limites Diæcesis ædificium alterum erecturum fore, si res bene Tofanellio cessisset. Ædificatione idcirco infecta, rediit statim Tofanellius ad Sacratissimum Principem, ac insidiosi hominis ostentationem proponens, facile obtinuit mense Junio posterioris Anni, ut alterum obsignaretur Chirographum, publici Instrumenti stipulatione postea confirmatum, quo prædictum Tofanellii privativum jus expurgandi in proprio ædificio pannos ad mille passus extra Diæcesim Aletrinam ampliatum fuit, ac ad tollendam exterorum pannorum introductionem præterea fuit præscriptum, ut peculiaris nota pannis apponeretur. Quamobrem incæptam ædificationem ad exitum illico perduxit Tofanellius, ac non solum ingentem pecuniæ vim argenteorum nummorum circiter *quinque millium* in ædificii constructionem, ac machinarum emptionem impendit, verum etiam non paucos Arpini artifices, et onerarios evocavit, quo facilius Alatrinates textoriam artem edíscerent. Et revera nummis, industria, vigilantia, ingenio adeo profecit Franciscus Antonius senior, ut brevi viderit in meliorem formam conversam laneorum pannorum texturam, eorumque speciem, auctum tam in patria, quam extra, commercium, divites demum factos ex negociatione concives, ut expendunt etiam ex amplissimis testium dictis præteritæ Decisiones, utraque § 3.

Exploratum itaque est, oneroso titulo Tofanellios sibi quæsivisse jus privativum expurgandi pannos, quo nunquam ipsi in tam longa annorum serie, quot a die concessionis ad hoc usque tempus prætcrlapsi sunt, abusi ullo modo fuerunt. Dum enim aliis in locis, ubi hujusmodi adsunt ædificia, pro quolibet panni volumine, quod certam excedere nequit mensuram, scuta *duo* cum *dimidio* solvuntur, exigere ii semper scuta dumtaxat *duo* consueverunt, quemadmodum in præsens etiam exiguntur. At, si de jure privativo nefas est dubitare, æque certum est, ipsum privativum jus a fa- 4

cta concessione ad præsens usque tempus, per annos propemodum *centum*, jugiter fuisse servatum. Etsi namque anno 1751 Alatrinates, ut sæpe accidit ex ea Pontificia concessione locupletati, mores corrumpere cæperint, acceptique a Tofanellio beneficii immemores, in discrimen adducere tentaverint jus privativum, dum inter cæteras nugas ajebant quoque, haud satis esse ædificium ad omnes expurgandos ab oleo pannos, qui in Alatrina Diæcesi texebantur, acta tamen, et discussa Causa coram peculiari trium Romanæ Curiae Praesulum Congregatione, septimo Idus Junii ejusdem anni 1751: rescriptum demum prodiit = *Quoad primum Chirographum signatum sub die* 20 *Martii* 1726 *coadiuventur probationes, et quoad secundum signatum die* 9 *Junii* 1727 *prævia aperitionis oris, non esse attendendum*.

5 Deletum utique fuit ex hoc Rescripto posterius Chirographum S. M. Benedicti XIII., quo jus privativum ad millo passum extra Diæcesim ampliaverat. At sartum, et incolume mansit primum Chirographum, quo jus privativum expurgandi ab oleo pannos Tofanelliis fuerat concessum intra limites Aletrinæ Diæcesis. Instaurata siquidem controversia penes eosdem Præsules, litigantium juribus consultum fuit ex novo Rescripto = *Quoad primum Chirographum dilata, et ad mentem; et mens est, quod sumptibus mercatorum eligantur duo Periti, qui recognoscant, et referant statum, qualitatem, et sufficientiam ædificii* =. Cum vero ab eo tempore nunquam curaverint Aletrinates, ut ad rescripti tramites eligerentur periti viri, qui de hisce rebus referrent, sed injustam imo litem deseruerint; propterea rescriptum ipsum in rem judicatam transiit, firma tantum manente quæstione *sufficientiæ*, *vel insufficientiæ* ædificii, ut pariter narrant superiores Causæ Decisiones, prima § 4 et 7., secunda § 3. Quod si omnis quæstio huc redibat; utrum sciilicet ædificium a Tofanelliis constructum satis esset, nec ne expurgandis pannis, qui in Aletrina Diæcesi texebantur, hinc nemo non videt nullam oriri contentione de ipso jure privativo. Attamen post alios annos *undeviginti*, anno scilicet 1770 surrexit alter ex mercatoribus Aletrii, qui minime veritus jus privativum familiæ de Tofanelliis, et jugem ejus ubservantiam, ædificium alterum expurgationis laneorum pannorum intra limites Diæcesis clanculum construxit.

Sed Pontificius tunc temporis Auditor, ad quem querelas suas Tofanellii detulerunt, provido decreto hominis audaciam compescuit, qui aut ædificium ipsum demoliri, aut in alios usus convertere coactus fuit. Cæterum ab eodem anno 1770 ad hoc usque tempus constantissime servarunt Aletrinates jus privativum Tofanelliis oneroso titulo tributum, neque de eo queri, et clamare quis amplius ausus est, si excipias Jesualdum quemdam Vincignerra, qui ædificium aliud, evulgato programmate, construere minitans huic controversiæ causam præbuit. Subductis proinde calculis, manifeste patebat, per annos fere *quinquaginta*, et amplius tranquille, et nemine prorsus contradicente, Tofanellios jure privativo gavisos fuisse. Harum probationum vim, et pondus augebant plures testes, ac fide dignissimi qui affirmabant = *Che la Famiglia Tofanelli gode da tempo antico un Edifizio ad uso di spurgo posto in questo Territorio sul fiume Cosa destinato a purgare dall' olio i panni fini, che si fabbricano in questa Città, e che la medesima ha sempre goduto, come gode tutt'ora, il diritto privativo di fare eseguire un tale lavoro nel sudetto Edifizio, per cui non è stato permesso mai ad altri di farlo* =. 6

Quocirca si nunquam disputatum fuit de jure privativo, ne in ejus possessione diu versati fuerunt Tofanellii, non est ob injustas unius mercatoris jactantias eorum turbanda possessio, ut allatis juribus, innuit prima Decis. § 8., et secunda dict. § 3. Nam, etiamsi maximus sit libertatis favor, ac maximum servitutis odium, non hæc tamen adeo progrediuntur, ut jus privativum destruant, quod oneroso titulo aliquis sibi quæsiverit, cum præcipue juri privativo adstipuletur etiam observantia, et quidem centenaria, quæ legem constituere dicitur. *Rota in Avenionen. Mo-* 7

tendini 13 *Martii* 1739 § 3 *coram Vicecomite*, *in Recineten. Molendini super bono jure* 5 *Julii* 1762 § 2 *coram Mannelli, in Prænestina Juris molendi quoad triticum* 15 *Martii* 1776 § 2 *coram Ratta, et in Tyburtina Juris privativi* 6 *Maii* 1791 § 3 *coram cl. me. Card. Malvasia*. Non erat ergo permittendum, ut in fraudem privativi juris a Tofanelliis obtenti novum construeretur opificium pro laneis pannis ab oleo purgandis, quia jus privativum est jus præcipuum, ac singulare privilegium, quod, uni concessum, cuilibet alii ademptum omnino censetur *Cyriac. controv. forens.* 462 *num.* 36 *Henrig. de Molendin. quæst.* 10 *n.* 1 *Rota post Gob. de aquis decis.* 6 *num.* 1., *et in Tyburtina juris privativi super novis molendinis* 6 *Maii* 1791 § 2 *cor. cl. me. Card.. Malvasia.*

8 Nec quidquam juris sibi adscribere poterant Jesualdus, aliique litis consortes aut ex Rescripto peculiaris Congregationis, quo demandata fuit deputatio peritorum hominum, qui de ædificii a Tofanelliis extructi qualitate referreat, aut ex evulgato programmate, quo Jesualdus ipse novum ædificium sese constructurum fore declaravit. Ex hoc ipso namque, quod periti viri ad cognoscendam ædificii qualitatem deputati fuerunt, jam illud sequitur, privativum jus, ejusque observantiam necessario probatam fuisse, cum potissimum huic judicio acquieverint Aletrinates, nec unquam solliciti fuerint de ipsis peritis viris eligendis, ut controversiæ exitum obtinerent. Nedum autem parvi pendendum, sed contemnendum omino erat programma a Jesualdo propositum, quia huic controversiæ causam præbuit, nullumque titulum suppeditare potest actoribus ad convellendum jus privativum huc usque servatum. *Constantin. Vot. decis.* 500 *num.* 9 *tom.* 4 *Magon. decis. Florentin.* 4 *num.* 1. *Rot. decis.* 255 *num.* 2 *coram Bichio, decis.* 184 *num.* 9 *coram Herzan. et in Montis Alti Molendini* 27 *Februarii* 1795 § 3 *cor. Soderino.* Reque vera ne ipsi quidem actores observantiam juris privativi in dubium revocabant, sed in præteritis actionibus, in quibus periculum de malo jure fecerunt, objicere solebant, nil aliud a Francisco Antonio de Tofanelliis postulatum fuisse apud Juridicum A. C. Collegium, nisi ut per *modum provisionis* solutio mercedis ad rationem scutorum duorum pro quolibet panni volumine a quodam mercatore Petro de Fabio rependeretur, qui eam impune detrectabat.

Addebant etiam, quod, licet prædictus Franciscus Antonius junior una cum solutione mercedis jus privativum servari flagitasset, nihilominus A. C. Triumviri, ablegata controversia super observantia juris privativi *ad Syllabum*, veluti inquiunt, *informationis*, de petita dumtaxat mercedis solutione pronunciarunt. Concludebant idcirco, provocatione a lato decreto ab eis interposita, de hujusce tantum decreti viribus, non de privativi juris observantia cor. N. Sacro Ordine disputationem esse instituendam. Ineptissime tamen, malum ipsorum jus probe nosccutes, ac cupientes declinare certamen, jurisdictionem Sacri N. Tribunalis rei conventi inficiabantur. Si namque, utraque quæstione de observantia juris privativi, ac de solutione mercedis apud A C. contestata provocarunt Aletrinates ab edito decreto solutionis mercedis, et hanc secundariam litem ad Sacrum N. Ordinem detulerunt, fieri non poterat, quominus princeps quæstio de juris privativi observantia ad eumdem Sacrum Nostrum Ordinem deferretur. Appellatio quippe trahit ad se currum, et boves, ut notum est fori, ac pragmaticorum adagium, de quo pariter scite disserunt superiores Causæ Decisiones, prima § 9., altera § 4. 9

Inanis autem exceptio erat Causam super observantia juris privativi, judicio commissam peculiaris Congregationis, numquam hactenus decisam absolutamque fuisse. Officio suo profecto functa fuit Congregatio illa, semelac primum Chirographum *in genere* confirmavit, ac contentionem omnem ad objectam ædificii angustiam cohibuit; ideoque jussit eligendos esse mercatorum sumptibus peritos viros qui tamen, deserta ab iisdem mercatoribus Causa numquam electi fue- 10

runt. Præterea, non de privativi juris observantia, quæ in discrimen eo tempore non revocabatur, sed de Chirographorum viribus, quæ jus privativum constituunt, quæque uti obreptionis, subreptionisque vitiis infecta mercatores traducebant, coram peculiari Congregatione disputatum fuit, ut revincunt acta judicialia, ex quibus constat, Mercatores ipsos diem coram Auditore Pontificio Tofanellius dixisse = *addicendum contra Memoriale cum Rescripto Sanctissimi nec non videndum in illius exequutionem mandari destinari Congregationem particularem, prævia aperitione oris adversus Chirographa nulliter, et indebite extorta a S. Me. Benedicto XIII., alterum die* 22 *Martii* 1726, *et alterum die* 9 *Junii* 1797. Eadem acta rursus ostendunt deputatam revera fuisse peculiarem Congregationem trium Romanæ Curiæ Præsulum, videlicet *Perelli, Rubini, et Riminaldi*, adjecta clausula *de aperitione oris*. Quare, si diversa est hodierna quæstio ab ea, quæ agebatur apud prædictam Congregationem, inutiliter hæc omnia proponuntur coram Sacro Nostro Ordine, qui cæteroquin de propria jurisdictione numquam dubitare solet.

11 Firma post hæc manente privativi juris observantia, ad tramites formulæ Dubii initio litis propositæ statuenda modo est quantitas mercedis a mercatoribus pro quolibet panni volumine ab oleo expurgato rependenda. Antequam tamen de mercede constituenda ratio aliqua habeatur, prudentissime censuerunt Patres Domini juxta superiores Causæ Decisiones, et Rotalem Sententiam a R. P. D. meo Marco obsignatam, terminum unius mensis mercatoribus præstituendum esse, ut declarare valeant, utrum accepto, an non velint habere oblationem a Tofanellio eis factam, ex qoa jus privativum sese dimissurum spopondit, quoties placeat mercatoribus = *reintegrare l'Istante, dividendone pro rata l'importanza da ragguagliarsi fra gli attuali fabricatori di quanto la casa, e Famiglia dell' Istante ha speso per la erezione, andamento, e ricostruzione delle fabbriche* =. Si enim Familia de Tofanelliis non ex aliqua gratia, vel beneficio, sed imo oneroso titulo jus privativum sibi quæsivit, adjecta nimirum obligatione construendi prope flumen ædificium expurgandis ab oleo pannis idoneum; si reapse immanes projecit sumptus tam in constructionem ipsam, quam in machinarum, et instrumentorum emptionem; si denique, prætermissis ordinariis sumptibus, qui non modici sunt in ædificiis prope flumen extructis, ædificium ipsum, plu-ries ab aquarum impetu dejectum, e fundamentis oportuit iterum excitare, ut servaretur jus privativum: justissime sane postulabat Franciscus Antonius junior, ut sibi jus privativum abdicanti singulæ reficerentur expensae.

Quod si, elapso termino, oblationem 12 a Tofanellio factam accepto mercatores non haberent, iidem Patres Domini consultissime voluerunt, ut juxta dispositionem Motus Proprii S. Me. Pii VII dio decima Septembris anni 1806 in lucem editi, in quo Pontifex ad augendam textoriam artem, normamque tribuendam, qua fraudes in conficiendis pannis repellantur, mercatorum, opificumque Collegium erexit, duo ex eodem Collegio periti viri eligantur, qui mercedem a mercatoribus debitam pro unoquoque panni volumine constituant. Non semper enim congrua, et justa esse potest merces sc. *duorum*, quam pro unoquoque panni volumine ab ipso privativi juris initio exigunt Tofanellii; cum imo pretia rerum intra decennii spatium soleant mutari, ut probat prima Decisio § 10. Nulla præterea stipulatio unquam inter Tofanellios, et Mercatores intercessit, qua merces aliqua constans, et certa in futurum fuerit conventa. Quin imo ipsi fatebantur Aletrinates, mercedem aliquando in scutis *duobus*, ac in minori etiam quantitate, aliquando in scutis *duobus*, obolisque *quinquaginta* pro unoquoque panni volumine fuisse solutam. Si renuant igitur mercatores oblationi, ejusque conditionibus assentiri, necessaria omnino est peritorum hominum opera, qui, juxta loci, ac temporis circumstantias, judicent quid a mercatoribus pro quolibet panni volumine mercedis titulo pensi-

tandum sit, ut injustæ inde vitentur mercatorum querelæ, et indemnitati familiæ de Tofanelliis hoc modo consulatur.

Et ita, relatione habita ad superiores Causæ Decisiones, resolutum fuit, altera tantum etc.

. DE VOTO

ALBANEN AFFICTUS

SUPER SOLUTIONE MERCEDIS

Lunae 10 *Januarii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CLVI. -

SUMMARIUM

1. *Pacta conventa sunt semper observanda, ac praesertim in Locationis conductionisque contractu.*
2. *Creditum incertum, ac illiquidum, nequit compensari cum credito certo ac liquido, et privilegiis fiscalibus suffulto.*
3. *Judex delegatus ad solum effectum administrationis, nequit egredi a limitibus sibi adsignatis.*

DECISIO CCXV.

Ea scutorum *centum* supra *mille* pensio, qua Antonius Tofinius in licitatione diei 11. Octobris 1821. privativam panis confectionem in publico forno Marianæ Villæ ad annum redemerat, ut narrat contemporanea mea Decisio *Albanen. Damnorum*, ex peculiari contractus lege persolvenda erat a redemptore = *di mese in mese anticipatamente la sua giusta rata parte di scudi* 91 63 *mensuali nelle mani del legittimo Esattore Communitativo pro tempore liberamente, rimossa qualunque speranza di poter domandare, ed ottenere compenso, o buonifico di sorte alcuna,* non *ostante qualunque causalità, od altro infortunio imprevisto qui non espresso, necessario ad esprimersi,* o *chiuso nel corpo della legge, di modo che giammai potra esimersi* = ipse redemptor = *dal pagamento della sudetta corrisposta* = At quoniam cæteras contractus conventiones, quæ panis conficiendi species, pondus et qualitatem respiciebant tum Tofinius, tum sive in Cessionarius ab eo adsciti fratres Frezzolinij omnino posthabuerant, multæ inter ipsos, et Communitatem locatricem exarsere controversiæ, quarum historiam late prosequitur prædicta mea Decisio § 1. ad 4.

Re tandem ab R. P. D. Auditore SSmi ad S. Congregationem Boni Regiminis ablegata, ut tamen procederet *de Voto* S. Nostri Ordinis protinus adiverunt redemptores R. P. D. Præsulem a Secretis præfatæ Congregationis pro deputatione administratoris. Selectus tunc Floravantius, ac subinde in ejus locum suffectus Cæsar Zampara, cui in montem venit Judicem illum peculiari libello consulere = *Sopra il modo, con cui dovra esercitarsi l' Amministrazione del Forno della terra di Marino*; = ex quo diei 5 Julii 1822. Decretum prodiit provisionale = *Che l'Amministratore proceda nell' Amministrazione del forno a tenore del contratto, e della tariffa in quello convenuta* = relictis = *in sospeso le rate future dell' annua corrisposta a tenore dello stesso contratto fino all' esito, ed alla decisione della Causa, se e come il detto contratto eseguirsi debba* = Itaque ab eo tempore nil ulterius numeraverat Tofinius in causam promissæ pensionis; proindeque ad exitum contractus debitor Communitatis evaserat scutorum 275. quæ compensanda sibi esse contendebat cum damnorum sarcitione, quam seorsim adversus Communitatem petebat. Rejecit S. N. Ordo dubii formulam, quam Tofinius, et Frezzolinii super ea compensatione proponere conabantur. Quod vero attinet ad residuum pensionis prædictum, Dubium propositum primum fuit in Comitiis diei 21 Julii elapsi anni 1824 = *An et in qua summa sit locus solutioni affictuum, ita ut sit relaxandum mandatum Manus Regiæ in casu etc.* = solaque Communitate causam orante, responsum prodiit ab ipsa exoptatum

= *Affirmative pro scutis* 275. *et esse relaxandum Mandatum Manus Regiæ* = uti narrat ad eam diem a me edita Decisio *Albanen. affictus super solutione Mercedis* = Adstantibus hoc mane redemptoribus, Patres de more sciscitatus sum = *An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc.* et responsum accipi = *In Decisis*.

1 Actio enim, qua Communitas residuum illud pensionis condicebat, satis expedita, tum in genere tum in specie Patribus visa fuit. Quandoquidem vel ipsa natura locatitii Contractus necessario pensionis promissionem secumferebat, atque hanc spoponderat redemptor Tofinius publicis in tabulis diei 11. Octobris 1821 in quibus dilucida conventione declaraverat sese soluturum Communitati locatrici scuta *centum sopra mille, scilicet = Scudi cinquanta per l' Affitto del Locale, e scudi mille, e cinquanta affitto di privativa* = numeranda quidem = *di mese in mese anticipatamente la sua giusta rata parte di scudi* 91 68 *Mensuali nelle mani del legittimo Esattore Communitativo pro tempore liberamente* = Porro ea, quæ semel placuerunt servanda omnino esse, naturali duce æquitate; monet. *Text. in L.* 1 *ff. de pactis*, idque etiam statuit quoad ea, quæ ab indole Contractuum aliquantulum declinent *in leg.* 44 *ff. eod.* fortius igitur tenendum in iis conventionibus, sine quibus nec contractus ipse concipi valuisset, ut aliis quoque congestiis doctrinis, arguit mea præcedens Decisio §. 3 in specie autem liquido apparebat quid comprehendere possit actio per Communitatem proposita. Tribus quippe postremiss mensibus locationis conductionis, ab ea penitus abfuerunt propria culpa ejecti redemptores atque ipsorum periculo deputatus administrator illam gesserat quidem, sed nihil pensionum nomine persolverat, quod nec ipsi inficiabantur. Ducto itaque calculo, seu triplicata portione pensionis quolibet numeranda mense, scutorum 91. 68 quantitas oriebatur scutorum 275. 04 a Communitate petita, atque a redemptoribus omnino persolvenda.

Frustra autem de more opponebant compensationem hujusce quantitatis cum damnorum sarcitione, quam seorsim ipsi a Communitate sibi debitam anthumabant pro eo tempore, quo Superiorum jussu ab omni conductionis exercitio cessare debuere. Etenim late ostendit prædicta mea contemponanea Decisio non modo nullam omnino damnorum querelam obtendere redemptores posse pro exiguo eo temporis intervallo, quo a prædicto exercitio ex propria tantum culpa ac pervicacia remoti fuerunt, sed insuper damna permulta, eaque momentosissima passam fuisse Communitatem, utpote quæ in durissimam conditionem ab iisdem adducta fuerat, ut ob Annonæ angustias populares tumultus pertimescere debuisset. Et quatenus etiam per falsam hypothesim de illorum damnorum quæ redemptores se passos fuisse asserebant, incxistentia momento temporis esset dubitandum, non exinde sequebatur admitti posse compensationem juris incerti, turbidi, atque illiquidi, quod ipsi proponebant cum certo ac liquido Communitatis credito Fiscalibus etiam privilegiis suffulto *per Text. in l.* 14 *cod. de compensat.* aliaque allegata in præfata mea prima Causæ hujus Decisione §. 9. quæ cæteras quoque recenset tituli utriusque diversitates, et rationum momenta, quæ quamlibet in themate compensationis ideam excludebant. 2

Nec saniori consilio Decretum illud provisionale, quo ab R. P. D. Sec. B. Regiminis relictæ fuerunt in *sospeso le rate future dell' annua corrisposta fino all' esito, ed alla Decisione della Causa, se, e come il contratto eseguirsi debba*= tamquam remjudicatam opponebant, qua adhuc vetitum esset reliquarum exinde pensiunum solutionem decernere. Quandoquidem R. P. D. Auditor Sanctissimi Causæ universæ cognitionem ablegaverat quidem Sac. Cong. Boni Regiminis, sed ea tamen expressa lege, ut procederet *de Voto Rotæ*, potestate tantummodo facta Præsuli ejusdem S. Congregationis a Secretis eligendi Administratorem = *Deputato interim per* 3

modum provisionis Administratore, *cujus nominationem* R. P. D. Secr. B. Reg. delegavit = Nil igitur statuere potuisse videbatur Judex ille quod supremæ delegationis limites, nudam nempe Administratoris nominationum excederet. Quod si per modum provisionis suspendi interim pensionum solutionem demandaverat, id provisum ab eo intelligendum erat, donec et quousque aliter visum haud fuisset Sac. Nostro Ordini de cujus voto in omnibus erat procedendum, et cujus idcirco facultates præoccupare nefas cuique fuisset. Præterea, cum de dubiorum formulis disputatum fuerat, ea præcipuo plausum meruerat, quæ adamussim pensionum solutionem respiciebat, et de qua nunc agitur. Eo ipso itaque revocata videbatur quælibet provisoria suspensio solutionis. Hanc demum nunquam decernere S. N. Ordo potuisset, ni lusoriæ dicerentur Decisiones quæ petitam a redemptoribus compensationem denegaverant.

Atque hoc judicio Partes dimissæ fuerunt me quoque suffragante. Utraque etc.

ALBANEN CONSUCCESSIONIS

Lunae 14 *Martii* 1825.

ARGUMENTUM

Quamvis testator in primis stipitibus vocaverit masculos dumtaxat, nihilominus non abhorruisse a masculis qui a faeminis procedunt, censeri debet. Quia hoc in casu praesumi debet loquutum fuisse de filiis propriis. Neque filiis nocebit renunciatio emissa a matre ob causam intestatam, quia renunciatio nunquam porrigitur de uno ad alterum casum.

SUMMARIUM

1. *In praefiniendo vocationum sedes, spectari praecipue debet voluntas testatoris, et testamenti littera.*
2. *Filiorum nomine faeminae non comprehenduntur, quum testamenti dispositiva certum speciem dumtaxat respexerit.*
3. *Ac praesertim, si testator substitutum voluit secundo genitum iisdem conditionibus ac primogenitum.*
4. *Ex identitate rationis, ex praesumpta mente testatoris, ex congruentia dispositionis cum jure communi, idem de secundo genito voluisse testatorem censendum est, quod de primo.*
5. *Longeva observantia ex parte primi gravati, plurimum confert ad veram eliciendam testatoris voluntatem.*
6. *Matres nepote per prius vocatas, filios licet masculos et primogenitos tamquam per posterius vocatas, perpetuo excludunt.*
7. *Capienda quaelibet est interpetratio, ut sequentia verba cum praecedentibus possint conciliari.*
8. *Voluntas testatoris non abhoruisse a faeminis censendum est, quamvis solos masculos in primis stipitibus designaverit.*

   Nam in superiori casu, praesumi debet testatorem sensisse de suis propriis masculis, minime vero de filiis masculis filiarum - ibid. -
9. *Renunciatio emissa ob causam intestati, porrigi non debet ad causam testatam.*

DECISIO CCXVI.

Testamento, quod fecit anno 1754 locuples Cinthyani Civis Joannes Antonius Sorbinius, hæredes primum usufructuarias sibi scripsit matrem suam Olimpiam, et Felicem Quatrassi uxorem, dein quatuor, quas ab hac susceperat, filiabus Diomiræ scilicet, Candidæ, Catharinæ, atque Annæ dote legittimæ loco constituta primogeniale fideicommissum instituit, primamque vocavit « *Diomira figlia primogenita con il peso di doversi maritare, e ritenere il cognome, ed Arme della Casa Sorbini* », cui substituit « *il suo primogenito maschio, ed in mancanza di detto primogenito senza figli, il secondogenito coll' istesso peso* »; Atque ita « *fino all'ultimo genito maschio, e morendo detto primogenito con figli maschi, gli sostituisco il suo primo figlio maschio, e così di primogenito in primogenito in infinitum coll'istesso peso* = Hinc animo ad filias cæteras converso addidit « *Non maritandosi detta Diomira, o morendo senza figli, o in caso di trasgressione di dette condizioni, sostituisco la mia secondogenita colle stesse condizioni, e pesi, ed in mancanza della secondogenita la terzogenita coll' istesse condizioni, e pesi, ed in mancanza della terzogenita, la quarta colle*

stesse condizioni, e pesi, et sic de singulis insino all'ultima genita ecc », eumdemque servari ordinem voluit quoad substitutionem filiarum earumdem inquiens. « *In mancanza poi de' figli maschi della primogenita sustituisco il primo figlio maschio della secondagenita, ed in mancanza del primo il secondo nel modo, e forma detta di sopra, e così in mancanza de' figli maschi della secondogenita il primo maschio della terzogenita, et sic de singulis fino all'ultima genita.* » Quoties autem omnes deficerent masculi, fœminas filiarum primogenitas vocavit eadem methodo, qua filias alteram alteri substituerat.

Vita functo Testatore hæreditatem obtinuit Diomira ad annum usque 1783, quo masculina carens sobole et ipsa decessit. Tunc Joseph Cataldus Candidæ secundogenitæ Comiti Cataldo nuptæ filius apud Judicem stetit « *tam nomine Illmæ Dominæ Candidæ Sorbini, quam nomine proprio* », atque obtendens *ipsum Testatorem declarasse, quod si supradicta D. Diomira ad nuptias non transiret, vel ex hac ad aliam vitam migraret absque filiis masculis etc. substituisse secundogenitam ejus filiam, et primogenitum ejusdem* » tum matris tum proprio nomine immissionem postulavit. Bonorum vero nacta possessionem sola Candida eam pro suo lubitu moderato fuit, donec vulgata jam lege 31 Junii 1809, quæ fideicommissa, et substitutiones deleverat, quæque idcirco Sorbiniam substantiam libere possidenti addixerat, anno 1812 testamentum condidit, quo prælegata alteri ex filiis Dominico Cataldio quota, quæ tunc audiebat « *disponibile* », hæreditatem, in qua primogenialia bona nominatim comprehendit, inter masculos, et fœminas æque dividi juxta legis dispositionem sivit: at istas, Theresiam nempo viduam Antonii Vittori, et Aloysiam nuptam Francisco Prosperi a consuccessione repellere fratres Joseph, et Dominicus sibi proposuerant, contendentes, primogenialium bonorum proprietatem non Candidæ Testatrici, sed ejus primogenito Josepho devoluta jamdiu fuisse. Conciliatio hinc agitari cæpit, cui tamen num omnes subscripserint incertum est. Qua de Causa tum de consuccessione sororibus tribuenda, tum de transactione servanda quæsitum est apud juridicum A. C. Conventum, qui unam, et alteram denegavit. Re itaque quod *consuccessionem* tantum ad nostrum Ordinem delata quamvis die 5 Julii superioris anni rogatis PP. DD. « *An quomodo, et super quibus bonis sit locus consuccessioni in casu etc.* », anceps hæserit judicium, ampliatumque idcirco ad quintum, et sextum, hodie tamen iterata rogatione responsum est « *Affirmative super omnibus bonis ad formam testamenti.* »

Coaluisse enim in personam defunctæ Candidæ universam Sorbiniorum substantiam, ideoque jure optimo supremis tabulis de ea legem dixisse nedum vehementer suadebat perspicua *littera* testamenti Joannis Antonii Sorbini primogenituræ institutoris, sed manifesta etiam ejusdem testatoris *voluntas*. Et ad litteram, quod attinet, licet ex ea adpareat, plures fuisse designatas successivas vocationum sedes, in earum tamen prima non erat dubitandum extare filias testatoris alteri alteram gradatim, seu cum prærogativa ætatis substitutas, eo quidem casu, quo præcedentes sine filiis masculis occubuissent. Hinc sequebatur, ut defuncta primogenita Diomira nulla masculina prole relicta, illico secundogenitam Candidam primogenialis fideicommissi emolumentum jure sibi posse vindicare. 2

Neque objiciendum, non de masculorum tantum defectu testatorem cogitasse, quum simpliciter dixisset « *e morendo detta Diomira senza figli* », sed in omnimodo filiorum quorumcumque desiderio primogenitæ secundogenitam substituisse; Quandoquidem satis aperte edixerat testator, sese solo filios masculos Diomiræ substituere « *istituisco mia erede universale Diomira mia figlia, alla quale sostituisco il suo figlio primogenito maschio, ed in mancanza il secondogenito ecc., e così fino all'ultimogenito maschio* », atque hinc immediate perrexerat ad substitutionem cæterarum filiarum « *e morendo detta Diomira* (primogenita nempe) *senza figli ec. sostituisco la* 3

mia secondogenita ecc. colle stesse condizioni, e pesi di sopra detti », quibus sane verbis innuerat, filios in conditione positos non alios esse, nisi eos, quos antea vocaverat, nimirum « *primogenito, secondogenito ecc., e così fino all'ultimo maschio* » Licet enim filiorum nomen fæminas indiscriminatim et masculos comprehendat, quum tamen superior testamenti dispositiva certam speciem respiciat, ad eam dumtaxat et subsequentem conditionem referri manifestum est ad *Text. in Leg. Si pluribus hæred. ff de Leg.* 2, *et firmabant Salv. Cons.* 26 *numer.* 32 *Surd. Cons.* 362 *num.* 9 *Card. de Luca de fideicomm. Art.* 58 *num.* 4, *et seq., Rota in Recent. part.* 5 *decis.* 269 *num.* 7 *decis.* 126 *num.* 6, *coram Duran, decis.* 37 *n.* 9 *tit. de Fideicom. cor. Falconerio decis.* 1215 *num.* 3 *cor. Lancetta, decis.* 1136 *num.* 17 *coram Molines, in Nepesina Manutentionis* 29 *Novembris* 1751 § 11, *Nepesina Immissionis* 20 *Februarii* 1758 *coram Canillac, et in Assisien. Consuccessionis* 27 *Martii* 1819 § 9 *cor. Me.*

4 Præterea Candidæ vocationem ante ejus filium primogenitum Josephum illustriori in loco ponunt alia dispositionis verba, quibus testator substitutam voluit secundogenitam iisdem conditionibus, quæ primogenitæ institutionem respiciunt. Scilicet de primogenita loquutus invitaverat primum « *la Signora Diomira mia figlia primogenita ecc.* » posteaque ejus masculos primogenitos vocaverat » *alla quale sostituisco il suo figlio primogenito maschio, e morendo il suo primogenito con figli maschi, gli sostituisco il suo primo figlio maschio, e così di primogenito in primogenito in infinito,* » ita ut numquam filius masculus licet et primogenitus matri præripere successionem potuisset: casum autem prospiciens prædecessus Diomiræ absque filiis masculis, incontinenti, ac per immediatam orationem prosequutus est « *non maritandosi detta Diomira, e morendo senza figli sostituisco la mia secondogenita colle stesse condizioni, e pesi detti di sopra* » Quemadmodum igitur nonnisi post Diomiræ obitum ejus Masculi, si qui adnati essent, fideicommisso inhiare potuissent, ita et Joseph Cataldius Candidæ secundogenitæ iisdem legibus substitutæ primogenitus, matris fatum expectare omnino debuisset antequam quidquam fideicommissi nomine obtinere posset.

Quod autem testamenti littera perspicue demonstrat, apprime respondet etiam, et consentaneum videtur esse verisimili, naturali, satisque aliunde compertæ testatoris *voluntati*: Haud siquidem illo a filiis masculis forte a fœminis nascituris dispositionem suam initium habere voluerat; sed ab ipsis filiabus, quas pater amantissimus præ cæteris dilexerat, quasque idcirco remotæ sibique penitus incognitæ successioni præferre voluerat: Si itaque filias æque omnes in prima vocationis sede collocaverat tamquam stipites, at unam post aliam origine futurarum successionum, jam nulla suberat ratio, cur Diomiram suis filiis præpositam, Candidam vero, cæterasque natu posteriores a propriis filiis exclusas voluisset. Quin imo et si dubii aliquid dispositio habuisset, habebat autem nullum, adhuc tamen ex identitate rationis, ex præsumpta mente testatoris, ex congruentia dispositionis cum jure communi, ex eo demum, quod in simili casu, et in prima parte testamenti cautum apparebat, quodlibet evanescere dubium Patribus visum est, quin de secundogenita etiam volitum esset, quod de primogenita perspicue dictum fuerat *ad Text. in Leg. si filiabus in princ. in Leg. si pones in fin. ff de Legatis* 1, *et in Leg. Vel singulis ff de vulg., et pupill. substit. Soccin. Sen. cons.* 49 *num.* 3 *Menoch. Cons.* 957 *num.* 12. *Peregrin. de Fideicommis. Art.* 25 *num.* 55, *et Rota decis.* 520 *num.* 2 *coram Merlino, et in Anconitana Immissionis* 5 *Julii* 1821 § 6, *et* 7 *cor. Me.* 5

Quibus adstipulabatur in obitu Diomiræ, qui obtigit anno 1788, ipsum Josephum Cataldium nomine etiam matris Candidæ «*uti filiæ secundogenitæ Joannis Antonii Sorbini* » adiisse Judicem, eoque coram obtestatum fuisse «*ipsum Testatorem si supradicta Diomira . . . . ad aliam vitam migraret absque Filiis Masculis . . . . substituisse secundogenitam* 6

ejus filiam, » talique pacto bonorum primogenialium possessionem judice auctorante vindicasse, eamque ab eo tempore silente, ac probante Josepho solam Candidam matrem Sorbinum cognomen retinuisse, bonaque sibi in censu adscribi curasse, deque iis interdum ipsi Josepho in re trepida opem tulisse. Proclamata tandem bonorum libertate per legem 31 Julii 1809 quæ jussit « *le sostituzioni rimangono abolite; i beni sono dichiarati liberi nell'attuale possessore* » de iis pro suo lubitu eodem Josepho vidente disposuisse ad annum usque 1812, quo tempore testamento condito, de quo res est, ad plures migravit. Porro hujusmodi longævam sane observantiam ipsius Josephi perenni agnitione fulcitam plurimum conferre ad veram ex ea eliciendam, ac declarandam testatoris Antonii Sorbinii voluntatem videbatur ex satis vulgata juris disciplina, de qua post *Text. in Leg. hæc autem jure ff de servitutibus Urb, præd., Card. de Luca de alienat. Dec.* 3 n. 13 *Rota in Recent. Dec.* 104 *n.* 21 16 *dec.* 537 *num.* 11 *part.* 19, *in Romana, seu Faventina Censns* 17 *Maii* 1819 § 8 *coram R. P. D. Meo Tiberj, in Sabinen. Immissionis* 11 *Maii* 1821 § 4 *cor. R. P. D. Meo De Cursiis, et in Anconitana Immissionis* 16 *Junii* 1823 § 20, *et* 21 *coram Me.*

7 Post hæc frustra qui pro fratribus Dominico, et Josepho Cataldiis causam orabant, ut huic prælativam Matri vocationem adstruerent, sequiora verba testamenti Joannis Antonii carpere satagebant quibus edixerat « *In mancanza poi de' figli maschi nella Primogenitura, sostituisco il primo figlio maschio della secondogenitura colli sudetti pesi e condizioni* », ut exinde inferrent in defectu Masculorum Diomiræ, Josephum primogenitum Candidæ vocatum fuisse, minime vero ipsam Candidam. Nam hæc recte processissent, nisi prior adfuisset apertissima testatoris dispositio, cujus vi in casu obitus primogenitæ sine filiis masculis filiam suam secundogenitam testator immediate, et ante ejus filios vocaverat: Atqui palam erat, post fatum Diomiræ mascula haud relicta prole secundogenitam, tertiogenitam, aliasque filias immediatas Testatoris stirpes originis, et vocationis designatas, et constitutas fuisse, earum vero filios nonnisi defectis matribus substitutos, sponte hinc sequebatur, Matres utpote *per prius*, ut ajunt, vocatos, filios licet Masculos, et primogenitos tamquam *per posterius* vocatos perpetuo excludere debere; quemadmodum advertit *Rota in Recent. decis.* 95 *num.* 18 *part.* 2 *dec.* 341 *num,* 6 *coram Crispo, dec.* 51 *n.* 3 *coram Priolo, decis.* 1001 *num.* 18 *cor. Molin. decis.* 129 *num.* 4 *cor. Crescentio, dec.* 37 *num.* 9 *tit. de Fidecommiss. coram Falconerio.*

Nec res secus potest unquam intelligi, tum quia sibi manifesto contradixisse Testator videretur, tum quia uno eodemque temporis momento in diversa, sibique invicem contradictoria voluntatem propriam divisisse Nam cum in defectu filiæ Primogenitæ sine masculis secundogenitam vocaverit, hanc illico, eodemque sermonis contextu prorsus exclusisset data etiam sospite prælatione ejusdem filio. At vero licet voluntas hominis ambulatoria sit usque ad mortem, non ita tamen facile in specie præsumendam PP. considerabant instantaneam ejusdem voluntatis mutationem, ob eamque rem capiendam potius existimarunt quamlibet interpretationem, ut sequentia verba cum præcedentibus possint conciliari, utque firma, immotaque consistat jam primum explicata favore filiæ secundogenitæ Testatoris voluntate *ad Text. in Leg. Alumnæ § qua filias ff de adimen. leg. Fusar. de substit. quæst.* 652 *num.* 13 *Card. de Luca de Testam. disc.* 69 *num.* 6, *et Rota in Romana Legati* 20 *Januar.* 1758 § 7 *cor. Canilliac., in Calven. Beneficii* 13 *Junii* 1755 § 4 *coram Caprara, et in Romana, seu Neapolitana Manutentionis super bono jure* 13 *Junii* 1777 § 7 *coram Muto.* 8

Levioris etiam momenti erat, quod Dominicus, et Joseph regerere studebant, Sorbinium nempe testatorem in ima testamenti cera declarasse ea omnia, quæ ordinaverat, pro non scriptis habenda fore, si forte filius masculus 9

adnasceretur, quasi ob id voluntas a fœminis prorsus abhorrere videretur. Id enim caverat Testator de suis propriis masculis, haud ita certe sentiens de filiis masculis filiarum. Suam quidem inter progeniem immediatam prædilexerat masculum, si adnatus quandocumque esset; at in hujus desiderio filias suas licet fœminas æque prædilexerat, quas idcirco primo, ac potissimo loco admittendas voluit, quasque stipites, et origines vocationis designavit.

10 Postremo neque a jure consuccessionis ex testamento materno Theresiam removere poterat objecta renunciatio per eam uccasione nuptiarum emissa intestatis quibuslibet hæreditatibus. Principio namque talem renunciationem multis ante annis peractam non solum patet fuisse sublatam ex Gallicis legibus, quæ fœminas ad jura successionis restituerant, sed ex ipso insuper matris testamento, cujus vi reintegratio ad jura suitatis, ut ajunt *ex facto hominis* inducta est. Præterea cum res sit de causa testati, nihil unquam potest obesse renunciatio, quæ tamquam suapte natura odiosissima stricte est interpretanda, nec quæ taxative causam respicit intestati porrigenda est ad causam testatam, ex qua Theresiæ, æque ac cæteris Caudidae filiis indiscriminatim jus quaesitum, delatumque est consuccedendi super omnibus bonis ad formam testamenti.

Et ita videntibus quinto, et sexto resolutum est. Utraque etc.

DE VOTO

ALBANEN. DAMNORUM

Lunae 10 *Januarii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur. - DECISIO CLVII. -

SUMMARIUM

1. *Perito, qui refert de re ad proprium munus pertinente, plena fides est habenda.*
2. *Publicus redemptor, sequi religiose debet tabellam normalem in contractu praestitutam.*
3. *Qui pacta in detrimentum alterius contrahentis non servat, tenetur ad illius favorem ad quanti interest.*
4. *Nemo lucrum, proprio marte, sibi condicere potest.*
5. *Redemptores nequeunt subvertere pacta in detrimentum populi.*
6. *Quod quid ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.*
7. *Factum quod procedit ex Auctoritate suprema, casui fortuito simillimum habetur.*

DECISIO CCXVII.

Privativam panis confectionem, et venditionem in publico furno locatura Communitas Villæ Marii, excunte anno 1821, per mensem ante contractus stipulationem leges in vulgus edidit, quas omnino sequuturus foret, conductor quoad species, pondus, et qualitates panis conficiendi. Adeo vero hujusmodi conditiones placuere Antonio Tofinio, ut in frequenti oblatorum concursu omnes vicerit oblatione scutorum *centum* supra *mille* pro annua pensione, cui idcirco, publicis exaratis tabulis die 10 Octobris 1821 ad annum ejusmodi privativa panis confectio locata fuit. Conditionum autem hæ fuerunt præcipuæ = *Il peso del pane da fabricarsi, e vendersi in detto forno dovrà essere regolato dalla tariffa formata dal Computista dell'Annona di Roma* = item = *Il detto Affittuario sarà obbligato fabricare il pane di ottima qualità, e di diverse specie, cioè pane bajoccante, pane casareccio, e pane decinante, tanto di solo fiore, quanto di grossumi, e di questo darne un perfetto sfamo alla Popolazione, senza farlo giammai mancare* = Quæ normalia tabella illico ab Annonæ Urbis Ratiocinatore conductori tradita fuit; eamque postmodum Artis Peritus agnovit = *vantaggiosa pel fabricatore, e spacciatore del pane anche per la ragione che le spese di lavorazione, ed altro in Marino, come qui in Ariccia, ed in altri Paesi circonvicini sono minori di quelle contemplate nell'anzidetta tariffa* =.

Ab ea tamen, uti a cæteris quoque contractus legibus, aliquot post dies

omnino descivit conductor, quod, ut assolet, ob Annonæ caritatem odium plebis in ipsum pariter, et in Magistratus concitavit. Tunc initum fœdus Tofinium inter ac Dominicum, et Aloysium fratres Frezzolini, qui, vel uti Socios, vel uti Cessionarios, sese Tofinio adjunxerant, quique, epistola ad Gonfalonerium missa, ancipiti licet animo, satis tamen ostenderunt quanto cum detrimento Populi, Magistratusque Mariani panem Tofinius idem conderet. Mox vero, tum Tofinius, tum Frezzolini apud S. Congregationem Boni Regiminis conclamarunt abnormem omnino esse contractu obfirmatam tabellam, quam idcirco judicio subjici obtinuere Pistoris cujusdam Venerati. Novam hic suopte ingenio confecit, quam, Communitate inaudita, probavit quoque illa S. Congregatio. Ut primum vero hæc omnia rescivit Communitas, illico solemni protestatione contractum servari postulavit, subjectaque examini Ratiocinatoris Annonæ Urbis, Veneratii relatione, hujusce, erroneitatem valuit statim detegere per accuratam ipsius Ratiocinatoris Annonarii refutationem; factum hinc est, ut cum eadem S. Congregatio prædictam Venerati tabellam comperisset plus æquo conductoris utilitati, cum evidenti Communitatis jactura indulgere, die 2 Januarii 1822 mandaret, = *che, previa la revoca degli ultimi ordini sia osservato, e adempito lo stipolato contratto in tutti i patti, e condizioni, che vi si contengono colla riserva delle ragioni a favore della Comunità per l'emenda de' danni* = Quod præceptum cum Tofinium a Venerati norma sequenda minime deterruisset, ut quodlibet præjudicii scrupulum amoveret illud in optionem eidem offerendam commutavit, ut nempo ipso declararet intra triduum utrum vellet a contractu resilire seu potius illum ad unguem servare: jugi silentio respondit conductor, hinc prudentissima Communitatum Tutrix illam Villæ Marii iterum commonuit = *Non essendosi dal Tofini emessa veruna dichiarazione, ed essendo decorsi i tre giorni spetta a codesta Magistratura prevalersi delle facoltà, e diritti concessi dalla Sagra Congregazione, e di astringere il Tofini all'osservanza del contratto, avendo dichiarato la stessa Sacra Congregazione, che nel resto si serva il Tofini delle sue ragioni* =.

Verum hæc, cæteraque hujusmodi excitamenta tanti non fuere ut Tofinium a suo proposito divellerent; qui e contra brevi eo rem perduxit ut Vice-Gubernator localis popularem aliquem tumultum pertimescens Emum ab Arcanis Principatus adiverit, qui, auditis = *gli arbitrj, che si prende Antonio Tofini privatario del publico forno, ed il suo arrogante contegno verso le Autorità locali* =. Albanensi Gubernatori injunxit =, 1 *che dichiari il Tofini onninamente decaduto dall'essere privatario del Forno publico di Marino* = 2 *che proceda contro il medesimo con tutto il rigore delle leggi per le fraudi eseguite a suo carico* = 3 *che lo dichiari inabilitato a conseguire la privativa di qualsivoglia publico provento durante l'anno corrente* = unoque contextu Magistratui mandavit = *d'istantaneamente provedere allo sfamo della Popolazione, onde non nascano inconvenienti, e sollevazioni Popolari* = Inconsulto fortasse, attamen ut rei trepidationi serviret, Magistratus die 15 Martii 1822 furnum locavit ad sex menses cuidam Benedicto, necessariis in hujusmodi contractibus solemniis omissis; quapropter, neque illum laudavit S. Congregatio Boni Regiminis, nec Tofinio, et Frezzoliniis illico apud R. P. D. SSmi Auditorem de spolio conquestis difficile fuit novi ejusmodi conductoris expulsionem obtinere, ad diem 26 ejusdem mensis: quæ tamen, ob illius resistentiam, haud primum quam die 15 insequentis mensis Aprilis expleri potuit.

Altero quoque ejusdem diei Decreto prælaudatus Judex = *Remisit Causam, et Causas ad S. Congregationem Boni Regiminis, quæ procedat de Voto Rotæ, deputato interim per modum provisionis Administratore, cujus nominationem R. P. D. Secretario Boni Regiminis delegavit* = Administrator delectus fuit Cæsar Zampara, post renunciationem Joannis Floravanti. Verum nomine tenus Zamparius gestionem susceperat; re, autem

illam moderabantur Frezzoliaii, Tofinius, eorumve asseclæ hinc primarii Villæ Marii Sacerdotes pro eorum fide testabantur = *Non cessarono tali disordini; continuarono bensì sino al fine dell'Affitto divisato, giacchè il pane, che ivi si vendeva, e si fabricava fu sempre di cattiva qualità, specialmente poi si ravvisava tale difetto in quello bianco, così detto di lusso, e nel casareccio, che sembrava pane canino e di grossumi da non potersi tranguggiare, motivo per cui la detta Popolazione non vedeva il momento che terminasse tale Affitto* = Hinc iteratæ fuere prælaudatæ S. Congregationis querelæ = *che non ostante gli ordini tante volte emanati, non sono affatto osservati i termini, e le obligazioni del contratto sulla qualità del grano da spianarsi, e sulla quantità, e peso del pane* =; ac loci Gubernator sæpe sæpius fraudes legitime comperit. In Conventu vero S. N. Tribunalis diei 21 Junii elapsi anni 1824 cum sejunctim disputandum esse tum de damnis, tum de solutione mercedis; quoad primum, de quo in præsenti res est, Patres rogavi per formulam = *An, et quomodo et cujus favore, et in qua summa sit locus emendationi damnorum, itaut sit relaxandum Mandatum in casu etc.* =, ac silentibus conductore, ejusque cessionariis, Responsum accepi votis Communitatis informantis consonum = *Affirmative favore Communitatis in summa liquidanda, et esse relaxandum mandatum* = Facta dein illis obloquendi venia, cum fuerit hoc mane dubitatum = *An sit standum vel recedendum a Decisis* = Patres = *in Decisis* = persliterunt.

1 Pacta enim quibus Tofinius privativam illam panis confectionem redemerat, ab eo penitus subversa fuisse ab initio ad exitum usque hujus contractus evincebant, nedum spectatissimæ fidei testes, sed publica quoque monumenta; sæpius scilicet iteratæ ordinationes, tum S. Congregationis Boni Regiminis, tum Emi ab Arcanis Supremi Principis. Revera præcipuum inter ea pacta locum obtinebat, debere conductorem certam in ipso contractu præstitutam sequi normam = *la tariffa formata dal Computista dell' Annona di Roma* = Sive quoad species, sive quoad pondus, sive quoad qualitatem panis conficiendi, atque in vulgus venditandi. Attamen, nondum quinque elapsis ab inito contractu diebus, nempe die 15 Octobris prædicti anni 1821 Dominicus Frezzolinius in epistola ad Gonfalonerium missa Tofinium redarguit; quod cœperat = *A disimpegnare la privativa con condizioni impossibili a porre in salvo l'interesse, e la quiete, e contentamento del Magistrato, e Popolo* = quæ fortasse ex condicto cum eodem Tofinio dictitabat. Hinc Tofinio et Frezzoliniis fœdere consociatis, ac penes S. Congregationem Boni Regiminis agentibus, datum fuit normæ prædictæ quam nunquam servaverant, aliam subrogare a Pistore Venerato confectam de qua postea Peritus Vir testatus fuerat = *Se ne distingue ad ogni tratto l'improbità* =, quia præseferebat = *la differenza di una quarta parte del prezzo* = itemque = *la differenza nel peso egualmente di un quarto, cioè di oncie due a pagnotta, ciò che è enormissimo* =; Cui idcirco erat plena fides habenda, quia de re ad proprium munus pertinente ita judicaverat, ceu, allatis testimoniis, firmat mea prima Decisio § 6 et cui innixa eadem S. Congregatio præceperat = *previa la revoca degli ultimi Ordini sia osservato, e adempito lo stipolato contratto in tutti i patti, e condizioni, che vi si contengono colla riserva delle ragioni a favore della Comunità per l'emenda dei danni* =.

Porro ex hisce satis compertum erat ad diem usque 2 Januarii 1823 2
qua prædicta prodiit revocatio, nil minus præ oculis babuisse redemptorem, quam tabellam normalem in contractu præstitutam. In deterius etiam postea res abiit: jussa enim S. Congregationis adeo Tofinius despexerat, ut ad diem 16 insequentis mensis Februarii iterum pertractare illa deberit = *delle questioni insorte fra la Comunità, e quell'Affittuario del publico forno Antonio Tofini circa l'osservanza della Tariffa del pane* = ipsique redemptori optionem facere, aut a contractu omnino recedendi, aut cunctis illius legibus

in posterum parendi, quod postremum ab eo rursus promissum intelligeretur silentio per triduum servato. Item die 2 Martii rursus scripsit = *quell' affittuario del publico forno continua aregolare a suo capriccio la tariffa del pane, ad aggravare in conseguenza quella Popolazione, ed a compromelterne la tranquillità malgrado ecc.* =, ita ut Emus ab Arcanis Principatus a conductione removere illum debuerit epistola diei 12 ejusdem mensis. Quin tandem religiosius tabellæ normam sequutus esset, licet ea præcipue lege in locum Tofinii suffectus, administrator Zamparius; quando quidem nedum iteratæ Sac. Congregationis Boni Regiminis querelæ sed etiam Annonæ Vigiles, et primarii Marianæ Villæ Sacerdotes testabantur = *entrato in progresso nell'amministrazione di detto forno il Sig. Cesare Zampara, non cessarono tali disordini, continuarono bensì fino al fine dell'Affitto divisato, giacchè il pane, che ivi si vendeva e si fabricava fu sempre di cattiva qualità, che sembrava pane canino* =; ceu fusius in prædicta mea *Decis.* § 6 7, *et* 8.

3 Atqui satis exploratum in jure est, eum, qui pacta in detrimentum alterius contrahentis servare declinet, teneri illius favore ad quanti interest pacta eadem impleta minime fuisse; sive, quod in idem recidit, ad damnorum sarcitionem, ut docent *Bartolus in Leg.* 44 *ff mandati vel contra, Cardin. de Luca de Locat., et Conduct. Disc.* 18 *num.* 2 *et Rota Decis.* 263 *num.* 5 *cor. Molines*, et habet eadem mea *Decis.* § 5. Necessario igitur ex præmissiis sequebatur teneri Tofinium, ut pote potissimorum susceptæ redemptionis legum desertorem, damna omnia, quæ exinde Communitati obvenerunt subire. Nec objicere poterat sese inconsulto, et re minus accurate perpensa, ejusmodi conductionem suscepisse; noverat quippe per integrum mensem ante licitationem a Communitate evulgatas contractus conditiones, quas inter illa erat præcipua, servandi nempe normalom tabellam a Ratiocinatore Annonæ Urbis confectam. Porro dum in tanto oblatorum concursu alacri animo certaverat Tofinius, eorumque potiorem Floravantium vicerat per *sextæ* oblationem, diceudus omnino erat, conditiones omnes redemptionis, quam optabat, ne dum diligenter scrutasse, sed insuper easdem justissimas, sibique perutiles fore agnovisse.

Inani studio quoque oggerebant tum redemptor, tum in socios ad eo adsciti Frezzolinii, lucrum obulorum *sexaginta* pro quolibet frumenti rubro, in panem converso, sæpedictam normalem tabellam redemptori addicere, quod obtineri nunquam potuisset, nisi in deterius mutata qualitate panis in eadem præstituta. Nemo quippe in contractu postmodum inito eam adamussim lucri quantitatem Tofinio nominatim promiserat. Cæterum ex inspectionibus Periti viri a S. Congregatione Boni Regiminis deputati, innotuerat eamdem normam ideo perutilem conductori futuram, quia = *le spese di lavorazione, ed altro in Marino, come qui in Ariccia, ed in altri Paesi circonvicini sono minori di quelle contemplate nell'anzidetta Tariffa* = Hinc patebat, non rigorosam inibi habitam fuisse lucri, aut impensarum rationem, sed quæ propius vero accederet, quæque accuratioribus speculatorum calculis locum relinqueret. Quomodocumque autem sese res haberet, numquam licuisset Tofinio, ejusque consociis conventam in contractu tabellam omnino deserere, aliamque sequi a pistore Venerato exaratam; præsertim cum id fieri vetuisset prælaudata S. Congregatio. At si quid juris ad certam lucri quantitatem sese habere cogitassent, eam penes Magistratum servata forma condicere debuissent; haud vero proprio Marte ab rite initis conventionibus desciro. 4

Quin imo, cum ea pactorum omnium subversio, ac deterrimi panis confectio Populi indignationem in redemptores, æque ac in Magistratus concitassent, ne quid publica quies detrimenti caperet serio fuit consulendum: Hoc indictum redemptoribus fuit, ut infra triduum declararent, an vellent in contractu persistere, omnibus ser- 5

vatis illius conditionibus, quod, ubi siluissent, per eos promissum intelligeretur, seu potius ab eodem resilire. Triduo elapso ne verbum quidem protulerunt, quo silentio, ne dum normalis tabellæ justitiam, atque utilitatem iterum agnoverunt, ut arguit præcedens mea Decisio § 9, ne dum rursus ejusdem contractus conditiones accepto habuerunt, sed, cum insuper Tofinius una cum sociis suam retinuisset methodum = *senza che si fosse in verun conto uniformato a queste deliberazioni, continuando anzi impunemente, e con insulto della Popolazione a panizzare a suo capriccio* = causam ipsi dederunt = *che la Segreteria di Stato vidde del decoro del Governo di prendere una energica determinazione, onde provedere alla quiete della Popolazione, ed a reprimere la baldanza di un insubordinato privatorio* =, ceu totidem verbis declaravit ejusdem Emi a Secretis Principatus Epistolium per ipsos redemptores exhibitum.

6 Hæc sane omnia tanti Patribus visa fuere, ut, non modo actionem Communitatis pro damnorum sarcitione assequenda obfirmarent, sed insuper redemptorum intentionem excluderent; qua damnorum querelam adversus damnificatam convertere autumabant, sive quod lucrum obulorum *sexaginta* pro quolibet frumenti rubro minime hausissent, sive quod ante præfinitum tempus a conductione fuissent ejecti. His enim præmissis, planum erat non alicui Communitatis culpæ, quæ sibi, publicæque incolumitati consulere omnino debuerat, sed propriæ tantummodo pervicaciæ redemptores imputare debuisse mandatum illud a Superioribus Albanesi Gubernatori directum = *che dichiari il Tofini onninamente decoduto dall'essere privatorio del forno publico di Morino* =, ex quo ipsi ejecti a conductione fuere, novusque accitus redemptor Benedictus, qui tamen per breve temporis intervallum eamdem obtinuit = *Quod quis ex culpa suo damnum sentit, non intelligitur damnum sentire* = verba sunt *Text. in L. 203 ff de Reg. jur.*

7 Præterea, ac etiam culpa tantisper semota, cum nihilominus indubium maneret ejectos redemptores fuisse de mandato Emi Cardinalis ab Arcanis Principatus, hoc factum, casui fortuito simillimum, nunquam erat a locatrice Communitate præstandum per impetitam ab ea damnorum sarcitionem, si damnum quidem aliquod perpeti redemptores potuissent in exiguo temporis spatio, per quod Benedictus conductionem retinuit. Hac autem in hypothesi rectius fortasse actionem suam intendissent contra ipsum Loci Magistratum, qui directe eos ejecerat, novamque cum Benedicto locationem conductionem inivérat, ubi id contra mentem Superioris, ac necessariis deficientibus facultatibus, omissisque solemniis ab eo factum ostendere valuissent. Frustra demum utriusque actionis pro damnorum emendatione vim pendere conclamabant ex judicio Periti a S. Ordine eligendi, qui de justitia normalis tabellæ a Ratiocinatore Annonæ Urbis confectæ referret. Quandoquidem quidquid de ea esset judicandum, quam cæteroquin vel justissimam, ac conductoribus perutilem Peritus vir Annonarius Ratiocinator agnoverat, sat, superque Patribus visum fuit præcipua ac dilucida conventione Tofinium illius observantiam promisisse, ab eaque postmodum, non modo invitis, sed reclamantibus frustra Superioribus, omnino descivisse, ut damnorum exinde Communitati obventorum reparationem in ipsum rejiciendam, ejus vero actionem, qua ipse damna in Communitatem retorquebat, nulli innixam fundamento arbitrarentur. Atque ita in strenuo Partium conflictu, me quoque suffragium ferente jus redditum fuit.

ASCULANA IMMISSIONIS

Lunae 13 *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCLXI. -

SUMMARIUM

1. *Irrevocabilis inter vivos donatio, dominium rei donatne in donatarium statim transfert.*

Ubi donationi ndjecta fuerit clausula constituti, in donatarium transit civilis bonorum possessio - ibidem. -

2. *Maritus in prnejudicium uxoris, et filiorum, nequit nuncium mittere donationi.*

3. *Donationes intuitu certi ac determinati matrimonii, sunt onerosas et correspectivas.*

Hujusmodi donationes, nec insinuatione nec aliis solemniis indigent - ibidem. -

4. *Nec hujusmodi limationi obstnt Articulus 126 et 127 Motus Proprii Pii VII.*

5. *Prasfatus Articulus 127, respicit donationes ob incertum tantum matrimonium, non ob certas, praefinitasque nuptias, initns.*

6. *In interpretations legum ea semper sst accipiendn significatio, quas vitio careat.*

Lex nunquam trahi valst ad negocia jam absoluta - ibidem. -

7. *Novae leges, quae veteres explicant, ad praeteritos casus revocantur.*

Si Judex mandavit quod donatio pro insinuata haberetur, insinuationis defectus non nocet donatario - ibidem. -

8. *Quilibet ex contrahentibus ad majorem cauthelam potest insinuare donationis actum.*

9. *Fructus sunt donatario restituendi a die motae litis.*

DECISIO CCXVIII.

Sera pænitentia fortasse ductus, cum implere Philippus Vulpiani, vir Patricius Cupræ Montanæ, pacta donationis detrectaret, quam anno 1821 die 21 Februarii, intuitu certi matrimonii a filio Nicolao cum lectissima, nobilique puella Lucretia Odoardi Asculans ineundi, ac revera deinde initi, publicis in tabulis emiserat; consilium conjuges isti donatarii cœperunt diem ei dicendi apud Judices Primarum Actionum Asculi, ut, non modo donatorum bonorum possessionem dimittere, sed commodas quoque ædes, necessaria, et decora supellectile instructas eis præbere cogeretur. Vix tamen hoc litigium coram illis Judicibus exarsit, quoniam, quia de personis agebatur tam arcto sanguinis vinculo conjunctis; ad majores sumptus vitandos, ac ad judicii exitum celerius obtinendum, ex Præsulis Decreto, qui sacra fungitur vice, commissa rei cognitio Sacro Nostro Ordini fuit cum clausula = *Videntibus omnibus, præviis duabus appellatione remota, tamquam in primo cum facultatibus A. C.* = Qua de re anno 1822 dio *nona* Decembris primo disputatum est Dubium = *An sit locus immissioni ad possessionem bonorum comprehensorum in Instrumento donationis diei* 17 *Februarii* 1821 *restitutioni fructuum a die motæ litis, et assignationi habitationis mobilibus, et utensilibus instructæ, ita ut sint relaxanda mandata de immittendo, de restituendo, et de assignando in casu etc.* =, ac, vadimonium deserente Philippo donante, responsum est = *Pro Informantibus* =, scilicet = *Affirmative in omnibus* =, ut patet ex decisione, quam eadem die publici juris feci. Quoniam autem ex Pontificiæ delegationis lege rem iterum oportuit expendere; curas ideo omnes Philippus adhibuit, ut primæ Decisionis rationum momenta convellcret. At nihil profecit: nam Dubii formulam, quæ in hæc verba de more proponebatur = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = dirimendam Patres Domini censuerunt Responso = *In Decisis* = ut videre est ex altera Decisione, quam die 12 Martii superioris anni in lucem edidi. Facta hinc Philippo potestate adversus utramque decisionem obloquendi, de viribus factæ donationis tertio hodie quæsitum est, et ad examen revocatæ sunt præteritæ Decisiones, quæ confirmari promeruerunt novo Responso = *In Decisis* =.

Tria erant, quæ a Conjugibus Vulpianis rite, recteque postulabantur: 1
immissio nimirum ad bona donata: *restitutio* deinde fructum: commoda demum *habitatio*, supellectile, aliisque rebus ad vitæ usum necessariis. In materialem bonorum donatorum possessionem immittendos esse conjuges Vulpianos ipsa suadebat indoles, et natura irrevocabilis inter vivos donationis, cujus effectus in eo præcipuo consistit, ut dominium rei donatæ, ab ipso momento absolutæ, perfectæque donationis, in donatarium transferat. Quod si hæc obtinent in qualibet donatione,

multo plus vindicare sibi locum in præsenti themate debent, in quo donatio a Philippo emissa causam *finalem* nuptiarum præbuit, commodumque tam utriusque conjugis, quam nasciture prolis ab initio respexit. Hoc siquidem in casu nullum donatio ipsa pænitentiæ locum reliquit. Certius, quia donationis tabulæ adjectam præseferunt *clausulam constituti* erga donatarium, ex qua non ambigui juris est, in constitutarium transire civilem, et *manutenibilem* bonorum possessionem, materiali tantum in *constituente* relicta, veluti firmant superiores Causæ Decisiones, prima § 6 secunda § 2. In præteritis jurium experimentis plura cumulabat Philippus, ut evinceret immissionem ad bona donata, so adhuc vivo, injuria postulavit. Dicebat enim hoc pacto bona valoris argenteorum nummorum circiter *sexdecim millium* donatam fuisse Conjugibus Vulpiani, ut eorum administratio a donante retineretur, qui etiam usufructu pollere debebat, usque dum in humanis esset. Addebat rursus, cautum quidem in tabulis fuisse ut bonorum possessionem vindicare donatarii possent si ortis simultatibus, jurgiis, dissidiis, ac turbata tranquillitate familiæ, coacti conjuges fuissent a paterno domo secedere, ac separatam ducere vitam, sed istis calamitatibus causam eosdem conjuges dedisse. Concludebat demum nullum amplius effectum progignere posse donationem, postquam nuncium, scripta ad id syngrapha, ei misit donatarius ipse Nicolaus.

2 Hæc omnia consultius omiserunt in hodierna disputatione Philippi defensores. Recte quippe intelligebant, haud *primum* posse consistere, quia, non solum ea reservatio, non pura fuerat, et absoluta, sed conditionalis, ac precaria, usque dum scilicet quies, et pax dominata inter patrem, ac filium, socerum, ac nurum fuisset; verum etiam, quia diserta pactione conventa fuerat immissio ad bona donata, si mutua concordia defecisset, *non alterum* quia, nedum probatur unum Philippum, fracta pactorum fide, illatisque contumeliis, atque injuriis in causa fuisse, cur contubernium dissolveretur, ac miseri conjuges fugam arripere, Capram Montanam linquere, et Asculum, ubi veteres erant Odoardiæ lares, petere deberent; sed quia, hoc etiam seposito dumtaxat inspiciendum est separationis factum: *non postremum* denique, quia, præter quod malis artibus extorta a Nicolao fuit ea syngrapha, non poterat ipse nuncium mittere donationi in præjudicium uxoris, et filiorum, qui, æquale jus habentes, jure proprio ad bonorum donatorum possessionem veniunt. Consulatur utraque Decisio; prima a § 6 ad 9, altera a § 7 ad 11. Ut enervem nihilominus, nullamque redderent Philippi donationem sese recipiebant, velut in arco tutissima, ejus oratores in insinuationis defectu, cumque maxime obstare dicebant, quominus Conjuges Vulpiani donationis emolumentum assequantur. Sed hanc exceptionem juris dispositio, et factum penitus elidit. Ad juris dispositionem quod pertinet, rimatis donationis tabulis, iisque sedulo expensis, aperte constabat, eas non veram, proprieque dictam donationem, sed anticipatam hæreditatis portionem a patre in filium collatam = *a titolo di antiparte* = continere, quæ a solemnium necessitate exempta est; *Rot. in Recen. Decis.* 385 *num.* 15 *part.* 18 *Decis.* 305 *num.* 19 *part.* 19. *et Dec.* 32 *num.* 26 *coram Zarat* =.

Nec ipsi profecto Philippi defensores inficiabantur, assignationem portionis hæreditatis a patre erga filium factam immunem a solemniis esse. Tunc 3
tantum ex *Constantin. ad Stat. Urb. Annot.* 43 *num.* 11 obnoxiam solemniis autumabant assignationem hanc, quoties ea limites legitimæ portionis excedat, At nulla afferebatur probatio, ex qua reapse pateret, assignationem de qua agitur, legitimam superare portionem, si excipias informem quamdam notulam a nemine subscriptam nulloque suffultam documento, ex qua comprobari vellet, gravissima æris alieni mole vere obrutum reperiri Philippum, qui e contra nihil de nominibus, quibus premebatur, in tabulis donationis

loquens, palam obtestatus fuit; præter bona donata se tot alia bona rustica possidere, quot valorem scutorum *quinquaginta unius mille*, et ultra conficiunt, non comprehensis urbanis ædibus, ac domestica supellectile. Nec secus res esset etsi de donatione quæstio ageretur. Donatio enim a Philippo emissa fuit intuitu, et contemplatione matrimonii, quod inter Nicolaum, et Lucretiam celebratum fuit, et absque donatione celebratum non fuisset = *che altrimenti non seguirebbe* =. Atqui quantum certum est, hujuscemodi donationes, intuitu certi, ac determinati matrimonii peractas, non *lucrativas* donationes esse, sed *onerosas*, *et correspectivas*, ita ut contractum = *do ut facias* = vere præseferant, tantum exploratum in jure est in hujus generis donationibus solemnitates impune posse præteriri, nec ullum onus insinuationis requiri, ut adductis auctoritatum exemplis probat secunda *Decisio* § 5.

4 Nec rem turbat Pontificia sanctio Motus Proprii S. M. *Pii VII.* anno 1816 die *sexta* Julii evulgata *Art.* 126 127, ex qua contendebatur, veteres civiles juris nostri leges, quibus donationes *onerosæ*, *et correspectivæ*, ac intuitu certi, et determinati matrimonii emissæ a necessitate insinuationis eximebantur, abrogatas omnino fuisse, ac ipsius insinuationis solemnitatem quoad omnes, et quascumque donationes æque fuisse præscriptam, adeo ut irrita censenda sit donatio a Philippo peracta, quippe quæ caret insinuatione. Nam cuique vim, et spiritum illius legis perpendenti extranea a præsenti casu ejus censura videbitur. Priori siquidem *Art.* 126 constitutum fuit quoad donationes *in genere*, quæ nummos argenteos *quingentum* excedunt, quod = *non saranno valide, se non saranno fatte per Istromento pubblico, ed insinuate nelle solite forme* =. Nemo itaque non intelligit duo *copulative* ex prædicta lege necessario concurrere debere, ut validæ sint donationes *in genere*, earum nempe stipulatio per publicas tabulas, et rursus insinuatio = *nelle solite forme* =. Contra vero quoad donationes in specie, quæ nimirum aut juramento munitæ sunt, aut contemplatione certi ac determinati matrimonii, vel ob alium quodcumque titulum magis privilegiatum emissæ, sequens. *Art.* 127 mandat, ut hæc omnia, scilicet juramentum, contemplatio certi matrimonii, titulus quicumque privilegiarius = *non possono convalidarli, qualora sieno fatte per atto privato*, o *manchino dell'insinuazione* =.

5 Dum ergo lex per disjunctivam illam particulam = O = nullas renunciavit donationes illas *in specie* factas per simplicem apocham, aut alias, quæ insinuatione careant; argumento ducto a contrario sensu, manifestum fit, irritas donationes ipsas dici non posse in alterutro casu, quo videlicet exaratae per simplicem apocham non fuerint, aut, licet apocha simplici contineantur, insinuatione tamen non careant. Sat proinde est in casu nostro, quod donatio a Philippo Vulpiani emissa erga filium intuitu, et contemplatione certi, et determinati matrimonii cum Odoardia contrahendi publicis in tabulis celebrata fuerit, ne ei obsit insinuationis defectus, cum præcipue tabulas ipsas probaverit Judex, quo præsente initae fuerunt, quamvis de re mulieri maxime utili ageretur. Etiamsi autem dici vellet præfatam legem irritas, nullasque declarasse. *Art.* 127 tam donationes, quæ per privatam syngrapham conscriptæ insinuatione pollent, quam alias, quæ per publicum Instrumentum stipulatæ insinuatione destituuntur, ad evitanda tamen absurda, quæ alioquin sequerentur, existimandum est, de donationibus ob incertum tantum matrimonium, non ob certas, præfinitasque nuptias initis legislatorem intellexisse; secus enim ad iniquitatem vergeret, et deceptionem, Dari siquidem posset casus, ut, dum donatarius obstrictus remanet ad servandum celebratum matrimonium, quod ex Christi *apud Matth.* 19 monito = *Quod Deus conjunxit homo non separet* = indissolubile vinculum est, nec aliter dirimitur, quam si aliquod adsit ex iis impedimentis, quæ Canonistæ vocant = *dirimentia* =; donans e converso sub isto omissæ in-

sinuationis fuco ab omni onere serandæ donationis exemptus esset, quamvis sub donationis contractu donatarium ad matrimonium contrahendum impulerit.

6 At vero in interpretatione legum ea semper est accipienda significatio, quæ vitio careat, præsertim, cum etiam voluntas legislatoris ex hoc colligi possit, ut inquit *Celsus Leg. In ambigua* 19 *ff de legibus*. Quare concludendum est, donationes *onerosas*, atque cor *respectivas*, ex quarum genere est donatio intuitu certi, ac determinati matrimonii facta, comprehendi in Motus Proprii lege non posse: idque potissimum ex ea ratione, ut æqualitas in contractibus servetur, et nemo judicetur ad imparia. His autem non officit recens Motus Proprius Sacratissimi Principis Leonis XII, quem Deus pro Christianæ Reipublicæ, ac Civium bono diu servet incolumem, anno superiori die quinta Octobris editus, in cujus *Artic.* 133 insinuationis necessitati donationes etiam intuitu certi, ac determinati matrimonii obnoxiæ fiunt = *Dall' obbligo della insinuazione non si escludono le donazioni fatte a contemplazione di certo, e determinato matrimonio* =. Quo enim tempore hæc nova lex prodiit, jam a tribus, et amplius annis celebrata fuerat donatio, de qua quæritur. Ergo hæc nova lex, quidquid sit de ejus interpretatione quoad privilegiatas donationes solemniter, et coram Judice emissas, intuitu certi, et determinati matrimonii, semper, qualibet in hypothesi, certum est, quod quemadmodum cæteræ omnes, futura, tantum respicere poterat, nec trahi valet ad negocia jam absoluta, et facta praeterita; *Leg. leges Cod. de legibus*; *Leg. ult. Cod. de suis, et legitim. Novell.*73 *Cap.* 9 *in fin. leg.* 115. *Cap.* 1. Errabant sane, qui causam pro Philippo dicebant, dum novam hanc legem veteres quoad donationes sanctiones in Motu Proprio anni 1816 comprehensas explicare, et declarare putabant.

7 Et si enim tralatitium in jure sit novas leges, quæ veteres explicant, et declarant ad præteritos casus revocari ex *Novell.* 19 *in præfat. Bald. ad lib.* 1. *Cod. de legibus numer.* 1. *Litt. B. Abbas Panormit. part.* 1 *de Constit. cap. Quoniam numer.* 11. *Zoes. in Pandict. tit. de legibus numer.* 46. *Voet in Pandect. liber.* 1 *tit.* 3 § 17. *Gudelin. de jure noviss. liber.* 5 *cap.* 2 *numer.* 24, aliisque quamplurimis. In facto tamen corruebat exceptio, quia Motus Proprius anni superioris novam omnino legem induxit, veteremque revocavit. Nam si ex demonstratis vetus Motus Proprius anni 1810 a solemnitate insinuationis exemit donationes factas per publicum Instrumentum, ac donationes alias intuitu certi, et determinati matrimonii emissas, et e converso admittatur, quod recens Motus Proprius, nullo discrimine facto, omnes, et quaecumque donationes insinuationis solemnitati subjecit, quamvis exaratae fuerint = *a contemplazione di certo*, *e determinato matrimonio* =, ergo nova lex est, quæ præteritos casus percellere nequit. Adeo imo constat novam legem constituere Motum Proprium *Sanctissimi Dom. Nostri Leonis XII*, ut ipse ejus titulus inscriptus fuerit = *sulla riforma* =, et in proemio declaratum, præcedentem legislationem debuisse = *rattificarsi*, *e migliorarsi* =; ac demum in ima cera derogatum omnibus iis legibus, et sanctionibus, quæ præsenti illi legi repugnarent. Cæterum ea quoque de causa donatio non egebat insinuatione, quod in ejus tabulis Judex, qui stipulationi adfuit, non *correspectivitatem* tantum donationis, sed donantis quoque constans propositum agnoscens, mandavit, ut ab illo ipso tempore pro insinuata haberetur. Nihil hinc donatarii noceret insinuationis defectus, etsi probaretur, illam vere deficere, et prorsus pessumdatam fuisse.

At extat insinuatio; ipsi enim conjuges Vulpiani ex jussu Sacri Nostri Tribunalis monumentum factæ insinuationis protulerunt, ex quo liquet anno 1821 die 28. Septembris, antequam scilicet emissæ donationis Philippum pæniteret, et lis excitaretur, quæ die secunda Octobris incæpit, rite fuisse 8

apud acta relatam, atque insinuatam ab ipso Donatario Nicolao. Perperam vero uti irritam, et nullam Philippus traducebat hanc insinuationem, quod non a donante, sed a donatario fuerit expleta. Utique insinuatio inventa est, ut medio tempore inter donationem, et insinuationem possit donans deliberare, an sibi expediat donationem ipsam insinuationis ope confirmare, cum interim donatio perfecta non sit, et dein irrita renuncietur, si interea temporis donantem pænituerit; *Leg. in hac scoratissima* 30 *Cod. de donat. Covarus. de insinuat. Artic.* 1 *numer.* 1. *Card. de Luca de donat. discept.* 28 *numer.* 18. *Grotian. discept. forens. cap.* 483 *numer.* 18. *Sabell. in summa* §. *Insinuatio numer.* 2. *Rot. in Recent. Decis.* 241 *numer.* 1, *et sequen. part.* 13. In eo tamen casu, quo remissa a Judice fuerit insinuationis solemnitas, ut in præsenti themate contigit, cum necessaria non esset ipsa insinuatio, quilibet ex contrahentibus ad majorem cauthelam poterat donationis actum insinuare. Sive itaque, quod vere adsit insinuatio, ac rite ea fuerit, ac legitime expleta; sive, quod dona tio ex indole sua tamquam *onerosa, et correspectiva* insinuationem non requireret; sive quod demum vera donatio non fuerit, sed anticipata hæreditariæ portionis assignatio; recte qualibet in hypothesi urgebant conjuges Vulpiani immissionem ad bona donata, aut assignata.

9 Neque vero auscultandum erat Philippi defensoribus, dum inquiebant, revocandam esse donationem *ex falsa causa* ex qua adductus is fuit ad donandum, ratus nimirum, satis consultum esse cæteris filiis ex reliquo patrimonio scutorum plusquam *quinquaginta unius millium*, quod cæteroquin maximo ære alieno implicabatur. Redeunt enim hic, quæ superius § 4 animadversa sunt, quæque latius arguit coæva *Decisio super nullitate, et inofficiositate Donationis* § 4 *et* 5. Duo siquidem evincere oporteret: tum scilicet æs alienum revera existere; tum rursus extitisse tempore emissæ donationis. Cum autem neutrum, ne vel minimum quidem probetur; hinc sequitur, ut denegari immissio nequeat ad bona donata, et restituendi sint fructus, qui dominii sunt accessiones a die motæ litis, ut statuunt superiores Causæ Decisiones, prima § 8 altera § ultim. Præter tamen immissionem ad bona donata, ac fructuum restitutionem, ad tramites Intsrumenti donationis, in quo, si forte separatio mensæ, atque contubernii dissolutio contigisset inter donantem, et donatarios, conventum est, ut primus teneretur = *somministrare un' appartamento libero con corrispondenti mobili, imbiancherie si di tavola, che di letto, utensili, ed attrezzi convenienti nel modo stesso di destinazione al primo ingresso della Signora Sposa nella casa maritale* = damnandum Patres Domini censuerunt Philippum ad præstandas filio, et nurui diætas decenti suppellectile, reque lintearia instructas, ut scorsim ab eo vitam ducant tranquillam, et prolem religione, ac bonis moribus instituant.

Atque ita, confirmatis præteritia Decisionibus, tota Aula definivit,

---

ASCULANA NULLITATIS

ET INOFFICIOSITATIS DONATIONIS

Lunae 13 *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur - DECISIO CLX. -

SUMMARIUM

1. *Donec parens vita fruitur, filii nullum jus habent ad legitimam.*

   Proinde filiis, vivente patre, deest actio reducendi ad aequalitatem donationem ab hoc emissam - ibidem -.

2. *Donatio, quae habet naturam contractus* - do ut facias - *querelae inofficiosi non subjicit.*

   Nunquam censetur inofficiosa donatio, quae non fuit universalis, sed ad certa bona tantum cohibita - ibidem -.

3. *Non laedit pater filiorum jura, si post donationem, iis superest congrua legitima.*
4. *Filii nequeunt conqueri de alienationibus, a patre, post expletam donationem, patratis.*

DECISIO CCXIX.

Ut primum exortæ inter Philippum Vulpiani, ejusque filium Nicolaum controversiæ ad Sacrum Nostrum Tribunal delatæ fuere, disceptari tantum cæpit de immissione ad bona, quæ pater filio suo donaverat intuitu, et contemplatione matrimonii ab eo initi cum illustri, ac venusta puella Lucretia Odoardi Patricia Asculana. Sed videns Philippus causas illas, quas in medium protulerat, ut petitam a filio, et nuru ad bona donata immissionem remoraretur, nullius omnino momenti esse, cæteros filios suos natu minores induxit ad nullitatem, vel reductionem ad æqualitatem implorandam ipsius donationis, veluti ac si inofficiosa fuisset, et eorum jura ad consequendam super hæreditate paterna legitimam portionem læsisset. Ex Pontificia delegatione hæc quoque Causa Sacro Nostro Ordini commissa fuit. Conjunctis hinc quæstionibus, in Comitiis diei *duodecimæ* Martii superioris anni definiendam Patribus proposui Dubii formulam = *An constet de nullitate, seu inofficiositate donationis, ita ut sit locus rescissioni, vel reductioni in casu etc.* = ac responsum = *Pro Informantibus* =, scilicet = *Negative in omnibus* =, certamen refugientibus Philippi filiis, mihi datum est. Nec secus hodiernis in Comitiis res cessit, in quibus ex ipsius delegationis Pontificiæ lege ad examen denuo revocata quæstio est. Nam judicii comperendinationem frustra petentes Philippi filii, rejecti sunt Responso = *In Decisis* =.

1 Non ex alio capite inofficiositatis, ac nullitatis accusare possunt donationem erga Nicolaum a Philippo Patre initam filii natu minores, nisi quod forte ei damnum intulerit, et jura legitimæ portionis læserit. At, donec parentes vitæ fruantur usura, nullum jus habent eorum filii ad legitimam consequendam, quia interim incerta est ipsa legitima, tam in substantia, ob filiorum prædecessum, qui contingere potest, quam in quantitate, ob periculum, ne parentes, qui semper sunt rerum suarum moderatores, facultatibus labi incipiant. *Leg.* 1. §. *Si impubere ff. de collat. bonor. Carpzov. Jurisprud. Foren. part.* 2. *const.* 12. *definit.* 36. *Merlin. de Legitima lib.* 5. *tit.* 3. *quæst.* 1. *num.* 1. *Paschal. de pat. potestate part.* 2. *Cap.* 4. *num,* 20. *Stellebin. de renunc. Success. quæstion.* 3. *numer.* 32. *Christian. Thomas de legitim. vivent. capit.* 1. §. 1. *Berlich. practic. conclus. part.* 3. *conclus.* 14. *numer.* 1. *Rota Decis.* 77. *numer.* 6. *coram Priolo*, *et Decis.* 230. *num.* 1. *coram Riminaldo.* Cum igitur in humanis adhuc versetur communis filiorum parens Philippus, nullum hinc jus ejus filii ad legitimam condicendam portionem experiuntur. Planum exinde est, quamlibet actionem eis deficere, ut contra paternum factum insurgant, et nullitatem donationis expostulent, vel saltem illius reductionem ad æqualitatem obtineant.

Sed illud accedit, perperam hanc actionem proponi, etiamsi ea filiis Philippi præsto esset. Ut enim fusius comprobatum est in alia mea hujusce diei *Decisione super Immissione*, de solemni agitur donatione publicis in tabulis emissa, ac a Judice, qui singulas tabularum partes sedulo expendit, plene probata. De ea rursus donatione res est, quæ, nulla licet insinuatione indigeret, in actis tamen relata, ac rite legitimeque insinuata fuit. De ea demum donatione res est, quæ non *lucrativa* fuit, sed imo *onerosa*, et *correspectiva*, ac intuitu certi, et determinati matrimonii emissa, quod secus celebratum non fuisset. Natura hinc habet ea donatio, atque indolem contractus = *do ut facias* =, quem inofficiosi querelæ non subjici, nec renovari posse ex juris censora firmat præterita *Decisio* §. 4. Multo minus itaque hujusce donationis nullitas opponi valet, eoque majores, atque vehementiores exiguntur probationes ad eam infringendam. Sane, ut punctum ferant Philippi filii, et nullam, ac inofficiosam donationem ostendant, opus est, ut probent, *vel* læsa penitus eorum 2

jura ad legitimam portionem assequendam ex ea fuisse, ideoque esse rescindendam, *vel* in parto præjudicium prædictis juribus intulisse, atque ad æqualitatem propterea esse reducendam. Sed neque *primum*, neque *alterum* jure consistit. Non primum, quia universalis baud fuit Philippi donatio, sed *particularis*, et ad certa bona tantum cobibita.

3 Quin imo in donationis tabulis Philippus asseruit, argenteos nummos plusquam quinquaginta unum mille, et ultra sibi superesse, ut cæteris filiis prospiceret = *Dichiara* (ita in prædictis tabulis donans) *che in relazione agli altri suoi figli, che ha, oltre il detto Signor Niccola sposo, rimangono in suo potere tanti diversi capitali, che ascendono a sc.* 51634. 80. *in tanti fondi rustici, non compresi i fondi urbani, che egli possiede, come dai documenti, che si uniscono al presente Istromento* = Non ergo donatio jura natuminorum peritus læsit, ita ut revocanda omnino sit. At ne læsit quidem in parte prædicta donatio natuminorum jura. Reque vera eadem declaratio, quam donationis tabulis Philippus adjecit, manifeste demonstrat, tantum in ejus hæreditate superfuisse, quantum legitimam ipsam portionem natuminoribus debitam non attingit modo, sed longius excedit. Nec proderat erroneam traducere donantis declarationem: falsam item renunciare peritorum hominum relationem quoad prædiorum in donantis hæreditate manentium valorem: alienationes demum opponere, quas post initam donationem fecisse donantem fertur. Nullum enim monumentum adducebatur, ex quo, tam declarationis donantis, tam etiam peritorum hominum relationis objecti detegerentur errores. Imo vero ex censualibus tabulis patet, bona donata scutis 5548. æstimari: bona autem rustica a donatione excepta ad summam scutorum 16820. 16. pervenire, non comprehensis bonis urbanis. Concludendum igitur est, vix *quadrantem* substantiæ suæ Philippum donasse.

4 Ad patratas denique a Philippo distractiones, atque æs alienum quod attinet, probatio quælibet pariter deficiebat, et nil aliud afferebatur, quam informis quædam notula, a nemine signata, nulloque monumento suffulta, quæ nullum constituit probationis argumentum. Oportebat siquidem ad contracta nomina, et peractas distractiones demonstrandas aut publicas, aut privatas earum tabulas exhibere, domesticos codices ostendere, et hypothecarias inscriptiones super donantis patrimonio factas evincere. Cum itaque nihil horum occurrat, præsumendum sane est, reliqua bona in donatione non comprehensa nullo æris alieni, et hypothecæ vinculo irretiri. Utut vero hæc vera, et legitimis probata monumentis dignoscerentur, nihil tamen donationi efficerent. Quemadmodum enim licebat Philippo bona propria distrahere, eaque hypothecæ pro alieno ære subjicere antequam fieret donatio, quin possent filii querelam ullam de hoc patris excitare, ita pari modo conqueri nequeunt de alienationibus, donatione jam expleta patratis. Nec ergo nulla, nec inofficiosa dici poterat donatio, cujus imo validitas, justitia, æqualitas plenam executionem exigere jure suo videntur.

Et ita dilatione a germanis fratribus de Vulpianis frustra petita, VV. OO. DD. decisum est.

BENEVENTANA EMPHYTEUSIS

QUOAD CANONES

Lunae 20 *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Consuetudo Beneventi viget, per quam Directactarius tenetur renovare emphyteusim. Neque haec consuetudo abrogata fuit per Motum proprium *Pii VII. Anni 1716.* Verum dominus directus, pollet quoque jure augere valorem novi canonis, juxta judicium duorum virorum peritorum.

SUMMARIUM

1. Ex consuetudine, quae Beneventi viget, contractus emphyteuticus renovari debet, etiamsi ob motam litem, protractum fuerit tempus.

Non datur emphyteusis, sive concessa, sive

prorugata, siue renovata fuerit, sine canone - ibidem -.

2. *Quamvis Beneventi ob consuetudinem, directarius teneatur renovare emphyteusim, tamen novus conon praefiniri debet a Peritis.*

Neque hoec consuetudo in genere, fuit ubrogata per Motum proprium Pii VII. *1816. - ibibem.*

3. *Cum emphyteuta renovare contractum vult, non potest udimere domino fucultatem constituendi novum canonem.*

4. *Nova investitura od veteris contractus trumites est perficienda, quoties prorogatio, vel renovatio procedit aut ex pacto, uut ex voluntate.*

Ast ubi renovatiu vel prorogatio procedit a consuetudine tautum, novus cauon semper constitui debet - ibidem -.

5. *Emphyteuta ob meliorotiones, jus habet condicendi quid minus iuter impensum et meliorotum, nisi secus paetum fuerit.*

Periti, qui novum canonem statuere debent, jus habent illud vel uugendi vel minuendi - ibidem -.

6. *Canon a peritis non augeri debet pro rutiune integri valoris melioratiunum, sed in quarta illarum tantum parte.*

7. *Impensas urdinorias, quas fundi culturam respiciunt, unus subire tenetur, nempe emphyteutu.*

8. *Supputori ob augmenta canonis non debetur merces ei debita, qui praeest culturae, quum agutur de parvo fuudo.*

DECISIO CCXX.

Emphitueutici contractus, qui apud nos, si de Ecclesiæ bonis agatur, ad tertiam generationem, si vero de bonis Laicorum res sit, vel ad majus tempus, vel etiam in perpetuum iniri solent, ex veteri quadam consuetudine, tum Municipalibus legibus, tum Apostolicis Summorum Pontificum Constitutionibus confirmata, tempus annorum *viginti novem* Beneventi non excedunt. Ad *evitanda* tamen *scandala*, *atque ut æquitas servetur*, ex eadem consuetudine jus habet emphiteuta renovationem contractus ad alios annos *viginti novem* petendi pro novo canone, a duobus probis viris rei agrariæ, aut architectonicæ peritis præfiniendo. Hunc morem et ipsi ob quamdam æquitatem sequuntur Ecclesiastici viri, quamvis eorum bona ex Sacrorum Canonum censura libera sint, nec absque Apostolico Beneplacito valeant obligari. Quapropter, cum inter cætera bona rustica, quæ Metropolitanum Beneventi Capitulum possidet, amplum adsit Latifundium in ejusdem Civitatis Territorio situm, in eo loco, quem nuncupant » *Il Ponte delle tavole* », usque a sæculo XVII. in Emphiteusim illud concedere censuerit. Primus omnium quantum saltem extat rerum memoria, anno 1696. hujus predii Emphiteusim a Canonicis adeptus fuit Dominicus quidam Sciarra ad prædictum tempus annorum *viginti novem*, et pro annuo canone mensurarum (tumulos accolæ vocant) *septuaginta* frumenti.

Defecta anno 1728. concessione illa, in plures alios Emphiteutas, aucto semper canone, transiit Latifundium, donec tandem anno 1788. die 5. Aprilis eodem emphiteusis nomine ad annos *viginti novem* tributum fuit ipsius Metropolitanæ Ecclesiæ Canonico Philippo Sampuccio, statuto a peritis viris canone in mensuris *octuaginta octo* frumenti. Hic anno 1795. jus emphiteusis cessit cuidam Thomæ Marinazzio ad annos pariter *viginti novem*, sed aucto admodum canone ad mensuras, seu *tumulos biscentum* tritici, depactaque præterea annua pensione in numerata pecunia *quinquaginta quinque ducatorum*. Explicebat emphiteusis cum Sampuccio inita ad diem 4. Aprilis anni 1817. Interea temporis mortem is obiit, cui hæres extitit Maria Michaela Peccerella, nupta Neapolis, ubi suos retinet Lares, Cæsari Fiorillo. Ad exitum pervenerat Emphiteusis ab auctore suo Canonico Sampuccio contracta, cum mulier illa haudquaquam sollicita fuit de solutione canonum, nec de postulanda contractus renovatione ad tramites antiquæ consuetudinis. Factum hinc est, ut Canonici coram Judicibus, qui de Primis Actionibus jus Beneventi reddunt, accepto *devolutionem* habuerint, ob eam adamussim causam, quod Sampuccii hæres, nec canones solverat, nec renovationem emphiteusis contractus imploraverat, et ita juri suo renunciare quodammodo visa fuerat. Tum mulier expergefacta

procuratorem hanc in rem Beneventi constituit, qui, non modo instaurari emphiteusim, sed eligi quoque petiit peritos viros, ut novus canon de more constitueretur. Ex jussu illius Tribunalis tres delecti periti viri fuerunt, qui in loci faciem perventi postquam prædiorum quantitatem, qualitatem, ac feracitatem perpenderunt, demum retulerunt ad *centum* usque tritici mensuras augendum canonem esse.

Sed qui partes Peccerelliæ sustinebant, multum adlaborarunt, ut periti viri denuo referrent: postquam vero quidquid antea dixerant isti probarunt, quesiti sunt de actorum nullitate coram Signaturæ Justitiæ Tribunali. Rejectis anno superiori die *prima* Aprilis eorum conatibus per clausulam » *Nihil, et utatur jure suo* = reditum est ad eosdem Beneventi Primarum Actionum Judices, quos apud caussari cæperunt ab augmento canonis expungendum saltem esse quidquid emphiteuta tenetur impendere, tam pro mercede ei solvenda, qui præest agrorum cultoribus, quam alteri, qui advigilat turcico frumento, dum non adbuc recollectum est, et in agris viret. His exceptionibus plauserunt Judices Beneventani, qui, licet augendum censuerint canonem, peritis tamen viris terminum *quindecim* dierum præstituerunt ad valorem harum detractionum ab augmento canonis expungendum. At, provocatione ad Sacrum Nostrum Auditorium interjecta, meliorem hodie sortem Canonici experti sunt. Cum enim definiendam Patribus proposuissem Dubii formulam » *An, et in qua summa sit locus constitutioni novi canonis pro stipulatione novi Instrumenti emphiteusis ad alios novem, et viginti annos, et a qua die in casu etc.* = Responsum habui = *Affirmative in omnibus pro canone tumulorum centum frumenti a die* 5. *Aprilis* 1817.

1 Multa, quæ, ineunte judicio, in quæstione versabantur eo procedente sensim sine sensu conciliata sunt. Inter utramque partem convenit, ex veteri consuetudine emphiteuticum contractum esse renovandum ad alios novem annos supra *viginti*. Nihil pariter ambigitur, quin ab ea die, qua prior emphiteusis exitum suum sortita est, ac, renovatione non implorata, discedendum de prædio erat, ipsa renovatio sit omnino facienda, etiamsi, vel, ob motam litem, vel alia quamcumque de causa, protractum fuerit tempus, veluti de hac Beneventi consuetudine disserens statuit Sacer N. Ordo in *Beneventana Emphiteusis quoad Canones* 9. *Junii* 1797. §. 2. *cor. cl. mem. Curd. Consalvi*. Cum itaque certum sit, emphiteuticum contractum, cum Canonico Sampuccio anno 1788: initum, die *quarta* Aprilis 1817. defecisse, prono velut alveo sequitur, ut novæ Emphiteusis initium a die proxime sequenti, idest a die *quinta* ejusdem mensis atque anni ducendum sit. Tota ergo quæstio redit ad augumentum canonis, quia in *genere* nulla oritur dubitatio, quod, quemadmodum non datur emptio venditio sine pretio, et locatio conductio sine pensione, ita nulla consistere valet emphiteusis sine Canone, qui ipsam attingit emphiteusis naturam, ejusque præstandi onus fundi emphiteutici possessorem sequitur, sive primo concessa fuerit emphiteusis, sive etiam fuerit prorogata, aut renovata *Leg.* 1. *Cod. de jur. emphit. Valasc. de jure emphit. quæst.* 4. *num.* 3., *et seq., Rot. in Rec. decis.* 235. *num.* 1. *part.* 14. *coram Olivatio decis.* 625. *num.* 8., *ut in cit. Beneventana Emphiteusis quoad Canones* 9. *Junii* 1797. §. 1. *coram cl. me. Card. Consalvi*.

Nullum vero æque dubium moveri 2
potest quoad canonis augmentum. Dum enim Beneventana consuetudo, non minus Municipali lege, quam duabus Xisti V., et Clementis VII. Constitutionibus approbata, jus emphiteutæ concedit jam absolutæ emphiteusis renovationem ad alios *viginti novem* annos petendi, =, *ad evitanda scandala, atque ut æquitas servetur* =, eodem contextu præscribit, ut novus canon a duobus peritis viris constituatur, veluti eadem docet *decis. cor. cla. me. Card. Consalvi d.* §. 1. Reque vera, neque ipsi Peccerelliæ defensores denegabant

veterem hanc de contractibus emphiteuticis Beneventanam consuetudinem a statutaria lege, et Pontificiis Constitutionibus confirmatam; sed eam prorsus abrogatam, deletamque fuisse contendebant ex M. P. S. M. Pii VII. anno 1816. die *sexta* Julii edito, cujus ope *Art.* 102, e medio sublatæ, penitusque proscriptæ fuere leges omnes, ac statutariæ sanctiones = *sotto qualunque titolo, o per mezzo di qualunque autorità emanate in qualsivoglia luogo dello Stato, comprese ancora quelle publicate per un' intiera Provincia, o per un particolare Distretto* » Sed hoc modo perperam effugere Canonis augmentum conabantur. In primis, si præfata San. Mem. Pii VII. Lex ad casum nostrum protrahi posset, non solum ipsa abrogasset jus augendi canonem, sed ipsum quoque jus petendi renovationem emphiteusis, cum utrumque jus, vel ex consuetudine, vel ex Municipali Beneventana sanctione proficiscatur. Corrueret ergo jus renovationis emphiteusis, et liberum esset Canonicis arbitrium cui magis libet, iisque conditionibus, quæ magis eis placent, bona illa in emphiteusim concedendi.

3 Nullo modo tamen trahi ad casum nostrum valet lex Motus Proprii immortalis memoriæ Pontificis Pii VII. Non enim hic agitur de aliqua Municipali lege, quam unice respicit Motus Proprius, sed de consuetudine vetustissima, quam Pontificiæ ipsæ Constitutiones approbarunt, et percellere ideo nequit lex Motus Proprii, prout monuit jam Sacer N. Ordo in *Beneventana Monutentionis quoad Molendina* 15. *Martii* 1819., *et in confirmatoria* 20. *Martii* 1820. *cor. R. P. D. meo Marco*. Eadem vero res est, et augmentum canonis servari oportet, etiamsi *aut* vigeat consuetudo novi canonis constituendi in emphiteusis renovatione, *aut* per novissimas leges abrogagata sit. Si *primum*, non potest non religiose custodire emphiteuta, quod actum est, et quod ab ipsa profluit consuetudine a statutaria lege, et Pontificiis Constitutionibus probata, ac ab omnibus servata. Si *alterum*, denegari nunquam potest Capitulo, quod directo jure potitur, reique suæ arbiter est, et moderator, ut superius fuit animadversum, facultas augendi, et constituendi novi canonis, cum emphiteuta renovare contractum velit, de quo non aliter queri ipse poterit, nisi læsionem contineat, neque fructibus respondeat rei emphiteuticæ.

Ineptum hinc erat asserere, *consuetudinarios* hujusmodi emphiteusis contractus, qui adjectum habent pactum juris renovandi, prorogatus potius censendos esse, quam renovatos, adeut idem canonis modus, eademque mensura servanda in renovatione sit. Nam, quidquid sit ex jure, quoties, vel prorogatio, vel renovatio emphiteusis, aut ex præcedenti pacto, aut ex voluntate contrahentium fiat, quo in casu nova *investitura* ad veteris contractus tramites compensanda est, ut firmant *Valasc. de jure emphit. quæst.* 21. *num.* 11., *Fulgin. eod. tract. tit. de renovat. quæst.* 1. *num.* 73. *Rot. decis.* 1298. *num.* 4. *coram Molines*, ubi tamen emphiteusis renovatio ex veteri quadam consuetudine contrahitur, consuetudo ipsa, quæ vim legis obtinet, unice attendi debet. Cum ergo consuetudo jubeat in renovatione emphiteusis novum canonem esse constituendum, nulla ratio subest, cur ea lex, quæ in cæteris omnibus contractibus servatur, hoc uno in negocio contemni debeat. Æqua vero est consuetudo novi canonis constituendi, qua pollet dominus *directus*, semelac respondet juri alteri, quo gaudet *utilis* dominus renovationem emphiteusis ab invito etiam directo domino obtinendi. Nec recte uti iniquum traducebant, qui Peccerelliæ patrocinabantur hoc jus augendi canonem, quippe quod non a natura, atque ulla vi *generativa* soli, quod idem semper est, proficisci potest, sed *ab industralibus meliorationibus*, quæ emphiteutæ sumptibus in agro emphiteutico fiunt. 4

Profecto, dum aliquod prædium in emphiteusim conceditur, eo ipso censetur, quod emphiteuta teneatur præ- 5

dium meliorare, atque reficere, ut ipsa ostendit *Greca* vox emphiteusis, quæ meliorationem significat. *Zanch. de læsione part.* 2. *cap.* 3. *de Emphit. læsio. num.* 34. *Rot. decis.* 228. *num.* 33. *cor. Kaunitz.* Si quæ imo ab emphiteuta meliorationes fiunt, illæ quidem solo cedunt, nec aliud jus, absoluta emphiteusi, habet dominus utilis, quam *quid minus inter impensum etelioratum* condicendi, nisi secus pactum fuerit. Non est ergo adversus indolem, et naturam emphiteusis prædia emphiteutica meliorare, sed imo emphiteusis contractui maxime congruit. Multominus itaque absurdum est, ut in renovatione emphiteusis, et in novo constituendo canone ratio aliqua de istis meliorationibus habeatur, quæ cæteroquin, deducto id tantum, quod minus est impensum inter, et melioratum, commodo, et lucro directi domini cederent. Nec ex his inferendum est, quod, si in omnibus emphiteusis contractuum renovationibus locum sibi vindicaret canonis augmentum jam canon ipse in tantam molem excresceret, ut longe superaret fructuum prædii valorem, et maximam obvolveret læsionem. Ea siquidem verba = *pro justa pensione æstimanda per duos probos viros* =, quæ in Pontificiis Constitutionibus leguntur, tam ampla, et generalia sunt, ut utrumque casum, tam augendi, quam minuendi canonis respiciant, ut optime advertit N. Sacrum Tribunal in *Beneventana Emphiteusis quoad Canonem* 14. *Januarii* 1793, §. 6. *cor. Acciajuoli.*

6 Præterea eo etiam in casu, quo canon a peritis augeatur, non ille sane augetur pro ratione integri valoris meliorationum, sed in quarta illarum tantum æstimationis parte, veluti in re, de qua agitur, factum fuisse deinde demonstrabitur. Cæterum sibimet ipsis contradicit Peccerellia, dum canonis augmentum impugnat. Ipsa quippe, inito consilio renovationis petendæ, procuratorem Beneventi constituit, qui, non modo renovationem ipsam emphiteusis, sed etiam, ut melius propositum suum ostenderet, eligi peritos viros postulavit » *per fissare il nuovo canone a tenore del solito* = Sive ergo per se; sive per alios, quod idem est ex famigerato juris adagio, ex quo habemus, ut is, qui per alium facit per se ipsum facere videatur, veterem sane consuetudinem agnovit, probavitque Peccerellia, eique legi sese submisit, quam dicturi periti fuissent. Quare, si isti canonem auxerunt, nequit sane illorum relationi ipsa refragari, et legem servare tenetur, quam judicio, in quo, ut cuique notissimum est, contrahitur, sibi dixit. *Leg.* 1. §. *Idem scribit. ff. de peculio Barbos. axiom.* 132. *num.* 3. *Rot. in Rec. decis.* 226. *num.* 12. *part.* 18., *et decis.* 155. *num.* 16. *coram Ansaldo.* Juri itaque et æquitati consonum est, ut, si cupiat Peccerellia in possessione manere Latifundii emphitentici ad alios *viginti novem* annos, ejus canonem augeat ex vi consuetudinis, cujus præsidium imploravit ad possessionem ipsam retinendam.

Quantum autem æqnum justumque est canonis augmentum, tantum eidem justitiæ adversatur, ut ab augmento canonis a peritis viris præfinito deducendæ essent expensæ, quæ erogari debent in mercedem debitam, tam ei, qui culturæ præest agrorum, quam indici tritici custodi. Plura enim animadvertenda erant, quæ detractiones istas nullo jure postulari optime demonstrant. Porro de mediocri agitur latifundio, quod per colonos exerceretur, qui nullo indigent præside. Sumptus rursus tam hujusce villicorum præsidis, quam tritici turcici custodis, inter illas recensentur *ordinarias* impensas, quæ fundi culturam respiciunt, et quibus subeundis unus tenetur emphiteuta, seorsim ab aliis expensis *extraordinariis*, alluvionis, exempli gratia, terræmotus, vel alterius similis infortunii causa, quæ ad directum dominum pertinent. Sed quod magis est, ipsi periti viri a Judicibus Beneventanis electi has detractiones omnino rejecerunt. Ipsi namque ad diversas prædiorum qualitates respicientes, quæ nempe sationi melioris frumenti, quæ 7

deterioris, quæ indici tritici, quæ pascuis magis idonea sunt, annum illorum reditum plus minus constituerunt *in ducatis nongentis viginti quinque.* Ab hac deinde summa subducentes culturæ sumptus in *ducatis* annuis *sexcentum duobus*, retulerunt ideo, annuum latifundii reditum in *ducatis tercentum viginti tribus* consistere, qui ad respondentem quantitatem frumenti redacti, hanc quantitatem efficiunt in tumulis *centum septuaginta* frumenti.

8 Deducto demum ab hac quantitate tritici veteri canone *tumulorum octaginta octo*, cum reliqui essent *tumuli octoginta duo*, quartam illorum partem, quæ *tumulos viginti*, et ultra conficit, Canonicis assignare debuissent. Attamen videntes periti viris rustica domo carere Latifundium, ob banc causam non nihil expungere ab hac ipsa quarta parte duxerunt, totumque augmentum in *duodecim* tumulis præfiniverunt. Rationem quin imo dederunt, cur supputari ab augmento canonis non debeat merces ei debita, qui præest agrorum culturæ, idque fieri solere dixerunt in amplis, vastisque Latifundiis, in quibus *centum*, et plus etiam villici agrum colunt, et terram exercent: qnod sane alii Agrimensores Beneventani confirmabant. Quod si subductiones istæ contra ea, quæ hucusque demonstrata sunt, ineundæ forent, illud etiam iniqui et acerbi accederet, ut imminueretur potius, quam augeretur emphiteusis canon, licet aucti sint Latifundii fructus. Hoc sane, si ferendum in alio quolibet contractu non est, multo minus ferendum est in emphiteutico contractu bonorum Ecclesiae, quem plures, dotis pollicitationibus, auctoque admodum canone celebrare cum Capitulo cupiebant. Mirum denique Patribus visum est, quod canonem augere Peccerellia renuat, quae *tumulos centum* frumenti, *et ducatos quinquaginta quinque* in pecunia numerata in annos singulos, facto etiam canonis Rev. Capitulo solvendi augmento a subemphiteuta Marinatio lucratur.

Et ita etc. Utraque etc.

BONONIEN PECUNIARIA

Veneris 14 *Januarii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO CLXI. »

SUMMARIUM

1. *Commissa dicitur stipulatio, statim ac debitor non solvit die statuta.*
2. *Probationis onus ad eum pertinet, qui affirmat, non ad eum qui negat.*
3. *Qui pure ac simpliciter pro alia solvere promisit, inquiri non debet utrum debitor principalis solutioni idaneus fuerit nec ne, sed an praestituto tempore satisfecerit obligationi.*
4. *Ubi res est de obligatione concepta in diem, nulla requiritur interpellatio.*
5. *Lex,* Decem. ff. 116. de Verb, Oblig., *loquitur de vero ac simplici fidejussore.*
6. *Ex pluribus expromissoribus, et debendi correis, experiri fas est, quem velimus.*
   Si agitur de interpretatione contractuum, tempus inspici solet contractae obligationis - ibidem -.
7 *Qui solvere promisit* - in ogni caso - *non conditionem solutiani apponere, sed tempus fidejussiani praefeniese, censeri debet.*
8. *Expromissor revera ille est, qui alienam obligationem in se transfert, quique solus spondit pro alio.*
9. *Beneficio cedendarum nequit uti, qui renunciavit ordini, et excussioni.*
10. *Ex gallicis legibus, haud fas est hypothecam inscribere adversus debitorem decoctum.*

DECISIO CCXXI.

Auditus hodie rursus ex venia Sacri Nostri Ordinis Marchio Franciscus Xaverius Calvi Bononiensis, multa opponebat adversus Decisionem a me superiori anno, die 25. Junii, editam, qua condemnatus is fuit ad persolvendos Aloysio Jussi, hæredi Angeli Torri, et Cessionario Rosæ Torri, nummos argenteos *quatuormille*, quot Calvius ipse, conscripta Anno 1802 obligationis Syngrapha, se se soluturum promisit, si de credito, quod in libellis *triginta millibus* Turrius experiebatur adversus Patrimonium cujusdam Josephi Faccii de Libiis, intra duode-

cim annorum spatium satisfieri ipsi nequivisset. At Patres Domini novo, atque accurato examini subjecta prædicta mea Decisione, quæ rei seriem latius exponit, perpensisque juribus, de quibus utrinque disputabatur, persistendum esse *in Decisis* optime censuerunt.

1 Interprete siquidem non indiget obligationis syngrapha, in qua Calvius promisit = *in ogni caso, che il Cittadino Angelo Torri Creditore nello stato del cittadino Giuseppe Facci Libbi di due Capitali di Cambio, uno di Lire* 16000 *creato li* 22. *Novembre* 1775, *e l'altro di Lire* 14000, *creato li nove Gennajo* 1782, *non venisse a conseguire tutte, ed intiere le surriferite somme coi convenuti frutti entro il dodicennio decorso dal primo Gennajo prossimo passato, di supplire egli del proprio, e senz'alcuna eccezione sino allo somma di Lire* 20000, *e non più oltre* =, quæ 20000. Libellæ *quatuor mille* exhibent nummos argenteos. Neque hic stetit Calvii obligatio; quippequia voluit etiam amplissimis clausulis adhibitis, = *garantire questa sua promessa sotto l'obbligo di se stesso, suoi beni, ed Eredi sì presenti, che futuri, anche in forma guarentigiata* =; nuncium præterea mittens cuilibet beneficio, quod ex indole contractus sibi competere potuisset. Cum vero usque ab anno 1814 duodennium effluxerit, nec quidquam interea temporis Turrio numeratum fuisse a patrimonio Faccii de Libiis probaretur, commissa idcirco renuncianda est stipulatio, ac omnino cogendus est Calvius ad datam fidem implendam.

2 Irrito autem conatu reponebant, qui Calvio patrocinabantur, reum non esse damnandum, donec actor legitimis monumentis non evincat, nihil se a principalis debitoris patrimonio in crediti causam retulisse. Patebat primum ex Codicibus Patrimonii debitoris, nihil Turrio fuisse persolutum. Deinde vero probationis onus ad eum pertinet, qui affirmat, non ad eum, qui negat. Quamobrem, si Calvius contendit, vel de integro credito, vel de aliqua ejus parte satisfactum a patrimonio primi debitoris Turrio fuisse, ipse sane hoc probare tenebatur cum potissimum is Turrium impulerit ad ineundam cum debitore concordiam. Contra vero Calvius, licet quinquennali lite vexatus, nullum unquam adduxerit monumentum, ex quo solutionem aliquam Turrio factam evinceret. His ergo manentibus prono velut alveo profluit jure meritoque Jussium, qui a Turrio causam habet, in præsens urgere, ut suæ Calvius satisfaciat obligationi sicuti expendit præterita mea *Decis.* § 4 *et* 5.

Ut solutionis tamen onus a se Calvius excuteret, iterum in hoc novo jurium periculo contendebat, fidejussoriam obligationem a se emissam stricte esse interpretandam: non *pure* rursus, ac *simpliciter*, sed sub conditione, ac in subsidium so fidejussionem interposuisse, adeout agi contra eum nequeat, nisi prius excusso patrimonio debitoris: habendum denique eum esse, tamquam fidejussorem *indemnitatis*, qui liberatus a fidejussione censetur, nec conveniri valet a creditore, si is agere adversus verum debitorem, ac pignus excutere potuit, ac ex ejus culpa evenerit, ut interea principalis debitor facultatibus lapsus fuerit, ac pignus deterius, ac minus idoneum evaserit. At hæc omnia, quamvis in jure compertissima *ex leg. Omissis* 17. *Cod. de fidejussoribus*, ac ex aliis legibus, extranea tamen erant ab indole emissæ a Calvio fidejussionis, nec Patres a pandita sententia dimoverunt. Dum enim Calvius, omni exceptione remota, sese soluturum spopondit scuta *quatuormillia* = *in ogni caso, che il Cittadino Angelo Torri del fu Carlo, creditore nello stato del cittadino Giuseppe Libbi di due capitali di Cambio non venisse a conseguire tutte, ed intiere le riferite somme coi convenuti frutti entro il dodicennio, decorrendo dal primo Gennajo prossimo passato* =, hæc profecto verba tanti ponderis, et efficaciæ sunt, ut, etiamsi renunciari vellet Calvius simplex fidejussor, neque esset habendus, ut revera est, alieni nominis expromissor, et debendi correus, nullo 3

tamen modo inquiri patiuntur, utrum debitor principalis solutioni idoneus fuerit nec ne, sed an præstituto tempore suæ fecerit satis obligationi.

4 Cum nedum ergo solutionis factum præ oculis habuerint in ea conventione contrahentes, si nihil nimirum, duodennio elapso, Turrius accepisset a patrimonio debitoris, utcumque solvendo esset, inutile proinde erat debitoris patrimonium excutere, quia, sive debitor solvendo esset, sive solutioni impar, utroque in casu ex stipulatu tenebatur Calvius scuta *quatuor millia* Turrio rependere, veluti monet superior Causæ *Decis.* §. 6. Hic vero cavendi modus non insolitus in jure est, sed exemplum huic simillimum præbet Ulpianus in *Leg.* 17 § *fin. ff de fidejussor.*, in qua, cum accepta hoc modo fidejussio fuisset, si scilicet reus certam summam, quam debebat, statuto tempore non repræsentasset, recte respondit Jurisconsultus = *verisimile esse, id esse factum, ut cum interpellatus reus non solvisset; fidejussor teneretur* = Nemo hinc non intelligit, hoc unum legem ipsam exigere, reum nempe non solvisse, ac vix jubere, ut quoquo modo reus moneatur, antequam commissa censenda sit stipulatio. Non oportet tamen, ut hæc interpellatio, reo facienda, judicialis sit, sed satis quoque est monitio quælibet extra judicii ritum expleta, ut explicat *Glossa ad eamdem legem*, et quotquot explanatores eam interpretantur. At in themate, non modo ambigi non poterat, quin pluries Turrius solutionem *extra judicium* postulaverit; verum etiam animadvertendum præcipue erat de obligatione *in diem* concepta rem esse, in qua, cum dies interpellet pro homine, nullo modo requiritur interpellatio. Si *Titius* enim, dicis causa, de fide sua spondeat, si pecunia intra Kalendas Majas a *Mævio* non fuerit *Sempronio* soluta, Kalendis inutiliter elapsis, tenetur *Titius*, etiamsi nulla intercesserit interpellatio, ut disserit prima *Decis.* § 7.

5 Nec quidquam profecerunt Calvii defensores, dum iterum afferebant *Papiniani* responsum *in leg. Decem stipulatus* 116 *ff de verb. obligat.*, ubi ex sententia *Pauli Jurisconsulti* ait, cogi non posse fidejussorem ad solvendum, nisi prius principalis debitor, non modo interpellatus, sed in judicio quoque fuerit excussus. In casu si quidem prædictæ legis non agebatur de stipulatione in diem concepta, neque de debitore, qui præstituta die nomen suum non dimiserit; sed imo de eo debitore res erat, a quo exigi non potuerit. Non simplicem idcirco moram, aut simplex factum non obtentæ solutionis, sed solvendi *potentiam* spectavit Jurisconsultus, ut illa præfatæ legis verba suadent = *si decem stipulatus a Titio, postea quantominus ab eo consequi posses a Mævio stipuleris* =. Ut enim pateret, quod minus creditor consequutus a *Titio* fuisset, præmittenda necessario erat excussio debitoris, unde *Mævius* nosset, quid, et quantum solvere teneretur. Agebatur ergo de simplici fidejussione ac de fidejussione *in subsidium*, ideoque merito concludit idem Jurisconsultus, quod = *a Mævio ante Titium excussum non recte petetur*=. At Calvius non promisit sese soluturum quid minus posset Turrius ex patrimonio Faccii de Libiis exigere, sed scuta *quatuor millia* se se repræsentaturum fore dixit, si Faccius, duodennio elapso, non solvisset. Si quis ergo assereret, conveniri Calvium non posse, quousque actum non fuerit adversus Faccium is, sane metamorphosi non ferenda totam immutaret indolem, et speciem præstitæ a Calvio fidejussionis, in qua unum, et nudum *negativæ* solutionis factum ex demonstratis inspiciendum est, ut Calvius ipse teneatur.

His omnibus accedit non simplicem 6
fidejussorem se Calvium constituisse, sed expromissorem, ac debendi correum, adeo ut opitulari ei nequeant beneficia ordinis, et excussionis simplici fidejussori reservata. Ex pluribus enim expromissoribus, et debendi correis, quem eligimus, nec inopem invenimus, experiri fas est, et quamvis condictiones inter eos dentur, ac dividatur obligatio, nullæ tamen partes sunt quoad creditorem *ex leg. Credi-*

tor. 2 *leg. Exprimere* 3. *Cod. de duob. et leg. sententia* 20. *Cod. de fidejussor. leg. In duobus* 3 §. *Ubi duo ff de duob. reis*, *et leg. Non recte Cod. eod. tit.* Porro, dum Calvius fidem suam interposuit, scilicet anno 1802 vires suas adhuc exerebant Municipales Bononiæ leges quæ in § 1 *de privilegiis fidejussorum, et correorum* æqualem reddebant fidejussorum omnium conditionem, nullamque requirebant necessitatem excutiendi principalem debitorem, velutmonet præterita *Decis.* § 8. Non vero afficit in re nostra posterior Municipalium omnium cujuslibet loci sanctionum abrogatio a Gallicis legibus primum inducta, ac a Pontificiis deinde probata. Ubi namque agitur de interpretatione contractuum, tempus semper inspici solet contractæ obligationis, idque censetur conventum, quod procul ab expressa pactione in Regione, in qua gesta res est eo tempore servabatur, veluti post *Text. in leg.* 19 *ff de Reg. Jur.* animadvertit Sacer Ordo *in Senogallien Læsionis* 10. *Decembris* 1817 § 2 *coram R. P. D. Meo Tiberj*, *in Recinaten. Læsionis* 22. *Novembris* 1824 § 2 *coram Me*, et in præterita *Decis.* § 8.

7 Nil autem detrahit ex promissoris, et correi debendi qualitati, quod Calvius fidejusserit *in eo tantum casu*, quo post duodennii lapsum nihil assequi Turrius valuisset ex patrimonio Faccii de Libiis. Ea quippe verba = *in ogni caso* = Non ideo adhibuerunt contrahentes, quasi voluissent solutioni conditionem apponere, sed ut tempus præfinirent, quo Calvii fidejussio locum habere debebat. Nam, si duodecim annorum spatium præteriisset, quin Faccius de *Libiis* ejusque administratores debitum exsolvissent, tunc statim jus Turrio quærebatur, non excusso prius debitore, adversus Calvium agendi, ut de credito suo ei satisfieret. Eoque magis ita sentiendum est, quia Calvius obligationi suæ notissimum addidit *guarentigiæ* vinculum, quod verbo tenus ab obligatione Fiscali differt, eosdemque parit effectus, ac ipsa Cameralis obligatio, quæ juxta Fori nostri consuetudinem in omnibus fere contractibus olim interponi consueverat. At enim obligatio Cameralis, ita *guarentigiae* formula generalem continet renunciationem cuicumque juris auxilio, et beneficiis illis, quibus *ex jure communi* fidejussores simplices perfruuntur, ut, adductis auctoritatum exemplis, expendit prior ipsa *Decis.* § 10.

8 Sive itaque ex Bononiæ Statuto, sive ob *guarentigiae* formulam, sive demum ex natura atque indole actæ rei, non uti simplex fidejussor, sed uti reus principalis, atque expromissor Calvius existimandus est. Nam seorsim a debitore non veteri accessit obbligationi, sed novam quodammodo, et principalem contraxit, si Turrius intra duodecim annorum spatium nihil assequi a debitoris patrimonio potuisset. Hac de causa ex ære proprio spopondit sese numeraturum scuta *quatuor millia*. Sic itidem, omni exceptione remota, datam fidem implere constituit. Sic demum nullum sibi jus in eadem syngrapha reservavit adversus bona debitoris exercendum, quem decoctum noverat, adeo ut actio quælibet inutilis evasura esset, nisi saltem intra duodennium creditores omnes hypothecarii dimissi fuissent. Nihil minus propterea putavit Calvius, quam fidejubere *simpliciter*, et alienæ accedere obligationi, cujus implendæ dies jam venerat usque a die contractæ fidejussionis. Quare Calvius, pro Faccio fidejubens, expromissorem se revera constituit, qualis revera ille est, qui alienam obligationem in se transfert, quique solus spondet pro alio, sive antea obligato, sive non obligato, ideoque in usu juris reus simpliciter appellatur. Consulenda hic est superior Causæ *Decis.* § 11.

9 Quo cum res perducta sit, ipsi quodammodo Calvii defensores de victoria desperabant, dum consulto omittebant in hoc jurium experimento exceptionem illam alias propositam *cedendarum actionum*, ex qua alias querebantur, deteriorem evasisse fidejussoris conditionem ob neglectam hypothecæ inscriptionem super bonis prin-

cipalis debitoris. Recte quippe noscebant exceptioni huic obstare *guarentigiae* formulam: quæ, cum indole sua, beneficiis omnibus, et exceptionibus, ut superius demonstratum est, renunciationem secumfert, beneficium quoque *et exceptionem cedendarum* prorsus eliminat atque repellit. Noscebant rursus, quod, etiam si Torrius, opportuno tempore hypothecam inscribendam curasset super bonis Faccii de Libiis, inscribendo tamen, tam *ex pacto*, quam *ex jure*, neque suam, neque aliorum creditorum conditionem immutare poterant. Ex *pacto* primum, quia duo constituta fuerant conventione inita ab universo creditorum cætu, quorum primo cautum =, *che la francazione*, o *francazioni debbano seguire, servato l'ordine, e l'anteriorità di tempo, come sopra riferita nell' enunciare i rispettivi titoli di credito* =, ita ut quisque ex creditoribus satisfactionem assequeretur juxta temporis ordinem, quo celebrata fuerant Instrumenta. Altero rursus pacto conventum fuit, ut pro emptorum indemnitate, si prædia hypothecis subjecta venum exponerentur, creditores ipsi Nuncium mitterent hypothecarum vinculis, ac cuilibet alio privilegio, quod ex contractu manaret. Nihil igitur profuisset Turrio, saltem intra duodecim annorum curriculum, hypothecam inscribere, aut adversus cæteros creditores, quorum nemo ex *stipulatu* amittere poterat gradum, quem unicuique stipulatio tribuebat, aut adversus *tertios possessores*, quorum gratia creditores hypothecarii hypothecæ jus abdicarunt.

10 Nec secus *ex jure*. Non enim in discrimen revocabatur, quin usque ab anno 1801 publice decoxisset Faccius de Libiis, et publice decoctus haberetur ex veteri Fori Bononiensis consuetudine, semel ac, non modo debitorum satisfactionem intermisit, sed curatorem quoque super propriis bonis, creditorum cætu coacto, sustinere tenebatur. Atqui ex Gallicis legibus, quæ tunc temporis vigebant, haud fas erat hypothecam inscribere adversus debitorem decoctum, quemadmodum his Legibus innixum pluries *Sacrum Ordinem* judicasse advertit prima *Decis.* § 14. Etiamsi itaque voluissent, non poterant nihilominus aut Turrius; aut Jussius hypothecam inscribere super bonis Faccii debitoris. Cum igitur nullis limitibus circumscripta sit Marchionis Calvii fidejussio, cumque elapsi sint duodecim anni, nec quidquam a Faccio assequutus fuerit Turrius, semel contractam obligationem rejicere ei amplius non licet.

Et ita jus dixere patres domini a quibus superior decisio in omnibus probata est. Utraque etc,

---

CÆSENATEN CONCORDIAE

QUOAD LEGITIMAM

Lunae 27. *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Si contrahentium placitum, unum idemque non sit, nulla oritur obligatio. Et unum idemque non esse dicitur, quoties alia de re stipulator senserit, alia de re promissor.

SUMMARIUM

1. *Ad definiendam legitimae mensuram, expendi debet totius assis haereditarii vires, ope Inventarii.*
   Merus tractatus nullos gignit effectus – ibidem –.
2. *Nulla est obligatio, si unum idemque contrahentium placitum non sit.*
3. *Si de alia re stipulator senserit, de alia promissor, nulla contrahitur obligatio.*
4. *Concordia, quae caret perfectione, in merum tractatum resolvitur.*
5. *Qui contractus perfectionem implorat, eo ipso excludit absolutum fuisse.*
6. *Concordia ad exitum non perducta, propriis juribus inferre praejudicium non potest.*
7. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari cui fidem a se praestitam servare recusat.*

DECISIO CCXXII.

Perfectam bonorum communionem quousque vixit servavit Paulus Pirinius cum Patre Michæle, cui prædecesssit, tribus

relictis liberis, Berenice, Adelaide, et Jacobo, quem ex asse sibi hæredem nuncupavit. Adelais nupsit Josepho Pasini. Patris exemplum imitatus Jacobus eamdem communionem cum avo dein servare voluit: at, postquam Assumptam Comandiniam duxit in uxorem de bonis erciscundis cogitavit, id expetente domesticarum rerum conservatione: ideoque factum est, ut dio 7 Januarii 1822 ad amicabilem divisionem deventum inter ipsum, et avum fuerit. Hujus vero divisionis, publicis tabulis mandatæ, ea summa fuit, ut segregatis ex integro patrimonio bonis nonnullis, quæ assignata Avo fuerunt, cætera omnia, tum mobilia, tum immobilia pro rata parte inter hunc, et nepotem dividerentur quoad usumfructum: ita ut quilibet bonis sibi assignatis uti frui libere posset. Haud vero stabilem perpetuumque ex hac conventione effectum oriri ii voluerunt. Convenere enim, eam esse servandam, dumtaxat usque ad obitum Michælis. Et, quoniam hic suum jamdiu testamentum confecerat, et Jacobum nepotem hæredem instituerat, apposito etiam pacto sancitum est = *che quante volte variasse la testamentaria disposizione da lui fatta, e privasse il Nepote in tutto, o in parte della sua eredità, in tal caso quest' ultimo avrà diritto di reclamare tutti i Capitali del Signor Paolo Pirini suo Padre,* (hunc enim proprio nomine quamplura bona acquisivisse constat) *e di farsi render conto di tutte le distrazioni fatte dall'Avo, e dell' amministrazione da lui sostenuta fin qui, senza che possa pregiudicargli in alcun conto il presente atto di divisione* = Cætera omnia, quæ apposita fuere pacta, ad rem minime pertinentia, prætermittuntur.

Quod Jacobus verebatur ne eveniret, id punctim evenit: Adelais in gratiam senis Michælis paullatim irrepsit, qui propterea priori abrogato testamento novum confecit die 27 Augusti anni 1822., in eoque usumfructuariám hæredem Columbam Giovanardi Uxorem suam, proprietariam vero Adolaidem neptem nuncupavit: ne Jacobo aliud reliquit, præter legitimam ex jure debitam, et alia *scuta quingenta* legati nomine, suæ voluntatis executionem patrocinio, et auctoritati Eminentissimi Cardinalis Provinciæ Legati pro tempore enixe commendans. Obiit deinde Michael die 15 Novembris ejusdem anni: statimque Adelais adiit Eminentissimum Cardinalem Legatum, et supplicem ei porrexit libellum, quo cum fratre Jacobo, non ex rigore, ac stricto jure se agere velle declaravit, nec plenam avitæ voluntatis exequutionem expetere. Quare hæc proposuit = *abbandonerà la discussione, e la domanda in quanto alla pertinenza di alcuni fondi in proprio nome acquistati da Paolo Pirini commune Genitore, e riterrà come stabile e definitiva la divisione provvisoria tra l' Avo, ed il Nipote, stipolata nel dì 7 Gennaro dell'annò cadente* = Satis vero superque sic de jure suo se remittere addidit, proindeque nihil ultra fratri esse indulgendum = *tali sue condiscendenze, e largizioni verrebbero concedute, e dovrebbero accettarsi entro questi confini, e con tutte le riserve, che ad ogni contingenza relativa ne assicurasse lo scopo* =.

Tunc Cæsenæ Gubernator ab Eminentissimo Legato Delegatus Jacobum accersivit, eique die 12 Decembris anni 1822 Sororis propositionem patefecit: quam hic ita excepit = *accetto il progetto, che mi fà di ritenere per difinitiva la divisione provisoria fatta li 7 Gennaro* =; hac vero sub conditione =, *con reciproco dirtto di assoluta proprietà, e dominio* =, rursusque post dies octo die scilicet 20 ejusdem Mensis, respondit pariter = *intendo di accettare non solo il progetto che fà di ritenere per definitiva la provisoria divisione stipolata ec. e di avere tutto ciò, che in esso istromento risulta col reciproco diritto di assoluta proprietà, e dominio, ma eziandio ec. intendo di aderire alle riserve ec., e di essere pienamente contento, e sodisfatto; sempre col sudetto reciproco diritto di assoluta proprietà, e dominio di quanto mi appartiene giusta la provisoria divisione* =. Plures tamen menses effluxere, quin ad stipulationem ullius transactionis frater, sororque devenirent. Novae igitur preces die 28 Maii annii 1823 ab Ade-

laide Eminentissimo Legato porrectae fuere, et rogatus hic fuit, ut Jacobum ad se vocaret, cumque ad ineundam concordiam urgeret, cui ipsum reluctanteu dicebat ex eo quod = *non si è di buona fede penetrato nel midollo di essa* = et una cum precibus folium quoddam Eminentissimo Legato exhibitum ab ea fuit, in quo, postquam fuit enarratum = *Che Giacomo, ovvero i di Lui Consiglieri, accettando il progetto decamparono dalle allegate condizioni, le quali togliendo a Giacomo di disporre a suo talento delle offerte sostanze nè scindere, nè dissimulare potevansi* =, et propositiones iterum relatæ fuere, quae Jacobo factae dicebantur = *inutilmente* = *con uguale inutilità* =, *con pari improficuità ec.* et quibus super conclusum fuit = *Queste sarebbero le tesi proponibili in giustizia* =.

Interea eadem Adelais ab avia Columba Giovannardia ususfructus cessionem obtinuit, alimentorum praestatione in correspectivitatem conventa: et, rebus dein cum fratre inutiliter pertractatis, mandatum die 13 Junii 1823 a Tribunali Foroliviensi impetravit, cujus vi omnes coloni, qui fundos conduxerant, quos Jacobus ex divisione cum avo inita die 7 Januarii 1822 habuerat, ipsam unam recognoscerent = *per padrona assoluta ec. secondo le tavole Testamentarie* =: ac insimul inhibitionem, uti aviæ cessionaria, Jacobo misit, obtestans = *che volendosi valere de'suoi diritti provenienti dalle disposizioni Testamentarie del defonto di Lei marito intende di essere in possesso relativamente all'usofrutto di tutte le sostanze spettanti al defonto, frà le quali si comprendono quelle godute dal notificato* = Præterea die 27 ejusdem mensis custodem, et depositarium fructibus apponi petiit, et obtinuit, per Sententiam ejusdem Tribunalis, quam tamen, ob non citatum Jacobum; circumscriptione Suprema Signatura delevit.

Tria tunc Jacobus adversus conjuges Pasinios judicia promovit: *primum* super manutentione in bonis, quæ ad Michælis hæreditatem minime pertinebant, vel ad quæ uti patri hæres jure proprio succedere debebat; *alterum* super legitimæ ab avo sibi relictæ præstatione, ad cujus vires expendendas, terminum præscribi petiit ad inventarii confectionem: *tertium* tandem ad consequendnm legatum scutorum *quingentorum*, quæ pariter ci avus reliquerat. Hæc duo postrema judicia promptum, et votis sui consonum exitum habuere. Jussere enim Judices infra datum terminum inventarium confici, legitimam deinde præstari, et solvi legatum. At primi illius judicii finem frustra Jacobus expectavit: eo enim adhuc pendente, acerba morte correptus est, uxore Assumpta Comandinia hærede relicta, quæ tandem die 21 Decembris anni nuper elapsi Judices audivit decernentes = *non esser mai avvenuta frà l'Attore Giacomo Pirini ora defonto, e la rea convenuta Adelaide la transazione pretesa dalla detta rea Convenuta, e quindi rigettata tale eccezzione, come inammisibile, e frustratoria, doversi mantenere l' odierna attrice nel possesso di tutti i beni descritti nell'atto di Citazione ec.* = De hac hodie Sententia nulla quaestio est. Ab alteris duabus cum Conjuges Pasinii suspensivam appellationem obtinuerint, utramque hodie Sacro Ordini Nostro controversiam dirimendam proponi curarunt. Cum igitur de legato separato disputatione, contemporanee tamen, agendum sit, quoad quæstionis partem ad legitimam spectantem, rogavi hac mane Patres = *An sit locus assignationi legitimæ, et confectioni inventarii, seu potius obstet concordia dierum 12., et 20 Decembris 1822 in casu etc.* et responsum accepi = *Affirmative in omnibus ad primam partem negative ad secundum* =.

Ex factorum serie, quae exposita su- 1
perius fuit, ipsa jam dilucide scatet hujus responsi justitia. Legitimam enim, tum ex jure, tum ex Avi testamento in hujus bonis Jacobo deberi, nec ipsi conjuges Pasini, nec Columba baeres usufructuaria denegare unquam potuere. Cum igitur, ad ejus mensuram definiendam, opus sit totius assis haereditarii vires expendere, et dimetiri, quod tantum per inventurium effici potest, jure meritoque hujus confectionem postula-

vit Jacobus, eamque praescripsit Foroliviense Tribunal. At una semper eademque praescripsit Foroliviense Tribunal. At una semper eademque in medium prolata est exceptio: concordiam scilicet, quam initam sub diebus 12 et 20 Decembris anni 1822., eodemque temporis perfectam asserere non dubitant conjuges Pasinii, et Giovannardia, obstare, quin Comandinia quidquam ex Michaelis testamento petere possit, sed sui Auctoris Jacubi jura ex pactis in ea conventis dimetiri teneatur. Hanc verum exceptionem uti futilem, et viribus destitutam Patres despiciendam censuere. Concordiae enim existentia, re bene perpensa, in vanas abit auras, et ad merum tractatum omni perfectione carentem, ideoque nullius effectus gignendi capacem reducitur.

2 Quamvis etenim obligationem contrahi ex intrrrogatione, et responsione cum qui dari, fierive nobis stipulamur nemine dubium esse potest; conventione enim contrahitur obligatio; illud tamen necessarie requiritur, ut conventio perfecta sit, omnibusque numeris absoluta, cujus perfeetionis extrema adamussim designat. *Tex in Leg.* 1 § 1 *ff. de pactis* = quaeve sunt = *duorum in idem plocitum consensus* = Quapropter eamdem omnino deficere compertum est cum unum idemque contrabentium placitum non sit: et inutilem esse stipulationem = *si quis od ea, quæ interrogotus fuerit, nòn respondeat . . . aut, si ille pure stipuletur, sub conditione promittas* = docuit *Imp.* § *Inst. de inut. stip.* Hisce elementaribus juris principiis ad memoriam revocatis, facile prorsus erat cuilibet, Adelaidis, et Jacobi de ineunda concordia disserentium verba perpendenti, defectum eorum consensus in idem placitum, proindeque conventionis, et obligaticnis inde manantis perspicere.

3 Quod ut manifestissime appareat recolere præstat divisionem, anno 1822 ineunte, inter avum, et nepotem peractam, bonorum usumfructum dumtaxat respexisse, ac de eorum proprietatu nihil per eam esse constitutum. Jam vero en quod Adelais, ut fratri prætensum amoris pignus exhiberet, se indulturam promisit: = *abbondonerà la discussione, e la domanda in quanto allo pertinenza di olcuni fondi in proprio nome acquistoti do Poolo Pirini commun Genitore, e riterrà, come definitiva lo divisione provisorio trà l'Avo, ed il Nipote stipolota ec.* » Nullam ergo divisionis ipsius modificationem aut tituli in ea conventi mutationem proposuit soror, sed ejus dumtaxat perpetuitatem obtulit: sive, quod idem est, nil aliud voluit, nisi ut bonis iis, super quibus, usque ad obitum avi, usumfructum obtinuerat, Jacobus; quousque viveret, uteretur frueretur. At hic non ita rem intellexit, vel de hisce sese contentum haud præbuit. Quapropter interrogatus die 12 Decembris anni 1822 vellet nec ne sororis obligationem accepto habere, non puram is acceptationem emisit, sed ita conceptam = *accetto il progetto che mi fà di ritenere per definitiva la divisione provisoria* = boc adjecto » *con reciproco diritto di assoluto proprietà, e dominio* =; eamdemque additionem semel, iterumque, iisdem verbis repetitam voluit in altera, quam dedit responsione die 20 mensis ejusdem. Non igitur in unum idemque placitum soror, fraterque conveniebant: illa siquidem divisionis perpetuitatem offerebat, quæ solum usumfructum Jacobo concesserat: hic proprietatem eamdem accepto habebat, = *sempre però col sudetto reciproco diritto di assoluta proprietà, e dominio* = At = *si de alia re stipulotor senserit de alio promissor, perinde nullo controhitur obligotio, oc si od interrogatum responsum non esset* = Verba sunt = § 23 *Inst. de inut. stip.*

Nec Adelaidi profuit asserere se, 4
eum definitivam dixit cupere divisionem, eamdem etiam ad proprietatem extendere voluisse. Patula enim verba sunt declarationis illius, quam paucos infra menses Eminentissimo Legato cum precibus porrexit, et in qua enarratum est = *che Giocomo, ovvero i di lui Consiglieri accettando il progetto decamparono dalle allegate condizioni, le*

quali tog'iendo a Giacomo di disporre a suo talento delle offerte sostanze ne scindere, nè dissimulare potevansi = Ex quibus verbis aperte colligitur eam vere Adelaidi mentem fuisse, ut unum usumfructum fratri concederet, quin hic posset = *disporre a suo talento delle offerte sostanze* =; dum ipse e contra divisionis perpetuitati consensum præbebat suum = *sempre però col reciproco diritto di assoluta proprietà, e dominio* » Haud igitur hic quærendum est possint nec ne in stipulationibus consensus conjungi, et per epistolam possit nomen dari conventionibus: nec ad rem pertinet inquirere, utrum, perfecto contractu, ob unius inadimplementum liceat alteri ab eodem recedere: contractus ipse enim corruit ob defectum consensus in idem placitum, ac ut supra dictum fuit, concordia ipsa inter fratrem, et sororem inita in merum tractatum resoluta est omni carentem perfectione.

5 Quod si ex jure hæc concordiæ nullitas manifeste eruitur, manifestius etiam ex factis subsequentibus dignoscitur. Omnia enim, quæ post diem 20 Decembris anni 1822 gesta sunt, eam luculentissime excludunt. Et sane intelligi nequit, qua ratione perfecta jam conventio dici queat, ad cujus conclusionem obtinendam Eminentissimi Legati mediationem conjuges Pasini implorabant ad diem 28 Maii 1823. Eo scilicet die Adelais sic ei scribebat = *o sia che non si è di buona fede penetrato nel Midollo di esse (proposizioni) ovvero che si è fatto un' erroneo calcolo degli affacciati titoli di Giacomo; o infine, che i direttori interessati di Lui non siano paghi di questa utilità ec. certo e che fin da ora, o gli affari sono per anco involuti, o sono ridotti a peggior condizione di quello, che erano prima del decesso del testatore.* « Quibus aliisque ex causis » *ella domanda ossequiosamente, che le piaccia, o di chiamare a se Giacomo Pirini ec. per conoscere i motivi di una tergiversazione così al medesimo dannosa: conciliando per quanto sia possibile in qnesto tentativo amichevolmente l' interesse de'contendenti, ovvero permettendo, che frattanto l'Erede il cui diritto non và soggetto a niuna eccezione si immetta anche coi modi legali al possesso ec. dell'avita eredità* ». Ex his porro absquo ulla argumentandi vi perspicuum fit mense Majo anno 1823 res inter Fratrem, et Sororem nondum esse compositas, ita ut hæc alternativam urgeret, vel concordiæ stipulandæ vel immissionis ex testamento Avi obtinendæ ad bona ejus hæreditaria.

Quod clarius etiam ab iis evincitur, 6
quæ in eodem epistolio sequuntur = *e perchè in fine l'E. V. R. conosca anche in dettaglio della sostanza, e delle conseguenze del progetto fin da principio offerto, e nel quale tuttora la esponente di grato animo persiste, le umilia nell' annessa memoria ec.* = Contractus igitur nondum erat perfectus, imo ejus deficiebat fundamentum, nempe consensus: resque omnis in uno stabat *progetto* in quo constans quidem soror manebat, dum longe aberat frater ab eo acceptando. Io tanta ergo factorum evidentia non aliud a Patribus judicium proferri poterat, quam illud, quo nullimode Jacobi juribus officere posse assertam concordiam definitum est.

Quæ cum ita sint, et tanta fulgeant 7
evidentia, operæ pretium non est alteram hypothesim perpendere, in qua scilicet conclusam vere fuisse concordiam supponeretur. Quo in casu Patres animadvertebant nullum eam Jacobo obicem parare qualibet in hypothesi, potuisse, ad legitimam consequendam: tum quia in ea nil aliud obtulerat Adelais nisi = *Abbandonerà la discussione, e la domanda in quanto alla pertinenza di alcuni fondi ec., e riterrà come stabile, e definitiva la divisione ec.* proindeque, cum nulla de legitima mentio exciderit, integrum adhuc esset Jacobo eam petere, tam ex juris dispositione, quam ex avi voluntate: tum quia judiciales actus ab Adelaide promoti, et exequuti, quibus se « *in assoluta Padrona* » recognosci postulavit, et obtinuit eorumdem fundorum, quæ per divisionem obtinuerat Jacobus, aperte demonstrant eam a quacumque proposita transactiono recessisse; ideo-

que haud amplius ejus exequutionem adversus Fratrem ab ea reluctantem expetere posse « *Frustra enim sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat* » ut docet *Text. in VI decret. de reg. jur.*

Et ita, Utraque parte jus suum strenue propugnante Patres controversiam dirimendam censuere.

CAESENATEN IMMISSIONIS

QUOAD LEGATUM

Lunae 27. Junii 1825.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Ob consensus defectum, imperfecta semper manet transactio.*
2. *De eo quod Partes nihil convenerunt, nihil etiam quoad illud innovare voluisse censeri debet.*

DECISIO CCXXIII.

Michael Pirinius, ut in contemporanea mea Decisione *Cesenaten. Concordiæ quoad Legitimam* narratum est, Adelaide nepte hærede instituta, Jacobo ejus fratri reliquit = *la legittima che de jure sarà per appartenergli e più in aumento della medesima altri scudi Cinquecento, che verranno riuniti alla legittima stessa da consegnarli a suo piacimento nel tempo, e modi, e colle regole, che sono determinate, e prescritte dalla Legge*» Concordiæ tractatum fratri soror proposuit, ac in ejus vim ei retinenda obtulit bona omnia, quæ a quadam divisione cum avo peracta ipse jam usufruenda obtinuerat. Accepto habuit Jacobus sororis oblationem diebus 12,et 20. Decembris, dummodo tamen bona juxta peragendam divisionem apud utrumque manerent = *con reciproco diritto di assoluta proprietà, e dominio* » Hæc vero fratris additio Adelaidi haud arrisit, quæ aperte fassa est se velle Jacobo auferre facultatem « *di disporre a suo talento delle offerte sostanze.*

Hinc factum est, ut, de conciliatione concludenda exclusa spe, Adelais , tum ex jure proprio, tum qua cessionaria aviæ hæredis usufruariæ , Jacobum judicio lacessiverit, seque absolute in dominam avitæ hæreditatis recognosci petierit et Jacobus e contra præter paterna bona, legitimam et legatum sibi debitum ex testamento Michælis ab Adelaide judicialiter postulaverit, ejusque petitionem favorabili Sententia exceperint Judices, qui Forolivii de Primis Actionibus tunc temporis cognoscebant. Appellationis ope utraque controversia ad S. N. Ordinem delata est. Cum igitur quoad legatum Patres hac mane rogaverim « *An sit locus solutioni legati ita ut sit relaxandum mandatum, seu potius obstet concordia dierum 12. et 20. Decembris 1822. in casu etc.* Ipsi Responsum dedere , quod alterius Causæ super legitima definitio expostulabat « *Affirmative in omnibus ad primam partem, negative ad secundam.*

Verba ipsa, quibus Dubium conceptum est aperte demonstrant, sublata concordia locum esse solutioni legati. 1
Atqui ob defectum consensus imperfecta semper mansit proposita transactio, ut in altera supra citata decisione demonstratum est *sub* §. 5. 6. 7. 8. *et* 9. Absque ulla igitur hæsitatione respondendum erat legatum fratri esse a sorore persolvendum. Nulli enim subest exceptioni Jacobi petitio, quæ Legum imo innititur sanctioni *Ad Text. in Leg.* 5. §. 1. *et* 7. *ff. quando dies legati, et leg. unic. C.* §. 5. *de Cad. toll. et leg.* 32. *ff. de Legat.* 2.

Accedit etiam, quod nec per assertam concordiæ existentiam Jacobi jus 2
ad legatum consequendum peremptum esset. Non enim ultra id, quod expresse conventum esset , extendi deberet transactio; quæ cæteroquin nullo modo extuit. Cumque ideo de legato nihil omnino Partes convenissent, nihil etiam quoad illud innovare eas voluisse præsumendum esset: ac propterea sartum tectumque Jacobi jus, Legibus et avitæ

dispositioni innixum, quacumque sub hyptbesi adhuc manere in dubium est. Et ita eic. et Utraque etc.

CORNETANA PECUNIARIA

Lunae 18 *Aprilis* 1825.

ARGUMENTUM

Confessiones de recepta dote, constante matrimonio, emissae, eum derivare possint in donationem inter virum et uxorem, irritae babentur, nisi de dotis numeratione aliunde constet. Ac id eo magis obtinet in casu, ubi res sit cum tertiis creditoribus.

SUMMARIUM

1. *Semel ac creditum hypothecarium in judicium deductum est, nulla amplius iteratione inscriptionis indiget.*
2. *Sententia a Judice prolata, post decennii lapsum, retrotrahitur ad diem petitionis, quo non adhuc decennii spatium effluxerat.*
3. *In re propria nulla consistere potest hypotheca.*
4. *Res-judicata, obiter et perfunctorie infringi nequit.*
5. *Inter creditum et debitum aeque certum et liquidum, compensatio juris ministerio inducitur.*
   Nemini est vetitum duplicem personam in uno eodemque judicio exhibere - ibidem -.
6. *Qui jure suo utitur, nemini praejudicium infert.*
7. *Confessiones de dote recepta, constante matrimonio, emissae irritae censeri debent.*
   Nisi aliunde ipsius dotis numeratio legitimis monumentis evincatur - ibidem -.
8. *Mulier dotem repetens, veram illius numerationem, non ipsius tantum promissionem promissionem probare tenetur.*
   Ea omnia, quae in fraudem creditorum gesta sunt, revocari debent - ibidem.

DECISIO CCXXIV.

Pecuniis indigens Odoardus Pasquali, anno 1812 *die decima quinta* Februarii, dum Gallorum regebamur institutis, solemni interposita stipulatione, nummos argenteos *septingentos triginta duos* mutui nomine a Bartholomaeo Bustellio recepit. Prout Leges illius temporis permittebant, non modo *semisses* hujusce summæ fructus seso soluturum usque ad capitis restitutionem simpliciter spopondit Odoardus; verum etiam, ut indemnem redderet creditorem, domum Cornueti sitam hypothecæ vinculo mancipavit, quam statim Bustellius publicis in Codicibus inscribendam curavit. Sed eadem domus præter hunc hypothecæ nexum, censui quoque subjicebatur, quem usque ab anno 1708 in capite scutorum *centum sexaginta*, una cum usuris in *trienti* mensura conventis Victorius quidam Panzani erga fideicommissum a Joanne Carolo Fulgensi ordinatum imposuerat. Paucis ab hinc annis scilicet anno 1817, inconsultis omnino creditoribus, prædictæ domus, hisce oneribus obnoxiæ, dominium, et possessionem abdicavit Odoardus, eamque transtulit, implorata Judicis auctoritate in Symphorosam Berni, cui se matrimonio junxerat. Cessio hæc a viro, quasi vergeret ad inopiam erga uxorem inita fuit, ut ei de dote caveret, quam se in scutis *mille quadraginta uno*, et obolis *quadraginta duobus* recepisse fassus fuerat, publicis in tabulis post contractum matrimonium, initamque cessionem, celebratis nimirum anno 1818 die *decima sexta* Januarii, quarum vi deinde Symphorosa ipsa post sex dies peculiari dotis inscriptione in hypothecarum tabularium relata consulendum sibi duxit.

Hoc modo mulier ista ædium nacta dominium, cum nuptias filiæ suæ Margaritæ cum Raphaele Rispoli conciliasset, easdem ædes filiæ ipsi in dotem constituit: Hinc factum est, ut die 7 Maii in sequentis anni 1819 privata conscripta apocha, non dissentientibus Odoardo, et Symphorosa, a conjugibus Raphaele, et Margarita Rispoli ædes venderentur conjugibus Vincentio Mastini, et Mariæ Annæ Lastrai, pretio a peritis viris præfiniendo, quod tamen sese numeraturos hoc pacto promiserunt emptores, ut præcipue alterum ex nominibus rei emptæ venditæ inhærentibus, scilicet Bustellii creditum, antea deduceretur. Subortis inde dissidiis, composita demum res fuit, ope transactionis diei *vigesimæ*

primæ Decembris anni 1820, in qua potissimum, cum probata communi transigentium placito fuerit ædium emptio venditio, tum illud summatim placuit, ut ex pretio, jam a perito viro in scutis 1432 79 constituto, dimitti prius deberent hypothecarii creditores, atque interim pretium ipsum ab emptoribus retineretur, *compensativis* ad rationem *semissem* solutis usuris ad tramites *leg. Curabit. Cod. de act. empt. et vendit.* His rebus gestis, cupiens tutiorem facere possessionem suam Mastinus, cessionem sibi quæsivit, tum veteris consensus scutorum *centum sexaginta*, tum etiam nominis Bustellii, quod constabat, ut superius fuit narratum, scutis *septingentis triginta duobus* quodque nullos amplius gignere fructus potuisse post restitutum Pontificis regimen, ob neglectam requisitorum Castrensium interpellationem, ad tramites Pontificiæ Legis, urgente Odoardo debitore, declararunt nunc abrogati. Judices Centumcellarum, qui de primis actionibus jus dicebant.

Indutus cessionarii veste Mastinius, adhibito quoque uxoris suæ Mariæ Annæ nomine, non modo conjugibus Pasquali, sed prætcrea conjugibus Rispoli vadimonium indixit die *secunda* Julii anni 1821 coram eodem Centumcellensi Tribunali, ut compensationem pretii emptæ domus cum sibi cesso nomine Bustellii, et censu scutorum *centum sexaginta*, ejusque fructibus, obtineret. Probata tamen ab illis Judicibus compensatione petita, quoad unum tantum Bustellii creditum, illico prodiit Symphorosa Berni, et prælationem apud praedictum Centumcellarum Tribunal objecit super traditione pretii in causam dotis pro qua ejus Vir Odoardus aedium dominium, et possessionem erga ipsam abdicaverat. Nihil vero proficere potuit propositis iuribus dotalibus Symphorosa, ejusque praelationis petitio edita Sententia rejecta fuit. Appellatione hinc a duabus hisce Sententiis utrinque interposita, quaestio omnis conscendit ad Sacrum Ordinem Nostrum sub unico Dubio hisce verbis concepto « *An, et in qua summa constet de credito, et hypotheca, ita ut, et a qua die sit locus compensationi, et deletioni hypothecarum; seu potius sit locus prælativæ consignationi pretii domus, et relaxationi mandati in casu etc.* » quod Patres, per me hoc mane interrogati, dirimendum censuerunt ope responsi « *Affirmative ad primam partem, et constare de credito Vincentii, et Mariæ Annæ in scutis* 1194 *et obul.* 20 *ad effectum compensandi, et esse locum deletioni hypothecæ a die* 2 *Julii* 1821. « *Negative ad secundam* ».

Controversiam multis factis involutam 1
optime fuisse definitam facile est evincere. Duo namque sunt nomina, quibus subjiciebantur ædes Mastinio divenditæ, quæque ipse merito, cessione a creditoribus obtenta, cum pretio rei emptæ venditæ compensanda propugnat. Primum est nomen Bartholomæi Bustellii in *scutis septingentis triginta duobus*, quod suum repetit initium a publicis tabulis dici *decimæ quintæ* Februarii anni 1812 ac in tuto positum, legitimeque servatum fuit ex hypothecaria inscriptione ab ipso Bustellio suscepta super ædibus, de quibus agitur, die *sexta* Martii ejusdem anni. Alterum est censuale nomen *scutorum centum sexaginta*, una cum fructibus, quod ædibus pariter inhæret. Ut antea de Bustellii credito ratio habeatur, qui pro Symphorosa causam orabant non recte objiciebant, hypothecam a Bustellio initio susceptam ex eo peremptam postea mansisse, quod renovata non fuerit, antequam elaboretur decennium, ut cautum est publicis hypothecarum legibus, ac potissimum Edictali Sanctione, die *decima* Augusti anni 1818 in vulgus edita. Cum enim Mastinius, qua cessionarius Bustellii, hujusce nominis compensationem cum pretio domus opposuerit mense Julio anni 1821 apud Centumcellarum Tribunal, ad id vocatis tam conjugibus Pasquali, quam conjugibus Rispoli, multo scilicet antequam exitum haberet decennium a die susceptæ inscriptionis computandum, inscriptionem certe renovare ante decennii lapsum haud tenebatur. Statim ac vero creditum hypothecarium in judicium deductum est, nulla amplius iteratione inscriptionis indiget, etiamsi inscriptio ipsa decennii lapsu perimatur,

ut nuperrime decisum est in *Perusina Hypothecæ* 31 *Januarii hujus anni coram R.P.D. Meo Pianetti.*

2 Neque id immerito, sed summa prudentia in prædicta Decisione statuit Sacrum Tribunal. Iteratio siquidem inscriptionis unice a legibus demandatur, ut incolumis prima inscriptio servetur. Servari autem amplius non oportet hypothecariam inscriptionem illius crediti, quod judicio ante decennii lapsum proponitur, cum solutionis dies jam cesserit, et venerit. Nihil vero interest si Actor Sententiam a Judice non referat, nisi elapso decennio. Nam Sententia ab eodem Judice prolata post decennii lapsum retrotrahitur ad diem petitæ solutionis ac instituti judicii, ac ita cum eo conjungitur, veluti ac si pronunciata fuisset ipsa die instituti judicii, qua non adhuc decennii spatium effluxerat. Eoque magis hæc locum sibi in themate vindicant, quia in privata emptionis venditionis ædium apocha potestas facta fuit Mastinio, ut sibi retineret ex pretio quidquid Bustellio debebatur; nec id ullo modo revocatum, sed imo diserta pactione confirmatum est in subsequenti transactione, publicis tabulis inita anno 1820, ubi conventum legitur « *dovranno pagarsi i pesi, che gravitano sulla Casa medesima venduta, e dimettersi l'ipoteche legali secondo la liquidazione, che li medesimi Signori Rispoli, e Pasquali faranno coi rispettivi creditori, e dietro la richiesta, che detti Signori faranno ai Signori compratori* ».

3 Summi hæc momenti erant. Quominus tamen detrimentum ullum Mastinio inferretur ex omissa hypothecariæ inscriptionis iteratione, accedebat etiam, renovari ante decennii lapsum non potuisse hypothecariam inscriptionem pro Bustellii credito servando, semelac tunc temporis, tam creditum ipsum, ex stipulata cessione, quam domus hypothecis obnoxia, ex inito emptionis, venditionis contractu, in Mastinii dominium pervenerant. Cum autem res sua nemini serviat, et actio ac passio nullo modo admitti in eodem subjecto valeat, prudentissime idcirco receptum in jure est, in re propria nullam consistere posse hypothecam, quæ jus in re aliena, non in propria constituit. *Negusan. de pignor. part.* 3 *memb.* 4 *n.* 158. *Mantic. de tacit., et ambig. lib.* 11 *tit.* 17 *limit.* 2, *Rot. in Fulginaten. Pecuniaria super Rejudicata* 7 *Junii* 1776 § 9 *cor. Mannelli in Romana Graduationis* 7 *Martii* 1817 § 5 *cor. Emo Odescalchi, et in Romana Census* 25 *Februarii* 1823 § 9 *coram R. P. D. Meo Tiberj.* Spectant hæc ad Bustellii creditum. Non minus vero explorata compensatio est quoad nomen censuale, ad cujus caput in scutis *centum sexaginta* quod pertinet præsto sunt tabulæ usque ab anno 1708 confectæ, quæ plene ostendunt censum ipsum a quodam Victorio Panzani impositum fuisse super domo controversa erga fideicommissum a Joanne Carolo Fulgenzi institutum. Adest præterea inscriptio hypothecæ in codicibus publicis expleta, cujus vi idem census in tuto positus, riteque servatus ad hoc usque tempus fuit. Non desunt demum publicæ tabulæ, ex quibus nomen hujusmodi translatum est in Mastinium ædium emptorem.

Nec officit ex celebri Piana Bulla, invito debitore, census caput repeti a creditore non posse. Odoardus enim censualis nominis debitor, dum una cum uxore sua interfuit venditioni ædium a conjugibus Rispoli facta erga conjuges Mastini, ultro assentitus fuit, ut ex pretio, ab emptoribus solvendo prius dimitterentur debita, quæ domui inhærebant. Nisi quippe pacti hujusce vi consultum fuisset ementium indemnitati, numquam sane ædes illas tot hypothecis obnoxias conjuges Martini sibi comparassent. Qui secus obviam ire periculum amittendæ domus potuissent. Ad tramites ergo initæ stipulationis solvendum est censuale caput, seu potius cum ædium pretio compensandum. Sed capiti addendi sunt fructus, quorum quantitas ex Rejudicata nuper abrogati Tribunalis Collegialis A. C. quæ obiter, et perfunctorie infringi nequit, ad liquidum producta est, et in scutis constituta *tercentum duobus*, obulisque *viginti*. Simul proinde collectis summis, tam in causam crediti Bustellii, quam in causam census, ejusque fructuum debitis, facile patet, crediti quan- 4

titatem, cum debito compensandam in scutis consistere *mille centum nonaginta quatuor*, et obulis *viginti*, adeout quidquid superest ex pretio domus solvendum postea sit conjugibus Rispoli, qui domum Mastinio vendiderunt, et cum quibus Symphorosa de prælatione super hac reliqua summa disputabit.

5 Ut compensationem nihilominus effugerent ejusdem Sympherosæ defensores irrito studio subdebant, non esse æque certas, et liquidas summas, de quibus compensatio postulabatur, neque licitum esse Mastinio in uno, eodemque judicio, duplicem emptoris, et cessionarii personam exhibere in alterius detrimentum. Reque vera, si prætium ædium, quod a Mastinio solvendum esset, a publicis oritur Instrumenti tabulis, ab eodem pariter fonte suam ducunt originem, tam Bustellii creditum, quam census Victorii Panzani. Quin imo Bustellii creditum comprobatum est ex Sententia Judicum Centumcellensium: censuale autem nomen ex Rejudicata Tribunalis A. C., quæ etiam fructuum, qui insoluti manebant, quantitatem præfinivit. Cum æque igitur certæ, et liquidæ sint summæ, quarum compensationem objicit Mastinius, nihil ambigendum est, quin petita compensatio, quæ juris ministerio inter creditum, et debitum aeque certum, et liquidum inducitur, statim admittenda sit « *Leg. Compensationes* 14 *Cod. de compensat. Gratian, discept. forens. cap.* 948 *num.* 5. *Constantin. vot. decis.* 186 *num.* 20, *Rot. decis.* 99 *num.* 4 *cor. De Veri, et decis.* 140 n. 15 *et* 16 *cor. Eodem.* Nec vitio Mastini vertendum est, quod ipse duplicem induat cessionarii, et emptoris personam. Non enim vetitum alicui est duplicem personam in uno eodemque judicio exhibere, diversoque nomino vices duorum unum, eumdemque gerere. *Leg. Quoties* 9 §. *Non tantum leg. Non existimo* 54 *ff de Administrat. tut., leg. cum ipse* 5. *Cod. de contrahend. empt., Salgad. Labyr. credit. part.* 2 *cap.* 7 *num.* 26 *et seq. De Luc. de pluralit. hominum. legal. cap.* 83 num. 1. *Rot. decis.* 1391 *num.* 3 *et* 4 *cor. Lancetta, decis.* 155 *num.* 11 *cor. Olivatio*, *et in Romana*, *seu Hyspana Pecuniaria* 26. *Junii* 1822 § 10 *cor. Me.*

Non licet sane duplicem in judicio repræsentare personam, si ex personarum duplicatione præjudicium alteri irrogetur, vel de actibus voluntariis proprium commodum in utraque persona respicientibus agatur, in quibus, si is, qui duplicem gerit personam, determinavit se uno modo, non potest ex altera persona diversimode velle. 6
Rot. in Rec. decis. 78 *num.* 4 *part.* 1 *et part.* 16 *decis.* 70 *num.* 23 *et seq. et decis.* 661 *num.* 39 *cor. Molines.* Hoc siquidem in casu tenetur, qui duplicitate personarum pollet, personam eligere, quam sustinere in judicio velit, ut explicat *Hertius in Disert. de uno hom. plures sustinen. personas Tom.* 1. *part.*3. At nihil horum in themate comprobatur, nullumque aliis damnum inferre Mastinium dicendum est, dum eo jure utitur, quod ei, tam cessionis, quam emptionis venditionis contractus suppeditant. Qui namque jure suo utitur, nemini præjudicium et injuriam inferre docet *Text. in leg. Fluminium* 24 §. *Item videmus ff de damno infect.* Hæc autem, quæ jus compentandi creditum, et debitum manifestissimum faciunt, vim majorem acquirunt, si animadvertatur irritam, nulliusque momenti, ac in fraudem creditorum unice excogitatam fuisse receptæ dotis confessionem ab Odoardo emissam.

Pluribus porro monumentis constabat, pluresque testes deponebant, tanta egestate Symphorosam laborasse, 7
dum sub patriis laribus versabatur in Oppido Fori Cassii, ut ad victum sibi quæritandum in alterius famulatum concedere debuerit. Erat pariter incontroversum, eam deinde nupsisse veteramentario sutori, nihilque de infelici conditione sua mutasse, quæ imo in famulatu, et servitute perrexit. Qua de re, dum, primo viro defuncto, ad secunda vota convolavit cum Odoardo Pasquali, nihil certe habere poterat Symphorosa, quod in dotem sibi constitueret. Maximopere hinc veritati repugnat, quod conspicuam dotem se-

cum tulisset in scutis *mille quadraginta uno*, et obulis *quadraginta duobus*, quanti nimirum esse recepisse declaravit Odoardus, Sospicio vero simulationis acceptæ dotis ex eo magis augebatur quod, post contractum matrimonium, et factam erga Symhorosam ab Odoardo ædium cessionem, publicis in tabulis emissa fuit receptæ dotis confessio, quæ ideo nullo in calculo haberi potest. Explorati enim juris est hujusmodi confessiones de recepta dote, constante matrimonio, emissas, cum derivare possint in donationem inter virum, et uxorem, omni jure probibitam, impune contemni, irritasque censeri, nisi aliunde ipsius dotis numeratio legitimis monumentis evincatur *Leg.* 1 *et tot, tit.* ff *de donat. int. vir. et uxor. Rot. in Rec. part.* 2 *decis.* 255 *num.* 4, *decis.* 419 *num.* 3 *cor. Molines*, *decis.* 72 *num.* 2 *coram Crescent.*, *decis.* 586 *num.* 7 *cor. Rezzonico.*

8 Hæc juris disciplina eo magis vires exerit suas, si res non agitur inter virum et uxorem, vel eorum hæredes, sed cum tertiis creditoribus, quibus facilius fraus facta præsumitur. *Constantin. ad Stat. Urb., tom.* 2 *disc. unic. de cauthel. Angel. num.* 18., *Rot. decis.* 11 *num.* 5 *cor. Herrera, decis.* 859 *num.* 32 *cor. Ansaldo, decis.* 190 *num.* 9 *cor. Rezzonico*, *et in Ferrarien. Cauthelæ Angeli* 28. *Februarii* 1754 § 3 *cor. Molino.* Solent quandoque in judicio recipi emissæ a viris receptarum dotium confessiones, si constet de præcedenti promissione, et constitutione. Quoniam tamen = *dotem numeratio*, *non scriptura dotalis Instrumenti facit* =, ut scriptum est in *leg.* 1. *Cod. de dot. caut. non numerata*; ex hoc ideo descendit ut mulier, dotem repetens, veram illius numerationem, non ipsius tantum promissionem, probare teneatur, *Leg. si quis post hac* 9. *Cod. de bon. præscriptione Rot. decis.* 126 *num.* 3 *part.* 12. *Recent.* Nam si revera constet in tertii præjudicium receptæ dotis confessionem emissam fuisse, licet constitutio, et promissio præscesserit, nullo modo ea potest vel emittenti, vel ei, cui emissa fuit opitulari. *Gratian. discept. forens.* 489 *num.* 6. *Card. de Luc. de dot. disc.* 87 *num.* 2., *Rot. in rec. decis.* 239 *num.* 15 *part.* 4 *tom.* 2., *decis.* 839 *num.* 7 *cor. Ansaldo.* Cum itaque receptæ dotis confessio ab Odoardo exarata, matrimonio constante, et jam expleta erga uxorem ædium cessione pro dotalibus juribus, ad arcendos creditores inventa, et excogitata videatur, nullo in pretio ex demonstratis haberi debet, cum praecipue ea omnia, quæ in creditorum fraudem gesta sunt, auctore Prætore, revocentur. *Leg.* 1 ff *quæ in fraud. credit. et Leg.* 10 ff *eod. tit.*

Et ita in triplici, tam Conjugum Pasquali, et Berni, ac Conjugum Rispoli, quam Conjugum Mastini, et Lastrai, et Bartholomæi Bustelli certamine jus redditum est.

FERRARIEN PECUNIARIA

QUOAD SCUTA 900.

Lunae 12. *Decembris* 1825

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Valida atque justa Res-judicata, firma semper manere oportet.*
2. *Nemini licet insurgere contra declarationem bonae fidei, a se ipso emissam,*
3. *Nequit debiti liquidationem obtrudere, qui debitum ipsum ut jam liquidum confessione sua agnovit.*
4. *Turbidae exceptiones non sunt audiendae adversus creditum undique certum ac liquidum*

DECISIO CCXXV.

In Territorio *Tiberiaci*, seu Gabei, Italice = *Bagna Cavallo* = Aemiliæ Regionis, vastissimum uberrimumque extat Latifundium, nuncupatum = *le Glorie* = a S. Sede Apostolica in Emphiteusim concessum prænobili Hetruscæ Genti e Principibus Corsiniis. Hoc Latifundium

conductionis nomine retinebat Joseph Zonnonius ex Oppido prædicto Tiberiaci, una cum fratribus Petro, aliisque Foschiniis. Adveniente vero conductionis exitu, illius emptionem optans idem Zannonius, de en egit cum Exmo Principe Thoma Corsinio, qui die quinta Novembris anni 1817 ope specialis procuratoris, Sacerdotis nempe Joannis Pignocchi, per solennes tabulas Zannonio, nedum prædictum vendidit latifundium cum = *tutte le Fabbriche domenicali, e rusticali, aderenze, pertinenze, annessi, e connessi usi, e servitù attive, e passive in corpo, e non a misura niente però escluso, o riservato, come è la tenuta sud. e come è stata posseduta tanto da Sua Eccellenza il Signor. Principe venditore, quanto dai di lui autori* = Sed etiam per amplum ædificium, quod idem Princeps in Tiberiaci Oppido possidebat. Hisce omnibus bonis pretium constitutum fuit in sc. 31200 monetæ Romanæ, quorum *undecim millia* ab emptore jam soluta fuisse declaratum fuit; quo autem ad reliqua *viginti millia, ac biscenta,* hic sese ea soluturum promisit = *in quattro eguali rate di scudi cinquemila cinquanta per ciascuna nel mese di Decembre degl'anni* 1818, 1819. 1820. 1821. *a tutto di lui rischio, cura spese, pericolo in Firenze nella Cassa di Sua Eccellenza il Signor Principe Corsini, o suoi etc. senza eccezione etc.* una cum fructibus compensativis, juxta notissimam *Legem curabit C. de act. Empt.* ad rationem quincuncem, addita usque ad omnimodam venditoris satisfactionem, speciali ejus favore obligatione et hypotheca eorumdem bonorum, ac horum reddituum, omniumque cujuslibet generis capitum in bis existentium.

Quam maxime negligens in solutionibus, ad pactorum tramites, explendis fuit Zannonius; ita ut die 22 Julii anni 1822 dum ab exitu usque Decembris anni superioris 1821. omnimode de prædicto suo adversus ipsum credito Corsinius princeps satisfactus esse debuisset, per epistolam ad præfatum ejusdem Principis Procuratorem Pignocchium missam sese ipse illius debitorem fassus fuerit = *dell' avanzo in saldo del prezzo della Tenuta delle Glorie* = inducias implorans, ac promittens = *rimetterò alla fine del prossimo Agosto alla lodata Eccellenza Sua tutta quella maggior somma, che mi sarà fattibile ammassare, ed il residuo, che resterà in saldo del mio debito, lo pagherò alla fine del corrente anno, non potendo certamente prima di ora assumere l' impegno* = Die vero 17 Martii 1823 cum ipsius debitum pro residuo capite, et fructibus ad scuta conscenderet 3330 et obul. 53 ab Exmo creditore obtinere potuit, ut simulata illius integro solutione, emptorumque bonorum a quavis hypotheca liberatione, sibi liceret fænebrem ad scuta usque 3000 pecuniam accipere, cum eorumdem bonorum obligatione, quod peractum fuit ope Instrumenti sub ea die solemniter conscripti, ex quo apparebat illud debitum integre solidatum fuisse solutione sc. 3000. Sibi tamen Corsinius Princeps, vel ejus Procurator Pignocchius, prospexit recepta a Zannanio, die 19 ejusdem Mensis Martii anni 1823 syngrapha declarationis, bonæ fidei, ex qua constat scuta tantum 2100 ipsum Principi solvisse, atque ideo hujus debitorem mansisse pro = *saldo del prezzo sudetto, e frutti arretrati, non solo della sommma sudetta sc.* 400 *ma di quella maggiore, che risulterà dalla liquidazione dei conti da farsi* = quæ omnia sese ipse re pensurum libere promisit = *ferme le obligazioni patti fatti, ed ipoteche iscritte all' Ufficio su la detta Tenuta, e risultanti dall' Istromento di acquisto.*

Scuta itaque 1230. 53. debebat adhuc Zannnonius Corsinio Principi, pro quibus hic ei diem dicere debuit mense Aprilis anni 1824 cor. Trib. Primarum Actionum Ferrariæ, postulans etiam fructus decursus a die 17 Martii 1823 ac in posterum decurrendos. Obiccit primum debitor superius relatum Instrumentum simulatæ extinctionis ipsios debiti; sed syngrapha præd. declarationis bonæ fidei, a creditore exhibita, eum illico prostravit. Tum sese ipse convertit ad proponendum, vel quod ejus debitum non erat aduc

ad liquidum redactum, uti juxta eam syngrapham, erat redigendum, vel quod hujus pars compensanda erat cum summa scutorum 198 pro Foschiniis Latifundii = *le Glorie* = una cum ipso Zannonio, ut superius fuit narratum, conductoribus, indebite Corsinio anno 1818 soluta; vel demum quod a debito deducendum esset quantum latifundii valori decrescere potuerit ex servitute viæ, nuncupatæ = *la Carrara* = ei inhærente latifundio, quamve sibi in actu illius emptionis ignotam ipse asserebat. Verum et hæc ei in irritum cesserunt, quia ii Judices Sententia lata die 18 Junii 1824 eum erga Corsinium damnarunt ad solvenda scuta 1230 et obul. 50 pro sorte debiti, et fructibus ad diem usque 17 Martii 1823 una cum fructibus postea decursis, ac decurrendis, consuno etiam adversus eum relaxato mandato exequutivo. Adiit tunc ipse pro assequenda appellatione Signaturæ Tribunal, a quo rescriptum obtinuit die 9. Septembris ejusdem anni 1814 = *quoad scuta* 900. *sine præjudicio, in reliquis de Appellatione, et omnia eidem* = Hinc mihi Caussa commissa, bina hoc mane Patribus dirimenda proposui Dubia, alterum quoad scuta 900. alterum quoad reliqua scut. 330. 53. atque, Zannonio frustra dilationem petente, ad primum quod spectat, ita de more conceptum = *An constet de rejudicata, seu potius de caussis restitutionis in integrum in casu etc.* = Responsum statim accepi = *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.* =

1 Quæ valida jus itaque sit Res Judicata, firma immotaque maneat oportet, ut semper tenuit S. Nostrum Tribunal: cujus rei testes, inter alias innumeras, sunt Decisiones *in Nepesina servitutis* 19 *Januarii* 1816. § 9. *coram Tassoni, et in Romana Fidejussionis* 11. *Martii* 1816. §. 5 *coram Emo. Bussi*. De validitate autem Rejudicatæ, qua Zannonius Corsinio Principi coatus fuit argentea *noningenta* monetæ Romanæ in partem sui debiti, reliqui ex pretio latifundii = *Le Grorie* = persolvere, ulla non oritur, nec oriri umquam poterit quæstio, cum omnia rite in hoc judicio processerint. Ad justitiam vero ejusdem Reijuditatæ quod spectat, frustra hanc in discrimen adducere Zannonius adniteretur, cum nequeat in dubium revocare prædictum suum debitum, cujus nomine ea scuta *noningenta* persolvit; hoc enim opertissima ejus confessione evincitur.

Extat siquidem syngrapha declarationis *bonæ fidei*, ab eo conscripta die 19 Martii 1823 pro indemnitate Principis Corsini, et ad tollendam simulationem præcedentis Instrumenti diei 17 ejusdem mensis, per acta Galeati Notarii Imolensis, quoad extinctionem integri crediti ejusdem Principis pro sorte, et fructibus, ope solutionis scut. 3000 monetæ Romanæ ejus procuratoti Piguocchio, qua syngrapha ipse ingenue hæc professus fuit = *io era debitore per li conti fatti conoscere dal sudetto Signor Principe a tutto li* 14. *Decembre* 1822 *di scudi* 3256. 79 *circa salvo etc. oltre li frutti posteriormente decorsi fino all' Epoca del detto Istromento Guleati; ne avendo il detto Signor Giovanni Pignocchi esatti per il detto mio debito di sorte, e frutti in realtà, che soli Francesconi duemila* = quæ argentea *bismillia*, monetæ Hetruscæ, scutis respondent *bismillibus, ac centum*, monetæ Romanæ, = *per conto del lodato Signor Principe, per avermi tosto retrodata la somma di scudi* 900. *in conseguenza mi dichiaro per anche debitore del lodato Signor Principe al saldo del prezzo sudetto, e frutti arretrati non solo della somma sudetta scudi* 900. *ma di quella maggiore, che risulterà dalla liquidazione de conti da farsi col detto Signor principe* = cui declaratione consonum omnino est computum ab Excellentissimo creditore allatum, atque ea sygrapha a Zennonio probatum, quo hujus debitum pro sorte, et fructibus ad diem 17. Martii 1823. deductis iis scutis *bismillibus*; *et centum* ab ipso ea die solutis, in scutis constituitur 1230. 53, Quod itaque certum, undique liquidum, nullique exceptioni obnoxium Zannonii debitum erga Corsinium fuerit, quoad ea præsertim scuta *nono-* 2

genta manifestissimum est, nec ullam de eorum solutione, in vim reijudicatæ expleta, quærelam movere debitor unquam peterit.

3 Quæ autem Zannonius apud Tribunal Primarum Actionum Fori Alieni adversus suum debitum opponebat, nempe ad tramites sæpius relatæ syngraphæ diei 19. Martii 1823. ejus fuisse liquidationem perficiendam, antequam ad ejus solutionem damnari posset; uti etiam, quod ex parte compensandum esset cum summa scutorum 198 pro Foschiniis Latifundii = *le Glorie* = cum ipso conductoribus, indebite, uti asserebat, Corsinio Principi anno 1818. soluta: ac insuper quod ab eo debito demendum esset omne id, quo Latifundii valori decrescere poterit ex quadam viæ nuncupatæ = *la carrara* = servitute, inhærente ei Latifundio, inania prorsus sunt. Quo enim ad debiti liquidationem, nequit hujus defectus proponi e conspectu computi a Principe Corsinio allati, et in Syngrapha a Zannonio probati, quo hoc debitum constitutum fuit in scutis 1230. 53. pro sorte, et fructibus ad diem usque 17: Martii 1833. ac præterea, quavis in falsissima hypothesi, prætensa liquidationis reservatio referri numquam posset ad scuta *nongenta*, de quibus nunc agitur, cum Zannonius absolute sese in ea syngrapha declaraverit debitorem = *della somma sudetta scudi* 900. addens insuper di *quella maggiore, che risulterà dalla liquidazione dei conti da farsi.* =

4 Compensatio vero summæ pro Fuschiniis solutæ proponi, quovis in themate, haud posset a Zannonio, qui ab eis causam non habet: et nullam pretii latifundii imminutionem postulare ei licet, ob prædictam viæ servitutem, quia illud emit, una cum omnibus = *servitù attive, e passive* = atque = *come è la Tenuta sudetta, e come è stata posseduta, tanto da sua Eccellenza il Sig. Principe Corsini, quanto dai di lui autori* = ac probat Corsinius notam fuisse Zannonio, ante Latifundii emptionem, ejusdem servitutis existentiam. Accedit etiam turbidas hasce exceptiones audiendas non esse adversus creditum, quoad scut. 900. quæ subjectum sunt præsentis controversiæ, undique certum, et liquidum, et ad summum spectare posse ad reliquam ejus partem in scutis 330. et ob. 53. de quibus agit contemporanea mea Decisio, quæ easdem exceptiones prorsus eliminat.

Et ita etc. Altera tantum etc.

FERRARIEN PECUNIARIA

QUOAD SCUTA 300 ET OB. 53

Lunae 12 Decembris 1825.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Nemo potest insurgere contra debiti confessionem, in declaratione bonae fidei emissam.*
2. *Compensatio proponi non potest nisi ab eo qui credito pollet.*
3. *Excluditur semper compensatio, nisi proferatur titulus nulli exceptioni obnoxius.*
4. *Plures acceptilationes, non constituunt iteratam solutionem, si ad diversas causas referri possunt.*
5. *Aliud est vendere praedium immune ob onere pecuniario, vel immune a servitute.*
6. *Praesumi non potest, quod conductor ignoret fundum a se conductum servituti viae fuisse obnoxium*

DECISIO CCXXVI.

Debitorem Excellentissimi Principis Thomæ Corsini, e reliquo pretii Latifundii = *Le Glorie* =, hujusque fructibus ad totam diem 17. Martii 1823., declaratum fuisse Sententia Tribunalis Primarum Actionum Fori alieni, diei 18. Junii 1824. Josephum Zannonium pro summa scut. 1230. 53., ipsoque ab hac Sententia provocante ad Supremum Signaturæ Tribunal, indultam ei fuisse *devolutivam* tantum appellationem quoad scut. 900., *suspensivam* vero quoad reliqua scut. 330. et ob. 53. narrat contemporanea mea Decisio super Rejudi-

cata quoad ea scuta 900., quæ omnia ad rem pertinentia fuse exponit. Refert etiam eadem Decisio, post delatam Caussæ cognitionem ad S. N. Tribunal, duo a me hodie proposita Ei fuisse Dubia; *unum* spectans ad illam Remjudicatam; *alterum* respiciens prædicta scut. 330 53, atque illud, rejecta Zannonii pro comperendinatu petitione, resolutum fuisse Reijudicatæ confirmatione. Hoc autem postremum, nempe = *An, et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* =, Zannonio pariter vadimonium deserente, diremptum fuit responso = *Affirmative in omnibus pro summa scutorum* 330. *et ob.* 53.

1 Nec aliud profecto responsum audire potuisset Zannonius, si sese in judicio stitisset. Ex computo enim ejus debiti pro reliquo pretio Latifundii = *Le Glorie* = et fructibus, per Corsinium Principem allato, et ab ipso Zannonio probato syngrapha declarationis bonæ fidei, constat ipsum ejusdem Principis debitorem iis nominibus fuisse ad totum diem 17. Martii 1823. scutorum 3330. et ob. 53. Demptis itaque ab hac summa scutis 2100., sub ea die ab ipso solutis Præsbitero Johanni Pignocchi, Corsinii procuratori; ac demptis pariter aliis scutis *nongentis*, quæ rependere debuit in vim Reijudicatæ, de qua agit contemporanea Decisio, remanet adhuc ejus certum liquidumque debitum in scutis 330., et ob. 53., quæ ipse creditori solvere debet, præter aliam summam, ex liquidatione ineunda eruendam, pro ulterioribus fructibus jam decursis a praedicta die 17. Martii 1823., ac in posterum decurrendis, nisi luculenter ostendat sese ea, et in ejus debiti causam persolvisse.

2 Verum hoc suum debitum solutione fuisse sublatum numquam proponere ausus fuit Zannonius: id tantum contendebat apud Primarum Actionum Ferrariense Tribunal, ut idem debitum imminueret, jus sibi esse compensandi ejus partem cum scutis 198. pro Foschiniis, una cum ipso Latifundii = *Le Glorie* = conductoribus, antequam ipse illud emeret, indebite solutis; ac etiam ab eo deducendum esse decrementum pretii, quod sentire illud Latifundium debuerit ob servitutem viæ = *la Carrara* = illi inhærentem. At utrumque propositum quovis destituitur fundamento. Primum enim, ad prætensam compensationem quod spectat, ex eo deductam quod Corsinius Princeps duplicato exegerit a Foschiniis, Latifundii = *Le Glorie* = cum Zannonio conductoribus, eam summam scutorum 198, atque ideo hanc restituere debeat, id est a nostro themate prorsus extraneum; nam nunc agitur de Zannonii debito derivante e pretio Latifundii prædicti haud soluto, ac hujus fructibus, et ea scutorum 198 summa ad rationes pertineret quoad ejusdem Latifundii affictum, qui hujus emptionem venditionem præcesserat; de hac itaque in suo congruo judicio super earum rationum dispunctione agendum esset; nec, quæ dissita inter se sunt, confundi, ac commisceri possunt. Præterea audiri numquam posset Zannonius jura proponens Foschiniorum, a quibus caussam sese habere non probat.

Hisce tamen etiam sepositis, facile 3
patet prætensæ compensationi omnem præcludi aditum, cum prorsus excludatur duplicata prædictæ summæ solutio, ac ideo pro ea repetitionis indebiti actio. Siquidem, ut assertam hanc solutionis duplicationem probaret, binas afferre solebat Zannonius acceptilationes, a Corsinio Principe, vel ejus nomine exaratas; alteram sub die 13 Januarii 1809; ita conceptam = *ho ricevuto dai Signori Vincenzo, e Domenico Foschini Scudi Romani* 394. 64. *per saldo della rata dovutami dai medesimi dell'affitto scaduto alla passata Solennità di tutti i Santi* =, die nempe 1. Novembris anni 1808., = *della mia tenuta delle Glorie in Romagna, che essi ritengono in affitto* =; alteram vero longe posteriorem, diei scilicet 28 Septembris 1818., qua Pignocchius, Principis Procurator, hæc declaravit = *ricevo dal Signor Giuseppe Zannoni scudi cento uno, e bajocchi* 82. *e den.* 2., *quali sono in estinzione e saldo del debito di scudi* 198. *e den.* 3., *che ritiene la prelodata Eccellenza Sua abbino tuttora i fratelli Foschini di Bagnacavallo per gli affitti della Tenuta delle*

Glorie, e per Tasse prediali non rimborsate dai medesimi alla Cassa di Sua Eccellenza =; atque hanc adjecit reservationem = *salvo e riservato al Signor Zannoni sudetto il diritto di ripetere l'indebito, nel caso in cui nel giudizio che va ad istruirsi contro i Signori Foschini nei Tribunali di Firenze, giustificassero di aver pagato* =.

4 At, inspecto perpensoque harum acceptilationum tenore, illico patet eas ad duo spectare debita prorsus inter se diversa, tam quoad eorum originis epocham, quam quoad eorum titulum. Respicit prima acceptilatio debitum fratrum Foschini pro pensionibus affictus Latifundii = *le Glorie* = ad diem usque *primam* Novembris 1808.; et ex ea manifestum est Foschinios anno 1809. in eodem affictu perrexisse; altera vero anni 1818., loquens partim de responsionibus pro eodem affictu debitis a Foschiniis, hac in re se retulit procul dubio ad pensiones decursas post annum 1808., quarum nulla probatur alia solutio; partim vero respiciens = *le tasse non rimborsate dai medesimi Foschini alla cassa di Sua Eccellenza* = titulum eorum debiti præ se tulit longe diversum ab illo pensionum affictus, ad quem tantum pertinuit præcedens illa receputa anni 1809. Nequeunt itaque binæ cæ acceptilationes confundi, et scuta 198., de quibus agit posterior anni 1818., referri non possunt ad debitum scutorum 394., et ob 64., pro quo emissa fuit illa longe præcedens anni 1809. His accedit quod, cum in acceptilatione anni 1818. reservatum fuerit Zannonio jus repetendi summam tunc solutam in casu tantum, quo = *i Signori Foschini nei Tribunali di Firenze giustificassero di aver pagato* =, asserta idcirco iterata solutio, et prætensa a Zannonio, ejus nomine, indebiti repetitio, et cum suo certo ac liquido debito, et reliquo Latifundii pretio, hujusque fructibus, compensatio, semper erit omnino reiicienda, nisi ipse proferat Tribunalium Hetruriæ Sententiam, quæ constituat Foschinios illa scuta 199. jam persolvisse.

5 Prætensam a Zannonio cum suo debito prædicto compensationem hæc prorsus eliminant. Nec minus apertum est ipsum quavis jure destitui ad assequendum Latifundii pretii imminutionem ob servitutem viæ = *la Carrara* = ei inhærentem. Illud enim Latifundium non ei vendidit Corsinius Princeps a quovis onere immune, sed tantum declaravit = *che i detti beni sono immuni ed esenti da ogni debito, s promissione di dote, e che a riserva del dritto di annuo Canone di Scudi sette, e bajocchi ottanta imposto sulla Tenuta delle Glorie, e delle Tasse fondiarie, detti beni sono del resto liberi, ed immuni sin qui da Decima Ecclesiastica, o altro qualsivoglia aggravio* =; quæ omnia spectant tantum ad debita et onera pecuniaria. Quo vero ad servitutes, quibus bona subiiciebantur, adeo sese abstinuit venditor a declarando etiam implicite emptorem ab iis expertem, ut immo explicite professus fuerit sese ea vendere cum omnibus = *servitù attive, e passive in corpo, e non a misura, e come è la Tenuta, e come è stata posseduta tanto da Sua Eccellenza il Signor Principe venditore, quanto dai di lui autori* =.

Nec queri poterat Zannonius sibi ignotam eam servitutem viæ fuisse; etenim, dum ipse erat Latifundii = *le Glorie* = conductor, Tiberiaci Municipium eum monuit die 8. Julii 1817. = *di ritornare la Strada al suo stato primiero* »; cum itaque postea, die nempe 5. Novembris ejusdem anni 1817. illud emit Latifundium, notissimum ei erat quod prædictæ viæ servituti erat obnoxium, atque ideo sciens prudens hoc onus in se suscepit, nec ejus causa contendere potest Latifundii pretium esse imminuendum, suique debiti, adhuc reliqui solutionem ejus prætextu differendam esse. 6

Et ita etc. Unica etc.

FERRARIEN SEU FLORENTINA

DECIMARUM SUPER MANUTENTIONE

Lunae 27 *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Manutentio datur illi, qui possidet, vel quasi possidet tempore litis contestatae. Quia interdictum, *uti possidetis*, locum sibi vindicat nedum in rebus corporalibus, verum etiam in juribus incorporalibus. Locator civilem possessionem retinet semper per conductorem.

SUMMARIUM

1. ***Manutentio ex interdicto uti possidetis ei danda est, qui actu, et revera possidet, pro modo, et statu possessionis suae.***
2. ***Manutentio datur etiam illi, qui quasi-possidet, seu qui est in jure exigendi tempore litis contestatae.***
3. ***In definienda natura judicii, respici non debet ad verba obiter lapsa, sed ad id quod principale fuit petitum.***
4. ***Interdictum** uti possidetis, **non solum habet locum in rebus corporalibus, verum etiam in juribus incorporalibus.***
5. ***Tertius ad causum veniens, iisdem actis, ac sententiis, quibus alius collitigans pro eodem titulo potitur, juvatur.***
6. ***Locator naturalem possessionem per conductorem, civilem per se ipsum retinet.***

DECISIO CCXXVII.

Extat in Agro Ferrariensi Oppidulum, quod vocant = *Ospedale di Bondeno* =, in quo prædia nonnulla sita sunt, quorum proprietas pertinet ad Cajetanum Raspi virum patritium cum onere decimæ fructuum partis persolvendæ nobilissimis Marchionibus Nicolini Florentinis, qui tale jus, quo potiuntur a tempore vetustissimo, locationis conductionis titulo cesserunt Comiti Joanni Rovarella. Reputans Cajetanus Raspi se ad præstationem decimarum non teneri, die 21 Julii 1812 judicio censuit hac de re monere coram *Bondeni* Tretrarcha tum Aloysium Marchi a Familia Nicolini reditibus Ferrariæ exigendis destinatum, qui ob id respondit se quolibet mandato esse destitutum jura Nicolinia protuendi, *tum* Comitem Roverella juris decimandi conductorem, eodemque tempore declaravit = *che qualunque pagamento fattone in addietro nell'ignoranza dei su espressi diritti, e che dovesse eseguire in appresso o per titolo di manutenibile possesso, o per altro titolo non s'intenda mai fatto con l'animo di canonizzare il dritto nella Casa Nicolini, che si riserva d' impugnare* = In sequelam hujusce denunciationis Comes Rovarella postquam vel ipse adversus Raspium solutionem decimæ interea temporis recusantem congruam emiserat declarationem die 15 Julii 1813 inquiens, nil aliud in animo sibi esse, quam quod = *gli sia mantenuto il Contratto* = sub die 31 ejusdem Mensis, et Anni apud Bondeni Tretrarcham proposuit querelam = *di turbato possesso per la ricusata decima del frumento, chiedendo inoltre di esser mantenuto nel possesso di esiggere dal Signor Gaetano Raspi la decima sopra li terreni ecc., e per l'effetto sia il medesimo condannato al pagamento per ora della Decima del frumento giusta la liquidazione da farsi* = Postulationem Judex ille pedaneus cum rejecerit = *per difetto di relativa azione* = conducta Comes Roverella die 15 Julii 1815 coram juridico Ferrariense Conventu appellationem interposuit, iterumque institit pro manutentione, et possessione exigendi decimas; Marchiones autem de Nicoliniis petierunt, ut ad causam admitterentur, volisque consonum obtinuere decretum Roverella, et Raspio consentientibus prolatum. Sententia hinc Judicis Bondeni revocata illico est a Tribunali Ferrariense, quod mandatum idcirco relaxavit = *di manutenzione nel possesso di esigger la decima* =, damnavitque insuper Raspium reum conventum ad præstandas decimas superioribus annis non solutas juxta liquidationem faciendam. Provocavit Raspius ad Bononiensem Appellationis Aulam, sed inutiliter; nam Sententia confirmata est actione tantum eidem reservata super jure decimandi in congruo, et separato judicio experiunda. Orta hinc re judicata ex rescripto Signaturæ = *Sine præjudicio* = datum mihi est, ut hodie quærerem

= *An constet de re judicata, seu potius de causis restitutionis in casu etc.* =, prodiitque responsum = *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* =.

1 Et merito quidem Cajetano Raspi restitutio in integrum denegata est, cum apertissime constet de validitate, et justitia rei judicatæ, quæ idcirco erat custodienda, *leg. omnes* 3 *ff de in integr. restitut.: et leg. Divus Hadrianus* 33 *ff de re judicat. de validitate* non poterat certe dubitari, postquam Signatura Justitiæ eam probavit, et solemni rescripto = *sine præjudicio* = rem judicatam statuit executioni esse committendam. *Justitia* autem ita erat perspicua, ut nullo colore obtegi umquam nequiret. Notum siquidem in jure est, manutentionem, quæ in controversiam tantummodo venit, ex interdicto *uti possidetis* ei dandam esse, qui actu, et revera possidet, pro modo, et statu possessionis suæ, ut monet *Text. § retinendæ* 4 *instit. tit. de Interdict., et tradit. Posth. de manutent. observat.* 15 *num.* 1, *et Rota in Beneventana manutentionis* 22 *Januarii* 1753 § 3 *cor. Molino.*

2 Versari autem ante motam litem, quod satis est in summariissimo manutentionis judicio, in possessione decimas a Raspio exigendi Marchiones de Nicoliniis, eorumque nomine conductorem Comitem Roverella, ne in discrimen quidem revocari potest. Probatur enim hujusmodi possessio ex judiciali confessione ipsius Cajetani, qui in actu protestationis, seu *diffidationis diei* 11 Julii 1812, quo declaravit, se nec debere, nec velle decimas persolvere, ait præterea = *che qualunque pagamento fattone in addietro ecc., e che dovesse eseguire in appresso o per titolo di manutenibile possesso, o per altro titolo non s'intenda ecc.* = Probatur deinde ex literis scriptis a Francisco Raspi ejusdem Cajetani filio qui die 30 Maii 1815 professus est, se ab anno 1813 a solutione decimarum desiisse cum dixit = *Ei non ignora, che compiè ormai il quarto anno, dacchè io ho impugnato il dritto del Sig. Marchese Nicolini di decimare ecc., e che appunto questo sarà il terzo anno, dacchè io ho cessato di pagare la decima, che Ei pretende* = Probatur demum ex decimarum exactione a conductore Roverella per acta, quæ satis ostendit, Raspium a solutione cessasse nonnisi anno 1813, cui quum tempus adamussim respondeat ab eodem Raspio designatum per verba = *Questo* (annus scilicet 1815) *sarà il terzo anno, dacchè ho cessato di pagare ecc.* =, manifestum per se est, tum conductorem Roverella ante Annum 1813 decimas exegisse, tum merito earum summam a Tribunali primæ instantiæ Ferrariense ab eo tempore usque ad annum 1819 fuisse liquidatam, veluti patet ex ipso judicio liquidationis post editam in hanc rem ejusdem Tribunalis Sententiam absoluto. Eaque propter cum exploratissima sit penes Marchiones de Nicolinis eorumque conductorem Roverella quasi possessio decimas exigendi tempore contestatæ litis, rectissime res judicata quæ merito ob id confirmata est, controversam manutentionem decrevit, cum satis sit pro hujusmodi effectu docere de unica exactione, veluti post *Cap. cum Ecclesia Sutrina de caus. posses.* statuit *Rota post. Cenc. de Cens. Decis.* 235 *num.* 1, *et* 2, *et cor. Bichio Decis.* 21 *num.* 1, *et in præcisis terminis decimarum tradit Gratian. Discept. Forens.* 113 *n.* 2.

Ineptissimum autem erat, nimisque 3
a verecundia alienum tot, tantasque concitare turbas quoad naturam præsentis judicii perinde ac si *possessorium* per Marchiones Nicolini, et Comitem Roverella conductorem ampliatum fuerit ad petitorium judicium. Constat namque in primis ex Comitis Roverella postulatione, qualis fuit coram Prætore Bondeni contestata, quaque cum declaraverit, se esse = *nel pacifico possesso di esiggere ecc.* = instituit = *di essere mantenuto* = proposuitque eam ob rem = *querela di turbato possesso* =, quæ sane omnia liquet ab eodem sesquipedalibus verbis fuisse iterum exposite in *cœdula*, ut ajunt Forenses, *Appellationis.* Constat præterea Marchionis Nicolini judicium possessorium a conductore Roverella institutum repetentes in promota instantia super Admissione ad causam, nil aliud profecto postulasse,

quam quod = *Doversi mantenere in possesso di esiggere la decima* = mox = *avendo tutto l'interesse per la manutenzione ecc.* = Constat tandem, rem ipsam judicatam, de qua hodie quæritur, hoc unum comprehendere posse, et debere, judicium nempe *possessorium*, semelacque est demonstratum, super *manutentione exigendi decimas* litem dumtaxat fuisse institutam, contestatam, ac definitam, sive Ferrariensis, sive Bononiensis Tribunalis expendatur sententia. Quibus ita constitutis ineptissime qui pro Raspio causam orabant obiicere satagebant, judicium possessorium fuisse, ut ajunt, *cumulatum* cum petitorio quia in postulationibus super memoratis conductor Roverella, et Marchiones Nicolini designaverint = *il diritto di esiggere* =. Principio enim objectio isthæc nil aliud præseferre videtur, quam imbecillem cavillationem honore confutationis indignam, cum non liceat ad effectum judicii indolem statuendi carpere ex actis verbusculum, quod eorumdem tenori, et substantiæ adversetur. Præterea quamvis adpareat Dominos fuisse designatos, qui potiantur = *del diritto di esiggere la decima* = quod nonnisi obiter dictum est, ac dicere imo oportebat in vadimonio obeundo simplex nihilominus fuit semper postulata manutentio in possessione exigendi decimas, omnisque *instantia* ad hujusmodi judicium stricte cohibita. Non igitur misere cavillandum in verbusculo = *diritto* =, quod per se vel nihil ponit in esse, vel potest etiam demonstrare exigendi jus possessorium, sed expendendum tantummodo est, quod perpetuo petitum, judicatumque fuit.

4 Deteriori studio per ambiguam, et incompositam orationem Raspi defensores omnia miscere, et turbare rem judicatam nitebantur, contendentes, nequaquam licere Comiti Roverella conductori uti remedio retinendæ possessionis, ob eamque rem nedum male, et injuste decretam quoad conductorem fuisse manutentionem, sed etiam quoad Marchiones Nicolini. Ineptissime tamen. Ad conductorem enim quod attinet præmittere oportet, manutentionem in vim interdicti *Uti possidetis* non solum habere locum *in rebus corporalibus*; verum etiam *in juribus incorporalibus*, quemadmodum post, *cap. querelam de elect. tradunt Innoc. cap. fin. de Cens. Menoch. de retinen. possess. remed.* 3 *num.* 93. *Post de manutent. Observat.* 52 *n.* 7, *et Rota coram Coccino Decis.* 46, *et Decis.* 452 *n.* 1 *cor. Bichio Decis.* 114 *n.* 2 ideoque cum sit demonstratum, Comitem Roverella ante motam litem decimas exegisse, recte quidem ejusdem etiam favore manutentio decreta est non ex vera *possessione*, quæ pertinet ad res corporales, sed *ex quasi possessione* exigendi, cujus vi datur manutentio in juribus seu rebus omnibus incorporalibus, *Aret. in § retinendæ num.* 2 *instit. de interd*, *Menoch. de retin. remed.* 3 *num.* 103 *Boccat. de interd. uti possidetis Cap.* 8 *Duard. de Cens. quæst.* 20 *num.* 1, *et seqq., et Rota cor. Falconerio Decis.* 16 *de Censibus*; Neque ullum extat discrimen quoad effectum inter unum, et alterum jus, cum idem possessio operetur, ac quasi possessio, *Pacific. de salv. interd. insp.* 1 *Cap.* 6 *num.* 14 *et Posth. de manutent. Observat. num.* 5. Quo fit, ut ad judicium possessorium declinandum frustra qualitas obiiceretur conductoris, qui etsi stricte frui nequeat beneficio interdicti *uti possidetis*, habeatque in themate solam in re conducta detentionem, seu quasi possessionem decimas exigendi, bujusce tamen detentionis vi Judicis officio eidem succurritur, et locatione manente recto in ea defenditur, et manutenetur, *ad text. in Leg. Attilius Regulus in fin. ff de donat.*, ibique *Castren. num.* 5, *Nevizan. cons.* 80 *num.* 3 *Silvan. cons.* 27 *num.* 3, *et* 4 *Menoch. de retinen. possess. tenend. ult. num.* 18 *Covar, pract. lib.* 2 *cap.* 17 *num.* 5 *Posth. de manuten. obs.* 52 *num.* 17 *Gratian. Discept.* 174 *num.* 25 *Pacion. de locat. cap.* 28 *num.* 23, *et Rota in rec. Decis.* 356 *num.* 6 *et* 7 *Part.* 11 *et coram Cavaler. Decis.* 182 *num.* 2. Idque adeo certum est, ut non solum manutentio conductori sit concedenda contra tertium, sed etiam Adversus ipsum dominum, et locatorem in eo statu detentionis quo fruitur, ad notata *per*

cit. DD. Covana; *Gratian. et Posth.*, *ibid. Thomat. Dec.* 30 *num.* 15, *et Puteo Decis.* 12 *lib.* 1.

5 Quod autem spectat ad Marchiones Nicolini longe quidem inutilius post hæc obtrudebatur rei judicatæ injustitia sive quia per admissionem ad causam nequiverint iidem statum controversiæ immutare, sive quia a die turbatæ possessionis cum quatuor anni essent elapsi vel novum ex integro tenerentur institnere judicium, vel jam non amplius præstarent petendæ manntentionis actione. Animadvertendum namque est ad hujusce furfuris cavillationes refellendas, quod si patuit ex supra cxpositis jure fuisse etiam a Conductore petitam manutentionem, multo magis retinendum, eamdem actionem competere Marchionibus Nicolini veluti dominis in vera possessione exigendi versantibus, ita ut ad causam vix fuerint admissi controvorsiæ status in omnibus, et per omnia participes illico facti sint, cum neminem fugiat, tertium ad causam venientem iisdem actis juvari; ac sententiis, quibus alius collitigans pro eodem titulo potitur, juxta *consil. Federic. de cen.* 242 *n.* 1 *per tot.*, *et Rota Decis.* 425 *n.* 6 *et* 7 *coram Cerro*, *et Decis.* 111 *per tot. cor. Priolo.* Nimisque propudiosum esse videtur urgere in præsens; non constare de legitima admissione ad causam, semel ac hujusce exceptionis futilitas satis evincitur ox peculiari Tribunalis primæ instantiæ Decreto, a quo numquam interposita cst appellatio, quodque latum fuisse adparet Reverella, et Raspio probantibus = *visto che i Sig. Roverella e Raspi ne convengono* =.

6 Quæ omnia firma cum maneant, immotaque, supervacaneum sane est cæteras, quæ exinde supersunt, quisquilias confutare, cum liquoat omnes esse sublatas ex constituta admissione ad causam rite, legitimoque decretam a qua sunt dependentes. Præterea missa etiam momento temporis ad causam admissione, rediculum est obiicere, Marchiones Nicolini post quatuor annos a die turbatæ possessionis elapsos amplius non essc in potestate petendæ manutentionis. Cnm enim certum, exploratumque sit, Marchionis Nicolini ob solutioncm decimarum a Raspio de negatam nunquam possessionem amisisse, utpote qui *naturalem* per Conductorem, *Rota cor. Falconer. de locat. Decis.* 3 *n.* 2 per se ipsos autem vel animo *civilem* retinuerunt exigendi possessionem, *Post de manut. Obser.* 16 *n.* 25 *et Obser.* 57 *n.* 48, *et seqq. et Rota cor. Falconer. de retinen. possess. Dec.* 3 *n.* 2 *et Dec.* 4 *n.* 3 nullum profecto dubium, quin etiam post quatriennium Marchiones Nicolini, qui numquam se habuerunt pro spoliatis, jure agere pro manutentione potuerint, *Post. cit. Obser.* 57 *num.* 40 *et seqq.*, *et Rota cor. Seraphin Dec.* 1336 *num.* 2, *et Decis.* 1089 *num.* 3, maxime autem, quia in casu denegatæ solutionis ad quasi possessionem exigendi amittendam requiritur, ut constet, silentium a possessore per decennium fuisse servatum, *Rota post. cit. Post. Decis.* 86 *num.* 8.

Et ita definitum est Utraque etc.

LUCANA PRAECEDENTIÆ

Lunae 2. Maii 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CLXXIII. -

SUMMARIUM

1. *Omnes controversiae inter sodalitates, sunt dirimendae ad tramites Gregorianae* Constitutionis.

   In processionibus praecedere debent qui in quasi possessione praecedentiae sunt - ib. -

   Ubi de possessione non constat, praeminentia gaudent, qui prius saccis usi sunt - ib. -
2. *Testis qui deponit de privilegio universi Collegii, fidem meretur, quamvis sit membrum ejusdem Collegii.*
3. *Ex paritate gradus, paris affectus oritur.*
4. *Immemorabilis consuetudo, plenissimam probationem constituit.*
5. *Testes, qui sunt inter se difformes, omnem fidem amittunt.*
6. *Ex Codicibus Statutariis patet cui fuerit praecedentia tributa.*

7. *Statuta Confraternitatum non indigent Episcopi approbatione.*
8. *Nonnulla verba in dubio, demonstrative potius quam taxative censentur posita.*
9. *Interdictum ad tempus pronunciatum, elapso tempore, ipso jure cessat.*
10. *Interdictum, vel ob temporis lapsum, vel ob absolutionem sublatum, primaeva corporis jura reviviscunt quasi jure postliminii.*
11. *Ob Sociorum defectum, jure jamdiu sibi quaesito, Confraternitas expoliari non debet.*

DECISIO CCXXVIII.

Perantiquam in Oppido Lucanæ Diæcesis, quod *Lammari* vocant, consuetudinem fuisse, ob quam Ven. Sodalitas SS. Blasii, et Leonardi recentiori alteri Sodalitati, quæ a SSmo Sacramento nomen habuit, præferretur ac præcedentiæ prærogativa frueretur in omnibus solemnibus supplicationibus, iis tantum exceptis, in quibus SSma Eucharistia Fidelium venerationi fuisset oblata: æmulationis tamen studio correptam hanc alteram Sodalitatem generalem sibi prælationem addicere voluisse, et in id judicialiter contendisse coram uno, et altero, qui pro Lucensi Archiepiscopo vice sacra jus dicunt: hos utrosque pro Sodalitate SS. Blasii, et Leonardi ex veteri consuetudine Sententiam dixisse: causam demum per R. P. D. SSmi Auditoris Decretum, et Partium consensum ad Nostrum Sacrum Ordinem fuisse delatam, qui propositæ Dubii formulæ = *An, et in quibus cæremoniis, et cujus favore sit locus præcedentiæ in casu etc.*, SSmi Sacramenti Sodalibus frustra dilationem petentibus, pro *Informante* = respondit = *Affirmative*, scilicet, *et competere præcedentiam Sodalitati SS. Blasii, et Leonardi juxta modum in Decisione exprimendum* =, nempe ad formam Decreti die 26 Aprilis 1823 a Vicario Archiepiscopali Lucensi editi, quo Sodalitio SSmi Sacramenti præcedentia fuit data quoad solemnes tantum supplicationes SSmæ Eucharistiæ specialiter dicatas; patent hæc omnia ex mea Decisione, quam sub die 25 Junii superioris anni vulgavi. Novæ Audientiæ vero beneficio succumbenti Sodalitio indulto, rursus hoc mane dirimenda venit controversia; quare Patres rogavi sub assueta dubii formula = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* =, qui haud quaquam hæsere, quin illi Decisioni per Responsum = *In Decisis* = album calculum adjicerent.

Fundamenta enim, quibus illa innitebatur, ex noviter adductis hinc inde 1
factorum rationumque momentis, quin minima roboris parte destituantur, vim imo majorem et nullo conatu superandam adquirunt. Cum scilicet ad tramites vulgatissimæ Gregorianæ Constitutionis, cujus initium = *Exposcit pastoralis officii* =, omnis sit inter Pias Sodalitates de præeminentiæ controversia dirimenda, duo tantum in facto erant inquirenda, ex quibus deinde jus, absque erroris periculo, constitueretur. Claris enim, apertisque verbis per eam jussit Pontifex, in Processionibus tam publicis, quam privatis eos præcedere debere, qui in quasi possessione præcedentiæ sunt; de qua si non constet, eos præeminentia gaudere, qui prius saccis usi sunt, uti mea pandit citata Decisio § 3: et hanc semper in hujusmodi quæstionibus definiendis servatam esse mensuram, præter adductos in ejus Decisionis § *cit.*, testantur Sacræ Rituum Congregationis Sententiæ, et præsertim *in Lauden.* 18 *Julii* 1618, *Nullius* 30 *Septembris ejusdem anni*, *Vercellen.* 18 *Junii* 1695, *et Cremonen.* 3 *Augusti* 1697. Cum itaque ex plurium testium depositione SS. Blasii, et Leonardi Sodalitas suam quasi possessionem probaret, et insuper se antiquius altera SSmi Sacramenti Sodalitate institutam esse demonstraret, haud alia ab ea, quæ prodiit expectanda erat Sacri Ordinis decisio. At toti nunc in eo sunt SSmi Sacramenti Sodales ut utrumque fundamentum evertant; ac, tum de quasi possessione, tum de institutionis antiquitate turbas cientes, neutro ex hisce juvari posse contradicentem Sodalitatem contendunt. Quæ tamen omnia, non ea Patribus visa sunt, quæ consultissimi jam editi judicii reformationem exposcerent.

2 Quo enim ad quasi possessionem, ut ab ea Sodalitatem SS. Blasii, et Leonardi dejiciant, duplici rationi SSmi Sacramenti Sodales nituntur: testibus nempe, qui de ea deponunt, fidem esse adhibendam primo loco inficiantur: et ipsi deinde alios testes adducunt, ex quorum dictis sodalitatem suam in quasi possessione præcedentiæ versari evincere conantur. At exceptiones, quas proponunt ad fidem testibus adimendam in pretio haberi nequeunt: Tredecim enim numero a Sodalibus SS. Blasii, et Leonardi adducuntur, iique omnes, a publico tabellione interrogati; unanimiter per longam annorum seriem, quibus plerique vixerunt, huic Sodalitati præcedentiam tributam esse se ipsos vidisse, jurisjurandi religione interposita, declararunt. Novit equidem altera Confraternitas quantum ponderis ad veritatem firmandam ingens hic probatissimorum testium numerus in idem consentiens haberet; ideoque illum imminuere pertentavit, objecitque *quatuor* ex iis expungendos esse, ex eo quod Sodalitati, pro qua testabantur, nomen dedissent, ideoque partium studio eos affici suspicari fas esse. At, cum non de emolumento, et honore ii testentur singulis ex fratribus ex persona propria addicendo, sed tantum de privilegio et dignitate universo Collegio jamdiu quæsita, omnem evanescere suspicionem, et fidem eis præstandam haud quaquam imminui jam Sacra Rota firmaverat in themate huic simillimo, nempe, *in Albiganen. Praecedentiae cor. Bichio*, *in n.* 56 § 9, *et sequ.*

3 Quibus accedit et illud, maximi quidem momenti, quod *bini*, ex hisce *quatuor* in suspicionem adductis, etiam inter SSmi Sacramenti Sodales fuerint adscripti. Etsi enim per hypothesim admitti vellet ex sui Collegii amore ad falsum deponendum quempiam allici posse, quod tamen ab omni abhorret legis præsumptione, dum præsertim agitur de depositionibus jurejurando vallatis, hæc tamen abiret suspicio, dum utrique pariter Collegio, quæ inter lis agitur, addictus ille ostendatur. Ex paritate enim gradus paris effectus oriri præsumptionem docuit Rota *in Rec. part.* 10 *decis.* 75 *n.* 8 *part.* 14 *decis.* 144 *n.* 2, *et part.* 15 *decis.* 58 *n.* 6. Firmissima hæc sunt, et juri omnino consentanea. At detur etiam, quod dari certe in causa minus perspicua nequiret, vel duobus, vel etiam quatuor testibus integrum eorum numerum esse imminuendum. Jam vero cum *novem* supersint, ac *octo* tantum sibi faventes Sodales SSmi Sacramenti inducant, succumbendum semper his est, etiamsi judicium tantum ferendum esset ex testium numero. Quod si ex eorum qualitate, et dictorum verosimilitudine illud proferri debere dicatur, jam magis etiam magisque ejus justitia elucescat oportet.

Omnes sane quotquot sunt testes a Sodalitate SS. Blasii, et Leonardi inducti de præeminentia huic ex consuetudine parta, non uti de re minus cognita, vel quam ex audito didicerint, loquuntur, sed id se omni tempore propriis oculis vidisse, idemque a majoribus suis jam ab immemorabili constitutum audivisse omnes, vix uno excepto, testantur. Quæ quidem immemorabilis consuetudinis mentio ab ejusmodi testibus probata, qui requisiti omnibus pollent, quæ ad eam inducendam *Glossa* statuit *in cap.* 2 *verb. memoriam de praescript. in* 6 plenissimam, et omni exceptione majorem probationem constituit, ut passim monet Rota, et signanter *in Rec. part.* 8 *dec.* 78 *num.* 13, *et* 14 *part.* 12 *decis.* 187 *num.* 18, 19 *et* 20, præter adductos in altera hujusce Causæ decisione § 4, ejusque eam esse vim, ut cujuslibet potioris tituli existentiam supponat, nec ipso excluso Summi Imperantis privilegio, tradunt unanimiter *Palma Rep. alleg.* 203 *num.* 3, *Polit. de transact. dis.* 2 *num.* 18 *T.* 4, *Rota cor. Falconerio de benef. dec.* 16 *num.* 8, *coram Rezzonico decis.* 124 *num.* 13, *in Romana, seu Tyburtina Immissionis* 26 *Junii* 1782, *et* 11 *Februarii* 1783 *coram Flangini, in Tudertina Immissionis* 13 *Martii* 1789 § 5 *et* 6, *et* 3 *Julii ejusdem anni cor. Eminentissimo Cesarei, et in Praenestina Mutae* 22 *Martii* 1819 4

§ 3 *cor. R. P. D. Meo Martinez del Campo*. Nonnullos vero ex hisce testibus majorem etiam, si fieri potest, fidem sibi vindicare ex eo Patres censuere, quod uni Sanctissimi Sacramenti sodalitati essent adscripti, et tamen, ut veritati obsequeretur, quovis affectionis et partium studio seposito, adversus eam testari non dubitarunt. *Quatuor* quippe ex iis, dum ingenue profitentur = *Sono confrate soltanto nella Ven. Compagnia del Santissimo Sagramento* =, pari etiam, et exemplari ingenuitate deponunt se semper, et usque ab ineunte ætate prælatam Sodalitati suæ SS. Blasii, et Leonardi Solidalitatem vidisse: eorumque natu minor jam scmptimum ultra quinquagesimum ætatis annum est supergressus. Quæ tanta quidem sunt, ut eorum depositiones pro ipsa veritatc excipiendas esse sibi quilibet facile suadere debeat.

5 At diversimode se certe res habet quoad testes ab altera Sodalitate inductos. Informes siquidem, et nulla solemnitate suffultæ eorum sunt depositiones. Non enim eos tabellio solemni more interrogavit; non vera intercessit ac propria jurisjurandi religio, imo nec characteris in aliquibus rite peracta recognitio, ex qua subscriptionis veritas possit evinci. Haud parva insuper alter ex iis suspicione laborat: quamvis enim neutri sit addictus sodalitio, tanto tamen unius partis studio correptus dignoscitur ut constet eum esse » *uno dei capi assieme con suo Fratello Confrate della Compagnia del Santissimo Sagramento per sostenere la pretesa precedenza, o sia mano dritta a favore della stessa Compagnia*. His omnibus tamen missis, quæ vel depositionum formam, vel deponentium personas respiciunt, jam omnem fidem ipsa testium dicta amittere manifestissimum ex eo est, quod inter se prorsus discrepantia reperiuntur. Pars enim eorum Sodalitio Sanctissimi Sacramenti præcedentiam fuisse concessam in duabus tantum Supplicationibus testantur, in ea scilicet, quæ in honorem Sacratissimi Corporis D. N. J. C, celebratur, et in ea, quæ fit mense Julio sub nomine » *La Luminara* » in memoriam S. Jacobi Apostoli; alii in omnibus quidem supplicationibus præferri affirmant, inutili tamen oratione, quæ priorem testimonii partem in suspicionem adducit, addunt id = *segnatamente nella Processione della Luminara di S. Jacopo* = evenire; alii de uno tantum vel altero anno, non de perpetua consuetudine loquuntur: Testantur alii uti de re haud sibi bene perspecta, sed quam a patre, vel ab alio nudius tertius vita functo dicerunt: alii tandem, a veritate plenius abhorrentes, nullam admittunt exceptionem, et Sodalitatem Sanctissimi Sacramenti prælatam esse contendunt = *in tutte le publiche processioni dell'anno*, etiam = *nelle rogazioni di S. Marco* =, et, ne casus ullus deesset = *nelle associazioni di cadaveri* =. Quæ quidem discrepantia sufficit, ut eis omnis sit deneganda fides, ad tradita per Rotam *in Rec. part.* 12 *decis.* 419 *n.* 19 *decis.* 73 *num.* 20 *part. ead.*, *cor. Molines, decis.* 439 *num.* 10, *cor. Olivat. decis.* 618 *num.* 10, *et decis.* 661 *n.* 6 *cor. Eodem*.

Cum nullus igitur seniorum, probatissimorum, et uniformium tresdecim testium depositionibus admittendis obex per pauciora, informia, incredibilia, et inter se pugnantia testimonia parari queat, ex censura *Cap. in nostra vers. mandamus, ibique argum. de testibus*, Rota *in Rec. part.* 9 *Tom.* 1, *decis.* 238 *num.* 2 *part.* 17, *decis.* 348 *num.* 22. *in Pontis Curvi Pecuniaria* 21 *Februarii* 1777 *cor. Mannelli* § 13, *et in Imolen. decimarum* 13 *Martii* 1784 § 13 *cor. Riminaldo*, satis superque de quasi possessione præcedentiæ favore Sodalitatis SS. Blasii, et Leonardi constare, ad tramites Gregorianæ Constitutionis, Patres censuere. Et hæc quidem ad præcedentiæ jus pro Sodalitio SS. Blasii, et Leonardi sufficeret, nec de altero Gregorianæ ipsius requisito quærendum amplius esset, cum hujus cognitio in subsidium tantum alterius, et in illius deficentia adhibenda sit. At Causam optimam, ne ulla ex parte indefensam relinqueret Sodales SS. Blasii, et Leonardi, etiam apertissime demon- 6

strarunt Sodalitatem Sanctissimi Sacramenti, nec antiquitatis præsidio juvari posse, ut expetitam præcedentiam consequi valeat. Antiquior enim, quæ de hac extat memoria, ad annum refertur 1590, quo tempore ex ipsius Sodalitatis Codicibus Statutariis patet *Capitula* fuisse prius confecta, quæ dein anno 1600 confirmavit Archiepiscopus. Ex Sacræ autem Visitationis actis usque ab anno 1535 eruitur, quod in Ecclesia Parrocchiali Oppidi Lammari ». *Sola extabat Confraternitas sub vocabulo, et Altare S. Blasii, et Leonardi* ». Quinque igitur supra triginta annorum lapsu hæc illam erectione præcessit.

7 Nec ad hanc antiquioris existentiæ prærogativam excludendam quidquam ponderis habent, quæ in actis iisdem leguntur, quod « *illa habet sua capitula, quæ non sunt confirmata ab Ordinario, et non habet aliqua ornamenta, præter quasdam tobaleas etc.* », ex quibus duo inferre conabantur Sanctissimi Sacramenti Sodales. *Primum* scilicet, quod in Episcopalis confirmationis defectus adeo esset in pretio habendus, ut veluti non existens Confraternitas ipsa esset existimanda, donec eam confirmationem non obtinuisset, quod anno demum 1681 evenit: *alterum*, quod, cum non habuerit tunc temporis *aliqua ornamenta*, sanctio Gregorianæ Constitutionis eidem non faveat, ad cujus tramites in antiquitate investiganda ii antiquiores sodales sunt renunciandi, *qui prius Saccis usi fuerint*. At non hæc Patribus arrisere. Perspexerunt equidem religiosas hujusmodi familias sine Episcopi licentia erigi nequire, ut statuit *Constitutio Clementis VIII.*, quam refert *Ferrarius in Biblioth. verb. Confraternitas art.* 1 *in princ.*, exornantque *Card. de Luca de præeminent. disc.* 10 *num.* 6 *in fin.*, *et Monacell. in formul. Tom.* 1 *tit.* 6 *form.* 11 *per tot.*, necesse tamen haud esse duxerunt, ut leges in ipso erectionis momento confirmet Episcopus. Has enim sibi dicit ipsa quæque Sodalitas, ut innuit laudata *Clementis VIII Constitutio* § *statuta autem*, docentque *Donat. prax. rer. regul. Tom.* 3 *tract.* 8 *quæst.* 16 *n.* 1, *et* 4, *et Monacell. loc. cit.* et eo ipso quod illarum erectionem probavit, eis suas sibi concedendi leges facultatem Episcopus impertitur. Ex quo necessario consequitur, statutorum compilationem, et confirmationem erectioni Confraternitatum posteriorem esse debere; et absurdum sane esset ex legum deficientia, legumlatorum existentiam in dubium revocare. Quantum vero inanis hujusmodi sit exceptio verba ipsa super relata aperte declarant. Haud potest enim in dubium revocari, quod alicujus sodalitatis existentia probetur ab Episcopo, qui refert eamdem adesse, et sua habere Capitula, nisi simul idem esse et non esse dicatur.

Ad alteram etiam Gregorianæ Constitutionis partem confugiebant SSmi Sacramenti Sodales, et verba captantes = *ii, qui prius saccis usi fuerint* =, contendebant antianitatis notam Sodalibus SS. Blasii, et Leonardi esse denegandam, ex eo quod haud constet anno 1590 eos tunicis indutos esse, dum e contra se anno 1600 habuisse *cappe rosse* demonstrant: imo ex actis visitationis aperte pateat omnibus illos ornamentis fuisse destitutos, præter mappas quasdam sive mantilia, quæ barbara voce *Tobaleas*, sive = *Tovaglie*, quæ recensentur inter ornamenta Altarium. = *Corporalia, pallæ, tabellæ et cætera Sacerdotum, et Altarium ornamenta* = quæ verba sunt *Concil. Ravennens. anni* 1311 *cap. V* relata cum aliis *a Du Change Glossar. med. et infim. latinitatis verb. Tobalea*. At ea Constitutionis verba non ita accipienda esse, ut *taxative* apposita sint, bene vero, uti *demonstrative* censuere Patres. Quoties enim aliunde erui nequiret quæ prior esset tempore inter Sodalitates de praecedentia contendentes, ea utillima facti esset inquisitio. Praesumenda autem est, nec ejus expressa requirenda mentio, dum de ipso erectionis tempore constat aperte. Caeterum non hunc materialem *saccorum*, sive tunicarum usum, sed ipsam antiquitatis notitiam esse requirendam omnes noscent qui de Gregoriana Constitutione 8

loquuntur, quosque refert altera *Decis.* § 3 et praesens § 2.

9 Haud tamen hisce omnibus fracti SSmi Sacramenti Sodales, et id ultro concedentes, quod se jam amplius inficiari non posse noverunt, antiquiorem scilicet sodalitatem SS. Blasii, et Leonardi fuisse, eam ab omni privilegio, et propterea ab antianitate etiam decidisse contenderunt ob interdictum Ecclesiasticum, quod adversus eam anno 1708 Lucensis Archiepiscopi Vicarius indixit, quia cuidam Sententiae suae infra praestitutum tempus illa parere recusaverit. Noverunt autem optime Patres interdicto statim solutam fuisse sodalitatem: secus enim fieri nequivisset, ut in posterioribus Sacrarum visitationum actis, quae annis 1712, 1716, et 1733 habitae sunt, enunciaretur, quod omnes Lucenses Archiepiscopi = *hanno riconosciuta la Compagnia de' SS. Leonardo, e Biagio eretta in detta Chiesa essere canonicamente, e legalmente eretta* =, nulla de interdicto uti recenter cessato, eoque minus, uti adhuc vigente, facta mentione. Ex quo certo certius licet eruere Ecclesiasticae illi censurae per brevissimum temporis lapsum sodalitatem fuisse subjectam, et jam ejus rei memoriam obsolevisse. Nec de cessationis modo querendum est vel enim, pronunciatum in forma censurae, per absolutionem paullo postea obtentam expiravit interdictum, vel, ad modum paenae, et ad tempus, elapso tempore ipso jure cessavit; hisce enim modis Ecclesiasticas censuras, et paenas tolli docent *Monocell. Form. sup. cit. Tom.* 3 *in prelud.* § 10 *de obsolutionibus*, *et* § 13 *de obsolut.*, *seu relaxat. interd. art.* 8 *in addit. num.* 11, *et* 12.

10 Frustra autem contendi vellet ex interdicto, quamvis sublato, omnia sua privilegia sodalitatem SS. Blasii, et Leonardi amisisse. Interdicti enim paena non perimit omnino corpus adversus quod fertur; bene vero illud temporarie a jurium suorum exercitio et usu suspendit, prout aperte vox ipsa *interdicti* demonstrat, quae suspensionem, non deletionis sententiam definitivam indigitat. Et suspensionis revera, vel interdicti verbo saepe indiscriminatim utuntur Canonistae, et unum pro altero adhiberi monuit *Giraldus* o *S. Cojetano de paenis Eccles. part.* 2 *cap.* 2 *n.* 3, *et* 4 *citatis Suar. de Cens. disp.* 37 *sect.* 1 *n.* 2 *et Bonac. de Cens. partic. disp.* 3 *quaest.* 5 *punt.* 1 § 2 *n.* 17. Cum igitur interdictum vel ob temporis lapsum, vel ob absolutionem aufertur, primaeva corporis jura reviviscunt: non diversa quidem ratione, qua capti ab hostibus, et in servitutem detrusi omnino liberatis, et civitatis, ipsaque cognationis jura amittebant; eadem tamen recuperabant per jus post liminii, si, servitute cessante, in civitatem revertissent, a qua tunc eos numquam abfuisse fingebatur. Et hanc doctrinam in causa Ecclesiastici interdicti valere testatur aperte *Gloss. in cap. prudentiam* 21 § *sext. nobis, verb. vinculo excommunicationis De Off. et potest. jud. delegati* =, ubi arguendum esse docetur, *quod per absolutionem quis in pristinum statum reducatur* = Id autem in re, de qua agitur, retinendum esse procul dubio suadent Archiepiscoporum Lucensium relata verba, quibus de sodalitate SS. Blasii, et Leonardi loquentes, eam se recognoscere professi sunt, uti = *legalmente e canonicamente eretto* =, ex quibus patet nullam ad renovationis, sive perempti interdicti tempus respectum habuisse, sed originariam, et primam Sodalitii erectionem eos respexisse. Eorum vero testimonium maximi faciendum esse quisque facile intelliget, si memoria repetat eisdem de hisce rebus cognoscendis manus specialiter commisisse Sacrosancti Tridentini Concilii Patres *in sess.* 25 *de regular. Cap.* 13, *ut* docuit *Rota apud Urceol. de transact. decis.* 86 *n.* 38 *et cor. Ansald. decis.* 25 *num.* 6.

Contemptu tandem digna judicavere 11
Patres, quae de numero Sodalium SS. Blasii, et Leonardi alterius Sodalitatis fratres opponebant si enim in ea *viginti et quatuor* sodalium numerus non adest, nec infra hunc sacris eos supplicationibus interesse Diaecesanae leges permittunt, nil aliud profecto exin-

de consequetur, nisi ut toties privilegio praecedentiae uti possint, quoties praescriptum numerum attingant; nunquam vero, ut ob sociorum defectum jure jamdiu sibi quæsito expolientur. Præcedentiæ jure pro sodalitate SS. Leonardi, et Blasii ex hisce constituto, modum tamen priori adjectum Decisioni, quæ confirmatur, servandum esse jusscre Patres; præcedentiam scilicet eidem Sodalitati SS. Blasii, et Leonardi ad formam consultissimi Decreti die 26 Aprilis anni 1823 a Vicario Archiepiscopi editi, concedendam esse, et alteram Sodalitatem præferri debere in omnibus solemnibus supplicationibus SSmo Sacramento dicatis: tum *quia* hanc viguisse in Oppido Lammari consuetudinem constat, tum *quia* eam ubique locorum receptam, et retinendam esse tradiderunt *Bass. de sodalit. quaest.* 11 n. 5, *Pignatell. T.* 4 *consult.* 86 *Benedictus XIV. P. M. in instit Eccles.* 128 *num.* 84 *et* 85, *Ferraris in sua Biblioth. verb. confraternitas art.* 6 *num.* 17 *et* 18.

Et ita in strenuo partium conflictu iterum hodie dirempta est controversia, et prior contumacialis decisio confirmata.

MONTIS ALTI SEU FIRMANA

DOTIS SUPER FRUCTIBUS

Lunae 21 *Februarii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CXXIV. -

SUMMARIUM

1. *Soluto per uxoris obitum matrimonio, dos non gignit fructus, nisi interpellatis requisitis castrensibus.*

   Limita in casu, quo expressum pactum contrarium accesserit - ibidem -.
2. *Quantitativae dotis usurae, recte stipulari possunt, etiam post dissolutum matrimonium, si contrahentes nasciturum prolem prae oculis habuerint.*
3. *Verbnm - DONEC - comprehendit amne tempus, cui adjicitur.*

   In conventionibus nullum verbum ociosum jacere debet - ibidem -.
4. *Dos nomine dotis nuncupari solet, soluta quoque matrimonio.*

   Omnia in capitulis matrimonialibus habentur correllativa, et faciunt unum corpus indivisibile - ibidem -.
5. *Ex Capite* salubriter 16. Extravag. de Usuris, *dissoluto matrimonio, licet marito fructus ex dotali pignore percipere.*

   A pacta ad legem canonicam optima datur illatio - ibidem -.
6. *Etiam pro mutuo, valet pactum ab initio constitutum praestandi creditori quidquid ob restitutionis moram ei damni seciderit, vel lucri abfuerit.*
7. *Scientia de damnis in debitore, tantam vim habet, ut vices suppleat interpellationis requisitorum castrensium.*
8. *Quando dos fungitur vice legitimae, fructus parit, etiam soluto matrimonio.*

   Juxta Saliceti *theoricam, dos vice legitimae fungitur, si faeminae ea sub conditione a successione repellantur, ut congruam dotem accipiant - ibidem -.*
9. *Eandem naturam retinet dos, quam habet ejus additamentum.*

   Dos congrua non alia dicitur, nisi illa, quae non est minor legitima - ibidem -.
10. *Ubi statutum faeminas non sempliciter, sed temporaliter excludit a successione, dos succedit loco legitimae.*
11. *Frustra de observantia contendit, qui nullum actum, nullamque rem-judicatam indigitat.*
12. *Si quid obiter et perfunctorie in decisione excidit, nullum habet auctoritatem.*
13. *Si dos succedit loco legitimae, faeminae faciunt numerum et partem favore masculorum faeminas excludentium.*

    Si dos non succedit loco legitimae, faeminae non possunt facere nec numerum, nec partem ad augendam masculorum portionem - ibidem -.

DECISIO CCXXIX.

Plura judiciorum discrimina passa est acta adbuc usque coram Sacro Nostro Ordine controversia de fructibus *quantitativæ* dotis post Uxoris obitum rependendis, quos a germanis fratribus Tentoniis repetit Paschal Giovannini usque ad integram ipsius, dotis satisfactionem. Primum enim proposita Causa, *Anno* 1820 *die vigesima octava Fe-*

braarii, coram eximio meo Collega, et nunc Amplissimo S. R. E. Cardinali, ac Ferrariensi Archiepiscopo Odescalchio, Dubii formulæ, ita conceptæ = *An sit locus solutioni fructuum dotis post obitum Franciscæ, seu potius fructus persoluti sint in sortem imputandi in casu etc.* = responsum fuit = *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam* = uti fusius ostendit *ejusdem diei et anni Decisio*. At ex litigantium compromisso, e quo hæc quæstio de fructibus dotis Sacro Nostro Tribunali commissa fuit, *videntibus omnibus, præviis duabus appellatione remota*, cum disputatum fuerit de viribus illius Decisionis, Patres Domini a decisis recedendnm esse censuerunt, ut ostendit *alia Decisio*, quam ego, uti Eminentissimo Odescalchio subrogatus, die *vigesima nona Januarii* 1821 publici juris feci. Sed rediit victoria ad Giovanninium in Comitis diei *vigesimæ primæ Januarii insequentis anni*, in quibus interusuria dotalia, post dissolutum quoque, per uxoris obitum, matrimonium, recte postulari definitum est, teste altera *mea Decisione eadem die, et anno* edita. Novæ tamen *Audientiæ beneficio* Tentionis concesso, adeo ipsi visi fuerunt *primæ* et *tertiæ Decisionis* fundamenta convellere, ut Patres denuo sententiam amplexi fuerint in secunda Decisione explicatam, in qua dotales fructus, deficientibus *Pauli de Castro* requisitis, nullo modo Giovanninio persolvendos esse constituerant; veluti constat ex postrema *mea Decisione*, quam die *decima Martii anni* 1823., evulgavi. Parum vero steterunt quartæ hujusce Decisionis rationum momenta. Nam ex indulgentia *novæ Audientiæ* ad examen bodie revocata quæstione sub concepta Dubii formnla = *An sit standum in primo, et tertio; seu potius in secundo, et quarto loco decis. in casu etc.* = intimiusque, ac funditus factis, legibusque perscrutatis, Patres, una mecnm suffragium ferentes, indubitati, inconcussique juris esse existimarunt, ut responderetur = *In tertio loco decisis* =.

1 Receptissimum quidem in jure est, soluto per uxoris obitum matrimonio, simplex, ac sterile creditum dotem evadere, quod nullas gignere potest usuras, nisi rite interposita fuerint ab ipsius dotis creditore *Pauli de Castro* requisita, ut præcipue probat, adductis auctoritatum exemplis, *mea Decisio* diei 10 *Martii* 1823 § 2., a qua tamen recedere non immerito Patres Domini censuerunt. Quæcumque sane sit juris dispositio, licite, ac legitime a Giovanninio peti dotis fructus, etiam post dissolutum matrimonium, suadebat iterum pactio conceptissima, qua in tabulis nuptialibus constitutum fuit, quod = *siccome il Matrimonio porta seco il peso del mantenimento della futura Sposa, e della sopravvenienza della prole; così si obbligano il detto Sante Tentoni, e suoi, e respettivamente constituiscono in dote ai retroscritti Conjugi la somma di Scudi Mille, qual somma si obbligano sborsare nel termine* di *Anni quattro coll'obbligo però di pagare allo Sposo i frutti compensativi alla ragione del quattro e mezzo per cento, per patto espresso, e non altrimenti, cominciando a decorrere i detti frutti dal primo Gennaro* 1799 *e non sborsando detta somma entro il prefisso termine, si obbligano pagare i detti frutti fino al totale sborso di essa dote* ». Cum igitur a tempore constitutæ dotis usque ad præsens nunquam soluta fuerit pecuniæ quantitas in eamdem dotem promissa; hinc commissam fuisse stipulationem, ac dotales fructus rependendos esse usque ad integram dotis satisfactionem nemo non intelligit. Reque vera, qui Tentoniis patrocinabantur, non denegabant pactionem de dotalibus fructibus præstandis, usquedum dos ipsa integra solvatur; sed pactionem illam veluti illicitam, et usurariam dicebant, idque probare nitebantur pluribus DD., et Sacri Nostri Ordinis auctoritatibus, quas recenset citata *Decis.* 10 *Martii* 1823 § 5.

Sed perperam hoc arripiebatur diffugium. Non leve siquidem, ut agnitum fuit in anteriori *Decis.* 21 *Januarii* 1822 § 6., intercedit discrimen inter casum illarum, et bodiernam controversiam. In illis enim pactio de fructibus dota- 2

libus rependendis, etiam post dissolutum matrimonium, respiciebat onera matrimonii quoad uxorem tantum, illiusque alimoniam, et exhibitionem, quæ statim cessant, vix mortem uxor obierit: cæteraque autem quæ alicubi disseruntur, perfunctorie, et ad ornatum potius disseruntur, articulo formiter haud discusso, multoque minus deciso. Cessata proinde causa, ex qua proficisci possunt *quantitativæ* dotis usuræ, mirum non est, sed imo juri, ac justitiæ consentaneum, si in contrariis adductis Decisionibus judicatum fuit, obligationem quoque persolvendorum fructuum omnino cessasse. At in præsenti themate, præter alimoniam, et exhibitionem uxoris, præ oculis nomi natim etiam contrahentes habuere nasciturам prolem « *la sopravvenienza della prole* » et graves sumptus, quos requirit filiorum educatio, exhibitio, nutrimentum. Uxore utique defuncta, si filii supersunt, ii onera non censentur matrimonii, sed naturæ, quamvis a Matrimonio trahant orginem; eorumque alendorum onus ex juris censura primo spectat ad patrem, ac paternos adscendentes, nec ad matrem pertinet nisi *secundario*, et in *subsidium*, si nimirum pater, aut paterni adscendentes impares sint filiis alendi. Non ideo tamen in his conventionibus, quæ ad *voluntatem* unice attinent, impermissum est pacisci, ut ex fructibus dotis alantur liberi, atque hoc modo ad illorum alimoniam una cum patre mater ipsa teneatur. Consulenda hic est præterita mea *Decisio die* 21 *Jonuarii* 1822 §. 5 6 7. Si itaque legitime poterat in pactum deduci, ut fructus dotis solverentur, soluto etiam conjugio, in causam, et rationem alendorum filiorum, idque revera actum in re nostra est, nulla suberat ratio, cur hæc conventio servanda non esset, quæ, non *loquacitati tabellionis* rogati, qui in stipulatione non intervenit omnino, sed expressæ contrahentium voluntati tribuenda est, qui imo pactionem ipsam vallatam voluerunt solemnibus clausulis palam ostendentibus eorum mentem non aliter, quam sub adjectis legibus, contrahendi.

Huc vero re perducta, Defensores fratrum Tentoni irrito studio subdebant: *explicite* non convenisse contrahentes, ut, etiam dissoluto per uxoris obitum matrimonio, dotis interusuria solverentur: si hoc rursus in pactum deducere contrahentes voluissent, promitti debuisse necessario fructus usque ad integram *pecuniæ*, non autem *dotis* solutionem; ea denique verba, quæ *nasciturам prolem* respiciunt, informare quidem, ut inquiunt, ac determinare dotis constitutionem, non vero obligationem secumferre præstationis fructuum in causam liberorum ex matrimonio suscipiendorum. Nam, ad primum quod spectat semelac in nuptialibus tabulis stipulatæ dotis accessiones fuerunt « *fino al totale sborso della dote* » *etiam dissoluto matrimonio*, fructus a dotis debitore deberi. Evenire quippe poterat, veluti reapse evenit, ut dissolveretur conjugium, antequam dos integra soluta fuisset. Illius præterea dictionis « *donec* » ea vis est, natura, sonitus, ac communis intellectus, ut non admittat aliquam interruptionem, vel cujusvis casus exceptionem, sed comprehendat imo omne tempus, cui adjicitur; *Rota decis.* 727 *n.* 13 *part.* 18 *tom.* 2., *decis.* 733 *dict. part.* 18 *tom.* 2. *n.* 4., *et decis. n.* 4 *part.* 19 *Recent.* Cum autem nullo opus sit pacto ad condicendos fructus non solutæ dotis, constante matrimonio; propterea dicendum sane est, contrahentes intellexisse de fructibus quoque post dissolutum matrimonium ratione alimoniæ liberorum rependendis, ne secus inutilis evadat ipsa pactio in contractu, in quo conventiones omnes suum sortiri debent effectum, nullumquo verbum ociosum jacere debet *Rot. decis.* 294., *et decis.* 1185., utrobique *num.* 12 *cor. Lancetta decis.* 579 *num.* 26 *cor. Molines*; *decis.* 6 *num.* 6 *tit. de donat. cor. Falconerio, et in Romana Emphyteusis super retentionis ratæ commodi* 23 *Junii* 1823 § 10 *cor. Me.* 3

Quoad alteram vero objectionem, futilis profecto a Tentoniorum Defensoribus reponebatur differentia inter verbum *dos*, verbumque aliud *pecunia*, quod adhibere contrahentes debuisse 4

illi dicebant, si stipulari voluissent dotis interusuria post dissolutum conjugium. Ex eo enim quod dos, soluto matrimonio, frugifera amplius non est, nisi accedant requisita Castrensia, aut ratione etiam futuræ prolis, quæ adhuc supersit, conventi fuerint fructus, non consequitur, ut dos amplius nequeat appellari, diversumque vocabulum tribuendum ei sit; cum e converso ex communi usu loquendi, et in ipso imo corpore Juris dos *nomine dotis* nuncupari soleat, soluto quoque matrimonio, ut patet ex *tit.* 18 *Cod. Justin. lib.* 5., et rursus ex *tit.* 1 *lib.* 25 *Digestorum*. Quin immo hæc ipsa controversia, ejusque editæ Decisiones *nomine dotis* inscribuntur. Quod si autem inanis hæc subtilitas observanda esset in stipulationo contractuum, ea quidem non desiderarētur in nuptiali apocha, do qua agitur, ubi *promiscue* adhibita legitur, tam vocula *dotis*, quam alia pecuniæ, dum de rependendis fructibus actum est. Nec majoris ponderis est aliud obiectum postremo loco positum, futuræ prolis considerationem causam dedisse promissioni dotis, non autem prestationi fructuum dotis; namque promissio causam recipit ab unico matrimonio, scorsim a qualibet consideratione nasciturae prolis Dos imo quid conjunctum, ct connexum cum matrimonio dicitur, adeout, quamvis matrimonium non semper subsequatur proles, adhuc tamen dos conjuncta matrimonio remaneat. Eoque magis retinendum futuræ prolis cogitationem, tum dotis promissioni, tum fructuum præstationi causam præbuisse, quia dos constituta, illiusque fructus promissi in nuptiali apoca fuerunt una, eademque periodo, ac continuata oratione, in qua omnia ibi contenta debent æqualiter, ac pari formiter determinari, ut inquit *Bart. in leg. Prætor.* §. *Erit differentia n.* 1. *ff. de bon. rapt.*, *et Rot. in Rec. decis.* 237 *n.* 13 *part.* 5., *et decis.* 135 *n.* 24 *part.* 8., et cæteroquin omnia, in Capitulis præsertim matrimonialibus, habentur correlativa, et faciunt unum corpus indivisibile ex receptissima sententia, de qua *Hodiern. controv. for. cap.* 34 *num.* 20., *Prat. discept. for. cap.* 12 *num.* 23., *et Palm. nep. Alleg. posth.* 38. *num.*

Concludendum itaque est, pactionem 5
de fructibus, dissoluto etiam matrimonio, rependendis, initam, non solum ratione habita ad onera exhibitionis uxoris, sed ad futurarum quoque prolem, haudquaquam illicitam, et fæneratitiam existimari posse. Quandoquidem, si, tam ex Municipali Urbis Sanctione, a Pontificia Auctoritate probata, olim licebat, quam nunc etiam, ex celebri 1. *Cap. Salubriter* 16 *extravag. de usuris*, dissoluto quoque per uxoris obitum matrimonio, ac superstitibus filiis, licet marito fructus ex dotali pignore percipere, donec constituta, ac promissa dos ei integre solvatur, prout late comprobat *Decisio diei* 21 *Januarii* 1822., quæ confirmatur § 9., multo magis id licebit in pactum deducere, et in nuptialibus tabulis de eo expresse cavere. Neque enim audiendi erant scribentes pro Tentoniis, dum futiliter regerebant *Statuti et Cap. Salubriter* dispositionem, ne ullo quidem *analogiæ argumento* trahi posse ad speciem controversæ dotis, quoniam hæc *in pecunia numerata* consistit, ac Statutaria, et Canonica dispositio *de frugifero dotali pignore* loquuntur. Pignus siquidem in casu Statutariæ, ac Canonicæ Sanctionis datum fuerat pro indemnitate dotis promissæ in *pecunia numerata*, ut nominatim inquiunt verba, tum ipsius Statuti, tum Ecclesiasticae Sanctionis. Nulla hinc adest congrua ratio disparitatis, cur fructus ex pignore possint Statutaria, ac Canonica lege permitti, et non usurarum honesta perceptio in vim pacti, ac datæ, agnitæ, jurataeque fidei. Cum imo a Statuto, et lege Canonica ad pactum, et e contra a pacto ad Statutum, legemque Canonicam optime detur illatio; si ideo Statuto, legique Canonicæ est locus, fit etiam locus conventioni, adeo ut alterutrum dicendum videatur, vel quod nimirum Statutum, et Canonica Sanctio, tamquam usurariam pravitatem inducens, reprobata sit, vel quod verior sit opinio usuras permit-

tens non solutæ dotis, ubi ex matrimonio supersint liberi, saltem conventione accedente. Quoniam autem piaculum esset asserere, Municipalem sanctionem a Pontifice confirmatam; et Canonicam legem usuras, ac faenus permittere voluisse; propterea necessario admittendum est alterum, conventionem scilicet de fructibus promissæ dotis rependendis, soluto matrimonio, ac superstite prole, legigitimam ac justam renunciandam omnino esse. *Surd. de alim. tit.* 1 *q.* 42 *num.* 23 *cum seqq.*, *Sperell. decis.* 84 *num.* 3 *cum seqq. Panimoll. decis.* 3 *ann.* 3., n. 1., *Boss. de dot. cap.* 20 *num.* 50 *et* n. 80., *Card. de Luc. de dote disc.* 148 *num.* 10., *et disc.* 161 *n.* 60.

6 Ad legitimam ulterius dijudicandam fructuum præstationem illud etiam movit Dominos, quod agitur de obligatione contracta sub Democratico Regimine, ac ad tramites illarum legum, nimirum « *in ragion valida della Republica Romana* »; quæ clausula eo tempore cummuniter subrogata intelligebatur formulæ *Generalis Obligationis*, stipulationem *damnorum et interesse* secumferentis, ejusque gignit effectus Animadvertebant rursus Patres Domini, præter hanc formulam, sese devinxisse contrahentes cum aliis Clausulis « *per patto espresso, e non altrimenti* » quæ, non solum magis enixam contrahentium voluntatem, non aliter, quam sub adjectis pactis, stipulandi, sed peculiarem quoque ratione *damnorum, et interesse* obligationem important *Rot. decis.* 315 *n.* 56 *part.* 4., *decis.* 206 *num.* 7 *et* 8 *part.* 10 *Rec. et in Nuperrim. decis.* 574 *num.* 5 *et* 6. Atqui unanimi Theologorum, Canonistarum, Jurisconsultorum, et Sacri præcipue Nostri Ordinis sententia traditum est pro quocumque credito pecuniario, imo pro ipso mutuo, valere pactum ab initio constitutum præstandi creditori quidquid ob restitutionis moram ei damni acciderit, vel lucri abfuerit. *Covarruv. var. res. lib.* 3 *cap.* 4 *num.* 5., *Leotard. de usur. quæst.* 71 *num.* 4., *et seq. Cancer. var. resolut. part.* 3 *cap.* 7 *num.* 69., *Card. de Luca de usur. disc.* 12 *num.* 24., *Carleval de judic. disput.* 8 *tit.* 3 *n.* 4. *Tom.* 2., *Semalgr. in Jus Eccles. tom.* 5 *part.* 2 *tit.* 219 *num.* 11 *Rocca disput. jur. cap.* 156 *num.* 25., *Rot. decis.* 1028 *num.* 6 *cor. Lancetta, et decis.* 224 *num.* 16 *cor. Riminaldo.* At, si in quolibet credito sterili, ac in ipso mutuo hoc licet, multo magis licebit in dote, quæ rigidiori juri, quam ipsum mutuum subesse non debet. *Castil. quotid. controv. lib.* 8. *cap.* 51 *num.* 7 *Rot. cit. decis.* 221 *num.* 19 *cor. Riminaldo, et in Romana Immissionis* 31 *Januarii* 1746 § 6 *cor. Millino.*

Qua de re intrusuria dotalia ex capite etiam *damnorum et interesse* a Tentoniis deberi compertum quoque est. 7
Certius; quia hæc damna non sunt quid *hypoteticum, et imaginarium*, sed *a viginti septem* annis, quibus dos manet insoluta, revera existunt, et Giovanninii patrimonium attenuarunt, cui, si præsto pecunia fuisset, vel eam fænori collocare, vel censualia nomina, quibus adhuc præmitur, dimittere potuisset. Neque hæc omnia Tentonios latebant, qui imo pluribus epistolis ad Giovanninium missis, in quibus proprium debitum in discrimen non revocantes, et damnum præterea agnoscentes, fatentesque, quod ille ferebat ex mora, pluries sese promptos, paratosque exhibuerunt ad sibi sumenda censualia nomina, et mensuram demum initio depactorum fructuum = *alla ragione del quattro e mezzo per cento* =, alia conscripta syngrapha, juramento etiam vallata auxerunt anno 1807 ad rationem sex cum dimidio circiter, nempe = *a scudi quarantasei annui da incominciare il primo Gennaro* 1807. = pro integro dotis capite. Manifestum hinc erat damnum emergens, et lucrum cessans, quod ex causa debitorum dotis perferte coactus fuit, atquo adhuc cogitur Giovanninius *viginti septem* jam ab hinc annis. Quin imo scripta conventio damnorum existentia, eorum agnitio, atque scientia in debitore, tanti ponderis in Foro, et Tribunalibus sunt, ut vices suppleant interpellationis *Requisitorum Castrensium*, quæ cæteroquin necessaria fuisse conventione damno, scientia, deficientibus. *Rot. cor.*

Penia dec. 1237 *num.* 12 *et* 16., *in Mantissa ad Card. de Luc. lib.* 8. *dec.* 44 *num.* 16., *in Rec. dec.* 206 *n.* 8 *part.* 10 *cor. Ratto dec.* 53 *num.* 5 *cor. Falconer. tit. de dote dec.* 4 *n.* 5 *in Cæsenaten. Dotis* 9 *Maii* 1806 § 9 *cor. Emo Cesarei.* = His omnibus accedebat demum observantia, ex qua Tentonii fructus non solutæ dotis, tam viva sorore, quam *ea defuncta*, bona fide pensitarunt; et ex qua melius confirmatur contrahentium mens, dissoluto quoque matrimonio, paciscendi fructus, tam ratione nasciturae prolis, quam damnorum, quæ creditori obveniebant ex retardata solutione ut opportune monet Decisio, quæ confirmatur 21 *Januarii* 1822 § 8.

8 Hanc cæterum sententiam firmius, ac tutius amplexi Patres fuere animadvertentes ex Municipali Sanctione Oppidi Montis Georgii in Piceno, ubi initæ anno 1798 nuptiales tabulæ fuerunt, dotem succedere loco legitimæ. Notum, ac exploratum in jure est, quod quando dos fungitur vice legitimæ, fructus parit, etiam soluto matrimonio, eodem ferme modo, quo frugifera est ipsa legitima, ut expendit prædicta mea *Dec.* 21 *Januarii* 1822 quæ confirmatur § 10. Non multum adlaborandum est, ut ovincatur ex Municipali lege Montis Georgii dotem vices legitimæ gerere. Nam, quamquam ad conciliandas dissidentias in foro invaluerit Theorica Castrensis in *leg. Titio centum* 70. § *Titio genero n.* 8 *ff de condit., et demonstrat.*, qua statuitur ut toties dos in locum legitimæ succedat, quoties Municipalis lex de dotibus dandis *primum* agat, *mox* de fæminarum exclusione; non item, si *primo* de fæminarum exclusione, ac *postea* de earum dotibus fecerit mentionem, ut punctim factum fuit in statuto Montis Georgei, adhuc tamen cum tantum fallax sit. *Castrensis Theorica*, quantum fallax, incertumque est argumentum ex ordine ductum *per prius*, et *posterius*, ideo plus accepta in foro est Theorica altera *Saliceti*, qua traditur, ut dos vice legitimæ fungatur *si* fæminæ sub ea conditione a successione repellantur ut nimirum congruam dotem accipiant. Consultatur mea præterita *Decis.* 21 *Januarii* 1822 § 11. Exclusas vero a successione fæminas fuisse in statuto Montis Georgei sub una, atque unica conditione dptis palam ostendunt ipsius Statuti verba, quibus immediate post fæminarum exclusionem jubetur = *volentes, quod dotatæ, vel quibus dotes promissæ, relictæ, vel quovis alio modo constitutæ sint dictis dotibus contentæ in tantum, quod amplius neque jure successionis, neque jure legitimæ, vel supplementi legitimæ, vel jure incongruæ dotis sibi datae de bonis dotantis, quovis modo, vel causa aliquid petere possint*; *si vero non fuerint dotatae, dotentur condecenter arbitrio Nostrorum Priorum etc.* ut refert *Card. de Luc. in Tract. de Statut. success. part.* 108.

Quamobrem dubitari nequit, quin 9
reapse fæminarum exclusio, quæ in municipali lege Montis Georgei continetur, alligata sit constitutioni dotis, ideoque dos vices legitimæ gerat. Quod si sola legitimæ mentio, quæ semel ab ore Statuentium exciderit, vel tacite colligatur, satis quandoque est, ut dotem legitimæ locum tenere judicetur, potiori jure id sentiendum est quoad Statutariam Montis Georgei sanctionem, in qua pluries occurrit explicita legitimæ mentio, et ipse imo ab initio titulus inscribitur = *De successionibus ab intestato*, *et Legitima filiorum* = et de legitimæ etiam modo, et mensura loquitur in Nigro. Atque immo exindo non potuerunt DD. iterum audire Tentoniorum Defensores, contra spiritum, sensum, et literam Rubricæ, et Nigri particulæ Statutariæ, effutientes *negative tantum* fuisse quodammodo a Statuentibus usurpatam *legitimæ* voculam, cum immo *legitimam*, alteram *cum successione*, fuisse materiam, subjectum et rationem dispositionis aperte videatur. Verum eadem ulterius municipalis Montis Georgei sanctio constituit, ut fæminæ promissis dotibus assentiri debeant, nec quid amplius petere possint juro legitimæ vel supplementi, vel quovis alio titulo. Ex quo fit, ut si Municipalis sanctio impedimento eis non esset, rite possent fæminæ incongrue

dotatæ supplementum postulare, quod justæ legitimæ portioni deesset. At hoc vetitum ex Statuto est; dos igitur locum legitimæ tenet, cum eamdem naturam; atque indolem habeat dos, quam habet ejus additamentum ex deductis in præterita mea Decisione, quæ confirmatur, *diei* 21. *Januarii* 1822 § 13 Accedit autem, quod Municipalis Montis Georgei dispositio mandat, ut fæminæ, quæ non fuerint dotatae = *condecenter dotentur arbitrio Priorum*, *et duorum proximiorum Agnatorum* =, et quidem = *attenta facultate*, *et personarum qualitate* = Cum enim *congrua ac decens* praesertim *attenta facultate* dos non alia dicatur, dicique possit, nisi illa, quae non est minor legitima, hinc, quoties statutum jubet, ut faeminae indotatae *congrue*, *ac condecenter* dotentur *attenta facultate*, semper eo casu dos dicitur loco legitimae succedere, ipsique legitimae subrogata, etsi a principio simpliciter, et absolute censeantur exclusae. *Surd. de alimentis*, *tit.* 3 *quæst.* 1 *num.* 60 *et seqq.*, *Mangil.*, *de imput.*, *et detract. quæst.* 67 *num.* 27., *Rota post Merlin. de Legitima dec.* 197 *num.* 11., *dec.* 856 *num.* 18 *cor. Lancetta*, *in Civitatis Castellanæ Legitimae* 13 *Maii* 1746 § 12 *cor. Molino*, *in Ferrarien. Dotis*, *et Fructuum* 22 *Martii* 1756 § 7 *cor. Riminaldo*, *et in cit. praeterita Dec. cit.* § 13; vehementiorique etiam jure ex notabili circumstantia, quod dotatio non committitur arbitrio Masculorum, *praeter quos* aliter exclusae videri possent faeminae, sed *Priorum*, *et Proximiorum* qui verisimiliter non sunt arbitraturi, nec arbitrari possunt dotem minorem legitima, et dos idcirco taliter repraeservata non potest intelligi in causam, et locum legitimae a statuentibus fuisse faeminis praeservatam, ut optime expendunt. *Constant. ad Stat. Urb. annot.* 35 *num.* 78 *cum seqq. Rot. dec.* 156 *par.* 15 *rec. num.* 15 *in cit. Civitatis Castellanae legitimae eod.* §, *et in cit. Ferrarien. Dotis et fruct. eod.*

10 Qui tamen pro Tentoniis Causam orabant vim maximam faciebant in iis verbis Statuti Montis Georgei, quibus dicitur fæminas a successione repelli » *pro conservanda Agnatione* » exindeque inferebant, dotem legitimæ vice non fungi juxta Montis Georgei Statutum. Hoc vero si in aliis Municipalibus sanctionibus quid momenti obtinere posset, nullum sane momentum meretur in subjecta specie, in quo tot alia ex demonstratis concurrunt, quæ verba illa longe superant, et rectius suadent, Statuentium mentem fuisse, ut dos succederet legitimæ loco. Omnia namque Statuta fæminarum *exclusiva* potissimo illi argumento innituntur conservandæ agnationis, et hæc ratiò tacite immo subintelligitur, etiamsi apertis verbis in Statuto non legatur expressa *Constantin. ad Stab. Urb. annot.* 39. *num.* 1. *et* 2. » Quod si valeret argumentum ex illis verbis desumptum » *Pro conservanda agnatione* » nulla amplius ex Statuto dos esset, quæ loco legitimæ succederat. Contra veró multa sunt Statuta, et illud præcipue Cesenae, quod, licet verbis incipiat enixius agnationem exprimentibus » *Cum per filios*, *et liberos masculini sexus*, *magis quam per fœminas*, *defunctorum domus*, *et memoria conservetur*, *et diù ec. conservationi eorum salubriter attendentes*, *necessario statuendo duximus etc.* =, et alia ab illismet generalibus verbis » *Pro conservanda agnatione* » aut aliis » *Stantibus masculis*, *filiæ fœminæ non succedant* » vel persimilibus: adhuc tamen judicatum est, ex eorum indole dotem vices legitimæ supplere. *Rot. in Recen. decis.* 156. *num.* 1. *part.* 15., *in Civitatis Castellanæ Legitimæ* 5. *Junii* 1744. §. 4. *coram Vicecomite*, *et in confirmatoria* 13. *Maii* 1746. §. 10., *et seg. coram Molino.* Multo autem minus obstare possunt in themate Statuti Montis Georgei superius recitata verba, quia Statutum ipsum, non veluti, *extraneas* reputat fæminas, sed veluti *agnatas* considerat, quoniam non eas *simpliciter*, excludit, sed *temporaliter*; extantibus scilicet masculis; illisque veluti agnatis integram præservat successionem in defectu masculorum; quo sane in ca-

su, ut cumque videantur exclusæ fœminæ, concors est omnium DD., et Tribunalium Sententia, dotem legitimæ loco succedere, ut bene observant, solidisque rationum momentis, firmant. *Albert. Brun. de Statut. a success. fœmin. exclud. Art.* 11. *num.* 93., *Constant. ad Stat. Urb. Annot.* 39. *numer.* 295., *Rot. cor. Crescent. dec.* 168. *tom.* 9. *num.* 9. *cum seqq. in Civitatis Castellanæ legitimæ* 5. *Junii* 1744. *coram Vicecomite* §. 5., et Universa Aula suffragante *in Confirmatoria diei* 13. *Maii* 1745. *coram Molino* §. 13., et præterita mea *decis.* 21. *Januarii* 1822. §. 14.

11 Hæc omnia indubitatam rem faciunt quam absolvit demum in foro receptissima regula, quod in qualibet etiam dubietate, quæ cæteroquin nulla in re nostra esse potest, ea tunc Statutorum capienda sit interpretatio, per quam minus a jure Communi recedatur. Sed res ita est, ut ex Jure Communi dos vicem legitimæ sustineat: ita loco etiam succedere ex controverso Statuto si quid dubii etiam fuisset, vehementiori jure interpretandum, retinendumque est, ut confestim tradunt *Card. de Luc. de dot. discurs.* 13. *num.* 8. *Merlin. de Legit. lib.* 3. *tit. q.* 6. *num.* 32., *Constant. ad Stat. Urb. Annot.* 35. *num.* 79. *Sacra Rota cor. Crescent. tom.* 2. *decis.* 168. *num.* 12. *et seq.*, *et præterita Decisio*, *quæ confirmatur*, §. 14. Neque dubietatem, quæ cæteroquin procul abest, admovent, et quid in contrarium constituere valent testes *Causidici*, ac *Notarii* Montis Georgei a Tentoniis adducti *pro observantia* interpretativa illius Municipalis sanctionis adstruenda, de quibus in *ultima Decisione* 10. *Martii* 1823. §. 12. Illi enim testes præterquam *informes* omnino sunt expiscati etiam, allatique a Tentoniis ante non fuerunt, nisi in *in quarto ultimo* experimento diei 10. Martii mox dicti anni 1823. Ipsi rursus tanquam *Causidici*, ac *Notarii* deponunt de *longeva*, et *constanti observantia* interpretativa, nullam afferentes *scientiæ* causam præter cognitionem » *che abbiamo ad essa Rubrica* = Statuto; quod in Picena Provincia a Mense Majo 1808. abrogatum manet, quo scilicet tempore jurisprudentia, et fori disciplina illorum nemo imbutus erat, vel certe eorum nemo juris consultus. Ipsi denique nullum actum, nullamque rem judicatam indigitant, qua revera ita fuisse ad quando quemadmodum deponunt, servatum docent, vel cæteroquin, unde, et a quibus personis didicerint. Testes idcirco hujusmodi nullo in pretio haberi debuissent, etsi de re dubia ageretur; eoque fortius, quia hodie a longe melioribus testibus illius met Oppidi confutati plene penitusque profligati sunt.

Nec demum Tentoniorum Defenso- 12
ribus hodie tentare iterum juvit in mediam afferre obsoletam Decisionem *Rotæ Maceratensi* apud *Thomat. et in ord.* 182. *num.* 1., *et seq.* in qua constitutum fuisse blaterant ex Montis Georgei Statuto dotem non supplere legitimæ vices. In primis enim etiamsi Rota Maceratensis id definiisset, cum tamen definitio ipsa tot juris principiis, Doctorum sententiis, Sacri Tribunalis auctoritatibus adversetur nullo in calculo habenda esset. Sed, nec *in facto*, neo *in jure* consistit objectio. Non quidem *in facto*, quia in ea Decisione non agebatur quæstio, num fœminæ exclusæ a Statuto fuissent *propter masculos*, vel *propter dotem*, et *num* dos succedere *nec ne* deberet loco legitimæ, adeo ut *facerent*, aut *non facerent* numerum, et partem in successione. Quæstio unice versabatur, et erat in his præcisiis terminis » *Jus accrescendi in bonis ab intestato delatis, quomodo locum habeat inter conjunctos legali conjunctione* = ut est ipsius *Decisionis argumentum*. Si quid igitur obiter, et perfunctorie excidit in Decisione prædicta præter casum, de quo res erat, nullam habere potest auctoritatem, ut monet mea praedicta, quae confirmatur, Causae *Decis.* §. 15.

In *jure* rursus non consistit objectio. 13
Si enim ea ratione censuit Rota Maceratensis, dotem non succedere loco legitimae, quia constituit faeminam facere partem si id placeat masculis; hac ipsa ratione propterea definivit

dotem succedere loco legitimae. Effectus quippe resultans eo quod dos loco legitimae succedit, ille punctim est, quod, licet faeminae ex Statuto repellantur e successione, et participes de bonis haereditariis esse non debeant, faciunt nihilominus numerum, et partem pro masculis ad augendam scilicet eorum legitimam a triente ad semissem, si filii masculi, et faeminae insimul sint quinque, vel plures. *Constantin. ad Stat. Urb, annot.* 35. *art.* 2· *num.* 119., *et seq.* Quae sane regula adeo recepta in jure est, ut maxima quam vis inter Doctores disputetio sit in decernendis casibus, in quibus masculorum arbitrio remissum sit numerare, vel non numerare faeminas, omnis attamen disputatio cessat ex distinctione, quod scilicet; *aut* dos ex Stetuto sneccedit loco legitimae, *aut* non succedit. In primo casu unanimi consensu conveniunt Doctores, quod faeminee faciunt numerum, et partem ad arbitrium, et favorem masculorum faeminas excludentium in secundo eutem absoluto·firmant, quod faeminae tamquam a Statuto redditae prorsus extraneae, non possunt facere nec numernm, nec partem ad augendam masculorum portionem, ut lete cum pluribus *post Constant. Addit. posthuma ad ornatum Vot.* 514. *post num.* 36. *tom.* 6. *num.* 57. *ad* 60. Si ergo Decisio *Maceratensis* statuit faeminas fecere numerum, et partem ideo merito concludendum est, implicite definisse, ex Statuto Montis Georgei dotem saccedere loco legitimae. Quod quidem sat est, ut rite conventae, recteque persolutae dicendae sunt promissae dotis accessiones.

Atque ita, reletione habita ad precedentes Decisiones, in strenuo litigentium conflictu ab universe Aula, cum meo quoque suffragio, jus redditum est.

PERUSINA PECUNIARIA

Lunae 20 *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Qui in jura subingreditur dimissi creditoris, huius locum in sententia graduatoria obtinere debet.*
2. *Vectigal quod locator ex pacto subire debebat, compensari conductori debet in sui debiti diminutionem.*

DECISIO CCXXX.

Pacta, et conditiones, quibus Eques Scipio Montesperellius; jam usque a die 3 Julii 1801 bona universa conduxerat defuncti Dominici Comilloni ex Agro Perusino ad annos *octodecim*; annua promissa hæredibus locatoribus responsione scnt. 350. fusius exponit contemporanea mea Decisio *Perusina Praelationis* Memoratu hic digna conventio, potuisse locatorem ex pensionibus patrimonii debita persolvere, cum subingressu in jura dimissorum creditorum. Tempus locationi, conductioni præfinitum expiraverat de mense Julii anni 1819., quin tamen aut Montesperellius, dum in humanis erat. de tot decursis pensionibus rationem unquam exhibuisset, eut ejus hæredes; huic oneri satisfacere erga creditores, sive fundorum saltem dimittere possessionem curassent. Hæc causa fuit, cur Antistitis Perusini Vicarius, apud quem convenerant creditores, dum Sententiem graduatoriam edidit ad diem 20 Novembris 1816. in qua statutum præmisit obærati petrimonii Camilloni, hujus patrimonii jura constituit = *nelle corrisposte dei sudetti beni in ragione di scudi* 350. *l'anno decorse dal di del sudetto Affitto fino al di* 3 *Luglio del corrente anno* 1816. *ascendenti a scudi* 5960. =, sive demptis vectigalibus a conductore persolutis, et cum pensionibus compensandis in scutis 5405. Provocante ab hujusmodi Sententia Montesperellio, Patres hac da re sci-

scitari oportuit = *An et in qua summa constet de Credito Affictuum ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = cui; silentibus pariter hæredibus Montesperellii. Responsum dederunt a nonnullis ex creditoribus expetitum = *Affirmative juxta modum* = nempe = *constare de credito scut.* 8225., *et bonificatis solutionibus; in computum factis relaxandum esse Mandatum pro reliqua summa ad effectum dividendi per contributum inter concreditores.*

1 Satis validum fundamentum actionis ad pensiones condicendas constituere visæ sunt Patribus solemnes locationis conductionis tabulæ anni 1801., quæ bona omnia patrimonii Camilloni, eo nomine Montesperellio tradita fuisse evincebant, annua promissa, ac vicissim stipulata pensatione scut. 350. Jure autem meritoque illis inniti creditores vel ex eo patebat, quod per omnimodam decoctionem heredum Camillonii, et concursus super ejus bonis indictionem, quidquid in ejus patrimonio esset, sive bona, sive jura omnia indiscriminatim sub Judice posita fuerint favore creditorum, quibus idcirco jus erat ipsius communis debitoris nomine omnia vindicare quæ quomodolibet ad eum pertinere dignosceretur. Cæterum in sua integritate perpendendum esse Montesperellii conductoris pensionum debitum, vel una suadebat animadversio, eum, durante Locatione, nonnullis ex creditoribus Camillonii satisfecisse, atque, ex pacto in ipsa Locatione conductione convento in eorum jura subingressum, propriam cuique dimissis creditoribus sedem, in sententia graduatoria obtinuisse. Ne igitur duplex pro eodem titulo compensatio eidem tribueretur, integrum munere debeat pensionum debitum, post ejus graduationem in locum creditorum dimissorum;

2 Facili autem ducto calculo quantitas adamusim redibat pecuniæ pro pensionibus a creditoribus expetitæ. Nam, si locatio conductio suum habuit initium die 3 Julii 1801. jam patebat ad diem usque 3 Januarii hujus anni *vigintitres* cum dimidio inter lapsos annos fuisse, ideoque totidem vicibus sumptam annuam conventam pensionem sc. 350. summam conficere scutorum 8225. Quia vero si quid solutum a Montesperellio apparuisset, vel pro vectigalibus, quæ Locatores ex pacto subire debebant, vel etiam quomodocumque in sui debiti diminutionem, id omne eidem compensari jus esse et creditores informantes, agnoverant, hinc Patres modum responsioni adjectum voluere, quo prædictis expletis compensationibus, id quod reliquum foret, inter creditores per contributum dividi mandarunt.

Atque ita etc. Altera tantum etc.

PERUSINA PRAELATIONIS

Lunae 20 *Julii* 1825.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario

SUMMARIUM

1. In Sententia graduatoria. quisque pro crediti anterioritate, et potioritate est collocandus.

2. Creditoribus potioritatem, nedum quoad caput crediti, sed etiam quoad fructus illius, et accessiones servari oportet.

DECISIO CCXXXI.

Gravi æris alieni pondere pressus Dominicus, Camilloni ex Agro Perusino obiit de anno 1801., pluribus relictis filiis, qui nihilominus se a paterna hæreditate haud abstinuerunt: Undique cruperant creditores, cum eorum alter Eques Scipio Montesperellius ab hæredibus obtinuit universa defuncti bona sibi ad annos *decem et octo* locari annua pensione scutorum 350 deductis vectigalibus ab ipso conductore pensitandis facta ei potestate *di pagare tutti li creditori, con essi transigere, accomodare, e di ricomprare qualunque credito, ed anche subaste contro detti Camilloni con subentrare però nelle ragioni dei creditori, che si dimetteranno*

e ciò per effetto di prevalersi di dette ragioni = Addita tandem favore ipsius conductoris pactione, = *che se nel termine di anni 28 non fossero intieramente sodisfatti; i debiti risultanti, o col dimetterli esso Signor Cavaliere non si fosse reintegrato debba in tal caso venirsi dai Fratelli Camilloni alla vendita di detti beni a favore di esso Signor Cavaliere per quel prezzo, che verrà riferito dal Perito Morrovalli.*

Cum vero parum a Montesperellio caeteri creditores assequuti fuissent, et locatores jamdiu ex Rescripto Principis ad miserabile beneficium cessionis bonorum admissi, solvendo non essent judicium concursus indicendum ipsi creditores curarunt coram Vicario Generali Perusiæ, vadato cum ipsorum quolibet etiam Montesperellio, tum ut sua in sede, et ipse collocaretur, tum etiam ut afflictus bonorum omnium patrimonialium rationes exponerent. Politicis attamen superventis vicissitudinibus, intermissum judicium est, iterumque cœptum post legitimi Regiminis restitutionem. Tunc Perusini Antistitis Vicarius duplici inspectionu rem omnem absolvit. Primum nempe obærati patrimonii vires constituit, et quoad bona stabilia, ad locationis conductionis tabulas anni 1801., in quibus diligenter descripta fuerant, sese retulit; quoad mobilia, ad rite confectum inventarium: quoad jura demum, ad responsiones a Montesperellio debitas ad statutam rationem scutorum 350 in singulos annos.

Deinde longa quidem serie creditorum, quam nuncupant, graduationem profecit, in qua = *quintum locum assignavit Haereditati Remedi pro scut.* 144 97 *pro sorte census illius favore impositi per E. Camilloni die* 17 *Februarii* 1765 *rogitu Angeli Benedicti Panizza, proque illius fructibus decursis et non solutis juxta specificationem faciendam* = item sedem *decimam septimam* assignavit = *Fulvio Anzidei, et pro eo D. Leonardo Ricci fidejussori pro scutis quatuorcentum quinque, et obul. quinque, sorte Cambii per Dominicum Camilloni contracti usque et sub die* 16 *Januarii* 1796., *nec non fructibus per dictum D. Riccium solutis, ac pro expensis, et damnis passis occasione molestiarum eidem illatarum per haeredes dicti D. Fulvi Anzidei juxta liquidationem faciendam* = hinc *decimum octavum* locum dedit = *Annae Bettelli hæredi bo. me. Vincentii Cardinali pro scutis centum quinquaginta partiali sorte cambii in scutis biscentum contracti per Daminicum Camilloni die* 31 *Decembris anni* 1799 = *Vigesimo quarto* loco posuit eamdem Bettelliam = *pro scutis centum residuali sorte cambii per supradictum Camilloni contracti favore dicti Cardinali usque et sub die* 31 *Decembris* 1799 = Tandem gradum *vigesimum quintum* tribuit = *Venerabili Monasterio Sanctae Julianæ pro scutis centum septuaginta quinque sorte census per D. Dominicum Camilloni impositi usque et sub die* 15 *Februarii anno* 1800. = Hæcque omnia statuit Sententia diei 15 Novembris 1816., qua creditoribus omnibus in ea comprehensis mandata concessit = *contra bono Patrimonii Camillani.*

Placuit hæc sententia creditoribus; non attamen placuit Montesperellio, cujus idcirco provocatione factum est, ut res ad Nostrum S. Ordinem conscenderet, præcipue quoad prælationem inter creditores, et ipsum Montesperellium, ex juribus tum et propriis tum creditorum, in quorum jura subingressus fuerat. Cum vero omnium æque interesset de pensionibus locationis bonorum patrimonialium per hæredes interim defuncti Montesperelli rationes reddendis, hoc alterum erat seorsim hoc mane inquirendum. Ad prælationem quod attinet Patres rogavi = *An et cui et pro qua summa sit danda prælatio ita ut sit relaxandum mandatum contra bona patrimonii Camilloni in casu etc. et*, absentibus Montesperelli Procuratore Domino litis effecto, pluribusque creditoribus, eorum tantummodo, superius recensitorum, votis consonum Rescriptum accepi = *Affirmative in omnibus ad formam sententiæ graduatoriæ, et esse relaxandum mandatum contra bona Camilloni ad effectum subhastandi.*

1 Consultissima enim videbatur in themate graduatoria Sententia, quam præcesserat regularis indictio concursus, accuratum examen titulorum, quibus creditores convocati innitebantur, et in qua eorum quisque pro crediti anterioritate ut ajunt, et potioritate sua in sede collocatus fuerat, Reque vera, ut sermo sit tantum de paucis iis, qui coram S. N. Ordine hoc mane steterunt, cæterisque omissis, quos habet præfata Sententia, utique præponenda erat hæreditas Remedj pro scutis 144 97., utpote cujus creditum originem habere apparuerat a censu per defunctum Camilloni impositum jam usque a die 17 Februarii 1765 et pro fructibus ejusdem census. Ex iis, qui aderant, proximo sequebatur Leonardus Ricci, qui die 16 Januarii 1796. pro Dominico Camilloni fidejusserat in sorte principali cambii scutorum 405. et ob. 5., quae Fulvius quidam Anzidei eidem Camillonio subministraverat, quæquo Riccius, ut sæpissime fidejussoribus accidit, de proprio numerare coactus fuerat. Posterius erat creditum defunctæ Annæ Bettelli quoad scuta 150 partem cambialis nominis initi per sæpedictum Camilloni die 31 Decembris anni 1799 favore Vincentii Cardinali, cujus Anna fuerat Uxor, et hæres, quae scuta 150. anteriori etiam tempori referenda erat, quod – *erogata fuerant in dimissionem alterius cambii ab eodem Camilloni contracti favore Danielis Silli usque et sub die* 6. *Junii* 1797. Quoad vero reliquum sortis cambii, fructus, et impensas nonnullas judiciales inferiori etiam sede Betellia collocari meruit. Denique eorum omnium postremum ordine erat creditum Ven. Monasterii *S. Juliæ* Perusinæ pro scutis 175 capite census a Camillonio impositi die 13 Februarii anni 1800 et pro illius minime persolutis fructibus juxta liquidationem postmodum incundam.

2 Atqui eo adamussim ordine, licet pluribus interjectis in serie, seu graduatione per Vicarium efformata, collocati apparebant præsentes creditores nempe quinto loco hæredes Remedj, *decimo septimo* Leonardus Ricci, *decimo octavo*, *et vigesimo quarto* hæredes Annæ Bettelliæ, et *vigesimo quinto* Ven. Monasterium S. Julianæ Perusiæ. Non erat igitur ambigendum, quin hujusmodi graduatio omnimodam mereretur confirmationem. Et recte pariter Judex concursus in Sede cuilibet creditorum assignanda de fructibus etiam. ac accessionibus tituli principalis sollicitus fuerat, eumdemque cum sorte locum hisce constituerat. Quandoquidem creditores potioritatem suam, uti quoad caput crediti, ita etiam quoad fructus illius, et accessiones servare docet textus apertissimus in *Leg. Lucius* 19 *ff. Qui pot. in pign. hab.*, *et Rota in decis.* 502 *num.* 13 *part.* 18 *tom.* 2 *Recent.*

Et ita. nonnullis tantum ex creditoribus informantibus responsum fuit.

RAVENNATEN JURISPASCENDI

Lunae 21 *Martii* 1825.

ARGUMENTUM

Ubi servitus juris pascendi procedit ex pacto, et per pactum conventum fuerit, quod fundi ad meliorem culturam semper et quandocumque redigi possent; statim ac quis meliorationes suscipit, servitus exulare debet. Praediorum dispositio ad meliorem culturam recipiendam, ex peritorum relatione probata remanet.

SUMMARIUM

1. *Ex Instrumentis concessionis, ex testium depositionibus, ex Municipalium actorum auctoritate, evincitur servitus juris pascendi.*
2. *In dubio pro libertate bonorum, et servitutis exclusione judicium est ferendum.*
3. *De specie et parte idem constitui debet, quod de genere et toto, nisi expresse species, et pars excepta fuerit.*
4. *Tabulae emptionis et venditionis, tempore non suspecto, inter cives exaratae, valde conferunt ad interpretrandam servitutem juris pascendi.*
5. *Ubi jus pascendi oritur ex pacto, non est inquirendum, neque de veteri consuetudine, neque de principio concessione.*
6. *Servitus juris pascendi est arcenda, quoties quis fundum in meliorem culturam redigere vult.*
7. *Fundorum ad culturam recipiendam disposi-*

tio, in propatulo esse debet ad effectum removendi servitutem juris pascendi.

8. *Actus facultativi, ex non usu per qualemcumque temporis, etiam longissimi, lapsum, non inducunt servitutem.*

Servitus negativa acquiri non potest per cujusvis temporis lapsum, nisi novum opus confectum, et pacifice servatum proferatur – ibidem –.

DECISIO CCXXXII.

Agri Ravennatensis amænitatem, ærisque salubritatem tuentur nemora pinis referta, quæ ad quatuor olim Monachorum Cænobia spectabant, Abbatias scilicet, quæ nomen a *S. Vitale*, a *S. Apolinare ad Classem*, a *S. Joanne Evangelista*, denique a *S. Maria in Portu* obtinuerunt. Sylvas hasce amænissimas Summi Imperantes, quibus pro tempore Ravennæ dominium contigit, intactas ab hominum noxa pecudumque pauperie servandas semper curarunt. Qua de re extant Leges Serenissimæ prius Venetae Reipublicæ, cui Civitas Ravennæ fuit olim subjecta, Constitutiones deinde quamplurimæ Romanorum Pontificium a Julio II ad Clementem XIV, quibus, ne quid arboribus detrimenti inferretur, gravissimis indictis temporalibus, ac spiritualibus pænis, summa providentia cautum fuit. In plerisque autem ex hisce pinetis jus pascendi Ravennatensibus Civibus fuisse haud ambigi potest: constat id siquidem; tum ex Venetæ Reipublicæ concessione, quæ jus idem jam ab immemorabili eis fuisse quæsitum commemorat; tum ex Romanorum Pontificum et praesertim Xisti V Constitutionibus, quæ Sylvarum conservationi consulentes jus ipsum Civibus reservarunt, tum denique ex Actis ipsius Ravennatensis Municipii, ex quibus eruitur quotannis quosdam ex Consiliariis eligi consuevisse, qui pinctorum, ex pascuorum integritati servandae prospicerent.

At, Æmilia Provincia a Gallis occupata, Caenobitarum bona e privato in publicum dominium transierunt, ac Administrationi, quam *Nazionale* vocabant, fuerunt addicta. Cives itaque, qui ea administranda susceperant, eorumdem portionem, quae ad Abbatiam *Portuensem* pertinebat, cuidam Dominico Mariae Baronio vendidere, qui cum quibusdam aliis civibus pro hisce emptionibus perficiendis societatem inierat. Inter pacta vero, quae in venditionis Instrumento anno 1797 stipulato apposita fuere, expresse conventum fuit, quod = *sebbene i cittadini di Ravenna non godevano liberamente nelle pignete di Porto del gius pascendi, come nelle altre pignete delle Abbazie di detta Città, pure detto Cittadino Domenico Maria Baronio, a nome anche de suoi Socj, premuroso di addimostrare vero patriottico amore promette, e si obliga di far godere ai Concittadini suoi dell' enunciato dritto* = Conditio tamen seu reservatio statim hujuscemodi concessioni adjecta fuit = *colla sola riserva, e condizioni fra le Parti stipolata, che li terreni che potessero ridursi arativi, e prativi non siano ne debbano essere in qualunque tempo compresi, ma restino totalmente liberi, ed immuni a vantaggio del compratore, e Socj* = Exinde factum est, ut Ravennatenses cives armenta pastum in ea bona immitterent; cumque pro Regionis consuetudine, fortassis etiam ex necessitate, in usu esset, ut qui jure pascendi alicubi fruerentur, ibidem repagula vulgo = *Stabbiali* = fingere possent, inter quae armenta inclusa huc illuc vagare nequirent, fixerunt hacc ibi repagula Cives, ac, nemine contradicente, ipsorum boves pecudesque in Portuensi Latifundio pascero potuerunt.

Gallorum interea dominatione eversa, ac Legationibus sub Pontificis Maximi dominio restitutis, quidam ex iis, qui Portuensia bona a Baroniu acquisierant, ea excolenda susceperat. Cumque Cives adhuc jus pascendi in iis exercere vellent, Delegato Apostolico Praesuli Amplissimo Nembrinto, nunc Rmo Anconae Episcopo, controversia dirimenda data est: isque, re mature perpensa, Ravennatensi Municipio Praefecto epistolio suo significavit = *non può negarsi in genere il diritto di ridur-*

re a coltivazione tutti quelli spazj, i quali ne fossero suscettibili, poichè la Pineta di Porto non trovavasi soggetta al dritto di pascolo; = ad cujus epistolii tramites Municipii ille Magistratus = *Podestà* = omnibus interesse habentibus nunciavit = *Uniformandosi la Podestatura alle prescrizioni, che si contengono nell' acclusa copia conforme di S. E. Rma Monsig. Delegato Apostolico generale gliene da quindi lo communicazione* = Horum bonorum pars quaedam, quae dicitur = *Villa S. Rocco in Porto fuori* = in Prandium pertransierat, qui eamdem anno 1822 Paulo Beldinio, Doctori Physico, divendit = *libera da qualunque servitù, cedendo a tal effetto tutte le sue azioni attive per l'effetto di alienare ancora qualunque servitù di stabbiale ivi arbitrariamente eretto, di modo che il fondo vada al compratore senza alcun vincolo, e gravame libero da qualunque siasi peso., aggravio, servitù pregiudiziale al detto Sig. Paolo Baldini.*

Hic igitur Baldinius emptor, cum partim satis exccultos, partim facili negocio excolendos fundos illos novisset, in vim reservationis jam a Baronio appositae, actionumque sibi a Prandio cessarum, pascuorum servitutem se arcere ab illis posse cognovit, ideoque repagulum vulgo = *Stabbiale* =, quod in illis extabat amovendum curavit. Hinc caepta lis est. Pozzius, Tombius, Zattius, aliique, qui repaguli erant domini, possessorium judicium contra Saldinium coram Judice Assessore Ravenatensi instituerunt, isque manutenendos illos esse in possessione decrevit. Tunc Baldinius actorum circumscriptionem apud SupremumTribunal petivit, eodemque tempore petitorium judicium adversus prædictum Tombium, aliosque coram Tribunali primæ instantiæ Ravennæ instituit. A quo judicio refugere visi sunt Rei conventi Tombius litique Consortes, qui imo declararunt = *di esser lontani dal voler far lite contro il patto, da cui nasce il loro dritto* =, quod scilicet in superius relato Instrumento 1797 fuerat appositum. Ii vero Judices in hoc quæstionis statu interloquutorium emisere Decretum, quo Peritos, qui de fundorum statu, et qualitate referrent, eligendos esse constituerunt. Ab hac Sententia Pozzius, litisque consortes appellationem interposuere, reservato ipsis jure pro actorum omnium coram Tribunali Primæ Instantiæ gestorum circumscriptione, quam dein petierunt apud Signaturæ Tribunal. At postea huic petitioni nuncium misere, ac, appellationis tantum beneficio utentes, rem ad Sacrum hunc Ordinem cognoscendam detulere. Quapropter sub concinnata Dubii formula hodiernis in Comitiis Patres rogavi = *An, et quomodo sit locus servituti pascui, et retentioni repaguli vulgo* = *stabbiale* = *in casu etc.* =, ac Responsum accepi = *Negative in omnibus* =.

In primum siquidem inquirendum est, a quo tempore jus pascendi in Latifundio *Portuensi* Ravennatenses cives adepti sint. Quoties enim constet ab Instrumento dumtaxat anni 1797, inter Baronium, et Administratore, stipulato, jam illud oriri, ullo absque dubio statui debet reservationibus in illo appositis jus idem esse moderandum. Quod sane bene perspectum habere visi sunt Pozzius, et litis consortes, qui idem ejusdem juris, sive activæ servitutis originem ab immemorabili tempore repetendam esse contenderunt: idque, tum ex Venetæ Reipublicæ concessione, tum ex Pontificum Romanorum Constitutionibus, tum ex testium depositionibus, tum denique ex Municipalium actorum auctoritate evincere nitebantur. At argumenta ex eis documentis deducta Patribus haud arrisere, qui, dum de pascuorum servitute aperte constare in aliis pinetis cognoverunt, eamdem liberum Portuense Latifundium usque ad annum 1797 iniisse viderunt. Quod enim attinet ad Venetæ Reipublicæ concessionem, quae ad annum 1496 refertur, generalia in ea occurrunt verba de jure pascendi = *in pinetis Ravennae sicut, et quemadmodum a multo tempore citra facere poterant, et consueverant cives* =: nec ex ea cognosci 1

valet, utrum jus illud ad hæc etiam bona tunc temporis extenderetur.

2 Quæ vero Romanorum Pontificum in mædium afferuntur Constitutiones, eæ, non ad pascua, sed arborum conservationem referri cuilibet legenti patet apprime: et pascuorum mentio incidentalis tantum, ut ita dicam, reperitur in Literis, forma Brevis a Julio II et a Xisto V prolatis, quorum Uterque nil aliud voluit jussitque, quam pascua, Communitati jam addicta, eidem non auferri, dummodo tamen per armenta sylvis nullum detrimentum inferretur. Acta demum Municipalia ex publicis tabulariis excerpta ab anno 1524 ad annum usque 1779 nil aliud demonstrant, nisi in singulos annos quatuor, et quandoque etiam plures, Consiliarios eligi consuevisse, qui advigilarent = *a garantire i dritti dei cittadini Ravennati su tutti i pascoli* =, super quibus scilicet jus eis fuerat quæsitum, et pinetorum conservationi juxta legum sanctiones consulerent. Cum itaque ex his haud liqueret Portuense etiam Latifundium pascuorum servituti subjacere, cumque in dubio pro libertate bonorum, et Servitutis exclusione sit semper judicium ferendum per *Mascard de Probat. conclus.* 217 *n.* 4 *Rot. in Recent. dec.* 73 *n.* 51 *seq. p.* 5 *dec.* 310 *n.* 3 *seq. p.* 6 *et in Eugubina Æstimi* 5 *Maii* 1766 § 3 *coram Riminaldo, et in Eugubina Jurisdictionis* 17 *Junii* 1766 § 2 *coram Eodem*, frustra his Summorum Imperantium concessionibus Ravennatenses Cives inniti censuere Patres.

3 Nec rectius quidem subsumebant Pozzius, aliique quod, cum generatim prædictæ Constitutiones de pinetis loquantur, cumque species omnis in genere, et pars in toto comprehendatur, idem de Portuensi Latifundio, quod sub pinetorum generali appellatione venit, ac de aliis omnibus, dispositum fuisse existimari debeat. Verum quidem est de specie, et parte idem constitui debere, quod de genere, et de toto constitutum fuit; at id numquam procedit, cum excepta species, et pars a genere, et toto dignoscatur uti quilibet intelligit. Clariores autem, et evidentiores exceptiones in themate quoad Latifundium *di Porto fuori* haud desiderari posse manifestissimum est. Testes enim primum; qui ab ipsomet Pozzio; litisque consortibus adducuntur, quique de jure repagulorum in terrenis servitutis subjectis construendorum deponunt, taxative de Abbatis S. Vitalis, S. Apolinaris et S. Joannis Evangelistæ loquuntur, quin de Portuensi Latifundio verbum ullum proferant. In actuali igitur quæstione eorum depositiones in eo tantum sensu attendendæ essent, ut inducendum sit, ex eorum silentio negativum argumentum pro libertate hujus Latifundii scatere. Verum hujus generis debilioribus argumentis opus non erat, dum concludentissimæ extabant ad eamdem libertatem evincendam probationes.

Et sane Apostolici primum Delegati sententia eidem favebat quam maxime. Ortis enim inter nonnullos ex Baronii successoribus, et cives controversiis de jure pascendi, quod illi arcere hi tueri in Latifundii Portuensis portionibus, contendebant, animarvertit Præsul præstantissimus post sædulam factorum disquisitionem = *la pineta di Porto non trovavasi soggetta al dritto del pascolo, ed era in facoltà degl'acquirenti il sottoporla con quelle condizioni, che più fossero loro sembrate del caso* =; quod judicium omnibus interesse habentibus nunciavit illico Magistratus Ravenatensis. Nec secus statutum fuerat in solemnibus emptionis venditionis tabulis inter Administratores et Baronium anno 1797 stipulatis. Expresse enim in iis fuit declaratum = *Sebbene i cittadini di Ravenna non godevano liberamente nelle pignete di Porto il gius pascendi, come nelle altre pignete delle Abbazie di detta Città pure ec.* = En igitur luculentissimam exceptionem. Emptor et venditores, qui eo tempore hæc parvifacienda civium commoda augenda potius quam imminuenda curabant propter pseudo libertatis amorem, qui hominum mentes invaserat, et a quo se motum fuisse Baronius ipse testatus est = *premuroso di addimostrare vero pa-* 4

triottico amore =, quique, cum Cives essent, jure activo pascuorum et ipsi fruebantur, jus idem civibus in aliis Abbatiis competere haud sunt inficiati, eodem vero eos carere in Portuensi Latifundio solemniter professi sunt.

5 Verum, et alia accedunt. Non enim ipsorum civium confessio desideratur, quæ servitutem activam juris pascendi non aliunde, quam ex instrumentu anni 1797 haurire eos posse demonstrat. Postquam enim Baldinius a possessorio judiciu victus discessit, ac petitorium coram Tribunali, quod de Primis Instantiis Ravennæ cognoscebat, instituit, solemniter Pozzius, aliique litis consortes protestari non dubitarunt = *Quando l'Avversario cominciò a parlare di buonifico noi dicemmo, che qualora egli pretendesse cessata la servità per il buonifico, doveva intentare l' istanza in congruo giudizio. I Clienti del comparente sono, e furono ben lontani dal voler far lite contro il patto da cui nasce il lor dritto* = iterumque = *I Clienti le mille volte dichiararono e protestarono, che nella causa attuale non poteva aver luogo la disputa del buonifico e quindi della cessazione della servitù dello stabbiale, protestarono anzi, che allorchè si fosse trattato di questo punto avrebbero aderito a quanto fosse giusto, e furono essi quei che produssero il patto istromentale portante l' esclusione della servità su i beni buonificati* =. Si itaque ipsimet Tombius, Pozziusque, aliique omne jus suum ex pacto oriri, quod in instrumento anno 1797 appositum est quin faterentur non dubitarunt, si idem ex Præsulis Delegati judicio, quod Municipii Præfectus vulgavit, compertum est, si in instrumento ipso ad Cives in Portuensi Latifundio pascendi jus, quod in aliis pinetis eis competebat, haud spectasse firmatum est, plane consequitur de juris ipsius origine haud amplius esse dubitandum; eaque non ex veteri consuetudine, nec Principum Pontificumque Concessionibus, sed ex mera Baronii liberalitate in instrumento anni 1797 expressa est repetenda. Confessione enim propria meliorem non adesse probationem per *L. cum se cod. de trans. L. generaliter Cod. de non n. pecun. L.* 1 *et L.* 3 *ff. de Confess. Ulpianus in L.* a § 2 *et* 6 *eod. tit.* passim Sacer hic Noster Ordo definivit, ac probationes in contrarium haud admitti per d. *L. Generaliter* firmat *Rota in Romana Pecuniaria* 15 *Junii* 1752 § 8 *coram Canilliac, et* 29 *Novemb.* 1753 § 8 *cor. Borull.*

Quo cum res fuerit perducta jam 6
omnis exulat a Causa dubitatio. Cum enim fuerit demonstratum ab instrumento tautum 1797 jura sua Cives haurire, præstat, ut res definiatur, instrumenti ipsius pactum repetere. In eo igitur postquam Baronius, ut amorem in patriam civesque suos, factorum ope, ostenderet, jus pascendi, quod in aliis Abbatiis jam possidebant, etiam ad bona sibi in Portuensi Latifundio quæsita extendi voluit, statim adiecit = *colla sola riserva, e condizione fra le parti stipolata, che li terreni che potessero ridursi arativi, e prativi non siano, nè debbano essere in qualunque tempo compresi, ma restino totalmente liberi, ed immuni a vantaggio del compratore, e socj* =. Quæ quidem pactio, tam clare dilucideque exposita nullo eget commentario, ut ictu oculi quilibet intelligit et Boronio et ejus successoribus facultatem servitutis arcendæ et repagulorum amovendum jus fuisse servatum, statim ac fundus quos natura cultura aptos reddiderit, colere, et in meliorem statum redigere voluissent. Neo aliter ipsi sentierunt cives, qui nunc contra Baldinium sistunt, dum, ut supra dictum fuit, judicialiter professi sunt = *non poteva aver luogo la disputa del buonifico, e quindi delle cessazioni della servitù dello stabiale* = et rursus = *produssero il patto istromentale portante l'esclusione della servità su i beni buonificati.* =.

Tota ergo quæstio in una versabatur 7
facti cognitione, utrum scilicet possent nec ne aratro subjici fundi, a quibus repagula Baldinius amovenda curavit. Quodcumquo autem dubium Patres removeri putarunt a Peritorum virorum relationibus, tum iis, quæ apud Assessorem Ravennatensem allatæ erant,

tum aliis quas novissime exarandas Baldinius ipse curavit. Constat enim ex iis, ob artificialem aquarum turbidarum derivationem, quas propinqua ac adberentia flumina byemalibus pluviis aucta in agros diffundunt, horum agrorum superficiem ita elevatam fuisse, ut ii alluvionibus haud amplius obnoxii sint, et eorum solum optima et fertilissima terra refertum evasisse = *lo stato presente di questo appezzamento si è che già da 20 e 25 anni a questa parte le acque delle piene debordando dalle sponde de' fiumi uniti, formano uno spalto di terreno giunto in giornata ad una altezza tale, che le maggiori piene più non lo travalicano, e le torbide venute naturalmente fecero mutar faccia all' antico suolo, e la fronte in lunghezza fu coperta di buon terreno* = Hæc autem fundorum ad culturam recipiendam dispositio jam satis superquo sufficeret ad omnem servitutem ex pacto convento excludendam. Non enim ipsa actualis cultura in conditione posita est, sed possibilitas tantum = *i terreni che potessero ridursi prativi, e aratici non siano compresi* = At illud etiam accedit quod ipsa cultura, et melioratio partim locum reapse jam habuit, ex alia vero parte jam eo deducta est, ut armentorum quilibet accessus prohiberit debeat, ne detrimento illa afficiatur: Unanimiter siquidem Viri Periti deposuerunt = *che la quantità delle tornature sopra indicate, sopra cui esiste lo stabbiale, è già ormai buonificata e ridotta a buon pascolo, il residuo poi di tornature 150 è sotto buonificazione, essendo stato già compito il gran canale per portarvi le torbide de' fiumi uniti* = Cum igitur in facto constot conditionem meliorationis jam locum habuisse, cumque in jure nil certius sit quam quod conditione purificata ad tramites conventionis resolvi debeat quidquid sub conditione de futuro conventum sit, justissimo quidem consilio omnem servitutem ab iis agris remotam fuisse Patres bodie definierunt.

8 Quin Pozzinm, aliosquo juvet ad non observantiam confungere, et fundos ad culturam redigendi ideoque servitutis arcendæ facultatem Baldinio denegandam esse contendere ex eo, quod hac facultate nondum Baldinii antecessores, nec ipso umquam usi fuerint. Agitur enim de actu facultativo, ut vocant, quique a voluntate pendet agentis, et hujus exercendi potestatem ex non usu per qualemcumque temporis, etiam longissimi, lapsum non præscribi, ex quacumque causa non usus ille provenerit, firmavit semper Sac. Nostrum Tribunal, et præsertim in *Forolivien. Molendini* 5 *Maii* 1820 §. 7. *coram R. P. D. Meo Spada*. Exploratissimum enim in jure est, atque in Foro receptissimum negativam servitutem acquirere posse neminem per cujusvis temporis lapsum, nisi novum opus confectum, et pacifice servatum proferatur. Redeunt hic verum quæ supra dicta fuere de confessione civium ipsorum, qui se instrumentarii pacti anni 1797 exequtioni non adversari, illudquo validum, et efficax adhuc reputare professi sunt: incivile enim esset, post has luculentissimas declarationes, eos adhuc audire, dum ob non usus exceptionem, pactum ipsum suam amisisse contendunt. Quæ demum de pinis, aliisque arboribus cæsis, de damno sylvis illato, de Pontificiis Constitutionibus spretis, de anthæmatis pœna contra Baldinium proferebantur, ea nihil commune cum hujusce controversiæ specie habere Patres putarunt. Non enim de pinetorum conservatione erat in præsens agendum, sed de servitute dumtaxat pascuorum quam unam respicit propositi Dubii formulam, quamqueCivibus denegandam omnino esse ex hucusque deductis evidentissime patet.

Et ita etc. Utraque etc.

RAVENNATEN JURISPASCENDI

Lunae 13 *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCXXXII. -

SUMMARIUM

1. *In definiendis juris pascendi quaestionibus, tria praecipue inspici debent, tempus, instrumenta, et soli natura.*
2. *Lex quae de arborum conservatione loquitur dumtaxat, referri non potest ad pascua.*
3. *Servitus cohibita ad unam bonorum speciem, trahi non potest ad altera bona.*
4. *Nulla major probatio datur, quam quae ex proprii oris confessione oritur.*
5. *Testes ac periti, valde conferunt ad probandum super quibus bonis servitus fuerit inducta, nec ne.*
6. *Armenta non sunt immittenda in praedia, quae meliorationi sunt destinata.*
7. *Conditione purificata ad tramites conditionis resolvi debet quidquid sub conditione conventum fuit.*
8. *Quaestio de damnis nunquam est commiscenda cum quaestione de jure pascendi.*
9. *Quae a nostra libera voluntate pendent, nulli obnoxia esse potest praescriptioni.*

DECISIO CCXXXIII.

Pinorum Sylvæ in agro Ravennatensi amænissimæ, quas olim Cænobia possidebant, inibi nuncupata a *S. Vitali*, a S. Apollinari ad *Classem*, a *S. Joanne Evangelista*, *et* a *S. Maria in Portu*, et in quarum plerisque pascendi jure ab ævo immemorabili Ravennæ Cives fruebantur, ut primum Gallus Emiliam occupavit, in illius dominatum transierunt, ideoque Administrationi, quam tunc vocabant = *Nazionale* = eorum regimen concreditum fuit. Vendidit Administratio illa earumdem portionem, quæ ad Abbatiam Portuensem pertinuerat, cuidam Dominico Mariæ Baronio, qui cum nonnullis aliis pro ejusmodi perficiendis emptionibus societatem iniverat, atque in publicis emptionis tabulis, de anno 1797 exaratis, cautum præcipue fuit = *sebbene i Cittadini di Ravenna non godevano liberamente nelle Pignete di Porto del gius pascendi, come nelle altre Pignete dell' Abbazie di detta Città, pure detto Cittadino Domenico Maria Baronio, a nome anche de'suoi Socj, premuroso di addimostrare vero patriottico amore promette, e si obbliga far godere ai Cittadini suoi dell'enunciato diritto* = conditionali tamen illico adjecta reservatione = *colla sola riserva, e condizione tra le parti stipolata, che li terreni, che potessero ridursi arativi, e prativi non siano, ne debbano essere in qualunque tempo compresi, ma restino totalmente liberi, ed immuni a vantaggio del Compratore, e Socj* =.

Tunc primum cæperunt Ravennatenses Cives animalia in ea nemora pastum inducere, ac de more Territorii repagula quædam figere inibi nuncupata = *Stabiali* =, quibus Armenta inclusa huc illuc vagare impedirentur; iisquo pascuis, nemine deturbante, uti perrexerunt usque ad eversionem Gallicæ Occupationis, et restitutionem Legationum Pontifici Maximo. Cum enim subinde nonnulli, qui Portuensia bona a Baronio coemerant ea excolere cæpissent, ac Cives nihilominus armenta immittere tentassent, Apostolicus Delegatus immisso ad Ravennatense Municipium epistolio quæstionem ita diremit = *non può negarsi in genere il diritto di ridurre a coltivazione tutti quelli spazj, i quali ne fossero suscettibili, poichè la Pineta di Porto non trovavasi soggetta al dritto di pascolo* = et judicium Magistratus laudavit, nunciavitque interesse habentibus = *Uniformandosi la Podestatura alle prescrizioni, che si contengono nell'acclusa copia conforme di S. E. Rma Monsignor Delegato Apostolico Generale, glie ne da quindi la comunicazione.*

Hæc inter, bonorum partem, quæ dicitur = *Villa S. Rocco in Porto fuori* =, adeptus fuerat Prandius quidam, qui de anno 1822 eamdem vendidit Doctori Phisico Paulo Baldinio = *libera da qualunque servitù, cedendo a tal effetto tutte le sue azioni attive per l'effetto di allontanare ancora qualunque servitù di stabiale ivi arbitrariamente eretto, di modo che il fondo vada al Compratore senza alcun vincolo, o gravame libero da qualunque siasi peso, aggravio, o servitù pregiudiziale al d. Dottor Paolo Baldini* = Hic igitur Baldinius postremus emptor, cum partim facili negotio excolendos fundos illos novisset, in vim reservationis jam a Baronio appositæ, actionumque sibi a Prandio cessarum repagula vul-

go = *Stabiali* =, quæ in iis posuerunt Pozzins, Tombius, Zattius aliique Ravennatenses amovit, ut eos fundos a pascui servitute redimeret. Actum itaque fuit coram Assessore Ravennatensi de manutentione, quam Cives obtinuere Sententiam, cujus circumductionem dein a Signatura Justitiæ Baldinins petiit. At contextim apud Tribunal Primæ Actionis ejusdem Civitatis Ravennæ petitorium judicium contra eosdem Tombium, aliosque instituerat, qui, licet obtestati fuisset = *di esser lontani da voler far lite contro il patto, da cui nasce il lor dritto* =, nibilominus illud prosequebantur, et Sententia binc prodiit interloquutoria pro deputatione peritorum, qui de fundorum qualitate, et statu referrent. Provocante Pozzio, cæterisque litis consortibus res Sacro Nostro Ordini commissa fuit definienda, ac super ea Patres a me interrogati fuere per formulam = *An, et quomodo sit locus servituti pascui, et retentioni repaguli vulgo* = Stabbiale = *in casu etc.* =, cui Ipsi in Comitiis diei 21 elapsi mensis Martii responderunt = *Negative in omnibus* = Haud abnuente Baldinio, novi periculi facultas ineundi data Pozzio: cæterisque fuit, quibus tamen hoc mane silentibus, Patres assuetam formulam = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = absolverunt Responso = *in decisis* =.

1 Tria siquidem in facto potissimum inquirenda videbantur. *Primum* nempe, a quo tempore jus pascendi in Latifundio Portuensi Ravennates Cives adepti fuissent; ubi enim perspectum esset ab Instrumento dumtaxat anni 1797 inter Baronium, et Administratores stipulato jus illud Ortum habuisse, statuendum procul dubio erat conditionibus, ac reservationibus in illo appositis jus ipsum subjacere. *Alterum* utrum bona, de quibus quæstio erat. Latifundii Portuensis partem reapse constituerent. *Tertium* denique utrum ea facta fuisset, aut proxima esset superficialis illorum immutatio, quæ pascui servitutem, et repagulorum = *Stabiali* = retentionem ex stipulatu respueret. Nonnisi a præfato Instrumento anni 1797 jus pascendi quoad Portuensia bona repeti posse ipsi ostenderant Pozzius, litisque Consortes, dum in antehabita causæ discussione, licet ab iisdem remotioribus sane principiis, a quibus manat, quoad cætera Cænobiorum olim pincta, illud derivare conati essent, in probationibus tamen ejus thesis afferendis penitus defecerant.

2 Frustra enim objecerant concessionem Venetæ Reipublicæ, quæ ad annum 1496 referebatur, utpote quæ cum generalia tantum verba de jure pascendi haberet = *in Pinetis Ravennæ sicut, et quemadmodum a multo tempore citra facere poterant, et consueverant Cives* = integrum reliquerat dubium utrum jus illud ad hæc etiam Portuensia bona tunc temporis extenderetur, ut advertit mea prima Decisio § 5 *in fine*. Incassum pariter Romanorum Pontificum Constitutiones invocaverant; illico siquidem innotuerat eas, non ad pascua, sed ad arborum conservationem referri, et nonnisi per accidens pascuorum mentionem reperiri in Literis in forma Brevis a Julio II, et a Xisto V prolatis, quorum uterque nil aliud voluerat, jusseratque, quam pascua Communitati jam addicta eidem non auferri, dummodo tamen per armenta Sylvis nullum detrimentum inferretur. Nil tandem profecerant actis Municipalibus, ex publicis Tabulariis excerptis, ab anno 1524 ad annum 1779: ea quippe nil aliud testabantur, nisi singulis annis quatuor, et quandoque etiam plures Magistratus eligi consuevisse; qui operam darent = *a garantire i dritti dei Cittadini Ravennati su tutti i Pascoli* = super quibus nempe jus eis fuerat quæsitum, et Pinetorum conservationi consulerent.

3 Reliquum erat igitur, ut ex emptionis venditionis contractu inter Baronium, et Administratores inito de anno 1797 controversum jus suam agnosceret originem. Et sane Pozzius ipse, litisque Consortes testes induxerant de pascui servitute deponentes taxative in bonis Abbatiarum *S. Vitalis, S. Apollinaris, S. Joannis Evangelistæ*, et quoad

Abbatiam Portuensem altum silentes: quod quidem silentium pro Latifundii libertate validum præbere argumentum visum fuerat. Huic accesserat etiam Apostolici Delegati sententia ortis inter quosdam Baronii successores, et Cives dissidiis prolata, ac post sedulam factorum disquisitionem definiens = *la Pineta di Porto non trovavasi soggetta al dritto del pascolo, ed era in facoltà degl'Acquirenti il sottoporla con quelle condizioni, che più fossero loro sembrate, del caso* = Nec secus expositum, ultroque a Partibus obfirmatum fuerat in supradictis emptionis venditionis tabulis anni 1797 = *sebbene i Cittadini di Ravenna non godevano liberamente nelle altre Pignete di Porro il gius pascendi come nelle Pignete dell'Abbazie di detta Città* = Luculentissima hæc distinctio plurimi erat facienda, ut pote eo de tempore prodiens ab homine = *premuroso di addimostrare vero patriottico amore* =, præsentibus, ac probantibus iis, qui, eum Cives essent, jure activo pascuorum et ipsi fruebantur in cæteris Abbatiis, quique idcirco quoad Latifundium Portuense seso nullo jure pollere palam professi fuerant.

4 Id ipsum tandem indubia confessione obfirmaverant ipsi Pozzius cæterisque, dum in litis hujus exordio, et coram Tribunali Primæ Actionis Ravennæ solemniter protestati fuerant = *Quando l'Avversario cominciò a parlare di buonifico noi dicemmo, che qualora egli pretendesse cessata la servitù per il buonifico, dovea intentare l'istanza in congruo giudizio. I Clienti del Comparente sono, e furono ben lontani dal voler far lite contro il patto, da cui nasce il lor dritto* =; iterumque = *I Clienti le mille volte d.chiararono, e protestarno, che nella causa attuale non poteva aver luogo la disputa del buonifico, e quindi della cessazione della servitù dello stabbiale, protestarono anzi, che allorchè si fosse trattato di questo punto avrebbero aderito a quanto fosse giusto, e furono essi quei, che produssero il patto istromentale portante l'esclusione della servitù su i beni buonificati* =; nullamque majorem expectandam probationem illa, que ex proprii oris confessione oriatur, docuerat *Text. in Leg. cum se Cod. de transact. in Leg. generaliter Cod. de non numerata pecunia*, aliisque in locis, quod indicat præfata meà Decisio § 11 *in fine*.

Inspiciendum *secundo* erat, utrum bona, de quibus res est Latifundii = *di Porto fuori* = partem reapse constituerent, quod pariter sat, superque exploratum Patribus videbatur. Nam emptionis venditionis tabulæ, quarum ope Doctor Baldinius bona hæc comparaverat, indubium de eorum qualitate, et positione testimonium dicebant = da, *vende, ed in perpetuo aliena al Signor Dottor Paolo Baldini, il quale compra un corpo di terreno situato in Villa di S. Rocco in luogo detto Porto fuori del Territorio Ravennate* = hanc ipsam indicationem dabant Censuales Codices = *Il Cancelliere del Censo di Ravenna certifica, che il Signor Paolo Baldini possiede in Villa di San Rocco in luogo Porto fuori* = Nec diversa fuerat Peritorum relatio postquam ad locum ipsum accesserant = *Possiede il Signor Dottor Paolo Baldini in questo territorio nel tenimento di Porto fuori* =: quibus tamen et testium responsa a Civibus ipsis provocata consona fuerant. 5

Mutatam postremo in melius eorum fundorum superficiem, ita ut utilioris culturæ compotes effecti, pascuis ulterius subjci ex pacto haud possent, quod erat *tertium* in facto inquirendum satis evincebant Peritorum hominum relationes, tum apud Assessorem Ravennatensem allatæ, tum novissime ab ipso Baldinio exhibitæ. Ex iis enim innotuerat = *lo stato presente di questo appezzamento si è, che già da* 20, *e* 25 *anni a questa parte le acque delle piene debordando da fiumi uniti formano uno spalto di terreno giunto in giornata ad un altezza tale, che le maggiori piene più non lo travalicavano, e le torbide venute naturalmente fecero mutar faccia all'antico suolo, e la fronte in lunghezza fu coperta di buon terreno* = Neque de hac tantum ad meliorationes recipiendas dispositione Periti homines deposuerant, sed de iis jam in parte perfectis, ita ut armentorum in eos fundos inductio sine maximo detrimento esse non posset = *la* 6

quantità delle tornature sopra cui esiste lo Stabbiale è già ormai buonificata, e ridotta a buon pascolo, il residuo poi di tornature 150 *è sotto buonificazione, essendo stato già compito il gran canale per portarvi le torbide dei fiumi uniti* =.

7 Itaquo, si jus pascendi in Pinetis Latifundii = *di Porto* = non ab immemorabili uti in cæteris Abbatiarum Ravennatensium Pinetis repetendum erat, sed tantum a præfato emptionis venditionis contractu de anno 1797 inter ejus regiminis Administros et Baronium inito; Si æque indubium erat fundos a Doctore Baldinio possessos, et super quibus de jure pascendi hæc incidit quæstio, illius adamussim Portuensis Latifundii partem constituere, si demum satis erat explorata fundorum eorumdem partim bene disposita, partim exequuta melioratio, jam sponte sua sequebatur, Pozzium cæterosque Cives nullo amplius pollere animalibus suis herbas inibi depascendi. Quando quidem perspicua erant, tum verba, tum sensus conventionis anni 1797, qua = *sebbene i Cittadini di Ravenna non godevano liberamente nelle Pignete di Porto del gius pascendi come nelle altre Pignete* =, nihilomus = *Domenico Maria Baronio, a nome ancora de'suoi Socj promette, e si obbliga far godere ai Concittadini suoi dell'enunciato dritto* =; sub ea attamen = *Condizione tra le Parti stipolata, che li terreni che potessero ridursi arativi, e prativi non siano ne debbano essere in qualunque tempo compresi ma restino totalmente liberi, ed immuni a vantaggio del Compratore, e Socj* =: nilque in jure certius quam quod, conditione purificata, ad tramites conditionis resolvi debeat quidquid sub conditione de futuro conventum sit, nt apte dicta mea Decisio § 11 *circa fin.*

8 Post hæc nil prorsus ad rem conferre Patribus videbatur verba instrumenti emptionis, qua Societas seu Baronius sese devinxerat = *alle stesse leggi, e regolamenti veglianti, e pattuiti per la conservazione delle altre Pinete* = nulla enim in præsenti saltem agebatur quæstio aut de Pinetis aliquo damno per Baldinium affectis, aut etiam de arboribus forte eversis, aut abscissis, sed tantummodo de jure pascendi res erat in ea Pinetorum parte excludendo quæ ad Abbatiam olim Portuensem pertinebat, quamqne ad utiliorem culturam novissimus Emptor Baldinius redegerat. Quamquam, et quoad ipsam Pinetorum conservationem in Portuensi Latifundio immutatom hodie rei statum testabatur Cætus, cui eorum administratio credita reperitur, inquiens = *il fondo denominato Pineta di Porto situato nel Territorio di Ravenna non è in oggi soggetto a questa Camerale Amministrazione Boschiva nè rimane sottoposto alle prescrizioni volute dalle Leggi, e regolamenti su i Boschi Camerali* =.

Inutili tandem conatu *in* anteactis 9.
disceptationibus Pozzius litisque Consortes libertatem fundorum, quos Blandinius possidet per non usum amissam contendebant, quod numquam ante hujus litis initium eorum cultura variata dignosceretur. Etenim licere Domino nti, vel non uti re sua, *et* pro suo lubitu, nemo est, qui ignoret. Porro cum jure Dominii Baldinio liberum esset fundorum, quos emerat culturam, prout voluisset, moderari, liberum quoque eidem esse debebat, tamdiu a fundis diligentius excolendis abstinere quandiu eidem placuisset, incolumni tamen eorum libertate. Quæ enim a nostra libera voluntate pendent, quæque Jure nostro acta facultativa dicimus, nulli oboxia esse præscriptioni tralatitium est, ut sæpe memoravit noster Sac. Ordo in Forolivien. Molendini 6 Maji 1820 § 7 coram R. P. D. Meo Spada, ct in antecedenti Decisione § final.

Et ita etc. Altera tantum ecc.

RECINETEN LÆSIONIS

Lunae 7 Martii 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur « DECISIO CLXXV. »

SUMMARIUM

1. *Juxta gallicas leges, post biennium a celebrata contractu, actia laesionis proponi non poterat amplius.*
2. *Laesio enormissima, nullo temporis intervallo sanari valet.*

   Interlocutorii decreti ea vis non est, et jura litigantium praeservata non maneant - ibid.-
3. *Libelli, non a die expeditionis, sed a die, quo parti indicuntur, efficaciam acquirunt.*

   Laesia, ex praescripta codicis gallici, non aliter inficit contractum, quam si emptor ne quinque quidem justi pretii duodecimas partes venditori persolverit - ibidem. -
4. *Haud amplius licet periti electionem in discrimen adducere, postquam in eum quis consensit.*
5. *Perito vetitum est aliquod addere, vel detrahere exhibitae relationi, nisi novas habuerit a Judice facultates.*

   Pactum redimendi, modo tertiam, modo sextam rei venditae praetii partem minuit - ibidem. -
6. *Actori non est permissum a forma judicii jam electa, et adversus reum conventum instituta, recedere.*
7. *Leges gallicae, tam in masculis, quam in faeminis, minorem aetatem praefinierant ad annum vigesimum primum.*

   Sub nomine lineae masculinae soli veniunt masculi ex masculis - ibidem. -
8. *Donec suppetunt haereditariae vires, haeredes beneficiati, habentur uti haeredes simplices.*
9. *Non est debitori prohibitum, antequam dies veniat aeris alieni luendi, novare debendi titulum.*
10. *Ex eo quod occultatum fuit nomen emptoris, non ab id doli, aut fraudis suspicio eruitur.*
11. *Vis et metus nunquam praesumuntur.*
12. *Redimendi pactum, nisi sit coactivum, et cum modicitate praetii conjunctum, nunquam praesumitur.*

DECISIO CCXXXIV.

Domesticis necessitatibus cupiens occorrere Marchio Flavianus Constantini Recinetensis, Latifundium in Agro Recineti situm, ac vulgo dictum = *il Bagnolo* = sub redimendi pacto intra sesquiannum exercendo, divendidit notissimo Anconae negociatori Jacobo Casaretto, et Advocato Aloysio Sertori, publicis in id stipulatis tabulis, in quibus pretii nomine nummos argenteos *termille triginta octo* ab emptoribus persolvendos esse cautum fuit. Ratus attamen deinceps Constantinius enormis, et enormissimae laesionis vitio infici contractum, querelam de ea detulit ad abrogatos A. C. Triumviros. Favit coram illis Judicibus Actori fortuna: Sed conversa statim est judicii alea, ut primum quaestio conscendit ad Sacrum Nostrum Auditorium. Duplici enim Sententia, quarum primam evulgavit, geminis praeeuntibus Decisionibus dierum 5. Julii, et 17. Februarii Anni 1823 R. P. D. meus Marco, alteram vero, post unicam Decisionem diei 12 Januarii superieris Anni in lucem edidit R. P. D. meus Pianetti, rejecta fuit instituta quaestio laesionis. Appellatione deinde a Constantinio obtenta, accessit his Rotalibus Sententiis nuperrima mea Decisio diei 22 Novembris praedicti Anni, cui hodie, obloquendi adverus eam potestate ipsi facta, album calculum Patres adjecerunt, qui a me assueta Dubii formula rogati = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* incunctanter responderunt = *in Decisis* =.

Ut punctum in hodierno jurium ex- 1
perimento ferrent, qui Constantinio patrocinabantur, ex duplici causa dicebant rescindendum esse contractum cum Aloysio Sertori, ac Jacobo Casaretto initum: ex capite *primum* enormissimae laesionis: *deinde* ex nullitatis capite, ex defectu nimirum justae ad contrahendum causae, ac ex defectu solemnium, quae servatae minime fuerunt, quamvis una cum Flaviano Constantini obligationem quoque contraxissent ejus mater Francisca Pascucci, ac germana soror Felix. Neutrum tamen opitulari Constantinio posse denuo visum est. Atque, ut prius de laesione, quam praecipue profligarunt praeteritae omnes hujus Causae Decisiones, sermo habeatur, illud semper redibat, contractus tabulas anno 1814 die 2. Aprilis stipulatas fuisse, et e converso laesionis actionem post biennium a die initi contractus institutam fuisse, anno nimirum 1816 *die vigesima octava Maii*. Ne itaque amplius haberi de laesione ratio valeat impedimento est

Gallica Lex, quæ tempore stipulati contractus vigebat, quæque normam præbere debet huic dirimendæ controversiæ. Ex aa siquidem Lege non licebat amplius læsionis actionem proponore, postquam præterlapsum fuisset biennium a die celebrati contractus enumerandum, veluti optime advertit superior mea *Decis.* § 2. Revera ipsi Constantinii defensores plane noscebant sibi maxime nocere biennalem præscriptionem a Gallicana Lege inductam, atque ideo, ut illius scopulum vitarent, huic præscriptionis exceptioni valedixissa Caaarettum; et Sertorium inquiebant, ex quo passi fuere a Triumviris A. C. deputari agrarios peritos, nec provocationem ab hoc interlocutorio Decreto interposuerunt.

2 Quoniam tamen ab initio Constantinius de enormissima læsione conquestus fuit, abnuere non poterant emptores, quominus agrarii periti deputarentur. Quantum enim præscriptionis exceptio prodest adversus simplicem, ac enormem tantum læsionem, tantum inefficax est adversus enormissimam, quæ, cum dolum, ct fraudem secumferat, nullo temporis intervallo sanari valet. *Rota in Senogallien. Reintegrationis, et Emendationis damnorum* 13. *Decembris* 1816 § 15 *coram Eminentissimo Odescalchi.* Præscriptioni proinde renunciatum ab emptoribus fuisse dici nequit, tum quia interlocutorii Decreti ea vis non est, ut jura litigantium præservata non mancant; tnm etiam quia, si præscriptionem in prima actione non objectam, in secnnda licet obiicere, multo magis licebit eadem præscriptionis exceptione, quæ jam in prima actione proposita fuit, in gradu appellationis uti, post interlocutorium Decretum, et postquam constitit, non modo enormissimam, sed na enormem quidem læsionem contractum, de quo agitur haud inquinare. Quidquid vero ad abrumpendum inchoatæ præscriptionis cursnm oggerebatur ex duobus Monitoriis, quæ ad emptores transmisit Constantinius, nullins momenti prorsus erat. Quamqnam enim in primo Monitorio protestatus fuisset Constantinius de hac enormissima læsione, non alia tamen de causa opus eo fuit, nisi ut voluntatem suam explicaret redimondi latifundium, quod nunquam postea redemit. Nemini autem non notum est protestationem facto contrariam, ut contraria, et penitus absurda inter se sunt, voluntas redimendi prædia, at læsionis actio dein exercenda, nullum afferre protestanti præsidium, qui eo ipso quod redimi prædia postulat, nuncium læsioni misisse censetur.

Ad secundum deinde Monitorium 3 quod spectat, ambigi quidem non poterat, quin ante biennii lapsum, dia nempe *vigesima quinta* Octobris anni 1815, expeditum fuerit. Æque tamen certum erat, non antea denunciatum emptoribus Monitorium illud fuisse, quam die *vigesima octava* Maii insequentis anni, quo tempore jam præterierat biennii terminus inducendæ præscriptioni præstitutus. Atqui merito in jure cavetur vadimonia, et libellos, non a dia expeditionis, sed a die, quo adversæ parti innotescunt, vim, et efficaciam acqnirere, veluti fusius probat praeterita Decis. a § 2 ad 5. Neque primum ergo, neque secundum Monitorium praescriptionis cursum praepedire potuit. Nihilominus non melior Constantinii conditio foret, etiamsi praescriptionis exceptio nullius esset impedimenti, quominus laesio proponatur. Laesio enim, quae caeteroquin vehementes exigit probationes, juxta Gallicas leges, unice ex demonstratis attendendas in hujus controversiae definitione, non aliter contractum inficit, quam si emptor ne *quinque* quidem justi pretii *duodecimas* partes venditori persolverit = *Se il venditore è stato leso oltre i sette dodicesimi nel prezzo di un immobile, ha il diritto di chiedere la rescissione della vendita, quando anche nel contratto avesse rinunciato espressamente alla facoltà di domandare una tale rescissione, ed avesse dichiarato di donare il di più del valore* = Ita praefata Gallurum Lex *in Cod. Civ. art.* 1674. Jam vero ex judiciali peritorum hominum relatione

constat praediorum valorem in scutis constitui *quinque millibus centum, et decem septem*, obolisque *triginta sex cum dimidio*. Non aliter ergo laesionis labe inquinatus renunciandus esset contractus, quam si emptores solvissent solum scuta *bismillia centum triginta*, quot quinque ex duodecim partibus justi pretii a peritis viris praefiniti efficiunt.

4 Contra vero, ut fidem perhibent publicae stipulationis tabulae, non minimum illud pretium, sed longe majus ab emptoribus persolutum fuit, scutorum scilicet *termillium triginta octo*, quibus addenda sunt alia scuta *biscentum* in emptionis venditionis causam erogata. Nullam ergo laesionem contractum inficere evidens est. Obiiciebat porro Constantinius, a pretii quantitate vere soluta expungenda omnino esse ea scuta *biscentum*, quae erogari in stipulationis sumptus debuerunt, cum in metienda laesione ratio tantum habenda sit de pretio vero venditori soluto, quin in calculo ponatur, quidquid aliud in venditoris utilitatem conversum non fuerit. *Zanch. de læsione part.* 3 *cap.* 2 *num.* 211. *Rot. in Romana Læsionis* 1. *Martii* 1751 § 5 *coram Migazzi*. Quoniam vero ad exitum perduci non poterat contractus a Constantinio propositus, nisi necessariae fierent impensae; hinc recte consequitur eam summam in utilitatem venditoris conversam fuisse, qui secus tenebatur medietatem saltem bonorum sumptuum ferre, ut moris est in stipulationibus, in quibus expensae omnes inter stipulantes ex aequo dividi solent. Quod si etiam demas hanc summam, adhuc tamen nulla adest in contractu laesio, ut calculanti patet. Ut autem peritorum hominum relationi fidem detraheret Constantinius adversus formam a lege praescriptam eos electos fuisse querebatur, atque illorum alterum, post emissam in actis relationem, denuo aestimasse latifundium *scutis septemmillibus quatuorcentum quadraginta novem* maxime contendedat. Sed placuit responsio haud licitum amplius Constantinio fuisse in discrimen adducere peritorum hominum electionem, postquam in eos libentissime consensit.

Si quid vero, post emissam in actis relationem, cui et ipse subscripsit, effutivit alter e peritis Viris, Benedictus nempe Fucili, id neque in pretio habendum erat, neque laesionem in contractu adfuisse probabat. Nam peritis viris, postquam suum super re controversa judicium edidere, vetitum omnino est, aliquod addere, vel detrahere exhibitae relationi, nisi novam habuerint a Judice iterum referendi facultatem. Caeterum nullam adstruit laesionem Fucilius, dum praediis valorem attribuit scutorum *septem millium quatuorcentum quadraginta novem*. Hujusce enim summae quincux, seu = *li cinque dodicesimi* = ad tramites Gallicae Legis, quantitatem praebet scutorum *termillium tercentum*. At vero pretium ab emptoribus solutum ad nummos argenteos *termille biscentum triginta octo* pervenit. Vix ergo supersunt scuta *septuaginta duo*, quae compensari commode possunt cum aestimatione pacti redimendi, quod in contractu reservatum fuit venditori, quodque juxta minorem, vel majorem temporis intercapedinem redemptioni praefinitam, modo *tertiam*, modo *sextam* rei venditae praetii partem minuit. Recolantur hic, quae late dicta sunt in superiori mea Decis. *a* § 5 *ad* 11. His positis nemo non videt, incivilem esse laesionis notam, quam justo, legitimoque contractui Constantinius inurit. Sed deterior etiam visa est exceptio nullitatis, qua non minus ex defectu solemnium, quam ex defectu causae, et ob incussum ad contrahendum timorem, in hodierno jurium experimento idem Constantinius utebatur. In primis recte animadversum est, quominus haec in praesenti judicio proponantur actori nocere, tum Monitorium anno 1816 coram defuncto Praesule A. C. Mastai expeditum, tum subsequens libellus ad emptores biennio postea transmissus coram abrogato Triumvirali A. C. Collegio.

6 Quamvis enim in utroque postulaverit Constantinius, irritum declarari con-

tractum emptionis venditionis, de quo agitur, nullitatem tamen ipsam deducebat ex uno, atque unico enormissimae laesionis vitio, quod irritum, nullumque reddit, si revera adsit, quemcumque contractum, nihilque prorsus dixit de aliis hisce omnibus nullitatum capitibus, quae modo in medium afferuntur. In judiciis autem quasi contrahitur, neque est Actori permissum recedere a forma judicii jam electa, et adversus reum conventum instituta, qui, non solum ex proprio jure per propositas exceptiones, sed ex non jure etiam agentis quandoque absolvitur. *Leg. Quod* 9 §. *Eligere ff de tribut. act. Polit. de renunciat. tom.* 3 *disert.* 4 *num.* 8. *Rot. coram Ansaldo decis.* 79 *numer.* 12., *coram Riminaldo decis.* 416 *num.* 3., *in Tyburtina Locationis* 17. *Junii* 1757 § 5 *coram Stadion., et in Firmana Apocæ* 4. *Februarii* 1795 § 6 *coram Priolo.* Ad diversum itaque, separatumque judicium amandanda esset actio nullitatis ab alia quacumque causa, quam ab aenormissima laesione, deducta. At, si etiam disputari de ea posset in praesenti judicio nihil proficeret Constantinius. Nemo namque ex contrahentibus Familiae Constantiniae in minori aetate versabatur, dum Recinetense Latifundium distractum fuit. Non quidem Francisca Pascucci, defuncti Alexandri Constantinii vidua, quae certe, uti eorum mater, qui in majori aetate erant, minor esse non poterat. Non pariter Felix exeisdem Pascucciae filiæ, quam, non solum ipsæ stipulationis tabulæ conceptis verbis ostenderunt = *maggiore di età* =, verum etiam fides Baptismatis probat annos natam *duos* supra *viginti*, dum anno 1814 inita fuit Instrumenti stipulatio. Non denique Flavianus, cujus natale testimonium perbibet annum *vigesimum sextum* eum tunc temporis egisse.

7 Tum ergo Felix, tum ejus germanus frater Flavianus in majori ætate constituti reperiebantur, Gallicæ siquidem Leges, tam in masculis, quam in fœminis minorem ætatem præfinierant usque ad annum *vigesimum primum.* Id vero multo magis quoad Flavianum retinendum est, qui propriam personam, prout patet ex Instrumenti tabulis, creditoribus suis mancipaverat, si in solutione collybisticarum literarum defecisset, dum constat quod ex sæpius citatis Gallorum Legibus, et juxta præcipue *art.* 2064. *Cod. Civ*, non poterat = *ordinarsi l'arresto personale contro i minori* = Cæterum, non modo ex emptionis venditionis, sed etiam ex censualibus tabulis patebat latifundium controversum e fideicommisso descendere, quod primum erga filios masculos Viti senioris Constantini, ac deinde, deficientibus filiis masculis erga fœminas ejusdem Familiæ scripsit quædam mulier Catharina Meoli Recinetensis. Nullum ergo jus super eo latifundio sibi addicere possunt fœminæ, donec aliquis extet ex masculis, tum quia sub nomine lineæ masculinæ soli veniunt masculi ex masculis, ut docent *Card. de Luc. de fideicom. disc.* 28 *num.* 10 *de feud. disc.* 45 *num.* 7. *Rot. decis.* 333 *num.* 7 *cor. Riminaldo*; tum multo magis quia nulla ratio concipi valet, cur ita distinxerit utramque lineam testatrix, et primo loco masculinam nuncupaverit, ni si prælationem masculis agnatis, subsidiariam vero vocationem fœminis, earumque lineæ tribuere in animo habuisset *leg. Hæredes mei §. Peto ff ad S. C. Trebell.*, *Card. de Luc. de Fideicom. disc.* 36 *num.* 4., *Rot. cor. Riminaldo, et dec.* 97 *num.* 13 *dec.* 333 *num.* 7 *cor. De Veri.*

Si ergo contrahentes omnes in majori versabantur ætate, nulla opus erat Judicis auctoritate ad confirmandum contractum, corruitque per consequens primum nullitatis caput ex solemnium defectu deductum. Nec secus censendum de altero capite nullitatis, ex quo dicebant Constantinii defensores nullam adfuisse causam ad contrahendum, semelac = *il Cambio Morosi* = haereditatem prægravabat unius prædefuncti fratris Viti Junioris. At præter hoc collybi nomen, alia etiam extitisse in Patrimonio Familiæ Constantiniæ debita, pro quibus dimittendis venum exposi- 8

tum fuit latifundium, ostendunt ipsæ emptionis venditionis tabulæ, ubi nomina omnia ejusdem Familiæ enumerantur. Quod si = *il Cambio Morosi* = Ad Viti Junioris hæreditatem pertinebat, debitum tamen ipsum in ejus fratrem Flavianum, ac matrem Franciscam coaluerat jure testamenti ab eodem Vito Juniore conditi, in quo germanum fratrem, ac matrem æquis partibus hæredes fecerat. Accepto ipsi quidem habuerant hæreditatem cum beneficio legis, et Inventarii: donec nihilominus suppetunt hæreditariæ vires, tamquam hæredes simplices habendi sunt, cum præcipue hæreditarias vires defecisse nullo modo probetur. Præterea quod ad Flavianum pertinet, non modo tamquam hæredes sed etiam, uti debendi correus, ad dimittendum collybum illum tenebatur. Quandoquidem eædem emptionis venditionis tabulæ demonstrant, collybum illum fuisse in tum = *a favore del Signor Francesco Morosi dai Signori Flaviano, e fu Vito fratelli Constantini.*

9 Quod autem reponebatur contractum hoc collybi nomen a Flaviano fuisse, dum in minori erat ætate, id vim obligationi non detrahebat, nec ab ea servanda, et implenda Flavianum eximebat, qui major factus nunquam reclamavit, ac debitum ipsum ideo agnovisse censetur. Vera est itaque causa, ex qua celebratus fuit emptionis venditionis contractus, in quo, si fidem suam quoque præstitit Felix, quæ Viti Junioris hæreditatem solemniter repudiaverat, id factum est, quia non solum uti patris sui hæres, concurrere cum aliis cohæredibus debebat ad patrimonii debita exsolvenda, sed etiam ad majorem parandam emptoribus securitatem. Cæterum nunquam dici potest Sertorium falsam ad contrahendum causam excogitasse, qui imo in pretii diminutionem in se suscepit collybi debitum, illudque postea dimisisse certum erat. Nulla demum probatio afferebatur, ex qua revera constaret collybisticas literas erga Anconitanos negociatores *Smoglian, et Luzzato* causam habere ab ipso collybo Francisci Morosi, adeo ut dimissus hic collybus fuerit ante conventum tempus ope tot cambialium literarum, quarum solutionis dies antea veniret, quam hoc collybi nomen ex primæva stipulatione dimittendum esset. Præterea si id verum quoque esset, multo minus evincitur id consilio, atque opera Sertorii evenisse. Utcumque denique se res habeat, non est debitori prohibitum, antequam dies veniat æris alieni luendi novare debendi titulum, et collybisticas tesseras convertere, et pacto convenire ut illæ dimittantur, antequam dimittendum collybi nomen fuisset. Ex iis enim, quæ juri contraria non sunt, nullum educi potest fraudis argumentum: idque certius in themate, in quo novatio obligationis evenire etiam potuit ob insolutas statuto tempore collybi usuras, pro quibus vadimonium debitori constitutum fuerit.

Spernenda post hæc existimarunt 10 Patres, quæ de dolo, ac fraude, de vi, ac metu a Constantinii defensoribus addebantur. Dolus, ac fraus ex eo depromebantur, quod occultare Sertorius sategit in epistolis ad Blanchium scriptis emptoris nomen, quamvis subinde ipse emptor latifundii fuerit. Nulla tamen ex hoc eruitur fraudis dolique suspicio, dum ea verba referri possunt ad alium emptorem, et Anconitani emporii magni nominis negociatorem Jacobum Casaretto, qui una cum Sertorio ad emendum accessit. Si contra fraudundi animo scriptæ a Sertorio epistolæ illæ fuissent, non se in publicis palam tabulis manifestasset emptorem, et majori sagacitate contractum celebrasset erga personam postea nominandam, quemadmodum sæpe fieri solet. Quare alienissimum est a re, de qua agitur, exemplum *Decis.* 27 *cor. Ratto*, quæ maxime afferebatur. Turpissimus namque dolus, et aterrima circumventio administratoris in eo casu intercesserat, qui eis, quorum absentium negocia in urbe gerebat, suadere conabatur fatiscentes esse ædes, quarum Emphyteusim ipse inhiabat; plures rursus sumptus impendendos esse in earum instaura-

tionem; sepissime non locatas manere; neminem ad eas emendas accessisse; et alia hujus generis, quæ falsa penitus reperta fuerant. Aptari ergo nequit themati nostro jurisprudentia, quam in eo casu sequutus fuit Sacer Noster Ordo, cujus oracula in Decisionibus expressa allegari non debet in exemplum, si diversa sit casuum, et circumstantiarum ratio.

11 Vis autem, et metus nec pariter probabantur, nec praesumi ullo modo poterant; tam si personas Familiae Constantiniæ quam si Sertorium inspicias. Profugus utique erat Flavianus ad carcerem effugiendum. Ob sexus imbecillitatem falli poterant Felix, ejusque mater Francisca, si solae contraxissent. At earum negociis invigilabat vir cautus, et prudens Gregorius Bianchi, qui imo *Procurae mandatum* a Flaviano habuerat ad hunc stipulandum contractum. Non poterat ergo Sertorius imbecillitate faeminarum abuti. Ipse rursus Sertorius non is erat, qui vim, et justum metum, qualis ille dicitur, qui cadit in constantem virum faeminis incutere posset. Licet enim ipse Advocati munus exercens Familiae Constantiniae causas defenderet, poterat tamen ad nutum dimitti, et quolibet alius in praesidium, et defensionem advocari. Deficit igitur et ipsa vis, et metus objectio. Duo nihilominus, veluti in extrema naufragii tabula, subdebat Constantinius indotatam primum mansisse Franciscam ex distractione latifundii, super quo dotis creditum inscriptum fuit; sub emptionis venditionis deinde contractu occultatum fuisse turpe fænus, et damnatam anthicresim. Verum hæc etiam inaniter. Si namque in eo contractu nuncium misit Francisca hypothecariæ inscriptioni, indemnitatem tamen consequuta fuit super aliis bonis Familiæ Constantiniae, quæ pro dotis securitate hypothecæ subjecta fuerunt. Fuerant quidem eadem bona erga emptores Casarettum, et Sertorium obligata, si evictionis periculum ob libertatem divenditi latifundii, et si etiam locum haberet, non omnes auferret fundos hypothecæ obnoxios, e tantum semper ex iis superesset, quantum ad indemnem de dote sua reddendam spectatissimam fæminam sufficeret.

Fænus tandem, et usura perperam educebatur ex redimendi pacto, ac ex quadam epistola ab illo procuratore Bianchio ad Sertorim missa, in qua ita scribebat = *Nella lettera scrittale per la posta troverà i lati dei terreni, che si danno in garanzia: alla mia venuta porterà le Apoche di Colonia e quanta mi ha imposto* = Verum redimendi pactum, nisi sit coactivum, et cum modicitate pretii conjunctum, nunquam continet fænus, ut latius evincit præterita mea Decisio § 11 et 12. Ex demonstratis autem, non modo pretium ab emptoribus solutum æquum, justumque fuisse compertum est; sed etiam ex Instrumenti tabulis constat libere tributam conditori fuisse redimendi facultatem, intra sesquiannum exercendam; intra quod tempus, si præsentem pecuniam non habebat Flavianus, unde latifundium redimerat, poterat tamen jus ipsum redimendi in alios transferre, et cuicumque alteri vendere. Facilis hinc est ad epistolam responsio. Procurator enim sub iis verbis, quibus usus fuit in illa epistola = *Per la posta troverà i lati dei terreni, che si danno in garanzia* = nunquam intellexit, aut intelligere poterat, pignori datum fuisse latifundium, sed intelligebat imo de prædiis, quæ pro emptorum indemnitate hypothecæ subjiciebantur. Vindicata propterea justitia, et validitate contractus, juris ratio postulabat, ut a contrahentibus rigide servaretur. 12

Et ita, relatione habita ad præcedentes Decisiones, utraque parte jura sua deducente, definitum fuit.

RECINETEN PECUNIARIA

SUPER

RELAXATIONE MANDATI PERPETUI

Veneris 21 *Januarii* 1825.

ARGUMENTUM

Dominos directus, qui emphyteutae facultatem concessit libere alienadi rem emphyteuticam, si hic alienavit, ille non babet amplius jus petendi canonem ab hoc. Sed domious directus hoc in casu, persequi debet bonorum emphyteuticorum possessorem, vel pro canonum solutione, vel pro devolutione.

SUMMARIUM

1. *Debitor intelligitur, a quo invito exigi pecunio poteet.*

   Qui bona emphyteutica nec dolo, nec culpa possidere deeiit, ad canonum praeetationem adigi non potest - ibidem. -

   Domino directo competit actio pro canone, et caducitate, adversus simplicem bonorum emphyteuticorum possessorem - ibidem. -

2. *Clausula* ad habendum, *ea est vis, ut per eam libera de bonis emphyteutis alienandi facultas in emphyteutam collata censetur.*
3. *Qui sibi laudemii pe rcipiendi jus expresse reservavit, alienandae emphyteusis facultatem implicite concessit.*

   Exclusio regulam firmat in casibus non exceptis - ibidem. -

4. *Qui ea, qua pollet, utitur facultate ad aliquid gerendum, id sine dolo, et culpa gerere dicitur.*
5. *Novum emphyteutam recognoscere quis dicitur, nedum ope instrumenti, sed etiam verbis, et factis.*
6. *Libera canonum receptio recognitionem in dominum tacite includit.*

   Actus qui successor singularis in novum emphyteutam cognoscitur, actus dicitur necessarius - ibidem. -

7. *Quaecumque emphyteutae obligatio ab ea pendet conditione, dummodo debitor in possessione permaneat, et causa obligationis non deficiat.*
8. *Si emphyteuta exhibere debet domino directo fidejussionem, et non exhibeat, hic habet jus ad devolutionem petendam.*
9. *Nulla est sententia, quae inscio et ignaro debitore, prodit.*

DECISIO CCXXXV.

Bona, quæ tam rustica, quam urbana in Territorio Oppidi Montis Milonis in Piceno possidebat Comes Michael Moroni, Monaldo Leopardi Comiti Recinetensi in perpetuam emphytousim, annuo convento canone scutorum *mille tercentum, et quinquaginta* concessit. Cumque in patria moraretur Monaldus, in Urbe Moronius, rem illius procuratorio nomine gessit frater Vitus Leopardius, qui tunc Romæ degebat. Solemnes itaque conficiuntur tabulæ sub die 23. Novembris anni 1809. iisque Moronius = *tutti i suoi beni così rustici, che urbani posti nella Comune di Monte Milone, e suo Territorio da, e concede in enfiteusi perpetua al Signor Monaldo, di lui Eredi, Successori qualunque, ed aventi causa dal medesimo per poterne disporre a proprio arbitrio, e talento anche con atti tra vivi, di ultima volontà, di costituzione di dote, ed in qualunque altra maniera, ad esclusione de' Luoghi Pii, e mani morte, senza l'approvazione del detto Signor Conte, e respettivo pagamento del solito laudemio, trasferendo nel detto Signor Leopardi tutti i diritti, ed azioni, e ponendolo fin da ora nel vero, e reale possesso con qualunque clausula ad avere etc. in forma di ragione valida, ed efficace* =; ac denique ad solutionum cautionem sibi Moronius obnoxiam voluit rem Emphyteuticam cum dominii, et hypothecæ specialis reservatione, seque Monaldus, et bona sua, jūraque omnia obligatione devinxit.

Anno autem vix elapso, Vitus, qui procurator Monaldi extiterat, in ejus jura succedere nuncupavit, ac utile rei emphytheuticæ dominium acquirere, cumque votis suis fratrem facile annuentem invenisset, emphytheusim ab eo, die 26. Februarii anni 1811., coemit, seque observaturum pacta omnia in instrumento diei 23. Novembris anni 1809. conventa, et laudemium favore domini directi in scutis duobus pro quolibet centenario soluturum spopondit. Quapropter Vitus canonum solutionem præstare cœpit, et directum dominum recognoscere velle declaravit. At hic, dum canonem a Vito recipere non renuebat, instrumentum recognitionis in dominum conficere de-

trectabat. Ac propterea ad arbitrum re delata, nec amicc composita, quamvis Moronius Vito declarasset per epistolam arbitrum esse = *di sentimento che io debba riconoscere voi, essendo così lo spirito dell'Istromento* =, et ideo super eo traxisset collybisticam literam in computum canonum, quam Vitus religiose persolvit, uti in eamdem causam plures etiam postea solutiones explevit; tandem hic, patientia rupta, anno 1816. Moronium vadatus fuit coram A. C. Met, qui instrumentum emphytheuticum conficiendum jussit; a cujus Decreto cum Moronius ad Sacrum Nostrum Ordinem provocaverit, sub die 26. Junii 1818. censuere Patres esse locum stipulationi Instrumenti, præstita per Vitum idonea fidejussione, ut videre est in elucubratissima Decisione ea die publici juris facta a nunc Eminentissimo Bussio.

Tot verum judiciis fessus, ac nondum sui compos voti Vitus effectus, semel iterum ac tertio canonis solutionem retardavit. Quo factum est ut Moronius, non Vitum ipsum, sed Monaldum in judicium voc averit coram Tribunali Collegiali A. C., et perpetuum mandatum adversus eum obtinuerit. Quæ quidem Sententia, Monaldo in domicilio electo in urbe citato, et ab eo judicio absente, ideoque hujus penitus ignaro, prolata, vim rei judicatæ facile obtinuit. Supremum tum hic adiit Signaturæ Tribunal, ac statim ab Eo appellationis beneficium, haud tamen suspensive, sed cum clausula S. P. obtinuit. Hinc rei judicatæ cognitionem ad S. Nostrum Tribunal, delata, interrogavi hoc mane Patres assueta Dubii formula = *An constet de rejudicata, sèu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* =, et responsum = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam* = accepi.

1 Eum enim, qui a Re Judicata injustitia laborante gravatur, restitutionis in integrum remedio esse adjuvandum aperte statuit *Ulpianus in L. 4. conde mnatum ff. de rejud.cata.* Injustam vero hanc esse Rem Judicatam, cujus nunc Monaldus revocationem exposcit, facili quidem negotio demonstratur. Agitur enim de mandati perpetui relaxatione, quam nonnisi adversus debitorem locum sibi vindicare posse compertissimi juris est. Aperte Lex ipsa Edictalis Pii VII. Pont. Max. de judiciaria praxi Art. 656., et 657., ad cujus tramites Tribunal Collegiale A. C. suum protulit adversus Monaldum judicium, jubet = *Quello, che è debitore di un annua corrisposta, o alcuna prestazione avente tratto successivo, se è stato moroso nei pagamenti, potrà essere convenuto in giudizio, perchè venga rilasciato contro di lui un mandato da potersi eseguire in ogni successiva scadenza* =. Id primum igitur erat inquirendum, an Monaldus annuæ alicujus præstationis debitor esset, ut perpetuo mandato ad solutiones tractu temporis decurrendas adigi posset. Atqui Monaldus desiit omnino quidquam debere Moronio = *Debitor enim* = appositæ *Text. in L. 188. ff. de verb. signif.* = *intelligitur is a quo invito exigi pecunia potest* =. Quoties ergo constet tunc temporis nulla ratione Monaldum ad canonum solutionem cogi potuisse, constabat una debitoris qualitatem in eo desiderari, proindeque contra omne jus mandatum perpetuum adversus eum fuisse relaxatum. Jam vero supra narratum fuit, Monaldum Emphytheusim a Moronio receptam in Vitum fratrem, usque ab anno 1811. ineunte, transtulisse, ea usum facultate illius alienandæ, quam in instrumento investituræ amplissimam ei concesserat dominus ipse directus Moronius. Exploratissimum autem in jure est cum, qui bona emphytheutica non dolo, nec culpa desiit possidere, ad canonum præstationem adigi amplius non posse, ac domino directo nullum adversus eum, bene vero omne jus adversus novum possessorem competere, vel ad canonis exactionem, vel ad caducitatem impetrandam, quoties hic annuas solutiones præstare detrectaverit. Secundum naturam enim est, incommoda cujusque rei eum sequi, quem commoda sequuntur, ut firmat *Text. in L. 10. ff. de divers. reg. jur., et L. 4. Cod. de caduc. tollen.* Quapropter Doctores unanimiter docent Emphytheutam, qui non possidet, non te-

neri ad canonis solutionem. Ita *Amat. variar. resolut.* 78. *num.* 2. *Surd. decis.* 6. *n.* 5. *Clar.* §. *Emphytheusis quæst.* 18. *vers. Sed quæso Bero cons.* 196. *numer.* 9. *lib.* 1. *Card. de Luca de Emphytheusi disc.* 43. *num.* 2. *Sabell. in sum. tract.* §. *Emphytheusis num.* 30., *Fulgin. de jure Emphyt. de solut. canon. quæst.* 1. *num.* 280., *Gratian. discept. forens.* 719. *num.* 2., *Rota cor. Caprara dec.* 223.

2 Quod vero quæcumque doli, vel culpæ suspicio exulet a Monaldo, qui ad Emphytheusis alienationem favore fratris devenit, cuiquam, verba instrumenti investituræ supra allata perlegenti, apprime patebit. *Tum* enim clausulæ in illo appositæ, quæ ex juris sanctione facultatem alienandi important; *tum* laudemii conventa solutio; *tum* præcipuæ cujusdam, et singularis alienationis prohibitio, quæ aliarum omnium permissionem includit, *tum* denique expressa quocumque modo alienandi facultas in eo concessa, procul omni dubio demonstrant jure quidem suo usum fuisse Monaldum, dum Emphytheusim a Moronio acceptam in fratrem Vitum transferre voluit. Constat enim ex illo Instrumento Moronium utile bonorum dominium cedentem Monaldo, non solum veram, et realem possessionem in eum transtulisse, sed cum ea jura etiam et actiones = *con qualunque clausula ad avere ec. ed altre in forma di ragione più valide, ed efficaci* =. Hujusce autem clausulæ ad *habendum* eam esse vim, ut per eam libera de bonis emphytheuticis disponendi, et eorum alienandorum facultas in Emphytheutam collata censeatur, docent apprime *Card. de Luca de Emphytheusi disc.* 39. *num.* 5. *de Regal. disc.* 23. *numer.* 4., *Pacion. de locat. et conduct. cap.* 53. *num.* 85. *Rota cor. Molines. decis.* 260. *num.* 2. *cor. Buratto decis.* 87. *num.* 2. *et* 3. *et in Bononien Emphiteusis* 5. *Aprilis* 1751. §. 4. *cor, Elephantutio.*

3 Accedit Laudemii percipiendi jus sibi reservasse Moronium in ipso Emphytheuticæ concessionis Instrumento = *col rispettivo pagamento del solito laudemio di scudi due per ogni centinajo, ossia la cinquantesima parte* =. At nemo nescit laudemium, sive quinquagesimam pretii partem, non alio solvi, quam ab eo, qui vel universali vel singulari titulo in primi Emphytheutæ jura successerit per sancita in *Leg.* 3. *Cod. de jur. emphyt.* Eo igitur ipso, quo sibi laudemii percipiendi jus expresse reservavit dominus directus Moronius, alienandæ Emphytheusis facultatem Monaldo implicite concessisse dicendus est. *Redoan. de reb. Eccles. non alienand. quæst.* 66. *n.* 25, *et seq*,, *Pacion. de locat. conduct, cap.* 53. *num.* 90, *et* 91. Quæ quidem conclusio evidentior etiam apparet ex prohibitione alienandi favore = *dei Luoghi Pii e mani morte* =. Exclusio enim regulam firmat in casibus non exceptis. Quapropter, si eatenus alienatio prohibita apparet, quatenus in manus mortuas, ut ajunt, et loca Pia deferatur Emphytheusis sine directi domini adprobatione, permissa quidem censeri debet aliorum quorumcumque favore, domini ipsius consensu haud requisito. Argumentum hujusmodi a contrariis deductum quampluris in contractuum interpretatione esse faciendum, ac in jure validissimum reputari, firmant. *Text. in L.* 18. *ff. de condit. et demonstrat. L. eum præter ff. de jud. Donnell. in comment. jur. civ. cap.* 29. *num.* 6. *T.* 3. *col.* 1288. *edit. Lucens.*, *Averan. Interpret. jur. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 17., *et* 18., *Cyriac. controv. forens.* 103. *num.* 80., *et sequ.* aliique quamplures. Quo vero ad ipsam rem emphytheuticam in casu alicujus specialis alienationis vetitæ, bene *Pacion. de locat. et conduct. cap.* 53. *n.* 88., *et magistraliter Rota post Torr. de pact. cor. Albergato decis.* 81. §. *quod autem.*

Verum, qualibet etiam posthabita 4
conjectura, et argumentorum vi, Patres censuerunt jus alienandi Monaldo satis superque ipsa apertissima instrumenti verba tribuere = *Per poterne disporre a proprio arbitrio, e talento, anche con atti tra vivi, di ultima volontà, e di costituzione di dote, ed in qualunque altra maniera, ad esclusione dei Luoghi Pii, e mani morte, senza l'approvazione del detto Signor Conte* =. Qua quidem amplior, vel clarius expressa, facultas alienandi

frustra requiri posse videtur, siculi optime statuit *Decis. Recineten. Recognitionis in dominum* 26. *Junii* 1818. §. 6. cor. *Emo Bussio* superius relata, qua Moronius declaratus fuit ad conficiendum erga Vitum Instrumentum recognitionis in dominum obstrictus. Et sane qui ea, qua pollet, utitur facultate ad aliquid gerendum, id certe sine dolo, et culpa gerere dicendus est: omnis ergo doli vel culpæ suspicio a Monaldo bona in fratrem transferente prorsus excludatur oportet, ac id redeat, quod jam ab initio constitutum fuit, eum, utpote non amplius emphytheutica bona possidentem, ad canonum solutionem adigi non posse, nec jure propterea adversus eum mandatum perpetuum fuisse relaxatum.

5 Quin Moronium juvet regerere, se Vitum Monaldi fratrem nondum hujus successorem in emphitheusi recognovisse, nullamque propterea adversus eum actionem habere. Cunctando siquidem rem hucusque differre potuit Moronius, atque ab instrumento recognitionis conficiendo haud sine injuria refugere. At non ideo alienationis sibi notitiam pervenisse poterit inficiari, eamque tot factis, dictisque probasse, ut nequeat amplius, veluti si res integra esset, recognitionem ipsam denegare. Novit jam hoc Sacer Ordo in prædicta decis. *Recineten. Recognitionis in Dominum*, qua stipulationi Instrumenti locum esse, sub die 26. Junii Anni 1818., ut pluries superius fuit expositum, definivit. Nec ex eo quod hæc decisio rei judicatæ vim nondum receperit, illius fas est justitiam in dubium revocare ita ut, ob non sequutam recognitionem, adhuc Moronio Monaldum prosequendi jus esse dicatur. Etenim, si solemni instrumenti confectione nondum novum Emphytheutam ipse agnovit, probavitque, agnovit tamen, et probavit, plus etiam quam quod opus esset, verbis, et factis. In exordio siquidem alienationis sequutæ, aliquantulum illi assentiri renuit, post unum tamen, vel alterum mensem convenere partes Advocato Baffi contentionem omnem definiendam committere, et Moronius ipse Vito Leopardio significavit litteris = *ho passato a Baffi la copia dell' Istromento per decidere sulla ricognizione in dominum* = paucos post dies alio epistolio Leopardio nunciat, se jam loquutum fuisse cum prælaudato Jurisconsulto » *rapporto alla ricognizione, ed esso è di sentimento, che io vi debba riconoscere* =. Moronius hinc tum quiescere visus est jurisperiti judicio. Postea vero pacifice, et procul ulla contentione. Vitum, qui fratri suo Monaldo ad bona Emphytheutica jam successerat, in novum Emphytheutam agnovit, ab eoque canones jugiter, ac sine ulla reservatione exegit, prout nullum reliquunt dubitandi locum syngraphæ de recepto ab eodem Vito Patribus exhibitæ, siculi iisdem bisce fere verbis hac de re optime disserit sæpius memorata Decisio *Recineten. Recognitionis in dominum.*

6 Nec veritate quidem duce jactabat Moronius se solutiones a Vito quidem, sed nomine Monaldi recepisse, et eas quæ a Francisco Vicomando fuerant effectæ, pro Monaldo item, non pro Vito effectas fuisse, ex eo quod Vicomandus Monaldi negocia Romæ gereret. Tantum enim abest Vitum pro fratre tunc temporis res procurasse, ut imo ex optimæ fidei testibus didicerimus eodem anno 1811., quo cessio emphytheusis peracta est, Vitum a paterna domo recessisse, separatim a fratre domesticæ suæ rei rationes iniisse, uxorem duxisse deinde, nec ullam amplius cum eo vitæ, rerumve communionem habuisse; quinimo ortas inter eos esse differentias, quae Judicis auctoritate definiri debuerunt. Quæ quidem omnia excludunt a Vito procuratoris qualitatem. Eo vero magis dum Syngraphæ de recepto non aliud, quam Viti solventis nomen præseferunt, nec ultra in iis Monaldi unquam excidit mentio. Quo autem ad Vicomandum omni pariter veritatis fulcimine Moronii assertiones destituebantur. Extant enim epistolæ Josephi Benedetti, qui res gerit Moronii, ad Vitum scribentis, in quibus Vicoman-

dum semel, iterum, tertioque vocat *suo* (nempe Viti) *Fattore*, eique proponit se traditurum syngrapham de recepto, statim ac sibi, vel ipsi Moronio quamdam pecuniæ vim mitteret Vitus. In comperto igitur est vere a Vito, non a Monaldo solutiones canonum Moronium recepisse absque ulla adversus Monaldum reservatione. Hanc vero liberam canonum receptionem recognitionem in dominum tacite includere, etiamsi materialis desit instrumenti stipulatio, magistraliter definivit Sacer hic N. Ordo *in Romana, seu Ostien. Affictus* 5. *Julii anni* 1822. §. 8. *coram R. P. D. meo Spada*, *et in confirmatoria* 23. *Junii* 1823. §. 4. *coram Eodem* ». Et perperam reponebatur tacitam hanc recognitionem haud satis esse ad Monaldi liberationem, et ad hoc instrumenti stipulationem requiri. Etenim Emphyteuta illico liberatur, statim ac absque dolo, et culpa Emphyteutica Bona possidere desiit, ut supra demonstratum est. Posita igitur alienatione, absque alienantis culpa, et dolo plane consequitur, quod actus, quo successor singularis in novum Emphyteutam cognoscatur, actus sit necessarius, a quo dominus directus se nequit subtrahere ex censura *Text. in Leg. fin. Cod. de jur. emphyt. Fulgin. de jure emphyt. tit. de alienationes*, *quæst.* 1, *nam* 79, *Rota in d. Romana*, *seu Ostien.* 5. *Julii* 1822 *cor. R. P. D. meo Spada.*

7 Nec ulla in pretio Patres habendum esse censuere, quod per Moronium addebatur, nempe per translationem emphyteusis in Vitum deteriorem ipsius Moronii conditionem fieri ex eo, quod Monaldus esset fratre longe ditior, et opulentior. Sibi enim imputet oportet damnum quodcumque evenire posset dominus directus, qui latissimam emphyteutæ facultatem quoquomodo = *in qualunque altra maniera* = alienandi est impertitus, nulla pauperem, vel divitum adhibita distinctione, et Locis Piis, manibusque mortuis dumtaxat exceptis: ut bene animadvertit sæpe sæpius laudata Decisio *Recineten. coram Eminentissimo Bussio* §. 9. *per tot.* Quin implicet Monaldum non modo se suamque personam, sed et bona sua omnia ad canonis solutionem, sub hypothecæ vinculo obstrinxisse. Quæcumque enim Emphyteutæ obligatio ab ea pendet conditione, dummodo debitor permanserit, nec rem emphyteuticam cum dolo, et culpa desierit possidere, et veluti accessoria, intuitu possessionis rei præstita censetur, ita ut, possessione sive causa obligationis deficiente, et ipsa obligatio: sive effectus evanescere debeat, ut docent *Jaso in Leg.* 2. *Cod. de jure emphyth. num.* 126., *Redoan. de Reb. Eccl. non alien. quæst.* 75. *num.* 10., *Surd. decis.* 517. *numer.* 19., *Roman. Cons.* 417. *Rodericus de annuis redditibus lib.* 2. *quæst.* 7. *num.* 11., *et* 12. *Covaruv. variar. resol. lib.* 3. *cap.* 7. *numer.* 6. *Guttier. pract. quæst.* 3. *num.* 5. *Felic. de causis lib.* 3. *Cap.* 6. *num.* 7. *Amat. var. resolut.* 75. *num.* 16.

Hisce usque adhuc firmissime constitutis, aliud nunc superest Moronii objectum profligandum, quod ex ipsa scatet Sacri N. Ordinis pluries relata Decisione. Ut enim Moronii juribus consultum foret, censuere PP. stipulationi instrumenti recognitionis locum esse debere, præstita tamen per Vitum idonea fidejussione. Hinc animos erigere, spesque suas recreare Moronius visus est, sibique persuasit, fidejussionis præstandæ conditione per Vitum non impleta, integrum sibi jus in Monaldum experiendum supercesse. Quod tamen ab omni jurisprudentia, ne dicam sana ratione abhorrere Patribus in comperto fuit. Nil enim commune cum Monaldo habuit judicium illud inter Vitum, et Moronium actum, ac propterea, quidquid in eo decisum sit, nequit Monaldi juribus officere. Dum itaque Sacer hic Ordo fidejussionem a Vito præstari jussit, id Moronio tributum fuit, vel ut Vitum ad fidejussionem præstandam adigere, vel eo renuente, et canonum solutionos retardante, jura experiri posset, quæ domino directo contra utilem suppetunt ad rei emphyteuticae devolutionem assequendam. Nec 8

fieri unquam poterat, ut Monaldus teneretur pro Vito demandatam fidejussionem exhibere: omni namque obligatione a die alienationis fuerat ille expeditus, nec sibi quidquam ab eo iudicio erat pertimescendum, etenim res inter alios acta tertio nocere non potest. Quapropter verba potius captare, quam rectam argumentandi rationem inire videtur Moronius, dum ex postremis verbis *Decis. Recineten. coram Eminentissimo Bussio* sibi adhuc in Monaldum agendi viam patere contendit. Aut enim ibi nominis error irrepsit; ita ut *ausibus Leopardii*, loco Monaldi scribi debuisset: aut id certe dicendum erit, non ex Decisionis verbis, sed ab ipso Sacro N. Ordinis Responso quid vere fuerit judicatum esse cognoscendum, atque omniaquæ in Decisionis extensione reperiuntur ita esse interpretanda, ut cum prolato judicio plenissime conveniant. Congrua enim sunt congruis referenda. Cum itaque nil aliud Patres constituerint, quam ut Vitus fidejussionem præstaret antequam instrumentum conficeretur, at confici tamen debere existimaverint, proeul omni dubio cum revera in Monaldi jura successisse putarunt, ac Monaldum itaque absque ulla doli, vel culpæ suspicione recte Vitum sibi successorem fecisse, et propterea omni obligatione a die alienationis fuisse solutum. Nullo igitur pacto fieri poterat, ut Patres obligationem peremptam rursus reviviscere, ex conditionis per Vitum implendæ defectu, posse decernerent: nec aliud Moronio jus reservasse dici possunt, quam devolutionis adversus eumdem Vitum obtinendæ, cujus ope, si ipse fidejussorem haud præstet, *integrum ei erit hujus ausibus refragari*. Quibus omnibus perspectis rem judicatam injustitia laborare, ac mandatum perpetuum adversus Monaldum injuria fuisse relaxatum optime definiverunt.

9 Quam quidem injustitiam inde etiam Patres scatere animadverterunt, quod, inscio prorsus, et ignaro Monaldo, mandati perpetui relaxatio prodierit. Qui enim in Urbe res Monaldi tuebatur, tum cum Moronius eum coram Triumviris A. C. in judicium vocavit, numquam excepit = *di non avere Esso Costituente* (Monaldum scilicet) *più alcun proprio, e particolare interesse nell' anzidetta Enfiteusi attesa la cessione fattane a favore del Signor Conte Vito suo fratello* = quod in mandato Monaldi dilucido, iisdemque verbis fuerit expressum, numquam Monaldo mandanti judicia, quæ contra eum agebantur nunciavit, et, perinde ac si Vitus in jus vocatus fuisset, ei dumtaxat scribebat adversus cum mandatum perpetuum relaxatam fuisse significabat, ab eodem canonum solutorum documenta, et pecuniam ad litem sustendandam postulabat. Hæc profecto, aliis huc usque expositis, ac perpensis superaddita, quam maxime ad restitutionem in integrum Monaldo concedendam conferre manifestissimum est.

Et ita in strenuo. partium conflictu jus redditum est, Utraque etc.

REECINTEN PECUNIARIA

SUPER

RELAXATIONE MANDATI PERPET UI

ARGUMENTUM

Etiamsi latissima emphyteutae alienandi facultas fuerit impertita; etiamsi nec dolo, nec culpa bona emphyteutica possidere desierit; non inde tamen inferre licet nullo amplius titulo erga dominum directum teneri, si ex apertis pactorum verbis contrarium eruitur. - Vid. DECIS. CCXXXV. - quae revocatur.

SUMMARIUM

1. *Pactorum sanctione interveniente, quaecumque cessat juris dispositio.*
2. *Quod sub certa conditione conceditur, sub contraria ademptum intelligitur.*
3. *Qui emphyteusi se se spoliavit, sub tamen conditione, quod novus emphyteuta a domino directo recognosci deberet, non cessat veteris emphyteusis, donec recognitio non intercessit.*
4. *Qui sui favore liberationem a molestiis stipulatur, obligationem fatetur, pro qua liberationem contra tertium postulat.*

5. *Ex non impleta conditione, e medio sublata est emphyteusis concessio.*

6. *Per simplicem canonum receptionem, dominus directus non amittit actionem suam adversus veterem emphyteutam.*

7. *Qui judicii expensas solvit, haud potest allegare actorum contra se gestos ignorantiam.*

DECISIO CCXXXVI.

Quæ rustica, urbanaque bona in territorio Montis Milonis in Piceno sita, et ad Comitem Moronium spectantia, ab hoc, Emphytheusis perpetuæ nomine anno 1809 acquisiverat sub annuo canone scutorum 1350; Comes Monaldus Leopardi Recinetensis, eadem biennio post anno nempe 1811., in Fratrem Vitum transtulit, facultate usus ei a domino directo data Emphytheusis alienandæ, absque ullo ipsius assensu, dummodo id haud fieret erga Loca Pia, *et mani morte*. Dum vero Monaldus se omni jure spoliabat, ut ab omni simul liberaretur erga dominum directum obligatione, cum in cessionis tabulis professus fuerit » *non vuole che in esso, e nè suoi Eredi rimanga alcun peso, e gravame per tale enfiteutico contratto* » id expresse sancitum voluit » *per tale effetto il detto Signor Vito sarà obligato conforme promette, e si obliga ottenere dal detto Signor Moroni nel termine di anni cinque da oggi la totale esonerazione a favore del detto Signor Monaldo, e suoi ec. e in di lui vece farsi riconoscere dal detto Signor Moroni per il nuovo, e vero enfiteuta ec. ed un tal riconoscimento dovrà apparire per publico istromento in forma autentica* ».

Casum etiam animo præconcepit, quo Moronius Vitum agnoscere, ipsumque exonerare noluisset, quo eveniente, haud omni se jure, et respectiva obligatione solutum voluit; apertis imo verbis convenit, quo = *in tale ipotesi sarà in pieno arbitrio, e potere del Signor Monaldo Leopardi di rescindere affatto il presente contratto, con ritornare di propria sua autorità nel primiero possesso dell'utile dominio* » Præterea, cum quinque annorum spatium fuisset Vito concessum ad recognitionem obtinendam, modus fuit constitutus, quo Canonum solutiones per id temporis præstarentur » *Nel decorso di detti anni cinque, precisamente sino a tanto, che il Signor Moroni non avrà riconosciuto il Signor Vito per il nuovo enfiteuta di detti beni, sarà questi obligato conforme promette, e si obliga pagare nelle mani di detto suo Fratello il convenuto Canone di bimestre* » Cautum fuit tandem » *che sarà obligato il Sig. Vito liberar sempre, ed in ogni tempo il Signor Monaldo e suoi ec. da ogni danno, molestia, interesse, e spese si giudiziali, che stragiudiziali, che potesse egli soffrire per colpa del Signor Vito, e suoi* ».

Quomodo res deinde Monaldum inter et Vitum, et Moronium processerint fuse enarrat præcedens mea Decisio, quam die 21 Januarii hujusmet anni volgavi. Patet quidem ex ea Vitum in id contendisse, ut Moronius eum in Monaldi jura successisse laudaret, et interea nonnullas canonum solutiones explevisse. Moronium tamen recognitionis instrumentum prius conficere detrectasse: rem deinde ad arbitrum esse delatam, ac rebus amico haud compositis, anno 1816 judicium fuisse institutum coram A. C. Met, qui instrumentum emphytheuticum conficiendum jussit: Appellationis ope a Moronio interpositæ rem tandem ad Sacrum Nostrum Ordinem conscendisse, qui esse locum stipulationi instrumenti definivit, præstita per Vitum *idonea fidejussione*, ut videre est in elucubratissima Decisione diei 26 Junii 1818; edita a nunc Emo Bussio, cui subsequens Rescriptum *Expediatur* judicati vires adjecit. At Vito canonum solutiones retardante, Moronius Monaldum in judicium vocavit coram Triumviris A. C. eique, ex Censura art. 656 et 657. Codicis Judiciarii San. Mem. Pii VII. perpetuum Judices adversus Monaldum Mandatum relaxarunt. Hæc Trium virorum definitio Rei judicatæ robur accepit; devolutivam tamen Appellationem Monaldus obtinuit, et Sacri Nostri Ordinis ad judicium provo-

cavit, qui proposito Dubio = . *An constet de re judicata, seu potius de Causis restitutionis in integrum in casu etc.* respondendum putavit = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundum* ».

Postea vero die 15 Martii hujus anni coram Rmo P. D. Meo Isoard Sac Rotæ Decano institit Moronius ut Vito » *terminus prefigeretur ad praestandam idoneam fideiussionem ad formam prædicti judicati, et Decisionis coram nunc Emo Bussio; quo elapso declararetur non esse locum stipulationi recognitionis in Dominum.* Mensem integrum idem Rmus P. D. Meus indulsit: At eum labi sivit Vitus, quin ullam præstaret fidejussionem. Facile tunc Moronio fuit a Sacro Nostro Ordine cui per Memoriale ejus instantia pro excludenda recognitionis in dominum obligatione remissa fuit, consonum suis Votis Rescriptum obtinere, ex quo sub die 4 Maii decretum prodiit ejus. Rmi Ponentis = *Non esse locum petitae recognitioni in Dominum* = Cum itaque a prædicta mea Decisiono novæ Audientiæ beneficium Moronius obtinuisset, hoc mane Patres de more interrogavi » *An sit standum vel recedendum a Decisis in casu etc.* et rc, factisque maturius perpensis ea, qua pollent docilitate, et justitia, Ipsi respondendum censuere » *Recedendum a Decisis* ».

1 Ex facto quidem; potius quam ex jure est hujusmodi dirimenda controversia: nec tam quærendum, quid de ea ad tramites legum definiri posset, quam quid super re, de qua quæstio est, partes convenerint. Pactorum enim sanctione interveniente, quæcumque cessat juris dispositio, cum æquum omnino sit quas quisque inierit conventiones, eas punctim, et religiose servare. At id propterea cognoscendum, utrum nec ne se omni juro, et obligatione erga directum dominium in fratrem transtulit tunc Legis auctoritas intervenire recte deberet, cum nihil is, fraterque de eo pacti fuissent. At cum e contra id eos animo præconcepisse aperte pateat, et hac de re particulares conventiones statuisse, has esse omnino servandas, quocumque seposito alio argumento concludendum est. Esto igitur quod latissimam Moronius Monaldo emphytheusis alienandæ facultatem fuerit impertitus; esto etiam eum nec dolo, nec culpa bona desiisse possidere, nec inde tamen inferre licebit nullo amplius titulo eum erga Moronium teneri; quin imo ex apertis pactorum verbis contrarium eruere necesse erit.

Indubium quidem adduci nequit Monaldum, dum emphytheusim in fratrem Vitum transtulit, se omni voluisse obligatione solutum: id namque loculentissime ita declaravit = *Siccome il Signor Monaldo con la presente obligazione si spoglia di qualunque dritto sopra detti immobili così non vuole che in esso, e suoi eredi, rimanga alcun peso, e gravame per tale enfiteutico contratto* = Sed ad id obtinendum, conditionem prius a fratre voluit implendam, eamque in recognitione a domino directo obtinenda constituit. Immediate enim subdit = *Quindi per tale effetto il detto Signor Vito sarà obligato ecc. ottenere dal Signor Moroni nel termine di anni cinque da oggi la totale esonerazione a favore del Signor Monaldo da tutti i patti, oblighi, e pesi da esso contratti* = Horum autem verborum vis est animadvertenda; non enim Monaldum Vitum adstrictum se velle dixit ad *recognitionem*, sed ad sui *exonerationem* a Moronio obtinendam, quibus sane verbis aperte pandidit ipsum eousque obligatum erga Dominum directum sese censuisse, quousque is Vitum in ejus locum suffectum recognosceret. Nec qualibet contensus fuit recognitione verbali, aut epistolari; sed eam publico mandari instrumento convenit = *ed un tale riconoscimento dovrà apparire per publico Istromento in forma autentica* =. Suam ergo exonerationem Monaldus a conditione pendere voluit: non impleta igitur conditione, exoneratus dici nequibat. Nam, quod sub certa conditione conceditur, sub contraria considerari, non uti posteu ademptum, sed uti ab initio non datum

res est in jure compertissima, uti *Rota in Melevitana Commendæ* 10 *Januarii* 1768 *coram Olivatio*.

3 Quod autem recognitionem in Dominum uti veram, et suspensivam conditionem ipse agnoverit Monaldus facili pariter negotio ex ipsis instrumenti verbis eruitur. Cum enim ipse haud improbabile futurum prævideret quod Moronius hanc recognitionem concedere renueret, sibi probe consultum voluit, et jus reservavit ad primæva jura redeundi. Nec interim a Vite Moronio Canones persolvi permisit; sed eos sibi tradi voluit = *sino a tanto che il Signor Moroni non avrà riconosciuto il Signor Vito* = Quæ quidem conventiones ejus voluntatem clare demonstrant. Dum enim ad primæva jura regressum ex non impleta conditione sibi stipulatus est, non ex nudo alienationis facto omne jus suum in re emphytheutica perimi voluit; illud imo sartum, tectumque servari sibi professus est, nec aliter vitum in sui locum successurum permisit, quam venia, et approbatione a directo Domino reportata. Dum vero canonum solutiones ad id usque tempus sibi præstari convenit, suam interim obligationem integram manere cognovit eos Moronio rependendi, seque eorum debitorem luculentissime fassus est.

4 Accedit et liberatio a molestiis, quam sibi a Vito stipulatus est, quæ ejus debitum et obligationem clarius etiam evincit. Qui enim in sui favore liberationem a molestiis stipulator, obligationem fatetur, pro qua liberationem contra tertium postulat, ut Sacer Noster Ordo definivit *in Castellana Cambii* 13 *Maii* 1772 *coram Herzan* § *fin.* Et sane fieri omnino nequit, ut aliquis se a Molestiis liberari petat, quas nullo jure sibi inferri posse cognoscat; dum igitur liberationem in pactum deducit earum inferendarum jus agnoscit in tertio. Ex quibus omnibus tuto Patres concludere posse noverunt, non amplius quærendum esse, an Monaldus, ex eo quod rite rectaque emphytheusim alienaverit, ipse alienationis facto ab omni erga directum dominum obligatione ex jure liberatus extiterit. Pura enim dici nequit alienatio, quam ipse sub conditione recognitionis in dominum a Vito obtinendæ peregit: qua non obtenta, eæ sunt leges servandæ, quas statuere contrahentes. Atqui, conditione pendente, se adhuc debitorem agnovit Monaldus; redeunt igitur, quæ in priori Decisione sub §. 4 animadversa fuere; scilicet mandati perpetui relaxationem ex hoc pendere quod is: adversus quem relaxatur, vero debitor sit, et obligationem suam semel, iterum tertioque implere detrectet. Cum itaque Monaldi obligatio ex ipsius confessione probata apprime sit, concludendum omnino erat, jure meritoque illum pro canonum solutione vadatum esse Moronium, et adversus eum, eorum solutionem detrectantem, mandati perpetui relaxationem ad tramites novissimarum legum rite petiisse, et obtinuisse.

Quæ quidem conclusio firmiter etiam nunc facta est ex absoluto judicio super recognitione in dominum Vitum inter, et Moronium. Etenim, cum ab ea penderet contractus alienationis stabilitas, cumque recognitionis instrumentum conficiendum Sacer Noster Ordo jussisset, præstita tamen per Vitum fidejussione, disputari adhuc potuerat de alienationis Viribus, quousque Vitus fidejussionem præstare. Sed, ut ab initio narratum fuit, terminus Vito præfixus ad fidejubendum inutiliter elapsus est, et definitum est, non esse amplius locum prædictæ recognitioni in dominum. Quid vero hoc in casu fieri deberet jam ipse Monaldus convenit » *in tale ipotesi sarà in pieno arbitrio, e potere del signor Monaldo Leopardi di rescindere affatto il presente contratto con ritornare di propria sua autorità nel primiero possesso dell' utile dominio* = Quo ex pacto definita res est, nec juris Sanctio amplius est spectanda, quæ Moronio jus devolutionis contra Vitum expetendæ tribueret, ut in priori Decisione § 11 dictum fuit. Res rediit ad casum, unde initium habere nequivisset; cumque de Debito Monaldi nefas fuisset ambigere, si nul- 5

la unquam Venditio intercessisset; sic nefas illud in dubium adducere, post quam, ex non impleta conditione, e medio sublata est emphytheusis cessio, et emphytheutica jura, ac onera in Monaldo permansere, quibus ipse numquam exutus ex demonstratis dici poterat, antequam Moronius, publico intercedente instrumento, Vitum in Emphytheutam recognosceret.

6 Huc re producta omnia concidunt, quibus Monaldus innitebatur, quæque in anteacta propositione ex minus accurata factorum, pactorumque expositione ipsi Victoriam parare valuerunt. Quod enim ad acta, ex quibus implicitam Viti recognitionem in dominum evinci contendebatur jam nullo amplius in pretio haberi possunt, ex quo constat, recognitionem eamdem non quoque modo fuisse obtinendam, sed = *dovrà apparire per publico istromento in forma autentica* = Cum igitur pacificum sit hujusmodi tabulas nunquam fuisse exaratas, eoque magis amplius nunc haud esse earum stipulationi locum, firmum semper erit Vitum a Moronio uti Emphytheutam laudatum non fuisse, et propterea Monaldum ex pacto convento in obligatione mansisse. Idemque dicendum de canonum solutionibus, quos Moronius a Vito recepit. Conditione pendente sibi non Moronio eos solvi a fratre Monaldus convenerat: ipse igitur eorum unus debitor extabat. Si Vitus ergo Moronio solvit, dicendus omnino est pro Monaldo solvisse, et quomodocumque id effecerit, numquam inde concludi poterit Moronium actionem suam in Monaldum amisisse.

7 Ignorantiam demum judiciorum contra se institutorum a Monaldio jactatam plura excludunt. Prostat enim mandatum procuræ, quod Monaldus Sartoretto dedit = *a potere in mio nome, e vece ecc. difendere ogni e qualunque causa di esso signor costituente. ed in specie quella, o quelle introdotte, e da introdursi coll'Illmo Signor Conte Michele Moroni relativamente all'Instromento di Enfiteusi stipolato etc.* quam in causam = *dovrà domandare di essere pienamente, ed interamente assoluto da ogni, e qualunque domanda ad istanza del Signor Conte Moroni, e nel caso farsi liberare da qualunque molestia da detto Signor Fratello Co. Vito.* » In cujus mandati sequelam omnibus judiciis pro Monaldo idem Sartorettus adstitit. Accedunt etiam pignora contra ipsum Monaldum capta, exequutiones plurimæ ejus domi, ac sub ejus oculis pro canonibus expletæ, et pecuniæ in eamdem causam ab eo repensæ, atque denique, post judicium super consignatione pignorum absolutum, amica ab eodem expensarum peracta solutio. Quæ omnia assertam ejus judiciorum ignorantiam omnino eliminare quilibet intelligit. Hisce itaque omnibus mature perpensis, a pandita prius Sententia merito Patres recedentes, perpetui mandati relaxationem pro Moronio adversus Monaldum probandam censuerunt.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA APERITIONIS ORIS

QUOAD

DECRETUM DIEI 30. MAII 1804.

Lunae 28 *Februarii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CLXXVI. -

SUMMARIUM

1. *Qui sine judicis mandato, a possessione rerum suarum dejicitur, vim et spolium patitur.*
2. *In qualibet quaestione, quae inter privatos oritur, oportet judicem adire.*
   Judicium laesionis, non aliter, quam per triplices, ac conformes sententias conficitur - ibidem. -
3. *Cardinalis Pro-Camerarii jurisdictio, quidquam commune non habet cum quaestionibus inter privatos ortis.*
4. *Unicus testis non auditur, etsi fiscali dignitate praefulgeat.*
5. *Princeps si potestate ordinaria utitur, dum*

de substantia subditorum disponit, nunquam praesumitur velle derogare juri scripto.

Potestate extraordinaria Princeps non utitur, nisi in rebus quae respiciunt publicum bonum – ibidem. –

6. *Nisi expresse in rescriptis derogatio fiat Regulae XVIII Cancellariae, nihil prosunt generales clausolae ad supplendum derogationis defectum.*

7. *Si Pontifici non exponuntur singulae facti circumstantiae, rescriptum semper obreptionis et subreptionis vitio laborat.*

8. *Aperitio oris semper concedi debet, quoties Rescriptum SSmum, inficitur injustitiae labe.*

DECISIO CCXXXVII.

Tertio hisce in Comitiis, post quam iterum Viri Principes Franciscus Barberini, et Maphæus Sciarra Colonna a Sacri Nostri Ordinis humanitate impetraverant novæ Audientiæ beneficium adversus binas meas Decisiones diebus *vigesima prima Aprilis* anni 1823., ac *quinquinta Julii* superioris anni evulgatas, disceptatum est, an obloquendi potestas facienda esset Josepho, Petro, Michæli, et Raphæli germanis fratribus Pacetti contra Aeconomicum Decretum Cardinalis Pro-Camerarii, anno 1804 *die trigesima* Maii editum, ac ab Immortalis Memoriæ Pontifice Pio VII probatum, cujus vi Eques Vincentius Pacetti, Actorum pater jamdiu e vivis ereptus, immerito coactus fuit ad quædam marmorea signa, et simulacra restituenda, quæ præfati Viri Principes, constituto pretio, ei vendiderant anno 1798. Atque quamvis bis anceps hæserit RR. Patrum judicium, et commissa fuerit Universæ Aulæ, controversiæ definitio, nihil tamen deductum est, quod Patres dimovere valeret a pandita sententia, qui imo prædictis editis Decisionibus, Me quoque suffragante, album calculum adjecerunt ope Responsi = *In decisis* =.

1 Nullo quippe modo mutare poterant rationum momenta, quibus innituntur præteritæ Decisiones, quæ ad examen revocatæ hodie fuere. Ante omnia retinendum erat, inter alias quæstiones, quæ Viros Principes, et germanos fratres Pacetti detinerunt, præcipuam hanc esse, quæ agit de Aperitione oris. Donec enim non definiatur an eisdem germanis fratribus Pacetti beneficio Aperitionis oris succurrendum nec ne sit, auctoritas ipsa Pontificiæ approbationis prohibet, quominus de justitia, vel injustitia contractus emptionis venditionis disquisitio fiat. At vero, cum Patres Domini denno expenderint Pontificiam Aeconomici Cardinalis Pro Camerarii Decreti approbationem, non potuerunt non cognoscere, tum maxima injustitiæ labe, tum obreptionis, subreptionisque vitio eam inquinari. Ac ut primum de injustitia, de illo nempe gravi detrimento, quod ex eadem approbatione in innocuos Paccettos venit, sermo habebatur, non certe existimandum est, Summum illum Pontificem, justitiæ, æquitatisque assertorem, et vindicem, voluisse, ut privatus Civis, ac honestus pater familias, bonarum artium benemeritus, cujusmodi erat defunctus Eques Pacetti, a possessione rerum suarum, quas justo titulo, optimaque fide sibi comparaverat, per vim, et spolium dejiceretur, quin prius coram Judice jura sua deducere posset, et propria defensione uti, quæ a Deo, et natura est, ut inquit *Ridolphin. in praef. prax. judic. numer.* 1., *et seqq.* Clamabant porro Viri Principes Barberinius, et Sciarra Colonna, enormissime læsum eorum auctorem, defunctum Virum Principem Carolum Barberinium, fuisse in eo contractu, in quo dicebant, levi admodum pretio simulacra, et signa marmorea summæ æstimationis Pacetto vendidisse. Sed, etiamsi hoc verum esset, ac in hypothesi etiam immanis læsionis contractus, haud quaquam tamen licitum erat adversus emptorem quasi more belli, et prædonum ad instar, agere, eumque coemptarum rerum dominio illico, et absque mora privare.

Nam, si in quacumque bene instituta Civitate de privatorum Civium substantiis non aliter judicatur, quam juris ordine servato, seduloque perpensis, tam actoris rationibus, quam rei conventi exceptionibus; multo id magis observandum est in hac Urbe no- 2

stra, quæ sanctissimarum legum mater, puriorisque juris magistra apud omnes habetur. Quod si sub vero, aut mentito boni juris præsidio, inconsultis Magistratibus, rituque judiciorum posthabito, jus sibimetipsi reddere, alienamque rem invadere liceret, actum profecto esset de ordine, ac tranquillitate publica, nihilque leges proficerent ad homines in officio suo continendos. In qualibet itaque quæstione, quæ inter privatos cives oriatur, oportet recursum habere ad Judices, ac Prætorem adire, qui cognoscat an recte actio instituta sit, vel legitima exceptio, quæ actoris intentionem prorsus eliminet; neque leges patiuntur, ut quis indefensus omnino condemnetur. Hæc vero locum præcipue sibi vindicant in judicio læsionis, quod, cum odiosum in jure sit, ac plenas, requirat probationes, non aliter, quam per triplices ac conformes Sententias confectum absolutumque censetur. Recolantur hic, quæ habet utraque superior mea Decisio, prima § 4 ad 6., altera a § 2 ad 3. Multa adversus hæc opponebant utriusque rei conventi defensores, dum ajebant, vocatum apud Cardinalem Pro Camerarium fuisse Pacettum; jura item sua coram Eodem ipsum doduxisse: exquisitum pariter fuisse Advocati Fiscalis suffragium: rem demom ipsam summa maturitate, et consilio perpensam, discussamque fuisse.

8 At hæc omnia, quæ, perperam objecta in præteritis jurium experimentis hodie denuo regerebantur, excusare nullo modo poterant vim, violentiam, et spolium, quod ingenuus pater familias in re bona fide, justoque titulo quæsita perferre debuit. Premonendum primo est, quod licet amplissima sit Cardinalis Pro-Camerarii jurisdictio, ea tamen ad res publicas pertinet, ad conservationem videlicet monumentorum Urbis, ad eorum custodiam, et tutelam, ad incrementum denique liberalium artium, nec quidquam commune habet cum quæstionibus inter privatos cives ortis, ac validitate, et justitia contractuum inter eos gestorum, nisi illorum cognitio, et examen a Supremo Principe peculiariter commissum ei fuerit. Et si vero Cardinalis Pro-Camerarius hac in re rite jurisdictionem suam exercuisset, non attamen legitime vadari coram eo Judice Pacettum curavit defunctus Vir Princeps Barberinius, omissaque per consequens citatione, proculcatam judiciorum formam fuisse denegari nequit. Certius, quia nulla defensione Pacettum uti potuisse evincitur ex epistolio, quod pridie, quam restitutionis Decretum pronunciaretur, ad eumdem misit Cardinalis Pro-Camerarius, in quo ei jubebat = *che appena ricevuto il presente foglio si rechi nelle sue Camere al Quirinale senza la menoma dilazione, avendo cosa interessante a comunicarle* =. Porro non ita scripsisset Cardinalis Pro-Camerarius, si antea tractata, et discussa apud eum quæstio fuisset: sed hic ipse loquendi modus ostendit, tunc primum Pacettum cognovisse querelas, quas idem venditor Barberinius ad Cardinalem Pro-Camerarium injuste detulerat.

Nec obstat testimonium ipsius Advocati Fisci tunc temporis, modo vita functi, quo ipse profitebatur, sese reapse super exorta controversia suffragium in scriptis edidisse. Hanc siquidem depositionem ille emisit, quo tempore, destitutus Fiscali munere, in Hetruria latitabat. Præterea nec illud omittendum, rem agi de unico teste, qui nunquam in foro auditur, etsi præclaræ Curiæ honore, aut alia dignitate præfulgeat. Semelac vero testimonium Advocati Fisci ad suffragium in scriptis editum refertur, nec simul suffragium ipsum affertur, nemo non intelligit testimonium Fiscale in referens sine relato resolvi, quod nihil in jure probat, ac corpus sine anima a pluribus existimatur, *Rot. decis.* 440 *num.* 5 *cor. Olivatio, decis.* 273 *num.* 8 *cor. Ansaldo, et decis.* 315 *num.* 26 *cor. Ratto.* Quamvis demum concederetur, opinionem, judiciumque suum in scriptis ea occasione protulisse Fisci Jurisconsultum, quod cæteroquin, aut in privato Archivio Barberiniæ Gentis, aut in publico Rev. Cameræ tabulario de more servaretur, haud satis erat nihilominus 4

audire Fiscalem Advocatum, sed ipse emptoris jura expendere, ac serio librare oportebat, qua de re, si Pontificia Decreti approbatio injuriam, et detrimentum adeo grave attulit optimo civi, benæque fidei possessori, ut naturalem quoque defensionem ei præcipuerit; e medio sane tolli debet, ac omnino deleri Decretum ipsum, veluti ac si numquam in lucem venisset = *quoniam plerumque ita in nonnullis causis inverecunda petentium inhiatione constringimur, ut etiam non concedenda tribuamus* = veluti inquit *Imp. in leg.* 1 *Cod. de petit. bon. sublat.*

5 Eeque magis in sentiendum est, tum quia non agitur de Decreti approbatione, quam propria manu signaverit Sacratissimus Princeps, qui voce tantum probavit quidquid ei in audientia retulit Cardinalis Pro-Camerarius, tum etiam, quia ipse Sacratissimus Princeps controversiæ definitionem Sacro Nostro Ordini commisit cum clausula *de aperitione oris. ac prout de jure*, ex qua satis voluntatem suam pandidit, ut, si Decretum juri adversaretur, revocari statim deberet, ut fusius arguunt præteritæ Decisiones prior § 7 altera § 5. Quamobrem, si ipse S. M. Pontifex Pius VII voluit, ut de viribus Pontificiæ approbationis coram Sacro Nostro Tribunali disputaretur, corruit omnino defensionis fundamentum, quod illustres venditoris hæredes constituebant in auctoritate, et potestate Summi Pontificis, qui supra jus, et legem est. At illud quoque accedebat, non leve intercedere discrimen inter *ordinariam*, *ac extraordinariam*, seu *absolutam*, ut vocant, Supremi Principis potestatem. Si enim potestate ordinaria Princeps utatur, dum de substantiis subditorum disponit, numquam præsumitur juri scripto eum velle derogare, qui imo se legibus subjectum esse gloriatur. Norunt e contra omnes, et summopere venerantur, et colunt extraordinariam Supremi Principis potestatem, qua ille utitur, dum aliqua urget necessaria causa, et publicum præcipue bonum, cui cedere debet privatorum utilitas, aut detrimentum. Attamen nunquam extraordinariam, et absolutam potestatem, quæ casibus fortuitis æquiparatur ex *Text. in Leg. Lucius Titius* 11 *ff. de evict. Leg. Contractus* 23 *ff. de reg. juris*, *Pacion. de Locat. et conduct. cap.* 49 *n.* 110 *Rot. cor. Ubago decis.* 3 *num.* 29 *cor. Molines decis.* 60 *num*. 27. *et decis.* 785 *num.* 6 *cor. Riminaldo.* Supremum Principem exercuisse censetur, nisi cum id palam, et expresse dixerit, quia præcipue tum quolibet dubio potestate prorsus ordinaria, numquam absoluta, usum eum fuisse, præsumendum sit. Consulantur huic superiores Causæ Decisiones, prima § 8., altera § 6.

6 At vero in Decreto Cardinalis Pro-Camerarii, quod Pontifex Pius VII voce confirmavit, nulla occurrit vocula, quæ plenitudinem potestatis ostendat, ac nulla legitur clausula, ex qua conjecturare liceat, juri alteri quæsito Pontificem illum Optimum, et vere Maximum derogasse. Hinc plane sequitur, haud probasse Summum Ecclesiæ Antistitem, et Pastorem, quo tanta celeritate, et violentia in re tam seria ageretur, ut ne ipsa quidem Tribunalia adire fas esset, et re sua triduo minus expoliaretur legitimus, ac bonæ fidei possessor: cum potissimum ex sanctione famigeratæ *Regulae XVIII.* Cancellariæ, quam postridie Eorum creationis singuli Pontifice jure jurando confirmant, non soleant jura lædere alteri quæsita: Neque erat vis extollenda tum præsumptæ Pontificis voluntatis ea omnia approbandi, quæ in calce ejusdem Decreti leguntur = *qualunque cosa in contrario non ostante* =. Declaratio quippe illa, quam Summi Pontifices in prædicta Cancellaria *Regula XVIII.*, fecerunt de quibuscumque Rescriptis juri contrariis non attendentis, etiam *si Motu Proprio*, *et certa scientia Sanctitatis Suae emanaverint*, hoc demum præstat, ut nisi expressa in Rescriptis derogatio fiat sæpius citatæ Regulæ sanctionibus, nihil prosint generales clausulæ ad supplendum derogationis defectum. Si igitur Cardinalis Pro-Camerarii Decretum a Pontifice confirmatum jura pessumde-

dit legitimi emptoris, satis hoc erat ad aperitioni oris beneficium ei tribuendum.

7 His etiam omnibus adstipulabantur obreptionis, subreptionisque vitia, quæ magis nullum, irritumque fuisse Cardinalis Pro-Camerarii Decretum evincunt. Quandoquidem non probabant Barberinii venditoris hæredes novisse Pontificem singulas illius contractus circumstantias, et qualitates, quæ sane deductæ, ac in Decreto narratæ, impedimento fuisset, quominus Decretum approbaretur. Nam si forte non ignorasset Pontifex, Barberinii querelas, quoad nullitatem, læsionemque contractus, privatas tantum, nec coram Judice discussas fuisse: tum necessariam citationem, judicii solemnia, legitimamque rei conventi defensionem omissam impune fuisse: sub poena demum conjectionis in vincula coactum fuisse Pacettum ad simulacra restituenda: piaculum est assere, Pontificem illum Cardinalis Pro-Camerarii Decretum approbare voluisse. Præter hæc *extrinseca* Decreti vitia, non minoria sunt ponderis ea, quæ ab *intrinseca* Decreti injustitia descendunt, quæque fusius ostendit altera hujusce diei Decisio super *Restitutione in integrum coram me* cujus ope confirmatæ pariter fuerunt præcedentes Decisiones, ubi de æqualitate, et justitia contractus emptionis venditionis statuarum edisseritur. Reque vera evenire fortasse potuit, ut Summus Pontifex, et si, nondum ad Pontificatus fastigium evectus, Roma tunc temporis, cum contractus fuit initus, abesset perspectam, et cognitam haberet infelicem temporum conditionem, pecuniæ aureæ, vel argenteæ raritatem, periculum rursus, quod imminebat, ne a Gallorum copiis, quæ totam Italiam invaserant, monumenta pretiosa diriperentur.

8 At quantum hæc infortunia, quæ publica erant, et cives omnes, ac ipsius Italiæ populos afflixerant, nota esse poterant Pontifici; tantum eum latebant peculiares contractus circumstantiæ, quæ quamlibet a contractu læsionis umbram abstergunt. Non enim sciebat Pontifex, neque Cardinalis Pro Camerarii Decretum explicabat, pretium a Pacetto solutum fuisse in aurea argenteaque pecunia, quæ *sexies* excedebat valorem papyraceæ monetæ, que tunc in commercio vigebat, et quam nemo recusare ex legibus poterat. Nullam pariter mentionem Decretum faciebat de multis precibus, quibus a defuncto Viro Principe Barberinio ad emenda marmorea signa adductus fuit Paccettus: de paucitate emptorum, de pretii quantitate eodem Barberinii mandatario, et procuratore petita non a Pacetto oblata; de instaurationibus ab insigni ipso sculptore, atque emptore Pacetto peractis in altero ex marmoreis signis, quod dormientis Fauni formam, et immaginem exprimebat, et argenteis nummis plusquam *bismillibus* a peritis viris æstimatis: de maxima, qua Barberinius præmebatur necessitate quam cito inveniendi pecuniam ad indictas a Gallis intributiones solvendas, et majora effugienda pericula. Nemo autem adeo temerarius erit; atque impius, qui audeat asserere, quod his omnibus circumstantiis in Decreto expositis, probare illud voluisset Pontifex æquitatis, et justitiæ cultor. Cum igitur Pontificia Decreti approbatio graviter læserit jura optimi patris familias, et obreptionis præterea, subreptionisque vitiis coinquinata evidentissime sit, hærendum profecto non est, quin aperitio oris modo concedi debeat defuncti Equitis Pacetti filiis, et hæredibus, quæ toties sibi vindicat locum, quoties Pontificium Rescriptum inficitur injustitiæ, aut obreptionis, subreptionisque labe, prout ex Canonico non minus, quam ex Civili jure statuit prima Decisio § 4 et secunda § 2., quas in omnibus hodie Patres Domini confirmarunt.

Et ita, relatione babita ad prædictas Decisiones una mecum VV. OO. DD., et utraque parte jura sua deducente definitum fuit.

ROMANA APERITIONIS ORIS

QUOAD REMJUDICATAM

R. P. D. FERRARI ANNI 1806.

Veneris 4 *Martii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CLXXVII. -

SUMMARIUM

Summaria non indiget.

DECISIO CCXXXVIII.

Cum filii, et hæredes defuncti Equitis Vincentii Pacetti dubitaverint, si non expresse, implicite saltem, a Pontificia Auctoritate fuisse probatum posterius Auditoris Eminentissimi Pro-Camerarii Decretum in Remjudicatam prolapsum, quia alteri cohærebat ab ipso Cardinali Pro-Camerario biennio ante lato, et a S. M. Pontifice Pio VII confirmato, et ideo adversus hoc etiam Oris Aperitionem postulaverint, binis idcirco Decisionibus, a me publici juris factis sub diebus 25 Aprilis anni 1823, et 5 Julii superioris anni, ab ea quoque secunda jussione beneficium Aperitionis oris eisdem germanis fratribus Pacetti tributum fuit. Nec secus hodie res cessit, post quam, facta Nobilissimis Viris Francisco Barberini, et Mapheo Sciarra Colonna obloquendi venia, ad suffragium ferendum ex eo, quod bis anceps hæserit S. N. Tribunalis judicium, una mecum vocati Omnes Domini fuerunt. Vadimonio enim a reis conventis deserto, assuetæ Dubii formulæ responsum est « *In decisis* ».

Et si vero jura sua deduxissent Barberinii hæredes, nihil proficere poterant. Hæc siquidem quæstio ab altera pendet super Aperitione oris adversus primum Decretum Cardinalis Pro-Camerarii, de qua disserit alia mea Decisio in præteritis Comitiis edita; cumque in ea denegari germanis fratribus Pacetti non potuerit Aperitionis oris beneficium, quia primum illud Decretum a Pontifice probatum, non modo jura læsit defuncti Equitis Pacetti, quem indefensum damnavit, sed obreptionis quoque, subreptionisque vitio laborat; per consequens exinde descendit, ut idem judicium pronunciandum sit adversus posterius Decretum Auditoris Eminentissimi Pro-Camerarii, quod in pleniorem prioris exequutionem evulgatum fuit. Quare nihil oportebat inquirere, an posterius hoc Decretum firmatum nec ne fuerit ab Auctoritate Pontificia. Etiamsi enim dici vellet, aut implicite, aut expressis etiam verbis a Pontifice confirmatum, adbuc tamen injustitiæ, et obreptionis, subreptionisque labes, qua pariter inficitur, omnino requirit Aperitionis oris beneficium. Nam præsumendum non est, quod, si Pontifex ille Immortalis Memoriæ injustitiam Decreti agnovisset, et germanam rei veritatem non ignorasset, approbare illud voluisset, veluti firmant præcedentes Decisiones, utraque §. 2.

Et ita VV. OO. DD. cum meo etiam suffragio resolutum est altera tantum ec.

ROMANA FRUCTUUM

Lunae 28. *Februarii* 1825

ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur - DECISIO CXXXVII.

SUMMARIUM

1. *Tria requiruntur ut requisita castrensia, suam exerant vim: denunciatio, mora, et prompta occasio collocandae pecuniae.*
2. *Interpellationi castrensium locum esse nequit, si summa aut incerta, aut libere solvenda non sit.*

   Qui justam habuit solutionem differendi causam, moram non contrahit - ibidem. -
3. *Nemo tenetur ante diem solvere, quod debet in diem.*

   Etiam is qui causa cecedit, non tenetur usuras rependere in vim requisitorum Castrensium, nisi post pronunciatam Sententiam - ibidem. -

4. Lex Curabit *locum sibi non vindicat, ubi emptor rei possessionem non accepit, neque res ipsa fructus gignebat.*

Jus redimendi est res quaedam incorporalis, quae nullos fructus parit – ibidem. -

5. *Extranea evadit dispositia legis* Curabit, *si emptor ab initio contractus persolverit integrum pretium*

6. *Praefata* lex *Curabit in fructuum judicio, quoad pretium, inspici jubet,* quanti res venit.

7 *Donec vere, et cum effectu res vendita redimatur, prior contractus firmus remanet, nec suum sortitur effectum secunda emptio venditio.*

8. *Ad tramites* legis Curabit, *ex re etiam sterili, quae acquiritur oblectamenti causa, fructus debentur.*

DECISIO CCXXXIX.

Magnis animis, viribusque coram Sacro N. Ordine contenderunt inter se Dux Joannes Carolus ab Auria Evoli, ac Dux Joannes Torlonia, uter eorum præferendus esset in emptione juris redimendi prædia plurima in Anguillaræ agro posita, quæ tali pacto Præsul Carolus Alessius, uti bonorum curator Agapyti Grillo, e Ducibus Mondragonis, eidem Evolio ejus genero vendiderat. Hoc fervente judicio, in quo palmam denique præripuit Evolius, teste Decisione a me edita anno 1822 die *octava* Martii sub titulo *Romana Prælationis*, ipse Præsul Alessius, ut rem utilem gereret patrimonio interea defuncti Ducis Agapyti, famigerata Jurisconsulti *Pauli de Castro* requisita adversus utrumque litigantem interpellavit, ut accessiones argenteorum nummorum *quindecim millium,* quæ ad jus redemptionis acquirendum afferebantur, *ad bessem* rationem assequeretur. Hoc modo, priori quoad prælationem dirempta controversia, Nobilissima fæmina Maria Rosa Grillo, Ducis Agapyti filia, atque hæres, novam litem de istis fructibus excitavit, quæ ob continentiam cum præcedenti quæstione acta illico fuit coram Sacro N. Ordine, suffragium *Quinto, et Sexto* ferentibus. Nullus tamen aut ab Evolio, aut a Torlonio deberi fructus illius summæ scutorum *quindecim millium* optime constituit mea Decisio, quam anno 1823 die *decima secunda* Martii publici juris feci. Demandata hinc quoad Torlonium Causæ *expeditione*, ac impertito Mariæ Rosæ quoad Evolium Novæ Audientiæ Beneficio, instauratum est inter conjuges certamen in Comitiis diei 20 Junii ejusdem anni, in quibus anceps hæsit rei definitio, ac ampliatum ad universam Aulam judicium fuit. Cum igitur Patres Dominos hodie denuo sub assueta dubii formula de sententia rogaverim, adeo juri, ac justitiæ consona reperta fuere editæ Decisionis rationum momenta, ut statim, me quoque suffraganta, Responsum prodierit = *In Decisis* =.

Qui lectissimæ Mulieris Causam ora- 1
bant, duplici ex titulo in bodierno jurium experimento usuras reposcebant illius summæ scutorum *quindecim millium : tum* scilicet ex interpellatiune requisitorum *Castrensium*, sub initium anteactæ litis de prælatione curatore bonorum defuncti Ducis Agapyti in actis interposita : *tum* etiam ex æquitate, et censura notissimæ *Leg. Curabit Cod. de act. empt. et vend.* At neutrum ex adductis titulis actrici prodesse ad petitas obtinendas usuras, præ eorum sapientia, et doctrina Patres denuo viderunt. Atque, ut a Castrensibus requisitis exordiamur, quæ revera presentis judicii subjectum constituunt, ad tramites libelli a Maria Rosa propositi, eorum sane vis, et effectus in eo consistit, ut quodcumque creditum, etiam merc pecuniarum, infructuosum, et ex puro, ac simplici mutuo proveniens, frugiforum evadat. *Rot. cor. Seraphin. decis.* 88 *num.* 3 *et post Zanch. de Societ. offic. decis.* 7 *num.* 2 *in Rec. decis.* 246 *num.* 18 *part.* 5. Juxta tamen consuetudinem in Curia, et Sacro N. Tribunali constantissime receptam *tria copulatice*, ut inquiunt, requiruntur in requisitis *Castrensibus*, ut suam exerant vim : *primum* nempa eorum denunciatio a creditore facta, *mora* deinde debitoris in solvendo: *tertio* demum prompta occasio fænoris collocandæ pecuniæ, veluti firmat *Rot. Decis.* 1028 *n.* 6, *et Decis.* 1043 *num.* 13 *cor. Lancetta.* Satisfecit Maria Rosa, sive pro ea

Præsul Alessius denunciationi requisitorum Castrensium, quam, ineunte lite prælationis, explevit. At foenori collocari pecunia non poterat, semel ac empta ab Evolio bona tot hypothecarum vinculis obtruebantur, ut non modo Chirographum Pontificium, quod emptionem venditionem permisit, disertissime jusserit, ut ex pecunia ab emptore solvenda nomina dimitterentur, quibus Mondragonii Patrimonium premebatur; sed etiam idipsum expresse cautum fuerit publicis in tabulis; quæ ea occasione stipulatæ fuerunt.

2 Adeo vero parere voluerunt contrahentes Pontificii Chirographi legi ut, cum pretium a peritis agrariis præfinitum, et ab Evolio bonorum emptore numerandum, haud satis esset urgentioribus nominibus patrimonii dimittendis. Ipse emptor alios nummos argenteos *quinque mille quingentos octuaginta* ad collybum dederit Administratori, quos deinde subduxit a pretio scutorum *quindecim millium* quæ in Causam obtentæ prælationis in emptione juris redimendi postea numeravit. Firmo itaque manente, quod venditorum bonorum pretium, tam ex Chirographo Pontificio recolendæ memoriæ Pontificis Pii VII quam ex litera contractus in nominum dimissionem erogandum erat; irrita prorsus fuerunt, nulliusque momenti requisita Castrensia, quorum interpellationi locus esse nequit, si summæ quantitas, interpellanti creditori debita, aut incerta, aut illiquida, aut libere solvenda non sit, prout probat prima mea Decis. § 5. Urgebant tamen Mariæ Rosæ defensores, liberari eam potuisse a gravissimis usuris, quas paterni patrimonii creditoribus rependebat, si juris redimendi pretium in scutis *quindecim millibus* illico numeratum ab Evolio fuisset. Sed justam ipse habuit solutionem differendi causam, donec definitum esset, utrum Torlonio an Evolio competeret jus prædia redimendi: cum potissimum victor idem Evolius a judicio discesserit, ac redimendi pactum, quod ex deductis in superiori mea *Decis.* § 6, plerumque quidem rei minuit valorem, non in pretii causam concessum in themate fuerit venditori, sed ex liberalitate, et gratia tantum emptoris.

Nullum quidem intercedit discrimen inter eam rem, quæ gratuito, atque aliam, quæ oneroso titulo alicui tribuitur, quia in obligationem utraque transit, et non minus a data fide desciscit, qui locationis conductionis, exempli gratia, aut emptionis venditionis pactiones frangat, quam qui donationem, aut cessionem implere detrectet. Attamen ea semper redit responsio, quod, usquedum manebat sub Judice lis de prælatione in emptione juris redimendi inter Evolium; ac Torlonium acta, non tenebatur sane idem Evolius pecuniam prænumerare, et rite is utebatur noto juris adagio, ex quo docemur neminem teneri ante diem solvere, quod debet in diem *Leg. qui hoc anno* 42 *ff. de verb. obbligat.* Nam si is etiam, qui causa cecidit, non tenetur usuras rependere in vim interpellationis requisitorum *Pauli de Castro* litis initio factæ, nisi postquam pronunciata adversus eum fuerit Sententia, ut expendit prior Causæ *Decisio* § 11 multo magis a rependendis usuris absolvendus is erit, cujus jura in litigantium conflictu prævaluerunt, quique victoriam retulit in judicio. Ex his autem illud etiam constat, in nullam Evolium incidisse moram, quæ alterum constituit extremum ad recte interponenda requisita Castrensia. Vulgati siquidem juris est, moram ab eo non contrahi, qui sese judicio tueri ab alicujus molestiis coactus fuit, quousque definitum non sit, jure ne, an injuria intentatis se se objiciat actionibus, ut tradit *cit. mea Decis.* § 7. Non aliter vero oblationem a Torlonio, factam ratam habuit. Administrator, quam si Evolius prælationis jure uti nollet, aut jus ipsum redimendi in alios non transtulisset Agapytus. Donec ergo pateret, neutram ex his conditionibus extitisse, incerta manebat oblatio, nullusque erat locus pretii solutioni.

Deficiebat hinc primum præsidium 4
requisitorum Castrensium, ex quibus Maria Rosa sibi debitos pretii scuto-

rum *quindecim millium* fructus asserebat. Non minus tamen inepta visa est exceptio altera, ex æqnitate desumpta notissimæ *Leg. Curabit Cod. de Act. empt.*, *et vend.* Dispositio enim illius legis ad eum casnm pertinet, in quo emptor fructuosæ rei nactus fuerit possessionem, et prætium venditori non solverit, ant ejus partem tantum. Tunc sane, ne contra naturalem, et civilem æquitatem emptor re fruatur, et pretio, prædicta lex mandat, ut ab emptore persolvantur fructus, qnos vocant *compensativos*, usque ad integram pretii satisfactionem, veluti pariter cavetur in *leg. Julianus* 13 *ff. de act. empt*, At in casu de quo agitur, neque rei possessionem accepit Evolius, neque res ipsa fructus gignere valebat. Non accepit possessionem, quia donec lis de prælatione pendebat, incertum, erat an uni, vel alteri addictum jus redimendi fuisset. Non item de re fructuosa agebatur, quia jus redimendi, de quo erat quæstio, est res quædam *incorporalis*, quæ nullos fructus parit, veluti idem implicite fassus fuit Administrator Agapyti, qui ideo requisita Castrensia interpellavit, quod de re infructuosa agi plane intelligebat.

5 Contra vero, dum Evolius Anguillariæ bona coemit, integrum pretium a decempedatoribus constitutum illico numeravit, quin aliquid ex eo fuerit remissum, ob redimendi pactum venditori reservatum. In Pontificio siquidem Chirographo ipse declaravit Agapyti bonorùm curator = *che ad oggetto, che la detta vendita potesse riuscire di gradimento insieme, e di vantaggio al Duca di Mondragone, ha potuto l'Oratore ottenere dal compratore la facoltà di redimere i fondi alienati, la quale benché soglia diminuire sensibilmente il valore de' fondi, ciò non ostante il Duca d' Evoli non l'ha valutato accordanda tal facoltà di redimere gratuitamente* =. Si igitur integrum pretium ab initio contractus persolvit Evolius, extranea penitus dispositin *leg. Curabit* a præsenti themate renuncianda est. Quæ autem objiciebatur recens relatio Agrimensorum, qui prædia jam emptioni venditioni subjecta tanti æxtimarunt, quanti supra pretium jam ab Evolio numeratum sese soluturum promisit Torlonius, si in prælationis judicio vicisset; ea quidem refragari non poterat tum Pontificio Chirographo, tum æstimationi prædiorum tempore non suspecto, ab initio scilicet contractus ex jussu Administratoris expletæ. Non modo enim ad Causæ opportunitatem hanc peritorum hominum relationem confectam fuisse patet, sed in maximum præterea facti errorem incidisse eosdem peritos homines evidens est, dum putarunt in priori prædiorum æstimatione, quæ constituta fuit in sc. 29821. 85, præ oculis habuisse agrimensores = *ilribasso del terzo competente alle vendite col patto di redimere* =, quoties e converso tam publicæ Instrumenti tabulæ, quam Pontificium Chirographum, quod magis est, aperte demonstrant, contrarium omnino evenisse, et ne in minima qnidem parte diminutum fuisse prædiorum pretium ex redimendi jure venditori reservato.

De hac demum re ambigendum amplius non est, postquam Rejudicata S. 6
Nostri Ordinis definitum est, ab æmulatione, et æstu processisse Torlonii oblationem, quæ justum prædiorum pretium jam ab Evolio solutum excedebat:. quemadmodum constat ex allegata Decisione *Romana Prælationis* 8 *Martii* 1822 *coram Me* § 14 quam Torlonius ipse, institutæ prælationis controversiæ nuncium mittens, solemniter acceptam habuit, et approbavit. Irrito proinde studio excipiebant Mariæ Rosæ defensores, in judiciu de fructibus reddendo inspiciendum unice esse, ad tramites Legis *Curabit*, quanti res venerit, non autem, an pretium ab emptore solutum justum ne, vel immo immodicum sit, de quo quæri solet in judicio læsionis juxta *leg.* 2 *Cod. de rescind. vend.* Addebant etiam inutile poni discrimen inter jus redimendi, et emptionem jam factam, quia jus redimendi efficit, ut prima emptio venditio rescindatur, et secunda tantum implementum assequatur. *Corradin. de jure prælat. quæst.* 1 *num.* 4 *Gratian. Discept.*

forens. 402 *num.* 8. Reponebant denique, ex re etiam sterili quæ commoditatem tamen aliquam afferat emptori, solvendas esse accessiones, si integrum pretium non fuerit ab eo solutum. Hæc enim omnia nullo modo dimoverunt Patres, quin præteritæ Decisioni album calculum adjicerent, ut quoslibet fructus Mariæ Rosæ denegarent. Profecto, quod ad primum attinet objectum, præfata *Lex Curabit* in fructuum judicio inspiciendum unice esse jubet, *quanti res venit*, pretium nimirum illud, de quo inter contrahentes convenit. At, quoniam pretium, quod initio contractus inter Evolium, et Patrimonii Administratorem conventum fuit, illico persolvit Evolius, per consequens descendit ex ejusdem Legis sanctione, ut ad nullos præstandos fructus ipse teneatur.

7 Jus prætcrea redimendi, quod, aut venditor, aut quisquis alius pro eo experitur, primam quidem obliterat emptionem, et penitus tollit. Id tamen non accidit quousque redimendi voluntas tantum ostenditur; et donec vere, et cum effectu res vendita redimatur, prior contractus firmus remanet, nec suum sortitur effectum secunda emptio venditio, ut innuit idem *Corradin. loc. cit.* Atqui non id convenit publicis in tabulis, ut Anguillariæ prædia *inempta* essent post annum, si redimendi jure venditor Agapytus uteretur; sed ut potestas esset eidem Agapyto prædia redimendi, facta pretii restitutione, adeo ut ea die prædiorum possessionem amittere deberet Evolius, quo prædia ipsa redimeret Agapytus, pretiumque restitueret. Qua de re, cum eo temporis spatio, quo dimicatum est inter Evolium, et Torlonium, utri eorum tribuenda esset juris redimendi facultas, neque prædia redempta fuerint, neque pretium restitutum; fateri necesse est, haud *inempta* post anni lapsum prædia mansisse, sed ea imo ex priori contractu Ducem Evolium retinuisse. Quemadmodum itaque *tertius* quilibet alius nactus prædiorum possessionem non fuisset, nisi postquam, absoluta praelationis controversia, jus redimendi reapse exercuisset; ita non prius Evolius ex novo quodam titulo praedia retinuit, nisi postquam ei adjudicatum est jus praelationis. Si ergo, donec lis ferbuit, summa scutorum *quindecim millium* nullam pretii partem constituit, nulli pariter *compensativi* fructus rependendi sunt ab Evolio qui caeteroquin, vix exitum habuit praelationis judicium, apud publicum argentarium summam illam absque mora deposuit, ut Chirographum Pontificium, et tabularum litera ferebat.

Nihil demum commune habet cum praesenti themate, quod tertio loco reponebatur, ex re etiam sterili, et infructuosa, quae non venditur ratione fructuum percipiendorum, sed ratione alterius commoditatis, oblectamenti, animique recreationis, deberi fructus ad tramites praedictarum *leg. Curabit Cod. de act. empt., et vendit., et leg. Julianus* 13 *ff. de act. empt.*, quia, si oblectamento, et commoditate fruitur emptor, æquum est, et fructus quoque ejusdem commoditatis, et oblectamenti rependat. Fuerit hæc nonnullorum Doctorum opinio, quam refert tantum, non autem sequitur perperam allegata a Mariæ Rosæ defensoribus *Decis.* 453 *num.* 2, *et sequen. part.* 4 *tom.* 2 *Rec.*, in qua imo *cit num.* 2 diserte cavetur unum, et quidem maximum dictarum legum requisitum in eo præcipue consistere, ut res, quæ venditur, et cujus dominium, et possessio in emptorem transfertur, habita fide de pretio, fructus gignat. At, quoniam demonstratum est jus redimendi, de quo agebatur, rem omnino *incorporalem*, *et infructuosam* constituere, necessario sane descendit, ne ratione quidem oblectamenti, et commoditatis ullos producere fructus potuisse. Redit ergo, quod a principio dictum est, nec ex interpellatione requisitorum Castrensium, nec ex diverso prorsus titulo censuræ *leg. Curabit* petere posse Mariam Rosam accessiones illius summæ scutorum *quindecim millium*, quot pro jure redimendi prædia ab Evolio soluta fuere. 8

Et ita, una mecum VV. OO. DD., jus redditum est. Utraque etc.

ROMANA IMMISSIONIS

Veneris 18 *Martii* 1825.

ARGUMENTUM

Si emptio venditio, fuit inita pro persona nominanda, et nominatio non fuit facta incunctanter quaelibet posterior declaratio, non perimit hypothecas et alia onera, quae interea temporis super se empta imposita fuerunt. Excussio praetermitti impune potest a creditore, ubi exactio difficilis, vel impossibilis appareat.

SUMMARIUM

1. *Ut Salvianum interdictum locum obtineat, requiritur, hypotheca, possessio fundi penes reum conventum.*
2. *Si in emptione venditione pro persona nominanda, nominatio non fiat incunctanter, quaecumque posterior declaratio, consideratur ut secundus contractus.*
3. *Ubi declaratio fuit sero emissa, quodlibet onus interea temporis super fundo impositum, afficit primum acquirentem, et in ejus successorem transit.*
4. *Plus valet quod agitur, quam quod simulate concipitur.*
   Res empta non pertinet ad eum cujus est pecunia, sed ad eum cujus favore venditio peracta est – ibidem. –
5. *Nulla est adhibenda fides declarationi, quae non fuerit ad acta delata* – Et num. 6. –
7. *Incredibile est, quod quis in posteriori declaratione, anteriorem non recordasset si renpse extitisset.*
8. *Nemo potest in discrimen adducere propriam confessionem, praesertim jurejurando fultam.*
9. *Res inter alios gestae, tertio nequeunt obesse.*
10. *Exceptio excussionis, nequit proponi adversus Judicia summaria.*
11. *Quoties inutilitas, vel etiam difficultas excussionis concurrit, eam haud praemittere tenetur creditor.*
12. *Principium, quod usurarum cursus cesset a die quo super patrimonio concursus convocatur, respicit tantum cambia.*
13. *Nec in cambiis fructus cessant, si cambiandi, et pecuniam trasmittendi onus, quis non sibi sed alteri commiserit* –

DECISIO CCXL.

Domum in Urbe positam, ad Pauli Balnea, vulgo = *in Via Magnanapoli* = ac = *del Grillo* =, hypothecæ subjecisse, die 7 Julii 1812, erga Viarum honestissimum tabellionem Benedictum Triulzi, pro ejus credito in scutis 1583 78 ½ sub quincunci usura Raymundum Puccini, qui eam, inter posita cujusdam Dominiconi persona, acquisiverat die 14 Decembris 1811 ab Administratione Gallica, quæ dicebatur = *del debito Publico* =; eumdem deinceps Puccinium, die 25 Septembris illius Anni 1812, declarationem emisisse apud Magistratum, dictum = *Maire di Roma* =, qua profitebatur eam acquisitionem ipsum explevisse pro Equite Stephano Fabrini, pecuniave, sive schedis = *rescrizioni* = ab eo sibi datis, Triultium postea agentem pro assequendis sui crediti non solutis fructibus, et immissionem ideo ad illam domum in Salviano petentem repulsum primo fuisse Sententia A. C. Mastai, dein vero ejus actionem fuisse probatam a S. N. Ordine, primum Decisione die 5 Julii 1816 a nunc Emõ S. R. Ecclesiæ Cardinali, ac Beneventano Archiepiscopo Bussi edita, quam subsequuta fuit Rotalis Sententia, deinceps altera Decisione, ad diem 3 Februarii 1817 a nunc Emõ Serlupi evulgata, cui pariter Rotalis Sententia successit, satis superque exponunt binæ hæ consultissimæ Decisiones. Hoc unum nunc addere itaque oportet, Fabrinio ab iis duabus S. N. Tribunalis Sententiis appellationem Supremam Justitiæ Signaturam indulsisse cum clausula *sine præjudicio duarum*. Quocirca mihi Causa commissa, rogavi hoc mane Patres sub assueta Dubii formula = *An constet de re judicata, seu potius de Causis restitutionis in integrum in casu etc.* = ac Responsum accepi = *Constare de rejudicata* =.

Et merito quidem. Hujus quippe 1
Reijudicatæ validitatem in dubium revocare nec Fabrinius ipse ausus est umquam: de ejusdem vero justitia ambigi nequit. Cum enim de immissione ageretur in vim utilis Salviani interdicti a Triultio petitam, eamdem ei concedendam procul dubio fuisse constabat, cum *tria* illa concurrerent, quæ ad eam obtinendam requiruntur: actoris scilicet creditum cum hypotheca;

anterior fundi hypothecæ subjecti, ad quem immissio petitur, penes debitorem possessio; eademque actualis penes reum conventum, ut Sacer N. Ordo sæpissime firmavit præsertim in *Nepesina Immissionis* 26 *Aprilis* 1751 § 2 *cor. Canilliac., in Florentina, seu Ravennaten. Immissionis* 27 *Novembris* 1757 § 11 *cor. Olivatio, in Romana Salviani* 14 *Maii* 1759 § *cor. Herreros, et in Pisauren. Salviani* 10 *Maii* 1773 § 3 *cor. Herzan.* Verum de hoc ultimo *extremo* nulla hinc inde controversia extabat, ac de secundo tota erat quæstio. Contendebat siquidem Fabrinius, se in fundi possessione usque ab anno 1811 stetisse, proindeque nullimode valere hypothecam, quam super ea Puccinius Triultii favore mense Julio in sequentis anni 1812 imposuerat. At de hac Fabrinii possessione non constare semel, iterum, et hodie tertio Patres censuere.

2 Salvator enim Dominiconius in licitatione habita penes Administrationem æri alieno publico dissolvendo præpositam, sub die 14 Decembris 1811, *pro persona nominanda* domum coemit, quæ ad Balnea Pauli, vulgo = *Magnanapoli* = prope Forum Trajani extat, Monialibus jam pridem SS. Dominici, et Xisti dominio subjectam. Cumque Gallorum leges, quibus tunc temporis utebamur, imperarent = *che coloro i quali si presentano ad offrire per persona da nominarsi debbano dichiararlo nell'atto stesso dell'incanto, e quindi nella stessa mattina nominare la persona ecc., ed in questo caso la nomina è soggetta soltanto al diritto fisso d'un franco, diversamente verrebbe considerata, come una seconda vendita, per cui si dovrebbe pagare il diritto proporzionale del* 2 *per* 100 =; earum sanctionibus obsequutus eadem die, eodemque in actu licitationibus se emptionem contraxisse declaravit ipse Dominiconius = *per il Signor Raimondo Puccini* =, et tunc declarationem hic ratam habuit acceptamque = *Raimondo Puccini accetto, come sopra* = Ex luculentissima igitur legis dispositione statim Puccinius ipse ejus fundi Dominus, et una possessor evasit: nec amplius, postquam licitationis dies pertransiit, aliam personam nominandam fuisse præsumi potest, cum expresse sancitum reperiretur, quod nisi incunctanter nominatio fieret, quæcumque posterius emissa = *verrebbe considerata, come una seconda vendita* = Id unum ergo inquirendum supererat, an reapse aliqua alterius favore declaratio rite, recteque emissa fuerit, antequam Puccinius erga Triultium coemptam domum hypothecæ vinculo obnoxiam fecerit. Quod cum bene perspexerit Fabrinius, in eo totus erat ut ostenderet id revera evenisse. Documenta tamen, probationesque ab eo adductas id sat non evincere optime Patres definierunt.

Declaravit quidem Puccinius, non sibi, sed Stephano Fabrinio controversam domum adquisivisse: At hujusmodi declarationem, non ante diem 25 Septembris anni 1812 emisit, cum scilicet jam duo, et ultra menses elapsi erant postquam Triultio super fundo eodem hypothecarium jus fuerat quæsitam, et novem menses a die licitationis effluxerant. Quapropter hæc sera declaratio, cum ad diem licitationis ex legis censura retrotrahi nequiret, ac pro altera tantum venditione esset habenda, plane exinde consequitur in primum emptorem, sive adjudicatarium, rei adjudicatæ dominium transiisse, et usque ad diem secundæ venditionis perstitisse: cumque hanc præcesserit hypothecæ impositio favore Triultii, eodem onere gravatam ad Puccinii successorem singularem translatam domum fuisse patet apprime; ut probe expendit citata Decisio cor *Emo Bussio* §§ 4 et 5 et altera cor. *Emo Serlupi* §§ 5, et 6 in quibus Gallicarum legum sanctio uti equissima, et juris principiis omnino consona, debitorum fraudibus obsistens, et creditorum securitati prospiciens, ostenditur. 3

Nec quidem Fabrinio prodesse putarunt Patres in ea de mense Septembris emissa declaratione Puccinium expressim adjecisse, se jam inde ab initio eo fuisse animo et voluntate, ut domum adquireret = *per il Signor Fabrini* = et ad eum etiam pertinere = *Le Cartelle di rescrizioni* =, quas pre- 4

tii nomine pro eadem adquirenda tradidit. Quoad enim primum, exploratissima juris regula est plus valere quod agitur quam quod simulate concipitur; ideoque non animum, et voluntatem Puccinii, bene vero ejus attendendam esse ratibabitionem, qua sui nominationem a Dominiconio expressam absque ulla reservatione babuit acceptam. Quod si eam ipsi voluntatem revera fuisse constaret, bac juvari quidem potuerit Fabrinius, qui perspectam fortassis eamdem habuit: nullum vero ab ea detrimentum Triultius sentire potest, cum res inter alios acta tertio nocere nequeat. Quo vero ad alteram exceptionem, pretium scilicet a Puccinio solutum ad Fabrinium spectasse, id primum baud liquere Patribus visum est. Ex eo quod enim bic illi tradiderit nonnullas scbedas = *rescrizioni* = pecuniamve ad has emendas, ut has scbedas = *in acquisto di qualche fondo* = erogaret, induci prorsus neqnit easdem in hac punctim emenda domo insumptas fuisse. Deinde vero compertissimum in Jure, et Foro est rem emptam, non ad eum pertinere, cujus pecuniam pretium solutum est, sed ad eum, cujus favore venditio peracta dignoscitur = *ut firmat Rota Decis.* 54 *n.* 1 *part.* 17 *recent., Decis.* 700 *num.* 19 *tom.* 3 *coram Lancetta, Decis.* 400 *num.* 56 *coram Ratto, in Romana Nullitatis Deliberationis* 15 *Junii* 1821 § 7 *coram Illmo Gamberini, et in Romana Societatis* 26 *Januarii* 1824 § 3 *cor. Me* =.

5 Hinc probe novit Fabrininus alia sibi declaratione opus esse, quæ diem hypothecæ præiret: ideoque aliam protulit, quam sub die 26 Maii 1812 Puccinium emisisse affirmat. At huic declarationi nullam adbibendam fidem esse, tum et ejus forma, tum et omnes circumstantiæ, qua eamdem, vel præcesserunt, vel sunt subsequutæ, suadent. Statutum enim erat disertissime in Codice Civili Gallico art. 1338 = *La data delle scritture private non è computabile riguardo ai terzi, che dal giorno in cui la sostanza delle medesime scritture resti comprovata da atti stesi da Ufficiali pubblici* =. Hujusmodi vero acta quoad eam declarationem desiderantur omnino. Nullum enim extat monumentum ejus exhibitionis in Urbano Officio, quod dicebatur = *della Mairie* =, nullaque illius Præsidis = *Maire* = vel Municipalium virorum testimonia, ex quibus schedam illam exhibitam fuisse constet. Exhibendam vero haud ignorabat Fabrinius, qui alteram, de cujus veritate non ambigitur, sub die 25 Septembris ejusdem anni 1812 prolatam, una cum authentico Urbani illius Præsidis = *Maire* = testimonio, adjiciendam curavit, = *al Processo Verbale dell'aggiudicazione* =, eademque et in libro = *delle mutazioni delle proprietà delle case* = transcribendam curavit.

Quin ad assertam hanc exhibitionem evinciendam sufficiat, quod anno 1815 Benuccius prætensam eam schedam reperierit = *tra le carte della già Mairie di Roma provisoriamente depositate nelle stanze della Computisteria della Camera* = Cum enim, nec ex prædicti Urbani Præsidiis, nec ex Municipalium Officialium testimonio ejusdem schedæ exhibitionem locum habuisse constet, nihili faciendum est eam inter acta = *della Mairie* = apud R. C. A. asservata, post quatuor annorum lapsum fuisse inventam. Uti enim cujuscumque facto in præterito temporum notissimo tumultu, publicarumque rerum vicissitudine, inter ea includi declaratio potuisset; sic absque injuria suspicari possumus Puccinium ipsum, sive ejus fidejussorem solidalem Finuccium, quorum uterque in servitio R. C. A., diverso quamquam munere, versatur, eamdem artificio quodam intromisisse. Quam quidem præsumptionem id apprime adjuvat, quod, dum declarationem diei 25 Septembris in codice = *della mutazione delle proprietà delle case* = reperiri baud ambigitur, frustra in eodem altera diei 26 Maii adhuc requiritur. Si hæc enim reapse extitisset, sane reperiretur et ipsa. Nec magis tandem Fabrinio prosunt testium dicta, qui se illum comitatos fuisse, dum Urbanum Officium = *Mairie* = petebat, ut exhiberet declarationem, de qua agitur, eamque in itinere ipsum 6

legentem audivisse deponunt. Hæc enim fortassis probare queunt eum de exhibitione cogitasse, vel id se cogitare aliis suadere voluisse. Attamen cum testari ii nequiverint assertam hanc Puccinii declarationem transcriptam revera fuisse, eique aliquem ex Officialibus = *della Mairie* = subscripsisse, inutilia prorsus et a re aliena eorum dicta habenda sunt. Præterea hujus schedæ nullitas apertius etiam ex omnibus aliis factorum momentis demonstratur.

7 Et, ro quidem vera intelligi omnino nequit cur Puccinius sub die 25 Septembris anni 1812 novam declarationem emittere voluisset, si jam mense Majo ejusdem anni se Fabrinii favore contractum iniisse declarasset. Quod si reponatur, hoc ab ipso factum fuisse, ut certior res evaderet, et pluribus a documentis scateret, hujusce propositionis futilitas statim patet ex eo, quod, si vera esset, fieri haud potuisset ut in posteriori Puccinii declaratione, diei 25 Septembris nulla assertæ illius anterioris diei 26 Maii mentio extitisset. Accedit quod in altera declaratione, quam Puccinius die 30 Augusti Anni 1814 emisit, se idem pandidisse Mense Septembris anni 1812 memoria probe tenuit, nec silentio prætermisit = *La detta casa l'acquistai pel Signor Stefano Fabrini, come rilevasi da altra mia dichiarazione esibita in Mairie li* 25 *Settembre* 1812 = Quemadmodum igitur in tertia secundæ declarationis mentio facta est, et alia certo anterior, si extitisset, fuisset relata. Quæ quidem argumentandi ratio aptanda etiam venit eis, quæ in calce = *dal Processo Verbale di aggiudicazione* = adjicienda Fabrinius curavit. Incredibile enim prorsus est eum, qui tam anxius fuit, ut actui illi solemni declaratio per Puccinium mense Septembris emissa adderetur, neglexisse aliam, quæ præcessisset, eidem adjici, vel illius saltem aliquam fieri mentionem. Ex quibus omnibus tuto concludendum est, inaniter Fabrinium ad mensem Majum Puccinii declarationem referre.

8 Aliud vero quam maximi ponderis extas argumentum, quo penitus illa eliditur; confessio scilicet, eademque jurejurando vallata quam in tabulis diei 7 Julii anni 1812 emisit Puccinius. Dum enim domum Triultii favore hypothecario vinculo obstrinxit, solemni jurisjurandi religione obtestatus est = *La sudetta casa essere di sua libera assoluta pertinenza* = Solemnem autem confessionem sacramento præsertim fultam in discrimen adducere iniquum est. Spernendi vero prorsus sunt testes, pater, filiusque Finucci qui deponunt Puccinium in actu stipulationis Instrumenti cum Triultio dixisse ejus asserto procuratori Tomasuccio quod = *della casa predetta non ne poteva disporre per non appartenergli, benchè cantasse in suo nome* = Illi namque sunt Puccinii in eo contractu fidejussores; et præterea eorum dicta falsa illico deteguntur, cum ex Instrumento pateat ejus confectioni, non Tomassuccium pro Triultio, sed ipsum adfuisse Triultium = *presente, ed accettante* =, ac insuper Adversantur præd. solemni Puccinii confessioni. Hinc itaque tenendum firmiter est, fieri nunquam potuisse, ut in Fabrinium transiisset domus, de qua agitur, mense Majo anni 1812, dum ejus dominus erat Puccinius mense Julio ejusdem anni, uti, omnibus perpensis, statuunt præcedentes Decisiones prima § 8 9 altera § 9 10 11.

Frustra etiam confugit Fabrinius ad 9
acta nonnulla, ex quibus domus dominium sibi quæsitum fuisse jam ante diem 7. Julii 1812. contendit, cujusmodi sunt impensæ in illius manutentionem, seu restaurationem factæ; ejusdem locationes, ac apposito in ejus fronte lapidis, nomen, et proprietatem suam præseferentis. Plerique enim ex hisce actubus expleti fuerunt post diem 25 Septembris anni 1812, postquam, scilicet; ob rite emissam a Puccinio declarationem, in Fabrinium domus dominium translatum fuisse nemo inficiatur. Taxatio sane expensarum ab Architecto peracta diem habet *tertiam* Julii 1814, eamque sequitur partita appositionis lapidis cum epigraphe = *Casa di Stefano Fabrini* = Quidquid præterea inter ipsum et Puc-

cinium intercesserit, sat semper erit ab objectum eliminandum, quod ea, quæ inter alios geruntur, tertio nequeunt obesse: ideoque Triultii jus sartum, tectumque manere debet, nisi regularis declaratio ostendatur ante diem 7. Julii anni 1812 emissa, et in actis Officii = *della Mairie* = ad legis tramites exhibita.

10 Hisce perstrictus undique rationum momentis, aliud aggreditur Fabrinius defensionis caput, totisque viribus in eo est, ut Triultii actionem excludat, vel ejus creditum ad nihilum redigat, aut saltem decurtet. Quod ut evincat, contendit primum debuisse creditorem alios fundos sibi a Puccinio hypothecatos, et in ejus Patrimonio existentes excutere, antequam domum a se possessam impetere valuisset. Binæ autem Triultio responsiones in promptu sunt, ut hujusmodi exceptio prorsus excludatur. Prima scilicet, Interdicti Salviani eam esse naturam, ut præcedenti aliorum fundorum debitoris excussione ad immissionem petendam, non indigeat. Hanc namque excussionis exceptionem inter dilatorios actus numerandam esse docet *Bart. in Leg. Exceptiones num.* 6. *ff. de exceptionibus Anacharum cons.* 317. *n.* 2, *Jacob. de Aron. in tractatu de excussionibus num.* 18, *Alex cons.* 32. *n.* 2., *et cons.* 40. *num.* 2. *lib.*, *Rota divers. decis.* 444. *n.* 4. Cumque Salviani Interdicti judicium summarium sit, ut late disserit *Pacificus de Salv. interdict. Inspect.* 1. *Cap.* 2. *num.* 1. *ibique quamplures Doctores*, ejusmodi exceptio in eo admitti nunquam potest *Aym. cons.* 263. *num.* 1., *Orlan. cons.* 9. *num.* 18, *et cons.* 71. *n.* 98. *lib.* 2. *post Marsill. in Tract. de fidejuss. n.* 12. *Rota Divers. cit. decis.* 444. *n.* 4. *part.* 7., Et hanc uti tutiorem, et receptiorem sententiam late probat *Pacificus de Salvian. Interdict. Inspection.* 2. *cap.* 2. *a num.* 40. *ad* 94.

11 Deinde vero eam fuisse aliorum fundorum conditionem jure reponebat Triultius ut inutiliter eos esset excussurus vel saltem non sine magna difficultate ex illis crediti sui satisfactionem consequi potuisset. Non alii enim erant hi fundi, quam = *Una Casa al Gambero n.* 34, *e* 35. *dell' annua rendita di sc.* 71. 60. = *Altra casa in Via Mazzamurelli*, *n.* 2. *dell' annua rendita di sc.* 21 » *ed il Primo*, *ed unico piano della Casa in Via della Vite num.* 42. *dell' annua rendita di sc.* 16. 40. ». Atqui, secunda excepta, quæ in Vico *Mazzamurelli* extat, aliæ duæ specialis hypotecæ vinculo erant subjectæ; pro Francicis scilicet libellis 2000. = *la Casa al Gambero* = pro 200 ejusdem monetæ libellis aliaquæ = *in Via della Vite* = sita est; alia vero domus = *in Via Mazzamurelli* = ne illa quidem annua scuta reddebat 21 quæ Puccinius indicaverat. In hoc itaque rerum statu inutilis Triultio fuisset aut saltem difficillima excussio illorum fundorum pro ejus credito in sorte scut. 1588. 78. cum usura quincunci. Quoties vero inutilitas, vel etiam excussionis difficultas concurrit, eam procul dubio præmittere haud tenetur creditor, præsertim antequam per Salvianum utile Interdictum ad fundum specialiter hypothecatum immissionem jure petere valeat, ut in terminis firmavit S. N. Tribunal in *Romana*, *seu Januen. Salviani* 6. *Aprilis* 1810. *coram nunc Emo Serlupi* §. 21.

Nec melius consistere, quæ ad decurtandum Triultii creditum opponebat Fabrinius, Patres censuere; Puccinium scilicet decoxisse, et super ejus patrimonio creditorum concursum fuisse convocatum usque a die 13. Septembris anni 1814, proindeque ex eo tempore fructuum cursum fuisse intercisum, et Triultii nomen sterile evasisse. Hanc sane juris sanctionem, usurarum nempe cursum cessare a die, quo super debitoris patrimonio creditorum concursus convocatur, cambia tantum respicere compertum est. Nam, cum pecuniæ cambiali nomine traditæ non aliter fructus gignant, quam ob collybisticam negociationem, et pecuniæ trajectionem de loco in locum, cumque nequeat, qui decoctus est, negocia adhuc gerere; nec inveniatur, qui ei fidem præstet, qua sublata, omnis ei commercii ratio intercipitur, evi- 12

dens est, eum non amplius ad fructus persolvendos teneri, postea quam bonis cessit, et impar evasit cuilibet negociationis speciei ineundæ. Cessatio enim fructuum ex cambiis in decoctionis casu non uti privilegium considerari debet decoctoribus impertitum, sed uti consequens decoctionis, ob quam negociationis possibilitate sublata, emolumenta quoque, quæ ex hac oriri poterant evanescere debent, ad tramites notissimorum in jure axiomatum, cessante causa cessare, et effectus, remque omnem viribus suis cadere, quoties incidat in eum casum, unde initium habere nequibat.

13 Cujus dispositionis rationem optime tradunt *Casareg. de Comm.*, *et Camb. disc.* 170 *n.* 43, *Ansald. de Commerc. disc.* 87 *n.* 32 *Card. de Luca de Cambiis disc.* 35 *n.* 7 *et Rota coram Ansaldo decis.* 23 *n.* 34 = Confirmatur id vero, et majus etiam robur acquirit, si expendatur nec in cambiis fructus cessare ubi cambiandi, et pecuniam transmittendi onus, non sibi susceperit, qui postea decoxit, sed Argentarium vel alium quempiam ad id procuratorem constituerit ceu firmat Rota in *Perusina Concursus quoad reservata super fructibus Cambii* 11 *Martii* 1777 *coram Origo* §. 8. In themate vero cum, non ex contractu collybistico, ad fructus consequendos jus Triutio quæsitum sit, sed ex pacto solemniter, nulloque jure refragante, convento, nempe » *in luogo di lucro cessante*, *e danno emergente* = eosdem petat, nihil ei officere Puccinii decoctionem optime Patres censuere. Quæ tandem a Fabrinio proferuntur ad evincendum Triultio, qui usque ab anno 1817 in domus possessionem immissus est, jam annuis pensionibus satisfactum fuisse, hodierni judicii subjectum haud constituere Patribus visum est. Si nomen enim ejus exinde dimissum est, id quod plane non constat, jure suo utatur Fabrinius, et a Triultio prout jam fecisse videtur, juratam notulam depensionibus ab ipso exactis exhiberi curet. Nunc enim sat est creditum extitisse ad diem latæ Sententiæ, quod quidem nec ipse Fabrinius inficiatur.

Et ita utraque parte dimicante, Patres novum calculum binis S. O. Ordinis Sententiis adjiciendum esse definierunt.

ROMANA LEGATI

Veneris 16 *Januarii* 1825.

ARGUMENTUM

Nunquam praesumitur, quod testator, gravare haeredem voluerit, supra id quod ei dederit. Proinde legatum rei alienae non debetur, quoties vel extent testatoris bona ex quibus auriri potest, vel quoties res ea careat specifica designatione, per quam ab aliis omnibus bonis distingui possit.

SUMMARIUM

1. *Species certo loco, ac certo tempore legata, id omne quod in loco ac tempore determinato reperitur, venit in legatum.*
   Quidquid abest praescripto tempore a loco designato, inutiliter censetur legatum – ibid. –
2. *Haud facile putandum est testatorem onerare haeredem voluisse, redemptione rei alienae.*
3. *Ab aequitate quam maxime abhorreret, quod testator gravare haeredem vellet supra quod ei dederit.*
4. *Rei alienae legatum non est praestandum, quamdiu extent testatoris bona in quibus verificari potest.*
5. *Rem alienatam, qui sibi jure legati deberi affirmat, probare tenetur, rem, ea pollere designata qualitate, quam testator praecepit.*

DECISIO CCXLI.

Antonius Pane, ex Oppido Amantbeæ apud Calabros, a prima sua pueritia, discendi causa, Romam profectus, Summo præditus ingenio, tantos medica Chyrurgicaque in arte progressus fecit, ut famam non exiguam, ac non mediocres assiduo labore, duraque parsimonia sibi in Urbe quæsiverit opes. Senescente vero ætate aliena experientia edoctus, quam sæpe peniteat legem de suis rebus dicere ad crastinum di-

stulisse, die 7. Novembris anni 1816. suum testamentum condidit, quo magnum suæ pietatis, et humanitatis monnmentum reliquit. Innumera enim pene scripsit legata, quibus ita omnium habuit rationem, quorum expertus fuerat officia, aut usus operis familiaribus, vel cum quibus aliqua ei fuerat necessitudo, ut neminem prorsus præterierit: quos inter etiam obtinuit locum consobrina sua Catharina Meliarca, sibi quarto cognationis gradu conjuncta, vixque sibi nomine cognita, utpote, quæ semper Amantheæ vitam duxerat; cui, legati nomine, reliquit = *tutti i beni paterni, e materni esistenti soltanto in detta mia Patria con tutti i diritti, crediti e ragioni derivanti da detti miei beni, come ancora un finimento di Rubini, consistenti in una Croce per il Collo, in un pajo di pendenti, ed in un Annello corrispondente* = Reliquum vero hæreditati suæ compendium Ven. Nosocomio S. Spiritus in Saxia, cui gratissimi animi vinculo obstringebatur, cum in eo medicæ primum, et Chyrurgicæ artis præcepta hauserit, et deinceps summa cum laude Chyrurgi primarii, et Anatomes Doctoris munus expleverit, eique quidquid existimatione, aut opibus valebat debere cognosceret, institutionis, titulo donavit.

Hoc cum testamento die 17. Julii anni 1818. Antonius Pane ex hac vita concessit. Sed, vix tabulis evulgatis, acris statim a Catharina Meliarca controversia fuit excitata super interpretatione legati, quod ei testator præstari jusserat. Caussans enim optime illum scivisse nil sibi Amantheæ testamenti tempore superesse ex paternis maternisque bonis, quæ omnia longe antea, scilicet usque ab anno 1892., pretio Ducatorum 4000. cujusdam Fideli Liquori favore alienaverat, et sic bona, quæ legaverat, esse aliena, mordicus contendit testatorem onerare hæredem intellexisse, ut distracta bona redimeret, et redempta præstaret; aut, si id non posset, tantumdem ipsi exhiberet, una simul cum fructibus a die obitus testatoris decursis. Renuentibus Ven. Nosocomii Moderatoribus ejus petitionem excipere, Judices de Sententia rogare oportuit. Sed nil legatariæ profuit optimam pro votis sub auspiciis Congregationis S. Ivonis coram A. C. Triumviris expertam fuisse fortunam, mandatumque excquutivum adversus Ven. Nosocomium obtinuisse, nisi illud intra unius Mensis spatium, vel bona recuperata, vel eorum æstimationem, una simul cum fructibus a die obitus testatoris decursis, et omnibus expensis judicialibus, et extrajudicialibus ipsi traderet. Quandoquidem appellatione a Ven. Nosocomio ad Sacrum Nostrum Ordinem interposita, deserente, re maturius perpensa, S. Ivonis Congregatione legatariæ patrocinium, redditum illud judicium non stetit. Patres enim hodie per me interrogati = *An, et quomodo sit locus præstationi legati, et a quo tempore debeantur fructus, ita ut mandatum A. C. sit exequendum* = Responsum incunctanter dederunt = *Negative in omnibus* =.

Et consultissime sane sacer Noster Ordo negavit ullum Catharinæ Meliarchiæ jus esse cogendi Ven. Nosocomium, vel ad ea redimenda bona, quæ testator antea distraxerat, vel saltem ad eorum pretium ei numerandum. Sedulo enim Antonii Pane dispositione perspecta illico patet ipsum, legati titulo consobrinæ suæ reliquisse paterna maternaque sua bona, quæ Amantheæ, possidebat; sed ita reliquisse, ut nil aliud ei adscriptum voluerit; nisi quantum ipsius mortis die, de paternis, maternisque bonis sua in hæreditate reperiretur. Nullo sane eget interprete testamenti litera qua is Catharinæ Meliarchiæ, præter aliqua jocalia legavit = *tutti i beni paterni, e materni esistenti soltanto in detta mia patria con tutti i crediti, diritti, e ragioni derivanti dai sudetti miei beni* = Cum enim testator præceperit, quod præstari deberent = *i beni paterni, materni esistenti soltanto in detta mia patria* = dubitandum profecto non erat, quin res esset de *taxativo* legato speciei, ita ut alienum esset ab eo quidquid extra hæreditatem foret. Vetus enim est Jurisprudentiæ canon, quo non alter vulgatior, ut, quoties 1

Species legata proponitur certo loco, certoque tempore circumscripta, id omne tantum veniat in legato, quod determinato in loco præstituto tempore reperitur; adeo ut, quidquid abest præscripto tempore a loco designato, inutiliter censeatur legatum, quasi corpus, quod in rerum natura non esset. Apertissimi adsunt *Text. in leg. Si Servus §. qui quinque ff. de legat.* 1., *et Leg.* 71. *ff. de legat., et fideicomm,* 1., quibus adhæret tota interpretum Schola, et præ cæteris *Donell. Comment. Jur. Civil. lib.* 8. *Capit.* 14. *numer.* 20. *Brunemann. ad dict. leg. num.* 3. *Averan. interpret. Jur. lib.* 4. *Cap.* 14. *num.* 1. *leg.* 13. §. 1. *tit.* 1. *de legat. lib.* 30. *Digest. tom.* 7. Quamobrem sibi habere valeat legataria quidquid ex paterna, maternaque hæreditate testatori Amantheæ superfuit, eoque ut ei libet, gaudeat; Sed desinat, *tum* testamenti literæ, *tum* juris dispositioni vim faciendo, sibi etiam addicenda esse ea bona contendere, quæ Antonius Pane longe antea conditum testamentum in alios transtulerat.

2 Juris hæc apertissima elementa, quæ evertere non poterat, totis viribus declinare legataria adnitebatur, insinuando nil admodum Amantheæ ex paternis, maternisque Bonis extare, in quo legantis liberalitas consistere posset; et ideo, cum a verosimilitudine prorsus abhorreat testatorem, legatum scribendo, quod esset inutile, et frustraneum, consobrinæ suæ illudere voluisse, necessario hinc descendere, quod is compellere hæredem intellexerit, ut, vel redempta bona, vel saltem eorum æstimationem legatariæ traderet. Sed quamvis vera esset hæc omnimoda deficientia bonorum, nil tamen hæredi ista noceret proposita exceptio. Nam in jure nil exorbitantius cum sit, quam ut quisquam de re aliena disponat, haud facile putandum est testatorem onerare hæredem suum voluisse, vel redemptione rei alienæ, vel æstimationis illius præstatione, ut tradunt *Urceol. Consult.* 45. *num.* 42., *et Rota decis.* 93. *num.* 4. *coram. Duran., et in Viterbien., seu Urbevetana legati* 12. *Maii* 1755. §. 9. *cor. Elephantutio.* Nisi itaque legataria, quæ Actoris partes gerens, judicio sistit, luculentissime evincat rem alienam legare testatorem intellexisse, taliaque proferat argumenta, quæ animum omnino impellant ad interpretationem, juris præsumptioni contrariam, amplectendam, prorsus e limine judicii repellenda erat; potissime vero in themate, cum legatum rei alienæ Catharina Meliarca adversus Causam Piam exposcat, quæ Canonicis, Civilibusque legibus privilegiatissima, omnique favore dignissima existimatur. At hoc onus nec implebat Catharina, nec implere unquam poterat; gravissima quin imo, et invincibilia undique in themate confluebant argumenta, per quæ exploratissimum reddebatur testatorem rem non alienam, sed suam legare voluisse. Id primum evincebant apertissima testamenti verba. Semelac enim sine ambage testator legavit = *i beni paterni, e materni esistenti in detta mia patria con tutti i Crediti, ragioni, ed azioni derivanti da detti miei beni* =, clarius profiteri non poterat, sese veluti pro conditione imperasse, ut, quidquid e paternis, maternisque bonis Amantheæ materialiter in sua proprietate existeret; illud tantum in legato comprehenderetur. Reque vera absurdum profecto esset ut legatum his conceptum verbis, quæ ad præsentem, et actualem possessionem referuntur, liberalitatemque legantis ad bona tantum ejus testamenti tempore propria cohibent, etiam ea bona includere valeret, quæ jam antea alienata, ejus in patrimonio, et dominio esse desierant. Salva igitur testamenti litera quidquid a patrimonio aberat, nec in legato poterat contineri.

Hisce testamenti verbis adstipulatur egregie testatoris voluntas. Siquidem, dum Catharina bona alienata in legato comprehendi contendit, nil sane minus contendit, quam quod religiosissimus vir Pane hæredem Ven. Nosocomium S. Spiritus instituere voluerit ad hoc, ut ei detrimentum, non emolumentum, inferret. Legatum enim, si bona, quæ distracta fuerant, complecteretur, longe 3

absumeret totius bæreditatis compendium, utpote cuivis calculanti manifestissime patet: Etenim confectum solemniter inventarium indubie demonstrat hæreditatem ab omnibus oneribus purgatam, si quædam parvi momenti credita excipias, quorum solutio frustra desideranda est, vix summam Scutorum 4681. attingere. Si igitur ex hisce supputari deberet bonorum alienatorum æstimatio in Ducatis 4000., una simul cum melioramentis, quæ vigilantia præsentis domini diuturno snæ possessionis tempore adjecit, et fructibus omnibus a die obitus testatoris usque ad hanc diem decursis, jam longe status activus a passivo vinceretur. Cum vero ab æquitate quam maxime abhorreat, quod testator gravare hæredem intellexerit supra quod ei dederit, facile qnisque per se satis intelligit, manifestissimam apparere inde testatoris voluntatem alienata bona a legato excludendi. Quam vero conjecturam, quæ validissima est, si quemcumque adversus legatarium quivis hæres bene proferret, potiori sane jure a Ven. Nosocomio urgetur, longe magis ac legataria testatori directo. Maximo siquidem Antonius Pane proseqnebatur amore Nosocomium S. Spiritus, in quo a prima sua pueritia usque ad extremam Senectutem totam suam degerat ætatem, cuique famam, honores, opes, ac omnem veluti se ipsum debebat. At nullus e contra præcipuus eum urgebat Amoris impulsus, nulla arctæ necessitudinis ratio erga Catharinam, sibi vix nomine cognitam, quartoque tantum cognationis gradu sibi conjunctam. Cresceret igitur in immensum absurdum, si testator universam hæreditatem in legatum contulerit, et Ven. Nosocominm, quo non alium delectiorem babuit, inani institutione, veluti pro dirisione, honoraverit. Cum igitur adeo aperte rei alienæ legato refragetur testatoris voluntas, hinc, admisso etiam quod is sciverit omnem a se antea alienatam fuisse paternam, maternamque substantiam, nemo non videt quanta injuria bona sibi legataria adsciscere expostulet, quæ minime ei legare testator intellexit.

Sed evidentia ultra propelli non po- 4
test, si animadvertatur totum legatariæ actionis fundamentum falso inniti supposito, ac omnino corruere. Jamdiu enim obtinet juris traditio de rei alienæ legato præstando, quamdiu prorsus bona deficiant, in quibus legatum verificari possit. At probatum in themate, quam quod maxime erat utile fuisse legatum a testatore relictum. Nam, licet is Anno 1792. in mandatis dederit cuidam Francisco Gagliardi, ut quasdam ædes, prædiumque alienaret, anno tamen 1898. is adhuc hærebat incertus, an ea venditio jure consisteret. Quamvis vero ea alienatio plenis suis staret viribus, nihilo tamen secius Ducata 400., pretii residuum, una simul cum *semissibus* usuris *octodecim* pene Annorum, loco fructuum compensativorum conventis, ab emptore Liquorio debita, testatori exigenda, procul dubio supererant. Nemo igitur inficiari poterit, aliquid profecto *vel* in re *vel* in actionibus, *vel* in debitorum nominibus in hæreditate Antonii Pane Amantheæ extitisse, in quo legatum consistere potuit. Quia vel minimum legatariæ prosit audenter asserere jampridem, nempe ab anno 6805. nomen illud ab ipso Phisico Doctore Pano donationis titulo in Raphaelem Meliarca virum suum translatum fuisse, qui deinceps anno 1808. jure usus suo a Liquorio debitore in solutum pro illius debiti extinctione prædium nuncupatum *Corica* accepit. Non solum enim quodvis desideratur jactatæ cessionis documentum, quod alioqnin necessario a Legataria proferendum esset, verum etiam assumpta ab ipso Meliarca in eo contractu dationis in solutum debitoris favore liberatio a molestiis, quæ, nisi a legitimo creditore Antonio Pane inferri poterant, nullum Patribus relinquebat dubium, quin cessio falso excogitata fuerit, inscioque penitus Antonio Pane nomen illud per eam dationem in solutum fuerit extinctum. Quocirca, si Catharina in vim legati legitime sibi retinere valuit prædium *Corica*, quod usurpato cessionarii nomine, haud recte a debitore babuit, ac pro libitu de eo

disponere diu post mortem testatoris potuit, inanissima sileat ejus querela se se manibus vacuis dimissam fuisse, designatque ox majori minorive legati præstantia testatoris voluntatem contorqnere, qui satis snperque eam bonoravit, dum nulla aliquid ei reliqnendi obligatione obstrictus, attamen haud mediocri compendio, ut memoris animi sni testimoninm exhiberet, legati titulo, eam ditavit.

5 Verum enim vero, etsi per fictam hypothesim donari hæc omnia legatariæ velint, tamen nil hodie ipsa proficeret. Nam Catharina; dum rem, quæ testatoris non est, sibi deberi jure legati affirmat, arctissimo premitur probandi onere *tum* nil aliud illi superfuisse Amantheæ ex paterna, maternaque substantia, *tum* alienata bona, qoæ revindicare suadet, ea pollere designata qnalitate, quam testator præcepit. Sed neutrum prorsus ipsa præstat. Desperatum siquidem erat effugium ex venditionis instrumento desumere alienata bona a paterna, maternave hæreditate profecta fuisse. Abest enim omnino, ut aliquod vel minimum assertæ qnalitatis bonorum vestigium instrumentum illud exhibeat. Quin imo quædam saltem bona in eo instrumento contenta illius haud esse qualitatis, quam testator designaverat, ex eo invicte ostenditur, quod inter cætera venditam etiam fuisse ibi enunciatur parvulam quamdam domum, quam testatoris germsnus fratre sibi æquisiverat ex empto. Nec quid magis solidi ipsa asserebet, ut alterum extremum evinceret. Opus enim prorsus inane aggrediebatur, dum nullo publico allato censu, qui legitime aliorum bonorum existentiam excluderet, testibus tantum demonstrare adlaborabat, nil admodum Amantheæ testatoris in patrimonio superfnisse. Adducti siquidem testes, duplici nomine improbandi, *tum* quia extrajudicialiter deponunt, *tum* quia falli facillime possunt, præsertim quoad mobilia, argonta, crediti, hæreditariaque jura, quæ minime omnium oculis patent, nullam sibi conciliare fidem poterant. Sed hæc tantum ad abundantiam dicta Partes voluerunt. Nam ex omnibus supra deductis prorsus eis erat manifestum, non de re aliena, sed de re sua testatorem nec inutile, nec illusorium legatum relinquere intellexisse; cum præterea in eo legato comprehensa forent non exigui valoris jocalia, quæ procul dubio Catharina assequuta fuit, quæve ejusdem legati utilitatem quavis in hypothesi evincunt. Merito itaque ipsam omni jure quidquam, ejus legati nomine, a Ven. Nosocomio repetendi prorsus destitui definitum fuit

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA LOCATIONIS

ET REFECTIONIS DAMNORUM

Lunae 13. *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Factum Principis, aequiparatur vi majori, et conductor qui expellitur ob vim majorem, habet jus ad pensianis remissionem, minime vero ad damna. Ubi agitur de nova domus aedificatione, conductor non pollet jure ad veterem resumendam locationem.

SUMMARIUM

1. *Factum Principis aequiparatur vi majori, cui resistere nemo potest.*
2. *Conductor qui expellitur a re locata per vim majorem, nullus pro damnis regressus habet contra locatorem.*
3. *Spectaculorum redemptio, est quid diversum a conductione theatri.*
   *Deficit tamen praedicta distinctio, quoties in eadem persona, unum alterumque jus, lo*cale *scilicet et* personale, *coalescit - ibid, -*
4. *Cum rei locatae status immutatus sit, ipsa etiam locatio in eodem statu consistere nequit.*
   Omnibus contractibus, ex legis afficio inest conditio dum res maneaot in eodem statu *- Ibidem. -*
5. *Voluntaria aedificatia jus non dat locatori expellendi inquilinum.*
6. *Ubi agitur de nova, et necessaria damus aedificatione, veteres inquilini nulla jure pollent ad primaevam locationem resumendi.*

7. *Hypotheca, et census extinguitur, si pereat fundus, cui inhaerent, nec reviviscunt, si alius fundus extruatur.*
8. *Si conductor rei locatae usum amisit ex vi superiori, jus habet ad solam remissionem pensionum, non vero ad damna.*

DECISIO CCXLII.

Ut latius narratum est in alia mea Decisione, die *sexta* hujusce Mensis edita, cui titulus *Romana Refectionis Damnorum,* postquam jus privativum exercendi theatralia spectacula Petrus Cartonius ex facto Principis amisit, illudque tributum ad sex annos fuisse Joanni Paterno cognovit, juribus suis consulendum censuit ope protestationis, quam adversus Viros Illustres Bartholomeum, ac Dominicum germanos fratres Capranica, Theatri = *Valle* = dominos, et locatores de damnis sibi emendandis, et de continuatione locationis, in actis publice interposuit: quam deinde contra quemlibet illati damni auctorem iteravit, eamque clausam, signisque munitam, quasi de extrema ageretur morientis hominis voluntate Tabellioni tradidit. Refert etiam prædicta mea decisio protestationem hujusmodi Cartonium renovasse adversus Capranicenses, simul hac vidit, vetus theatrum ex iussu Magistratum solo æquari, et novum extrui, eaque declarasse = *che anche dopo rinnovato il sudetto Teatro intende, che si debba riassumere, e continuare il detto contratto di Affitto, e Locazione in tutto, e per tutto a forma dell'Istromento per tutto il corso di nove Carnevali utili, e sue rispettive stagioni* =. Exponit demum sæpe dicta decisio, liberari sese cupientes ab istis jactationibus Capranicenses, judicium hac de causa instruxisse, adversus Cartonium ad tramites leg. *Diffamari Cod. de ingen. manumis. et art.* 650 recentis *judic. cod.* ut jura sua, si quæ adversus eos haberet, proferre teneretur.

Cum vero Juridicum, ubi contestata lis fuit, nuper abrogatum A. C. Collegium, vocari ad Causam primo jusserit Paternium, ac deinde, edita Sententia, Capranicenses absolverit, donec nova redemptio maneret, a Cartonii jactationibus, cui jus tantum reservavit adversus eumdem Paternium agendi pro damnis, *prout* tamen, et *quatenus de jure*: provocatione ideo ad Sacrum Nostrum Auditorium interjecta, utramque quæstionem tam contra Paternium, quam contra Capranicenses a Cartonio excitatam oportuit ad trutinam revocari. De prima quæstione, juxta vota Paternii definita, tractat prædicta mea Decisio diei sextæ hujus mensis; quoad inter Capranicenses, et eumdem Cartonium de *continuatione locationis*, et pariter *de damnis* agitur, interrogavi aliam, quæ eadem die Patres, proposita Dubii formula: *An, et pro quo tempore constet de continuatione contractus, seu potius de hujus resolutione, et sit locus emendationi damnorum in casu etc.* scissisque in æquam partem suffragiis, nulla prodiit definitio. In hodiernis tamen Comitiis, *Quinto et Sexto* ad ferendam accitis, eadcæque constituta disputationis formula, juris esse Domini mei duxerunt, ut instituta controversia dirimeretur edito Responso = *Affirmative quoad resolutionem contractus; in reliquis negative.*

Duas habet partes præsens contentio, quarum prima spectat ad locationis continuationem: altera ad damna e defectu rei locatæ a Cartonio petita. A locationis continuatione incipiendo, ex ipso Cartonii ore, et responsionibus ei datis a Cardinali Consalvio certum est, e facto Principis, ac ex vi majori cui resisti non poterat, jus privativum exercendi theatra eum amisisse, illudque redemptum a Paternio fuisse. Recolantur hicquæ dicta sunt in alia mea Decisione superius citat. § 5. At confessiuni Cartonii amplissima accedit declaratio cl. me. Cardinalis Consalvii tunc a secretis, et arcanis S. M. Pii VII., qua palam obtestatus est, nihilmolitos Capranicenses fuisse, nihilque temere actum ab eis, quod in præjudicium conductoris Cartoni cederet = *Non s'incontra difficoltà alcuna di dichiarare,* (ita defunctus Cardinalis) *che i Signori fratelli Capranica non ebbero veruna parte diretta, o indiretta nel non avere il Governo voluto per Impresario* 1

il Cartoni, nè nella concessione della privitiva a favore del Paterni, nè negli ordini consecutivi della publica Rappresentanza per la consegna coattiva del Teatro Valle in favore del sudetto Paterni atteso il pertinace rifiuto del Cartoni » Neque hinc vitio, neque culpæ Capranicensium verti debet, si locatio theatri ex vi superiore resoluta est, qui imo, quantum in eis fuit, servandum Cartonium in conductione theatri curarunt.

2 Adeo enim obstiterunt Paternio ejusdem theatri traditionem urgenti, ut opus fuerit auctoritate, et jussione Præsidis Urbi anno 1820 die *decima quinta* Martii lata que, » *verificato, che per il buon servigio del publico si rende necessario, che l'opera buffa si rappresenti al Teatro Valle* », disertis verbis indixit » *al Marchese Capranica proprietario del medesimo Teatro Valle di consegnarlo immediatamente al Signor Paterni che ha la privativa dei Teatri, nonostante qualunque particolar impegno dell'istesso Signor Marchese Capranica con altri, dovendo il tutto cedere al publico servizio* » Cum vero neque hæc satis ad commovendum Cartonium fuissent ut ex bono, et æquo traderet theatri claves, nova prodiit ejusdem Præsidis jussio, brevior quidem sed gravior, qua mandavit = *al Signor Presidente Regionario, perchè coi mezzi di rigore faccia eseguire gli ordini già dati al Signor Marchese Capranica* » Adbibitis hinc stationariis militibus, ac inspicientibus omnibus, per vim a fabris ferrariis reseratæ fuerunt theatri januæ ut libere posset Paternius in eo exercere Spectacula. Procul igitur ab ullo studio, et cura Capranicensium, ex facto Principis exturbatus fuit Cartonius a conductione theatri. Præsumendum cæterum non est, Patricios viros, et honestate, ac religione in primis præditos, sine ullo compendio, imo cum damni periculo curare voluisse, ut a rei locatæ possessione dejiceretur Cartonius quem bene nummatum, et in solvendis pensionibus sollicitum, et diligentem ad illud usque tempus experti fuerant.

Verum optime etiam animadvertebant Patres, suapte natura resolutum atque rescissum censendum esse contractum locationis condutionis theatri cum Cartonio a Capracinensibus initum. Ita siquidem a Spectaculorum publicorum Curatoribus, vel ab ipso Principe Supremo tributum fuit Paternio Jus privativum, ut nemini, præter illum, liceret edere spectacula = *in modochè non potrà farsi in Roma spettacolo alcuno publico e teatrale di qualunque specie senza espressa adesione di esso Signor Paterni fatta a quello, che volesse rappresentare lo spettacolo* » Huic rursus novo spectaculorum redemptori facta facultas fuit quod libet theatrum expetendi, quod aptius putaret scænicis ludis agendis. Si itaque dixit, se indigere Caprinicensium theatro, ut hoc modo civium, seu eorum, qui theatra frequentant, bono, et commoditati prospiceret, nefas sane erat Capranicensibus refragari Paternii petitionibus quæ ita habendæ erant, veluti ac si, ab ipsa Potestate Supreme prodiissent. Quamobrem consistere amplius nequibat locatio conductio theatri erga Cartonium inita, etiamsi quid diversum esse dicas, ut reponebant ipsius Cartonii defensores, spectaculorum redemptionem a Locatione conductione theatri. Quamvis enim verum hoc in *abstracto* sit, *in concreto* tamen, quoties in uno, eodemque homine concurrat, tam jus privativum *personale*, quam jus privativum *locale* exercendi theatralia Spectacula, deficit omnino distinctio, quie tunc, quisquis sit theatri dominus aut conductor, is sane tenetur theatrum ipsum, si forte petatur, redemptori sub certa mercede cedere. Atqui unum, alterumque jus, *locale* scilicet *et personale*, si non explicite, implicite saltem tributum Paterno fuit, dum ei facultas facta est quodlibet expetendi theatrum scænicis, agendis spectaculis magis idoneum. Non poterat ergo amplius servari contractus locationis conductionis, qui cæteroquin juris ministerio statim resolvitur, si ex vi superiore ad mutua præstanda officia contrahentes impediantur *Leg.* 9. § 1.

Leg. 54 § 2 *ff. locat. et conduct.*, *et Leg.* 7 *et Leg.* 12 *Cod. eod. tit.*

4 Non modo autem propter impedimentum a publica Auctoritate superventum resolvi necessario debuit locatio conductio, sed ex ipsa etiam re, quæ in contractum deducta fuit, quæque novamque prorsus faciem accepit. Sciunt omnes vetus theatrum, quia fatiscebat, solo æquatum, aliudque gravi sumptu magis amplum, et decorum a fundamentis excitatum fuisse. Cum itaque rei locatæ status immutatus omnino sit ipsa etiam locatio conductio in eodem statu consistere nequibat. Ut enim promissa serventur, necesse est ut rerum status nullam passus fuerit conversionem, quia, omnibus contractibus vel expressa vel tacita, ex legis officio, inest conditio, *dummodo res maneant in eodem statu*; » adeout, quando status rerum mutatur, extinguntur omnis effectus prioris status, et res ipsa juxta præsentem statum iudicanda sit, veluti post Jurisconsultorum *Africani*, *Neratii Venulei* responsa in *Leg. Cum is* 58 *ff. de solut. in leg. Quod verius* 8 *ff. de condit. caus. dot. in leg. Continuos* 137 *ff. de verb. obligat*, docent *Coccejus in dissert. de claus. reb. sic. stant. cap.* 3 § 1. *Exercit. curios disput.* 15 *tom.* 11 *pag.* 294., *Leisser medit. in Pandect. spec.* 40 § 4 *tom.* 1., *Carpzov. Jurisprud. forens. part.* 2 *constit.* 35 *definit.* 33 *N.* 1 *et seq. Rota in Romana Domus* 24 *Aprilis* 1780 § 3 *cor. Sentmanat* » Hæc omnia efficiunt, ut sola mutatio status ipsius contractus resolutionem secumtulerit, etiamsi nulla vis major intercessisset, quæ hunc locationis conductionis contractum resciderit.

5 Perperam post hæc objiciebatur, novam theatri ædificationem, non ab ulla necessitate proximæ, et imminentis ruinæ, sed a solo Capranicensium arbitrio, et voluntate processisse: *voluntariam* autem ædificationem ad ejus non dare locatori expellendi inquilinum ex nota *leg. Æde cod. locati*, ut imo inquilinus jure agere in locatorem valeat de eo, quod ejus interfuerit, ex re locata dejectum fuisse, juxta *Alfeni* Sententiam in *leg. Habitatores* 30 *ff. locati*, quam sequatur *Sichard. ad leg. Æde Cod. local.*. *et Pacion. de locat.*, *et conduct. cap.* 57 *num.* 11 *ad* 13. Nam coactos Capranicenses fuisse ad novam theatri ædificationem ex eo patet, quod vix elapso triennio a redemptione spectaculorum a Paterno quæsita, reputandum ab iis fuit, qui eisdem spectaculis ex auctoritate publica præsunt, theatri ruinam imminere, atque minus tutum esse in eo ludos exhibere. Qua de causa ipse Urbis Præses Capranicenses coegit, aut = *ad una nuova costruzione del medesimo, o a sospenderne l'esercizio, perchè mal sicuro* = Cum itaque, vel inviti parere Capranicenses debuerint Magistratum jussionibus, cl. me, Cardinalis Consalvius, ut recte ad exitum ædificatio produceretur, onus tam Urbis Præsidi, quam Spectaculorum Curatoribus imposuit novæ constructioni invigilandi, legemque Capranicensibus dedit, ædificatione peracta, novum theatrum Paterno locandi usque ad finem juris privativi, qnod ille ad sex annos obtinuerat. Cum vero nemo suum jactare velle præsumatur, hinc credibile non est, ad expellendum a re locata Cartonium voluisse Capranicenses, etsi nulla necessitas urgeret, vetus theatrum destruere, ut aliud multis sumptibus ædificarent.

Deficit ergo jus *ex voluntaria* ædificatione condicendi quanti conductoris interfuit rem conductam sibi defuisse. 6
Instabant tamen Cartonii defensores, ac pressius opponebant, quod, quamvis *necessaria* fuerit ædificatio, necessitas nihilominus ædificandi inquilinum prohibet tantum, quominus a locatore petat ejus interfuerit re locata carere debuisse, sed locationem minime dissolvit, quæ usque ad refectionis tempus interrumpitur, eaque absoluta, resumenda est, et continuanda usque ad tempus in contractu præfinitum *leg.* 3 § *Cum inquilinum ff. Uti possidetis*, ibique *Gloss. verb. dominum*, *Cujac. in tit.* 65 *Cod. lib.* 4 *Molin. de just.*, *et jure tract.* 2 *disp.* 499 *num.* 1 *ad* 11 *Tiraquell. tract. cess.caus. cest. ff. num.* 103. *Cancer. var. resolut. cap.* 14 *de locat. num.* 22., *Menoch de retinen.*

passess. remed. 3 *num.* 237 *Carocc. de locat. tit. de recusat. quæst.* 6 *num.* 1. 2 *Pacion. de locat. cap.* 57 *num.* 1 *ad* 5. Sed propter eorum sapientiam optime animadvertebant Patres, hanc juris conclusionem, de qua disputant citati Doctores, quo inter tamen nulla refertur Sacri Nostri Ordinis Decisio, tunc demum vires suas exerere, cum de simplici instauratione agatur, aut do nova ædificatione domus, quæ veterem formam, et statum servet antiquum, in quo etiam casu cogitur conductor arbitrio boni viri pensionem annuam augere: non autem si ampliores, magnificentiores, et ornatiores ædes fuerint extructæ, cum maximum adsint discrimen inter solam refectionem, et novam ædificationem, veluti probat *Rot.* in *Romana Prælationis* 3 *Junii hujus anni* § 5, *et seq. coram Me.* Ut enim in casu *retractus* ad tramites. Gregorianæ Constitutionis ad ornatum Urbis, si impleta vere fuerit Constitutionis forma, nullum jus habent veteres inquilini conductionem amplioris, et ornatioris domus repetendi, quia non est plus eadem domus, sed nova, et omnino diversa; ita etiam, ubi agatur de nova et necessaria domus ædificatione, quia vetus minabatur ruinam, veteres inquilini ex eadem ratione, quod non est amplius eadem domus, nullo jure potiuntur, primævam locationem conductionem resumendi.

7 Quin imo si in hypothecarum, et Censum materia exploratum est, hypothecam, et censum extingui, si pereat fundus, cui inhæret census, et hypotheca, nec utrumque jus reviviscere, si alius fundus extruatur, ut firmant *Cenc. de cens. quæst.* 101 *num.* 19 *Grazian. discept. forens. cap.* 614 *num.* 6 *Pacific, de Salcian interdict. inspect.* 3 *cap.* 3 *num.* 667 *et inspect.* 5 *cap.* 1 *numer.* 53 *Suid. decis.* 326 *num.* 46 *Rata decis.* 1418 *numer.* 4 *coram Seraphino*; Multo minus jus locationis conductionis, quæ quid minus est censu, et hypotheca, reviviscere debet post novam ædificationem. Posthabendi autem erant, si qui testes contra rei evidentiam deponebant, novum theatrum veterem formam, et amplitudinem servasse. Nam quisquis memoriam habeat veteris illius theatri, et novissimum inspiciat, is certe fateri necessario debet magis amplum ornatius, et magnificentius theatrum fuisse ædificatum ex opere latetirio: latiorem esse caveam: latiorem orchestram: latius proscenium: latiora tabulata. Adeo verum est amplitudini theatri ejusdem decori, et magnificentiæ Capranicenses prospicere voluisse, ut cubicula quædam proprii palatii theatro adjacentis, et cavædii partem cedere debuerint, et nonnullas finitimas ædes a Nobili Familia Lante coemere in majorem ipsius theatri commoditatem. Ex his itaque omnibus patet locationem conductionem theatri erga Cartonium initam tam ex facto Principis, quam ex nova ædificatione rescissam omnino mansisse.

Quantum autem constat ex facto 8 Principis rescissam mansisse locationem conductionem, tantum æquum est ut ex rei locatæ defectu Cartonius refectionem damnorum a Capranicensibus condicere nequeat. In his enim locationis conductionis contractibus satis explorata, et obvia juris regula est, ut si conductor re locata uti frui non potuerit ex culpa, et facto locatoris tunc ipse, non solum facultatem habet obtinendi remissionem pensionum, sed condicendi quoque damna ex rei locatæ defectu sibi obventa: si vero rei locatæ usum amisit conductor ex vi superiori, cui resisti non poterat, et non ex facto, culpaque locatoris, tunc jus habeat conductor ad solam petendam remissionem pensionum, non ad damnorum refectionem postulandam. *Leg. si fundus* 36 *ff. locati leg.* 167, *et* 199 *ff. de reg. Jur. leg.* 7 *ff. de jurisdict., Gratian. discept. forens. cap.* 376 *num.* 18 *Pacia ea locat., et conduct. cap.* 28 *num.* 25, *et seq. Rot. dec.* 519 *num.* 37 *coram Olivatio, et in Romana damnorum super liquidatione* 5 *Maii* 1823 § 5 *cor. R. P. D. mea Planetti.* Atqui ex demonstratis dubitari nequit, quin Cartonius tam jus privativum exhibendi spectacula, quam rem locatam amiserit ex vi superiori, factoque Princi-

pis, cui resisti non poterat: ergo jus tantum habet ad remissionem pensionis. Jam vero incontroversum est, ab eo tempore, quo theatri conductionem Cartonius amisit, nec annuas conventas pensiones eum solvisse, nec illarum solutionem Capranecenses postulasse. Satis igitur consultum est ipsius indemnitati ope remissionis pensionum: quod rite in his rerum circumstantiis, et a Cartonio peti, et a Judice concedi posset.

Et ita Sex ex Patribus suffragium ferentibus, in strenuo litigantium conflictu jus redditum est.

ROMANA NULLITATIS

DECLARATIONIS FIDUCIÆ

Lunae 21 *Februarii* 1825.

ARGUMENTUM

Haeres fiduciarius, cui tributa est a testatore facultas alterum in haeredem nominandi, nequit se ipsum nominare. Idque quamvis simplicis haeredis nomine fuerit a testatore nuncupatus. Contrarium procedit tantum in casibus, ubi testator vel haeredem fiduciarum a confectione inventarii et redditione rationum exemerit, vel ei liberam alienandi facultatem tribuerit.

SUMMARIUM

1. *Haerede fiduciario, non legitime fiduciam declarante, haeres legitimus successionem consequitur.*

   Neque priori casu, fit locus novae fiduciae explicationi - ibidem. -

   Haeres fiduciarius declarationem tenetur vallare juramento, nisi id expressim testator remiserit - ibidem. -
2. *Haeres fiduciarius, cui facultas a testatore data fuit alterum in haeredem nominandi, nequit seipsum nominare.*

   Idque quamvis simpliciter haeres fiduciarius a testatore fuerit nuncupatus - ibidem. -
3. *Ubi mentio excidit de fiducia, inverosimile est quod testator haeredem fiduciarium etiam proprietarium facere voluisset.*

   Haeres fiduciarius nequit facere suos fructus, ut facit haeres gravatus - ibidem. -
4. *Haeredes fiduciarii nunquam proprietarii censentur, nisi facultatem eis testator tribuerit se ipsos haeredes proprietarios declarandi.*
5. *Vel quando testator haeredem fiduciarium a confectione inventarii, et redditione rationum exemerit, vel facultatem bona alienandi donaverit.*

   Verba - che debba eseguirsi quanto esso erede fiduciario sarà per dichiarare - *facultatem non tribuunt se nuncupandi haeredem in proprietate - ibidem. -*
6. *Si praesumptus haeres legitimus nominibus gravabatur, ob id praesumitur quod testator alteri fiduciam concredere velit.*
7. *Non quid dixit vivens testator, sed quid disposuerit in testamento, inspiciendum est.*
8. *Actus notorietatis, non probat haereditariam qualitatem.*
9. *Haeres fiduciarius, qui in vita a testatore obtinuit emolumentum, praemium accepisse praesumitur ob onus fiduciae si injunctum.*
10. *In judicio civili nulla ratio est habenda de perjurii, et falsi crimine.*

DECISIO CCXLIII.

Ut Ecclesiasticam sequeretur militiam, Deoque serviret, patriis laribus relictis, Romam se contulit multis ab hinc annis Vir Januæ Patricius Joannes Baptista Maggioli, secumque duxit concivem, et popularem suum Cajetanum Sommariva, quo cubiculario simul, et coquo utebatur. Quantum autem ille generis nobilitate, morumque candore apud Sanctam Sedem profecit, ut non modo inter Præsules Romanæ Curiæ adscriptus, verum etiam inter Patres Signaturæ Justitiæ stilitibus judicandis merito fuerit præpositus: tantum hic sedulitate sua domini gratiam sibi conciliavit. Adeo imo benemereri de hero suo visus est Cajetanus, ut deinde præter cubicularii, et coqui munus, partes quoque negociorum gestoris, et procuratoris assumpserit, ex quibus reditus, et credita Præsulis exigebat, pecuniam contrectabat, sumptusque demum in necessarios usus explebat. Hos cubicularii labores compensandi cupidus Præsul Joannes Baptista publicis tabulis anno 1791 ei donavit summam Januensium libellarum *viginti quinque millium*, post donantis tamen obitum assequendam. Cum vero in officio procuratoris, ac negociorum gestoris porrexisset Cajetanus, etiam

post exaratam donationem, factum binc est, ut creditum hoc nomine protulerit haud levis summæ libellarum Januensium *octomillium*.

Id vero nomen statim dimittere Præsul Joannes Baptista sibi proposuit. Hac de re in solutum Sommarivæ cessit annuam ponsionem libellarum pariter Januensium *quatuorcentum*, quot ei debebat defunctus Germanorum Imperator, et Rex Leopoldus II. Publicis postea rebus ex Gallorum invasione subversis, disjungi a cubiculario cogitur Præsul Joannes Baptista, et in patriam redire, ubi moram traxit usque ad restitutum Sacratissimi Principis imperium. Tunc denuo Romam reversus intermissam ob temporum infelicitatem vitæ consuetudinem cum cubiculario suo resumpsit, donec tandem, lethali morbo correptus, anno 1820 die *decimaquarta* Januarii, postremum de rebus suis condidit elogium, in quo *hæredem fiduciarium* sibi nuncupavit Cajetanum Sommarivam, quem consilii, ac voluntatis suæ participem fecisse dixit, jubens præterea, ut = *debba eseguirsi quanto il detto suo erede fiduciario sarà per dichiarare, e non altrimenti* =. Sed adeo post confectas testamenti tabulas ferbuit morbus, ut die 31 ejusdem mensis Januarii anno 1820 ipso Præsul Joannes Baptista placidissime obdormierit in Domino. Vix autem ab ejus morte præterierant dies quindecim, cum Cajetanus, moræ longioris impatiens, chartam proprio charactere scriptam, jurisjurandi religione firmatam, bino teste munitam tradidit tabellioni, in qua hoc modo sibi concreditam a testatore fiduciam explicavit. Primum professus est = *che fu mente del sullodato Monsignor Maggioli, che l'Illustrissimo Signor Vincenzo Maggioli di lui Nipote avesse dopo la di lui morte in proprietà, ed in usufrutto il terzo consolidato, che lo stesso defonto Prelato ha goduto fino al giorno di sua morte sul Governo Francese in Parigi* =.

Testatoris mentem deinde fuisse declaravit, ut menstrua pensione argenteorum nummorum *sex*, usquedum viveret, super hæreditate sua frueretur Sanctes quidam Gaudenzi, qui in ejus famulatu reperiebatur. Quod reliquam respicit hæreditatem, voluisse Præsulem asseruit, ut ipse unus universalis, ac proprietarius bonorum hæres esset, eorumque compendio potiretor, onere tantum adjecto ex prædiis quibusdam in Agro Ferentini positis tot erigendi Cappellanias, unde sacra annua in suffragium animæ, tam defuncti domini, quam ipsius fiduciarii hæredis post mortem suam celebrari possent. Sic porro se babent explicatæ fiduciæ verba = *Ha voluto finalmente, che io, che per anni* 39 *ho avuto l'onore di servirlo, dopo la di lui morte fossi di lui erede universale, ed assoluto padrone, avendomi ordinato, che dopo la mia morte si dovessero dei beni di Ferentino formarne tante Cappellanie* in *suffragio delle anime nostre coll'obligo, che da me si debbano erigere in vita mia, ed a piacer mio* =. Jus autem nominandi, et præsentandi Cappellanos in spectatissimum contulit Præsbiterum, et Romanæ Curiæ Advocatum Nicolaum Ferrarelli, cui etiam tribuit prædictorum bonorum administrationem. At ægre ferens Vincentius, testatoris nepos, simplici, et quidem exili legato se dimissum fuisse, totamque patrui hæreditatem ab extraneo fuisse occupatam, invita testatoris voluntate, querelas suas de nullitate declarationis fiduciæ detulit ad Joridicum A. C. Collegium, a quo etiam immissionem ab intestato ad bona hæreditaria ejusdem patrui postulavit sed, qui causa cecidit apud A. C. Triumviros, provocavit actor feliciori omine ad Sacrum Nostrum Ordinem, ubi scissis primum suffragiis, ampliatoque judicio ad Quintum, et Sextum, propositæ dubii formulæ, quæ ita quærebat = *An constet de nullitate declarationis fiduciæ in casu etc.* = hodie mane responsum est =*Affirmative*=.

Compertissimi enim juris est, hærede 1
fiduciario non legitime fiduciam declarante, hæredem legitimum, utcumque a testatore non contemplatum, et forte etiam invisum, intestatam defuncti successionem consequi debere, quin locus sit novæ fiduciæ explicationi. Hoc juris theorema, communi calculo a Doctoribus firmatum, constantissime retinuit Sacer Noster Ordo, prout ostendunt

præ cæteris exempla in *Pisauren. Hæreditatis* 14 *Februarii* 1727 § *Quamquam coram Aldornando, in Romana Successionis* 31 *Martii* 1797 § 2 *cor. Eminentissimo Cesarei, et in Romana Successionis super exequutione Reijudicatæ* 26 *Martii* 1802 § 2 *coram Eminentissimo Serlupi.* Quod cum ita sit, tota disputatio in eo versatur, an rite nec ne fiduciam a testatore sibi concreditam explicaverit Cajetanus. Nullo quidem *formæ* vitio peccare fiduciæ declarationem a Cajetano panditam, dubitare non sinunt, tum testes adhibiti tum servata juramenti religio, quam ex puriori juris disciplina hæres fiduciarius, qui ad instar testis est in explicanda fiducia, tenetur emittere, nisi vel idem testator expresse remiserit jurisjurandi necessitatem, vel ea accedant adminicula, quæ aliunde fidem non juratæ declarationi fiduciæ, concilient ad *Text. in Leg. Theopompus* 15 *ff de dot. prelegat. Rot. in Romana immissionis* 29 *Aprilis* 1803 § 4 *coram Emo Rusconio, et in confirmatoria* 2 *Martii* 1804 § 5 *coram eodem.* At enorme nullitatis vitium panditæ declarationis fiduciæ *substantiam* inficere, ipso suadebant testamenti verba, in quo Præsul Joannes Baptista, non multo apparatu, sed pure, ac simpliciter in omnibus, ac singulis suis bonis hæredem fiduciarium Cajetanum instituit = *In tutti, e singoli suoi beni vuole che sia suo erede fiduciario il Signor Gaetano Sommariva, al quale asserisce aver comunicata, e manifestata la sua volontà ec.*=

2 Atqui hæres fiduciarius is dicitur = *qui non justus, et absolutus hæres est, sed velut depositarius, hoc est cujus fidei credita est hæreditas alteri restituenda* =, ut his verbis tradit *Gloss. min. ad leg. Saturninus ff ac S. C. Trebell.* n. 4. Cum ergo meri testis, simplicis custodis, ministri, ac depositarii personam gerat hæres fiduciarius, nihil lucrari, nihil percipere potest non modo ex proprietate bonorum, sed etiam fructibus, adeout integram teneatur una cum accessionibus defuncti hæreditatem ei restituere, quem voluit ipse Testator *Carolus ant. de Luca de hæred. confident. cap.* 52 *n.* 4. *De Nigris denominat. lib.* 1 *quaest.* 24, *Rot. Cor. Cavaler. decis.* 284 *n.* 3 *coram Olivatio decis.* 648 *n.* 7, *et in Romana successionis super redditione rationis* 4 *Februarii* 1767 § 3 *cor. Pergen.* Non poterat itaque Cajetanus, defuncti fiduciam explicando, se ipsum proprietarium hæredem constituere et veram disponentis voluntatem immutare. Quemadmodum enim, si quis accepit ab alio pecuniam, ut alteri daret, non potest sibi metipsi pecuniam addicere, quia secus actio, et passio in eodem subiecto esset, ita haeres fiduciarius, cui facultas a testatore data fuit alterum in haeredem nominandi, nequit seipsum nominare. *Leg. si mandavero tibi* § *Si tibi centum ff mandati.* Quod si talem sese renunciavit Cajetanus, quamvis simplex haeres fiduciarius a Testatore fuerit nuncupatus; nemo sane non videt irritam fuisse fiduciae declarationem, aditumque proinde patere haeredi legitimo ad intestatam acquirendam haereditatem.

3 Sed nomine tenus hæredem fiduciarium, re autem, et facto verum hæredem proprietarium institutum Cajetanum fuisse, perperam opponebant ejus defensores ex eo, quod non *peculiaris* fiducia quoad aliquam hæreditatis partem commissa ei fuerit, sed *universalis* hæres fiduciarius a Præsule fuerit institutus. Ubi namque nitida, et perspicua sunt testamenti verba, nefas est voluntatis quæstionem excitare, quæ ex verbis dumtaxat intelligi potest. At enim Præsul Joannes Baptista cubicularium suum hæredem fiduciarium expressis verbis vocavit, ac vocationi insimul adjecit ea verba = *al quale asserisce aver communicata, e manifestata la sua volontà* = Ergo cubiculario voluntatem credidit, non hæreditatem, sive cum in parte tantum, sive in integra hæreditate fiduciarium instituerit. Quod autem reponebatur, hoc punctim cubiculario communicatum, ut nempe ipse unus hæres universalis evaderet, id quidem repugnat rectæ rationi, et ipsi Præsulis testamento. Repugnant primo rectæ rationi ex qua opus non erat de fiducia mentionem facere si revera voluisset Præsul hæredem proprietarium, non fiduciarium, cubicularium suum nominare: quo in casu brevior,

et magis congrua fuisset explicita hæredis proprietarii nuncupatio. Repugnat insuper dispositioni testatoris. Nam si Præsul hæredem fiduciarium Cajetanum nuncupavit, eique præterea dixit voluntatem suam communicasse, plusquam fundo exprimi possit, in vado est, Cajetanum hæredem fiduciarium tantum institutum fuisse, qui nempe ex demonstratis solam haereditatis alteri restituendae custodiam, et administrationem retinet; nec fructus suos facere potest, ut facit haeres gravatus, quos inter maximum adest discrimen. *De Nigris de nominat. lib. 3. quæst. 2. numer.* 31.

4 Res magis illustrabatur infinitis propemodum exemplis similium institutionum hæredis fiduciarii universalis, in quibus eidem *hæredi fiduciario universali* vetitum esse semetipsum hæredem proprietarium eligere, tam Doctores, quam Tribunalia, et Sacrum præcipue nostrum Auditorium sæpissime docuerunt, ut monstrant *Cit. de Nigris de nominat. Lib.* 3. *quæst.* 2 *N.* 22. *et sequ. Card. Lanfredin. Respons.* 49. *per tot, Rot. in Rec, decis* 765 *part.* 2. *N.* 13. *in Auperrim tom.* 8. *decis.* 298 *N.* 7 *in Romana Successionis* 4, *Julii* 1796. §. 5. *cor. Emo Cesærei, in Confirmatoria* 31. *Martii* 1797. §. 4. *cor. Eodem, in Romana Quartæ maritalis* 21. *Aprilis* 1815 *cor. Emo Bussi, et in Romana Nullitatis, seu rescissionis Transactionis* 4. *Martii* 1816. *cor. Eodem* cum simplicem igitur fiduciarium hæredem nuncupatum fuisse Cajetanum aperte constet, fiduciariam hanc qualitatem evertere non poterant alia verba testamenti, quibus testator jussit, ut =*debba eseguirsi quanto detto suo erede fiduciario sarà per dichiarare, e non altrimenti* = Ea siquidem verba non alia de causa protulit testator, nisi ut exequutioni committetur quidquid postea declaraturus esset hæres fiduciarius quoad veram personam in hæredem institutam, non ut proprietarium hæredem efficeret, quem antea simplicem Fiduciarium instituerat. Cæterum idcirco hæredes fiduciarii instituuntur, ut nimirum implementum obtineat, quidquid ipsi asseruerint a disponente sibi communicatum: nec tamen ex huc usque deductis proprietarii censentur, nisi facultatem eis tribuerit testator libere, et pro arbitrio de haereditate disponendi, ne se ipsos haeredes proprietarios declarandi.

Quamobrem a thesi, de qua agebatur, longissime distabant Sacri Nostri Ordinis oracula *in Romana Testamenti* 7. *Martii* 1764. *coram Giraud, in Romana Immissionis* 29. *Aprilis* 1803. *coram Eminentissimo Rusconi, in Confirmatoria* 2. *Martii* 1804. *coram Eodem ac Votum Decisivum Particularis Congregationis, in Romana seu Ulisipponen. Hæreditatis* 6. *Junii* 1789., *coram Emo de Somalia S. Colleggii Decano, et a Secretis Status SSmi Principis Leonis XII.* Juri sane non afficit, ut quis fiduciarii simul, et haeredis veste induatur: attamen oportet in re plena periculi, qualis fiducia est, ut de voluntate testatoris liquido constet. Quando quis fuerit haeres universalis, et insimul fiduciarius particularis institutus; quando a confectione inventarii, ac redditione rationum immunem eum fecerit testator: quando potestate eum donavit distrahendi bona ne de illis ad libitum disponendi: quando voluit, ut seipsum haeredem proprietarium nominaret fiduciarius, si quis ei molestias inferret, quemadmodum erant casus illorum Decisionum, quibus abutebantur Cajetani Defensores, tunc sane nullum dubium, quia a generali regula recedendum sit. E converso autem nihil horum legitur in testamento Praesulis Joannis Baptistae, qui simplicem fiduciarium Cajetanum nuncupavit, si excipias ea verba = *che debba eseguirsi quanto detto suo erede fiduciario sarà per dichiarare, e non altrimenti* =, quae, non ad facultatem se nuncupandi haeredem in proprietate, sed ad personam pertinet a fiduciario in haeredem nominandam, quaeque tanto minus nocent, quo certius est ex testamento, commode referri posse ad collatum arbitrium efferendi, humandique in qualibet Ecclesia defuncti exuvias, qui sepulturam sibi elegerat = *in quella Chiesa che sarà per dichiarare l'infrascritto suo erede fidu-* 5

ciario, al cui arbitrio rimette il suo funerale, e suffragj di messe =.

6 Si quis ergo proprietarium haeredem Cajetanum renunciaret, is inepte subverteret Praesulis Joannis Baptistae testamentum, ejusque voluntatem violaret. Neque enim adversus naturalem pietatem, qua erga suos morientes feruntur, praesumendum est cubicularium ultimo Familiae suae agnato potiorem habere voluisse testatorem, adeout integra haereditate primum honoraverit; alterum vero simplici, et quidem tenuissimo legato contentum esse voluerit. Quod autem dicebatur, adolescentem illum, quasi male feriatum, in patrui odium incidisse, id quidem neque satis constabat, neque tanti momenti erat, ut benignum, humanumque patruum impelleret ad Nepotem haereditatis suae emolumento privandum. Patebat imo ex testibus fide dignissimis; ac ex depositione praesertim egregii, Nobilisque viri Marchionis Gasparis Sauli Januensis, singulari amore nepotem suum prosequutum fuisse testatorem, eumque humaniter, et liberaliter tam Januae, quam Romae tractasse. Nulla utique ratio aderat, ut cubicularium sub fiduciae larva haeredem in proprietate faceret, aut aliquid a propinquis, et consanguineis timeret Praesul Joannes Baptista, qui non modo bonis omnibus Familiae, Sacerdotium eligens, nuncium miserat; sed usque ab anno 1791 libellas *viginti quinque mille* Januenses eidem cubiculario palam, et publice donaverat. E contra vero ratio non minimo, sed maxime gravis in themate exigere potuit, ut verum haeredem testator occultaret. Cum enim aere alieno nepos obrueretur, neque bona ei suppeterent, ex quibus dimitti possent, verebatur sane Praesul Joannes Baptista, ne, nepote suo in haeredem manifeste instituto, statim in eum irruerent, atque impetum facerent ipsi creditores, eumque novo hoc haereditatis compendio spoliarent.

7 Fuerit quidem Cajetanus heri sui socius, amicus, contubernalis, ejusque etiam negocia recte curaverit: at laborum diligentiæ, vigilantiæ conspicuum præmium accepit ex donatione illa libellarum Januensium *viginti quinque millium*, quam erga eum emisit anno 1791. Præsul Joannes Baptista. Ideo vero morientes alterius fidei sese committunt, in eoque collocant fiduciam suam, quia probum, fidum, honastum ipsum noscebant, et experti quoque fuerant; nec tamen oportet, ut aliquam hæreditatis partem propter fiduciæ onus in eum conferant, cui satis esse debet ipsius fiduciariæ institutionis honor, Nullum hic præsidium quærendum erat a testimoniis, tum conservi Sanctis Gaudenzi, tum Causidici Placidi Mariæ Palelli, tum denique Advocati, et Præsbyteri Nicolai Ferrarelli, qui duo postremi a studiis Præsulis fuerunt, et pluries audivisse asserunt ejusdem Præsulis Votum instituendi cubicularium bonorum omnium hæredem. Esto quidem, quod hacc fuerit defuncti voluntas, ut placet Gaudentio, cui cæteroquin non leva lucrum ab explicata fiducia obvenit, et alii duo testes integerrimi deponunt. At non quid dixit vivens testator, sed quid disposuerit morti proximus, inspiciendum est, cum hominis voluntas *ambulatoria sit*; veluti inquiunt Forenses, *usque ad mortem. Rota decis.* 616 *num.* 17 *cor. Buratto et in Romana Hæreditatis* 3 *Junii* 1753 § 9 *coram Bussi.* Jam vero Cajetanus in testamenti tabulis nuncupatus unico fuit hæres fiduciarius. Talem ergo habendum eum esse, non proprietarium, nemo sanus inficiabitur.

Nec ullo in pretio haberi possunt 8
acta judicialia Januæ expleta, quibus nomen rerum Judicatarum tribuitur, dum nil aliud revera sunt, quam testimonia. Nil enim conficit primum = *Atto di notorietà* = quoad mortem ab intestato Sacerdotis Bartholomei Maggioli, Præsulis Joannis fratris, quia in eo, non Sommariva, sed generaliter nominantur = *gli Eredi*, e *Successori* = dicti Præsulis; nec aliud simila actum in quo Sommariva Præsulis hæres dictus fuit, quia illud ei recusare Judex non poterat, dum sese talem ipse declaraverat, de quo ille Judex inquirere haud debebat; et quia

editum fuit, absente ac prorsus inscio Vincentio instantibus = *le Signore Marchesi Marianna, Elisabetta, e Luigia Moggioli* = quorum nil intererat quis Præsulis hæres esset, atque = *sull'istanza del Sig. Gaetano Sommariva*=.

9 Adversus hæc, quæ perspicua sunt, duo subdebant, qui Cajetani Causam orabant: *primum*, inverisimile admodum esse, ut moriens Præsul Joannes Baptista nihil cubiculario tam dilecto reliquerit: ipsum præterea Cajetanum, juxta explicatam fiduciam; simplici potiri usufructu super hæreditate Præsulis propter Cappellanias post ejus obitum erigendas. In facto tamen utrumque corruebat objectum. Præterquam enim cubicularius de heri pecuniis libere disposuit, ejusque negocia, gessit, quin ullam unqnam exhibuerit rationum redditionem, jam illum, dum in humanis erat, egregia summa donaverat Præsul Joannes Baptista libellarum Januensium *viginti quinque millium*. Si quæ autem credita adversus Præsulem cubicularius experiebatur, plenam eorum satisfactionem acceperat ex annuo redditu Libellarum pariter Januensium *quatuorcentum*, cujus cessionem ab eodem Præsule retulit. Nec minus ineptum est aliud, nudum nempe bonorum usumfructum ex declaratione fiduciæ sibi addixisse Cajetanum. Porro, non ex universa Præsulis hæreditate Sacerdotia, et Cappellaniæ erigendæ erant, sed ex bonis tantum, quæ extant in Agro Ferentini. Præter hæc, alia etiam adesse bona in hæreditate Præsulis, probat inventarium, quod ipse cubicularius exaravit. Evidens est igitur, in cæteris aliis bonis, ac in universa plane Præsulis hæreditate, tum usumfructum, tum proprietatem habere fiduciarum, si ejus declaratio consisteret.

10 Sed eo semper redit res, ideo aliquem fiduciarum hæredem institui, quia fidus, honestus, probus existimatur, quin opus sit, propter fiduciarii munus, partem aliquam hæreditatis aut institutionis titulo ei relinquere. Huc vero re perducta, veluti in extrema naufragii tabula opponebant Cajetani defensores de honore, existimatione, fama hic agi, idemque in hodierna disputatione esse, de perjurii, et pessimo falsi crimine Cajetanum redarguere, ac irritam declarare fiduciam ab eo panditam. Nulla tamen in hoc civili judicio de his ratio erat habenda, in quo de interpretanda, et cognoscenda defuncti voluntate tantum agebatur, quæ, cum repugnaret explicationi fiduciæ, potior voluntas testatoris habenda erat, quam ipsa, licet jurata, fiduciarii declaratio. Præterea recte animadversum est, non tam malitia, quam errore, ignorantia, et falsa opinione evenire potuisse, ut sese hæredem proprietarium reputaret, et talem sese declaraverit, qui fiduciarius unico ex testamento erat. Hæc tamen inquirere nihil attinet. Nam, si extraneis hisce considerationibus locus esset in hujusmodi causis, jam nemo esset hæres fiduciarius, qui sese proprietarium facere non posset.

Et ita cum suffragio Quinti, et Sexti decisum est. Utraque etc.

ROMANA NULLITATIS

INSCRIPTIONIS HYPOTHECARIÆ

Lunae 17 *Januarii* 1825.

ARGUMENTUM

In vim sententiae merae interlocutoriae inscribi non potest hypotheca. Praeterea inscriptio fieri non potest, de credito incerto, eventuali ac non determinato. Et summae determinatio est e substantia inscriptionis, ac ita ut, ea deficiente, corruat inscriptio. Solae inscriptiones mere legales, eximuntur ab onere exprimendi crediti valorem.

SUMMARIUM

1. *In accomandidae contractu, quidquid damni evenit, aequa lance inter socios damnum dividi debet.*
2. *Credito deficiente, nulla existere potest hypotheca.*

3. *Sententia non definitiva, vel saltem provisoria, sed preparatoria tantum aut interlocutoria, jus non tribuit ad hypothecam.*
4. *Sententia quae imperat rationum redditionem, inter mere interlocutorias recensetur.*
5. *Nihil detrahit naturae sententiae interlocutoriae, etiamsi verba adhibita fuerint* - definitive sententiamus. -
6. *Hypotheca oriri non potest nisi ex iis judicatis, quae aliquam secumferunt condemnationem, ut sunt sententiae definitivae, ac provisoriae.*
7. *Ex Codici. gallici* articul. 2123, *oriri non poterat hypotheca ex scriptura, nisi super recognitione, ac veritate ejus sententia accessisset.*
8. *Ante gallicas invectae leges, incognita prorsus erat hypotheca judicialis.*
9. *Si in gradu appellationis aliqua confirmatur sententia, jura partium metiuntur a legibus quae vigebant de tempore quo prodiit sententia.*
10. *Invalida est inscriptio, ob creditum incertum, eventuale, ac non determinatum.*
11. *Ac praedicta dispositio extendi debet nedum ad hypothecas conventionales, sed etiam ad judiciales.*
12. *Argumentum a contrario sensu, pro legum intelligentia quam maximum vim habet.*

Inscriptiones cujuscumque generis hypothecarum, modo non sint mere legales, obligationi exprimendi crediti valorem sunt obnoxiae - ibidem. -

13. *Summae determinatio, pro creditis* - eventuali, condizionali, indeterminati - *requiritur ad effectum ut valeat inscriptio.*
14. *Nullum lucrum socius in accomandita sibi addicere potest, nisi prius societas ad exitum perducta, collocatoque cum utilibus damno.*
15. *Lex* 11 Brumalis anni 7 *praescripsit quid agendum foret de hypothecis anterioribus promulgationi Codicis Gallici.*
16. *Obligatio Cameralis generalem inducebat super omnibus praesentibus, ac futuris debitorum bonis hypothecam.*
17. *Debitori semper magis expedit specialis hypotheca, quam generalis.*
18. *Regni Italici leges, nihil communis habebant cum legibus Imperii Gallici.*
19. *Quae ad inscriptionum formam pertinent, sunt substantialia, neque possunt omitti absque nullitatis vitio.*
20. *Per aequipollens inscriptionis formam suppleri non potest.*

Neminem ignorantia juris excusat. ibidem.

21. *Inscriptio pro summa appropinquativa et eventuali, fieri debet pro valore determinando arbitrio boni viri.*
22. *in peragenda inscriptione, enunciari debet tempus, et modus, quo creditum exigi potest*

DECISIO CCXLIV.

Nummulariam negociationem, quam diu exercuerat Marchio Franciscus Belloni, cum anno 1793 deserere constituisset, accommanditæ nomine, sub die 11 Januarii illius anni, scuta immisit *viginta millia* in aliam in Urbe argentariam mensam, ad Ferdinandum Acquaronium, ejusque Filium Jacobum spectantem, atque apocha ea die a contrahentibus signata conventum fuit *quod* Acquaronii immittere deberent scuta *quadragint, millia,* ut ita capnt, quo super negociatio esset exercenda, ad scuta assorgeret 60000:; *quod* accomandita progredi deberet de triennio in triennium, nisi hujus exitum per tres menses disdicta præcederet, ac sub conditione quod, si Ferdinandus, aut Jacobus, ea perdurante, obirent, cogi haud possent eorum Successores ad illam servandam; *quod* demum quolibet anno bilancium negociationis perfici deberet, ut hujus Status pateret, atque utilia pro rata immissi capitis dividi possent, accomandita vero quovis modo cessante, illa scut. 20000. Bellonio essent restituenda, et = *quante volte per perdita, e remissione fatta l'intiero capitale del Banco medesimo si fosse diminuito, debbasi allora al detto Signor Marchese restituire quella Somma, che in questa proporzione gli sarà dovuta* =; quæ apocha fuit Camerali obligatione vallata, Anno vero 1795 cum e vivis excessisset Ferdinandus, ac Jacobo filius esset Thoma, in argentaria, et ipse negociatione institutus, alter superaccessit similis apocha, die 17 Decembris illius anni signata, qua cautum fuit, ut in casu mortis Jacobi, quæ fuerant in præcedenti apocha quoad accommanditam, ejusque progressum constituta, a Thoma etiam servari deberent.

Hujusce accomanditæ, quæ utrique parti, tam utilis, quam damnosa ex negociationis indole, succedere poterat, rationes Acquaronii quotannis bilanciis exhibitis, per quinquannium, ad annum nempe 1797. Bellonio reddidere. At deinceps, ob publicarum rerum

perturbationem, monetariæ rei vices, ac papyraceæ, aeneæque monetæ abrogationem, cum adeo infeliciter ea cossisset negociatio, ut, nedum integrum illud accomanditæ caput perierit, sed coacti etiam fuerint Acquaronii ad sociale debitum ære proprio dimittendum, cessatum ab ipsis a regulari bilanciorum exhibitione fuit; atque ipsorum quam maxime lapsis fortunis, in eorumdem Patrimonii Æconomum a S. M. Pio VII deputatus fuit Eminentissimus Cardinalis de Somalia, nunc S. Collegii Decanus, ac a Secretis Status Sanctissimi Principis Leonis XII., quem Deus incolumen pro totius Ecclesiæ, Subditorumque bono diutissime servet. Hic vero Eminentissimus Æconomus die 30 Martii 1802 Bellonio, ope Monitorii coram A. C. Pelagallo expediti; nunciavit, patrimonii Acquaronii nomine, ab accomandita recessum, ad tramites contractus, ex quo fieret locus = *receptioni redditionis rationis*, *et residui capitis, si quod ex redditione rationis reliquum futurum sit* =; atque hac rationis redditione ad acta allata die 25 Novembris ejusdem Anni, patuit illius patrimonii adversus Bellonium creditum in scutis constitui *viginti quinque millibus*.

Tum Bellonius, ut omne in Acquaronium Sociale damnum reiiceret, nummulariæ codicum assertam illegalitatem ideoque redditionis rationum inanitatem objecit. Causa, coram A. C. haud definita, venit ex integro ad S. Nostrum Tribunal, ac proposito per nunc Eminentissimum Bussium die 10 Martii 1806 Dubio = *An constet de legitima redditione rationis, et in qua Summa, et cujus favore sint relaxanda mandata in casu etc.* Responsum fuit datum = *Negative in omnibus ad primam partem, affirmative ad secundam, et ad D. Ponentem pro deputatione Periti Curialis, et ad mentem* =; quæ mens fuit ut Peritus Curialis rationes accomanditæ iniret pro toto tempore, quo contractus progressum habuit, ab anno nempe 1795 ad annum 1802., ac sequi deberet = *bilancia confecta usque ad annum quintum in singulos annos utrinque probata, et admissa* = Proposita rursus Causa coram eodem Ponente, die 15 Junii 1807 sub Dubio = *An sit standum, vel recedendum a decisis* = mordicus semper Bellonio codicum illegalitatem opponente, dilata fuit illius definitio, ac datum Eidem Ponenti munus mandandi Perito Curiali ut, adhibita Periti ratiocinatoris opera, de librorum legalitate examen susciperet, ac de ea referret; ad cujus Rescripti tramites, instante Marchione Gaspare Cavalletti, qui in defuncti Bellonii jura successerat, Decretum prælaudatus Ponens emisit, quo Periti, tam Curialis, quam Ratiocinator, deputati fuere 22 Februarii 1808. Hoc præparatorium Decretum confirmavit Rotalis Sententia, a nunc Eminentissimo Cesarei signata die 24 Aprilis 1809., et dein, occupata per Gallos Ecclesiastica Ditione, Tribunal Appellationis, Romae ab occupatoribus constitutum, sub die 7 Novembris anni ejusdem 1809 hanc confirmavit = *Sentenza meramente preparatoria* = et exequutioni dari jussit = *per prendersi in seguito le providenze necessarie, e procedersi al giudizio definitivo sul rendimento dei conti* =.

Interim vero, a die usque *quarta* Julii 1809. Magistratus ille Gallus Romae sedens, cui nomen = *Consulta straordinaria per li Stati di Roma* =, notissimum ediderat Decretum, quo hypothecarium regimen, juxta Gallicas leges 11 Brumalis anni 7., seu 2 Novembris anni 1799., illasque Codicis Civilis Napoleonis, fuit invectum pro hypotecarum conservatione, quove sub *Art.* 2. præscriptum fuit, quoad = *gli Atti, e contratti stipolati anteriormente al primo Agosto prossimo, e che in virtù delle Leggi precedenti costituivano rango, ipoteca, o privilegio* =, illos actus hujusmodi jura servare posse, dummodo inscriberentur in hypothecariis Codicibus intra novem mensium terminum = *a contare dal detto giorno primo Agosto prossimo* =; et quoad modum inscriptionis statutum fuit in *Art.* 4. = *l'iscrizione potrà richiedersi sulla semplice esibizione delli due Spocchi prescritti dall'Articolo* 2148 *del Codice Napoleone, e*

senza che sia necessario di esibire la Spedizione del titolo del credito =, binæ autem hæc notulæ, præter cætera, exhibere debebant, ad tramites citati illius Articuli 2148 Gallici Codicis = *l'importo dei crediti capitali espressi nel titolo, o valutati dall' iscrivente riguardo ai diritti eventuali, condizionali, o indeterminati, nei casi, in cui questa valutazione sia prescritta, come pure l'importo degli accessorj di questi capitali ed il tempo, in cui sono esigibili* =, uti etiam = *l' indicazione della qualità, e situazione dei Beni, su i quali tende* (inscribens nempe) *di conservare il suo credito* =; quam declarationem in omnibus eventualibus creditis ab inscribente fieri debere « *sino alla concorrenza di un valore giusta la stima, che egli espressamente dichiarerà, e che il debitore avrà ragione di ridurre, se vi sarà luogo* » Gallicus idem Codex, sub poena nullitatis, jubebat, exceptis dumtaxat inscriptionibus hypothecarum *legalium*, uti perspicuum est ex ejus articulis 2132 et 2153. Quo vero ad « *l'ipoteca generale ammessa dalle leggi anteriori* » prædictum Decretum diei 4 Julii 1809., stricte inhærens *Art.* 43 superius citatæ legis 11 Brumalis Anni 7., constituit sub *Art.* 7. pro ejus conservatione « *su i beni presenti, e futuri dei debitori* » eam esse inscribendam modo superius expresso, quoad omnes alias hypothecas, ab hoc uno tantum inscribente exempto, nempe « *Senza che il creditore sia tenuto di descrivere nè la natura, nè la situazione dei beni stabili* » atque id ob eam apertissimam causam, quod, cum ageretur de generali obligatione omnium bonorum debitoris « *presenti, e futuri* » impossibile prorsus erat creditori designare illorum « *natura, ac situazione* ».

Res in hoc erant statu, cum sub die 5 Maii 1810., quamvis superius relatis mere *praeparatoriis* Judicatis nil fuisset constitutum, ex quo dignosci posset quis inter Cavallettium, et Acquaronium alterius esset ex praedicta accomandita creditor, in mentem eidem Cavallettio venit, sese Acquaronii creditorem eo nomine dicere; hinc super omnibus praesentibus, ac futuris Patrimonii Acquaronii bonis assertam hypothecam inscripsit pro praetenso « *credito eventuale, che dopo la ricognizione dei Libri, mediante l'opera dei Periti, potrà risultare a favore di detto Signor Cavalletti dal rendimento di conti, e bilancio, che dovrà farsi dai detti Signori Acquaroni dell'Accomandita stipolata per Apoche private degli* 11 *Gennaro* 1793., *e* 17 *Decembre* 1795 *col fu Marchese Francesco Belloni in forza del Giudicato Rotale confermato dalla Corte di Appello li* 7 *Novembre* 1809 *unitamente agl' interessi danni etc.*, quin vel ipse, vel ejus consiliarii adverterent hujusce inscriptionis, quavis in hypothesi existentiae praetensi crediti, inanitatem, tum quia judicialis hypotheca oriri nequibat ex illis judicatis mere praeparatoriis, nam Civilis Gallorum Codex, eo tempore jamdiu omnibus notissimus, sub *Art.* 2123 constituebat, quod « *l'ipoteca giudiziale deriva dalla Sentenza definitiva, o provisoria* » non vero a Sententiis *praeparatoriis*; tum etiam quia ex praedicto Decreto 4 Julii 1809., aliique hypothecariis superius relatis legibus, cum res esset de credito eventuali, quaevis ex hujusmodi creditis inducta hypotheca, sive *praecedens*, sive *subsequens* hypothecarii Regiminis constitutionem, sive *generalis*, sive *Specialis*, servari per inscriptionem non poterat, neglecta ab inscribente significatione appropinquativae quantitatis illius crediti, exceptis a generali sanctione hypothecis dumtaxat legalibus. Cujus inscriptionis notitia, cum ad aures pervenisset Acquaronii, sibi ipse prospicere curavit inscribendo opportune die 26 Decembris ejusdem Anni 1810 super omnibus Cavalletti bonis suam hypothecam pro credito ad summam usque scutor. 25000., absque praejudicio majoris summae, manante ex praedictis accomanditae Apocis, juxta expositas de ea rationes, et conficiendam peritiam.

Prosequitur postea super redditione rationis judicium prodit peritia, quae argentariae Acquaroniae mensae Codices illegales renunciat: proponitur co-

ram S. N. Ordine die 1 Junii 1818 a nunc Eminentissimo Serlupi in illa Causa Dubium « *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* » ac, silente prorsus novo curatore bonis Acquaronii dato, post hujus decoctionem et creditorum concursum super ejus patrimonio convocatum, juxta Cavallettii petita Patres respondent: Decisio tunc edita ab Emo Ponente alia ejusdem Decisione confirmatur, vulgata die 1 Martii 1818., ac deinde, prorsus semper silente eo Acquaronii patrimonii Curatore, Rotalis profertur Sententia: qua constituitur « *non constare de legitima redditione rationis per D. Acquaroni facta, nec fuisse, aut esse locum novae redditioni rationis, imo nec reddi amplius posse, attenta librorum illegalitate, ideoque relaxandum fore, et esse mandatum exequutivum favore Marchionis Cavalletti, tam pro restitutione capitis scutorum* 20000, *quam pro solutione utilium ejusdem summae post annum quintum, nempe a die* 1 *Aprilis* 1798 *usque ad totum mensem Martii* 1802., *juxta juramentum in litem ab eodem D. Marchione Cavalletti praestandum* ». Jurat tum in litem Cavallettius die 6 Augusti illius anni 1819 super eo sc. 20000 capite usuras semisses addicit, scuta nempe 4800 por quadriennii prædicti lapsum: concordiaæ dein init die 17 Maii 1820 cum Lucia Vaccaria Vidua Thomæ Acquaronii, prorsus infirma valetudinis, cujus brevi subsequutus obitus ab omnibus prævidebatur, et ex hac concordia in ejus jura dotalia ad scuta usque 12500 succedit, vitalitia conventa annua pensione Scutorum 400 ac obtinet probationem Sententiæ A. C. quam die 13 Maii 1819. Super validitate Superius relatæ ejus inscriptionis hypothecariæ anni 1810; postea repetitæ die 28 Aprilis illius Anni 1820 cum designatione crediti, nullo novo monumento aut indicio fulcita, in Scutis 38500 et ob. 55 facile assequi potuerat, ipsa tantum Vaccaria, et Lucia Vittene contradicentibus. Traditur hinc ei, in partem asserti illius crediti sc. 38500 et ob. 55 universum Acquaronii Patrimonium, una cum omnibus nummulariæ codicibus, et scripturis, ab huius curatore pro Scutis 20400., quamvis scutis æstimatum 35633 in Curiali peritia; quo facto, nedum repellere conatus fuit illius patrimonii creditores, notissimo in Urbe argentario, in cujus nunc defuncti jura successit ejus filius Joseph, ut ei eriperet, in vim asserti residui crediti latifundium *Forno Casale*, quod proveniens erat a prædicto Acquaronio patrimonio, et ipse Contius die 9 Augusti 1818 a Matthæjo, illius primo emptore, acquisiverat pretio Scutorum *quindecim millium*, et in suum transcripserat nomen, ad legum tramites.

Sed ii creditores, quos inter præcipua est Camera Generalitia Ordinis Prædicatorum Urbis, quae censuali nomine pollet adversus Acquaronia bona in sorte scutorum 8000., cum usura *triente*, imposito a die usque 17 Junii 1802 super « *le Saline di Ostia* » accedente hypotheca generali omnium illorum bonorum, rite Inscripta die 23 Juli anni 1810., atque prædictus Contius Cavalletti ausibus obsistere, appellatione obtenta, tam a Sententia A. C. super iscriptione hypothecaria Cavalletti, tam ab illa S. N. Tribunalis, in contumacia Acquaronii post binas Decisiones ab Emo Serlupi edita, super redditione rationis, et prætenso Cavalletti credito: et ad hanc postremam quod spectat, a S. Ordine Nostro rescriptum fuit die 9 Junii 1823. *Dilata, et ad D Ponentem pro deputatione Periti Peritioris et ad mentem* » et hæc mens per R. P. D. mei Ponentis decretum die 11 ejusdem mensis ita fuit declarata: nempe « *quod peritiores referant super peritiis Valle, et Guerra, et omnibus codicibus, et scripturis nummulariae Aequaroniae a Cavallettio exhibendis, atque super damno nummulariae obvento ex vicissitudinibus, et abrogatione monetae papyraceae* ». Quare Cavallettio, sui forsan mali juris conscio, judicium hac de re prosequi negligente, igonotum omnino est an nullo ipse adversus Patrimonium Acquaronium credito polleat, ex quo sibi aliquam asserere hypothecam, et occupata Acqua-

ronia bona retinere etiam valeat, quin actio ei sit latifundium persequendi a Contio emptum. Quod vero ad hypothecariam inscriptionem pertinct, proposita in S. N. Tribunali Causa a R. P. D. meo Martinez, *bis* hæsit anceps Patrum judicium, die vero 17 Januarii 1823 originario Dubio = *An constet de nullitate inscriptionis hypothecariae, ita ut sit locus illius deletioni in casu etc.* respondit quidem Universa Aula = *Negative in omnibus* = At brevi transiit Cavallettii gloria: binæ namque subsequentes Decisiones, ab eodem R. P. D. meo Ponente editæ, sub diebus 6 Junii ejusdem anni 1823., et 17 Martii 1824 priorem revocarunt; eisque accessit Rotalis Sententia ab ipso Signata, qua constitutum fuit = *inscriptionem supradictam, tamquam nullam, irritam, et inanem, delendam, cancellandam, fore, et esse* = Nec melius Cavallettio res cessit in hodiernis Comitiis, cum mihi de hujus Rotalis Sententiae viribus quærenti, sub formula de more Dubii = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* = Responsum me quoque suffragante, datum fuit = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =.

1 Et sane quæ undique justitiæ consona est, Sententia confirmari omnino meretur. Nil autem justius, quam nullam hypothecæ inscriptionem renunciare pro credito expletam, cujus quamlibet Cavallettio adversus Acquaronium patrimonium deficere probationem, quæ superius in facti narratione exposita fuere perspicue demonstrant. Si namque argentaria negociatio, ad quam exercendam accomandita inter Acquaronios, et Bellonium; Cavalletti auctorem, fuit inita, male cessit ex eo, quod perinsignis papyraceæ, æneæque monetæ vis, in notissimis publicarum rerum vicissitudinibus, ac perturbationibus primum maximam subiit valoris imminutionem, dein periit in Acquaronia nummularia, in qua illa negociatio exercebatur; et si inter accomanditæ pacta illud etiam ex hujus contractus indole, expressum legitur, quod = *quante volte per perdita, e remissione tutto l' intiero Capitale del Banco medesimo si fosse diminuito, debbasi allora al detto Signor Marchese Belloni restituire quella somma, che in questa porzione gli sarà dovuta* = plane consequitur, quod, toto pereunte illo capite, pars etiam immissa a Bellonio perire in totum debuerit, omnisque titulus asserti illius ex accomandita crediti evanuerit.

Fieri etiam poterat, ut ipse, præter 2
accomanditæ caput amissum, refundere deberet creditoribus ex illa argentaria negociatione utilia accomanditæ, quæ, dum bene procedebat, percepisset, cum accomanditæ creditoribus satisfieri debere, nedum ex accomanditæ capite, sed etiam ex ejus utilibus certissimum in jure sit, ut tradunt *Zanck. de societate par.* 1 *Cap.* 9 *num.* 13, *Osach. decis. num.* 150 *num.* 9 *Urceol. Decis.* 47 *num.* 1 *et seq. Bonfin. Decis. Florent.* 22 *num.* 13, et firmat *Rot. in Decis.* 606 *num.* 11 *coram Merlin. Decis.* 402 *num.* 8. 9. 19 *coram Dunozzet Decis.* 1375 *num.* 4 *seq. coram Emerix Junior, in Romana Cambii post Torr. var. quæst. tom.* 2 *tit.* 11 *et Decis.* 1 *num.* 8 *Decis.* 2 *num.* 4 *et Decis.* 3 *num.* 11. 12 *post eumdem, et Dec.* 125 *num.* 22 *seq. post Urceol. de transact.* Quare Acquaronii; qui eos creditores proprio ære dimiserunt, creditum contra Bellonium, ob utilia ab eo percepta, proponere potuissent, et ideo ejus creditores evadere juxta ctiam rationes ab ipsis expositas in scutis 25000, pro quibus rite suum inscripserunt creditum, et hypothecam. Quid vero de unius, vel alterius, inter ipsum et Acquaronium patrimonium, credito sentiendum, ac definiendum sit haud noscitur, nec nosci potest, antequàm accuratior redditio rationum, ad tramites postremi in hac re S. N. Ordinis rescriptum, per peritum expleatur. Deest adhuc itaque Cavallettio quodcumque adversus illud Patrimonium creditum; quod autem, credito deficiente nulla existere possit hypotheca utpote nulli innixa titulo, et inanis sit ejus inscriptio, non solum cuique naturalis sensus suadet, sed apertissime etiam statuit Gallorum Codex *Art.* 2160 cui adhærent posteriores Pontificum super regimine

hypothecario leges, et passim advertit S. N. Tribunal, et novissime in *Veliterna Deletionis Hypothecæ quoad scut.* 1000. 5 *Maii* 1824 § 3 *coram Me.*

3 Esto tamen, per hypothesim, pro certo tenendum esse, quod ex periti relatione, et explenda rationum redditione consequi debeat, Cavallettium Acquaronii patrimonii creditorem fore declarandum; non idcirco minus justa dici posset Rotalis Sententia, quæ irritam prorsus ac inanem hypothecariam inscriptionem, ab eo peractam esse constituit. Inscripsit enim ipse hypothecam = *per il credito eventuale, che dopo la ricognizione de' Libri, mediante l'opera de' Periti potrà risultare a favore di detto Signor Cavalletti dal rendimento de' conti, e bilancio, che dovrà farsi da detti Signori Acquaroni dell'Accomandita stipolata, per Apoche private degli* 11 *Gennaro* 1793, *e* 17 *Decembre* 1795 *col fu Marchese Francesco Belloni, in forza del Giudicato Rotale confermato dalla Corte di Appello li* 7 *Novembre* 1809 = Expleta hæc inscriptio = *in forza del Decreto Rotale confermato dalla Corte di Appello* = hypothecam judicialem perspicue præsefert; cum nullus alius ejus titulus fuerit allegatus, præter Rotale Decretum, ab Appellationis Aula confirmatum, et judicialem hypothecam sese inscripsisse ipsemet Cavallettius firmiter tuebatur: Hoc posito, *tribus* ex capitibus nulla hæc inscriptio renuncianda est. *Primum,* quia Rotale illud Decretum, utpote non *definitivum*, vel saltem *provisorium*, sed mere tantum *præparatorium*, aut *interlocutorium*, hypothecam tribuere, haud valebat; *dein* quia quo tempore fuit latum, nempe ante invectas in Ecclesiasticam Ditionem Gallicas Leges, et cujuslibet generis Sententiis hypothæca oriri nequibat; *tertio* demum quia, cum res esset de credito incerto, et eventuali, determinatione Summæ debitæ opus erat ad rite, judicialem etiam, hypothecam inscribendam, et hæc crediti determinatio fuit a Cavallettio prorsus omissa.

4 Quatuor Sane inter Sententiarum genera ex Gallorum Jure, in hoc a nostro haud dissimili, earum nempe, quæ *definitivæ* edicuntur, quia Causæ meritum definiunt; illarum, quæ appellantur *provisoriæ*, per quas aliquid decernitur ab Judice, secus a merito, in rebus, quæ dilationem haud patiuntur; et aliarum, quæ sunt *præparatoriae*, utpote eo spectantes ut ponatur = *il Processo in stato, di esser risoluto definitivamente* =, vel sunt *interloquutoriæ*, quibus Judex ante meriti definitionem præscribit = *una prova, una verificazione, oppure un atto qualunque di procedura* = uti statuit = *Art.* 452 Codicis Judiciarii Gallorum, quem explicat, *Pigeau Proced. Civil. tom.* 3 *pag.* 240 *et* 257 *et Analysis Cod. Proced. part.* 1 *lib.* 1 *tit.* 7 *Art.* 1; has inter, inquam, diversi generis Sententias præparatoriis accensendum esse Rotale Decretum, de quo agitur, manifestissimum est. Patet siquidem ex superius expositis in facti narratione, post redditas ab Acquaroniis Bellonio de accomandita rationes, quibus hujus creditores ipsi in scutis *viginti quinque millibus* constituebantur S. N. Ordinem hanc quidem rationum redditionem haud probandam censuisse, sed insimul nil statuisse, ex quo induci posset agnitos fuisse Acquaronios debitores *in genere* Bellonii; demandata namque Perito inspectio de legalitate, vel illegalitate codicum argentariæ mensæ Acquaroniæ, et examen bilanciorum, quæ Acquaronii exhibuerant, si legales libri inventi fuissent, in quibus totum stat Rotale Decretum, a Sententia Emi Cesarei, et illa Aulæ Appellationis confirmatum, nullam præsetulerunt super merito definitionem, neutriusque partis erga alteram, *genericam* saltem, condemnationem; sed eo tantum spectarunt, ut prædictæ definitioni via aperiretur, quæ *præparatoriæ* tantum Sententiæ indoli conveniunt: quare optime in ea Sententia Aulæ Appellationis dictum fuit = *che la sentenza emanata da Monsig. Cesnrei confermatoria del Decreto di Monsignor Bussi è una Sentenza meramente preparatoria, che non pregiudica ai diritti delle Parti, e pone la Causa in stato di esser decisa definitivamente con maggior sicurezza* = Recolenda hic sunt,

ut res clarior fiat, quæ disserunt consultissimæ in hac Causa R. P. D. mei Martinez Decisiones, illa 6 *Junii* 1823 § 4. 5. 6 *et altera* 17 *Martii* 1824 § 2. 3 *et* 4.

5 Inepte vero proponet Cavallettius Rotale prædictum Decretum uti *præparatorium* tantum haberi non posse, quia in ejus confirmatione Sententia Emi Cesarei verbis usa fuit = *dicimus pronunciamus*, *decernimus*, *declaramus*, *et definitive Sententiamus* = hæc enim verba, quodammodo solemnia, in quavis nustrorum Judicum Sententia, etiamsi *præparatoria*, aut interlocutoria, non omittuntur, nec illius Sententiæ naturam immutare valent; eoque minus aliquid addere possunt Judicato priori, quod confirmatur; et Sane hæc Sententia Emi Cesarei præparatorium tantum fuisse illud Decretum agnovit, dum dixit, quod eo = *dilata fuit resolutio causæ dictæ redditionis rationis* =, ac fuit mandatum Perito Curiali, ut = *cognosceret de legalitate, aut illegalitate librorum etc.* = : quod apertius expressit posterior Aulæ Appellationis Sententia. Nec prædicti Decreti mere præparatoria qualitas immutata, vel minimum, dici potest, ex eo quod, reprobatis per illud rationibus accomanditæ per Acquaronios expositis, periculum ipsis imminebat, quod deinceps Bellonii, sive ejus Successoris Cavallettii, debitores declararentur; in eodem namque discrimine eo Decreto positus fuit Cavallettius, quod ipse, ex nova per Peritum explenda rationum dispunctione, sese Aequaroniæ mensæ debitorem in Scutis etiam *viginti quinque millibus* renunciatum audiret; et adhuc quidem ignoratur, an id reapse eveniet.

6 Posito itaque in facto præparatorium tantum fuisse Judicatum, in cujus vim assertam hypothecam Cavallettius inscripsit, certissimum in jure consequens est, quod nulla prorsus hæc fuit inscriptio, quia judicialem hypothecam desumere ex eo Judicato non poterat ipse, cum ex Gallorum Codice sub *Art.* 2123. statutum fuisset, quod = *l'ipoteca giudiziale deriva da Sentenze definitive*, o *provisorie, proferite, tanto in contradittorio, che in contumacia a favore di chi le ha ottenute* = Quamvis vero expresse sancitum non fuerit, quod judicata *præparatoria, aut interlocutoria* eam hypothecam tribuere haud valebant, tamen id virtualiter, ac satis aperte in ea legis dispositione continebatur, cum unius inclusio necessario ferat alterius exclusionem. Accedente præterea legis ratione, quæ est hypothecam oriri tantum posse ex iis judicatis, quæ aliquam secum ferunt condemnationem, uti sunt *definitivæ*, ac *provisoriæ* Sententiæ; quod optime explicat Pontificia hypothecaria Lex, Gallicam sequuta, quæ *Art.* 24. disponit = *Le Sentenze contradittorie*, *o contumaciali definitive*, o *provisorie, che portano condanna di somma certa, o incerta forniscono il titolo, per stabilire l'ipoteca giudiziale, e danno dritto a prendere l'iscrizione su i fondi del soccombente* = Sententiæ vero *praeparatoriæ*, ac *interloquutoriæ* nullam unius, vel alterius partis condemnationem important, et ideo nullam hypothecam, aut jus, quod inscribi possit, tribuere valent; sicuti solidissime ratiocinantur superius citatæ in hac Causa *Decisiones*, optime concludentes prædictum Rotale Decretum, et Judicata, quæ illud confirmarunt, nullam hypothecam, ac nullum, quod posset inscribi, jus Cavallettio suppeditasse; *prima* nempe §. 4. 5. 6. 7. altera §. 5. 6.

Nec prodest Cavallettio ad eam *Art.* prædicti 2123. partem confugere, qua statuitur, quod hypoteca judiciaria = *deriva parimenti dalle ricognizioni, o verificazioni fatte in giudizio delle sottoscrizioni apposte da un Atto di obbligo steso in scrittura privata* = Primum enim inscripsit ipse, non in vim = *delle ricognizionioni*, o *verificazioni fatte in giudizio* = per Acquaronios apocharum accomanditæ, et ex iis deducti asserti eorum debiti, sed in vim prædicti = *Giudicato Rotale confermato dalla Corte di Appello* =, quod procul dubio debitores haud constituebat ipsos Acquaronios. Præterea nulla affertur, vel afferri potest probatio, quod Acquaruni in judicio eas apochas recognoverint, eoque minus, quod debitores exinde sese de- 7

claraverint; dum immo sese creditores Bellonii contendebant in Scutis 25000. Gallorum vero Judiciarius Codex *Art.* 193. *et seq.* recognitas, ac verificatas scripturas in judicio dici posse negabat, deficiente Sententia, quæ hoc declararet, aut veras eas esse definiret; quare hoc etiam titulo judicialis hypotheca oriri haud poterat ex illo Civilis Codicis Gallici *Art.* 2123., nisi post Sententiam super recognitione, aut veritate scripturæ, quæ una Sententia inscribendi jus tribuebat credituri eam afferenti Scripturam, uti, præter alios Gallos Doctores, tradunt *Pigeau Proced. Civil. pag.* 492., *et Ferrier Dictionair. de Pratique Mot Hypotheque.*

8 Accedit etiam ex alia, eaque validissima pariter causa nullius roboris fuisse judicialis hypothecæ inscriptionem, de qua agitur. Quia nempe Rotale Decretum, in cujus vim inscriptio fuit expleta, nullam tribuere Cavallettio hypothecam poterat, cum ante Gallicas invectas leges incognita prorsus esset hypotheca *judicialis*, juxta Romanas Leges, quæ vigebant, dum die 22. Februarii Anni 1808. illud prodiit Decretum; siculi, sepositis, quæ traduntur per Gallos Jurisconsultos *Guicardium*; *Merlinium*, *Persilium*, plerosque alios, docet, *Comaill. in novo tractatu de hypothecis Sect.* 3. *de hypotheca judiciali Art.* 254. post *Voet. in Pandect. lib.* 20. *tit.* 2. *num.* 32. *Guidopap. Decis.* 26., *Ranchin. Add. Mant. Const. Foren.* 123. *num.* 29. *tom.* 2., *Zanch. de Prælat. credit. Exercit.* 4. §. 2. *n.* 18., et firmavit *Rot. Decis.* 643. *num.* 12. *coram Caprara Decis.* 99. *num.* 10. *coram Thomato*, ac nuperrime constitutum fuit ab Eodem S. N. Tribunali per Rem Judicatam in *Romana Deletionis Inscriptionis*, præviis duabus Decisionibus, prima *diei* 7. *Maii* 1821. §. 11. *et seq. coram nunc Emo Serlupi, et confirmatoria* 3. *Junii* 1822. §. 7. *et sequen.*, quæ de hac re ex professo agunt.

9 Quin aliud sentiendum sit ex eo, quod Rotale illud Decretum, ac ea Sententia Eminentissimi Cesarei confirmata fuerit a posteriori Aulæ Appellationis Sententia, lata die 7. Novembris 1809., dum Gallicæ Leges excquutoriæ erant factæ, unde dicendum sit inscriptam hypothecam ab hac posteriori Sententia ortum habuisse. Cum enim in gradu Appellationis aliqua confirmatur Sententia, jura partium metienda sunt a legibus, quæ vigebant de tempore, quo ea Sententia prodiit, non vero ex illis postea supervenientis, ac obtinentibus, dum Sententia confirmatoria fuit edita, nam = *Secundum Leges, quæ obtinebant tempore latæ Sententiæ prædictam Appellationis causam examinari, et terminum secundum ipsas accipere* = Statuit Justinianus *Nov.* 115. quam exornant *Matth. Stephan. in eamdem Novell. num.* 1. *ad* 5., *et Donell. Lib.* 28. *Cap.* 9. *num.* 5. Præcipue vero quoad *judiciales* hypothecas id esse ex Gallorum jure tenendum optime tradit, ac demonstrat *Pothier. Trattat. dell'ipoteca Cap.* 1. *Art.* 2. Si itaque ex *Art.* 2. Decreti = *della Consulta Straordinaria* = diei 4. Julii 1809. Superius relati constitutum fuit, quod = *gli Atti, e contratti stipolati anteriormente al primo Agosto prossimo, che in virtù delle Leggi precedenti costituivano rango, ipoteca, e privilegio, conserveranno li stessi diritti, e prerogative, purchè siano iscritti nel termine di nove mesi* =, manifestissimum est inscribi non potuisse hypothecam ex actubus, illud Decretum præcedentibus, e quibus nulla hypotheca desumi poterat; quia idem Decretum, non novas ex veteribus actis hypothecas induxit, sed veteres jam inductas ex iis actis id præstare valentibus, ope inscriptionis, conservari posse constituit. Inaniter ergo inscripsit Cavallettius judicialem hypothecam ex veteri Rotali Judicato, a quo oriri illa non poterat; uti doctissime disserunt, ac merito firmant præcedentes in hac Causa Decisiones prima §. 8. 9. altera §. 6.

Inscriptionis demum judicialis hypothecæ nullitatem extra quavis dubitationis aleam ponit defectus determinationis valoris asserti crediti, quæ pro forma substantiali requirebatur, ut valida esset inscriptio hypothecæ, in hypothesi etiam a nostro themate cæteroquin, ut superius demonstratum fuit, 10

prorsus aliena, quod ex Judicatis competeret, cum res esset de credito incerto, ac eventuali. Præscripsit quippe pluries memoratum Decretum diei 4. Julii 1809. sub *artic.* 4., quod ad veteres servandas hypothecas earum inscriptio fieri deberet = *Sulla semplice esibizione dei Speechi prescritti dall' artic.* 2148. *del Codice Napoleone* =, excepta tantum necessitate = *di esibire la spedizione del titolo* = Geminæ vero notulæ juxta hunc Codicis Articulum exhibendæ, præter cætera, explicare debebant = *l' importo dei crediti, capitali espressi nel titolo, o valutati dall' iscrivente riguardo alle prestazioni, o ai diritti eventuali condizionali, o indeterminati nei casi in cui questa valutazione sia prescritta* = Statuebat autem *Art.* 2132 ejusdem Codicis, quod = *se il credito risultante dall'obbligazione è condizionale relativamente alla sua esistenza, o indeterminato pel suo valore, il creditore non potrà chiedere l'iscrizione, che sino alla concorrenza di un valore giusta la stima, che egli espressamente dichiarerà, e che il debitore avrà ragione di ridurre, se vi sarà luogo* = Cum itaque prætensum Cavallettii creditum adversus Acquaronios adeo eventuale, et incertum esset = *relativamente alla sua esistenza* =, et adeo = *indeterminato pel suo valore* =, ut a redditione rationis tantum, periti ope explenda, dignosci posset quæ, inter partes, alterius esset creditrix, vel debitrix, et fieri etiam posset, ut Cavallettius, nedum Acquaroniæ mensæ nullius summæ ex Accomandita creditor declararetur, sed immo ejus debitor renunciaretur, ad scuta etiam usque 25000, siculi superius fuit demonstratum, manifestum est hypothecariam inscriptionem ab eo expletam fulciri debuisse expressa ejus declaratione putativi valoris asserti illius crediti, sine qua esse haud poterat = *valida l'ipoteca* = ex citati *Art.* 2132. sanctione.

11 At obiicit hic Cavallettius summæ crediti determinationem injunctam citato *Art.* 2148. fuisse non generatim, sed = *nei casi, in cui questa valutazione sia prescritta* =, articuli vero 2132. disposiiionem respexisse tantum ad hypothecas *conventionales* ex creditis manantes eventualibus, et indeterminatis, exinde suadere studens prædictam *valutazione* demandatam nunquam fuisse in inscriptione hypothecarum *judicialium* pro illiusmodi creditis. Perperam autem quia hujus objecti futilitatem plura ineluctabiliter evincunt. Principio sane animadvertendum est ea verba = *ne' casi, in cui questa valutazione sarà prescritta* = referri debere, non ad diversas hypothecarum species, sed ad diversas creditorum qualitates, cum æstimatiu non in quolibet credito, sed in eo tantum = *condizionale relativamente alla sua esistenza, ed indeterminato pel suo valore* = locum habere posset; uti etiam animadvertendum est *Art.* 2148 numero plurali usum fuisse, dum mandavit valoris crediti determinationem, ideoque plures, et non unicum tantum casum comprehendere voluisse, ad firmata per Rotam in *Camerinen.*, *seu Eugubina Census* 13. *Martii* 1741. *coram De Thunn.* §. 6.,; nec idcirco cohiberi potuisse ad solam hypothecam conventionalem, eoque magis, cum subsequens sit *Art.* 2132., ejusque dispositionem explicare, et ampliare dicendus sit, per Rotam in *Recen. decis.* 22. *num.* 33. *part.* 6., *et Decis.* 75. *num.* 11. *part.* 16., *decis.* 260. *num.* 11., *et decis.* 476. *num.* 15. *coram Lancetta, et in Camerinen. Divisionis, et Reintegrationis* 17. *Januarii* 1791. §. 17. *coram Origo.*

Hisce præmissis, cum ab expressis 12
in aliqua Lege, quæ non expressa sunt, deduci debeant, et satis expressum videatur, quod ab expressis necessario sequitur, primum sese offert, ad demonstrandum necessitatem determinationis summæ crediti impositam a Gallico Codice fuisse quoad etiam hypothecas judiciales, citatus *Art.* 2148. qui. præter eam valoris significationem, aliaque, exegit a creditore pro inscriptionis validitate sub §. 5. = *l' indicazione della qualità, e situazione de' beni, su de' quali intende di conservare il suo privilegio, ed ipoteca* =; continuata vero oratione addidit = *quest'ultima disposizione non è*

necessaria ne'casi d'ipoteche legali o giudiziali =. Si itaque ab una tantum indicatione bonorum judiciales, et legales hypothecæ exemptæ, quod earum inscriptionem, fuere, validissimo argumento, a contrario sensu desumpto, evincitur eas hypothecas subjectas fuisse omnibus aliis substantialibus formis superius expressis, ac ideo valoris in determinati crediti significationi: hoc vero argumentum a contrario sensu eam pro legum intelligentia vim habet, ut pro expresso habendum sit, quidquid ex eo colligitur, uti optime statuit Rota coram *Durano decis.* 455. *num.* 54. Res clarior fit ex dispositione ejusdem Codicis in *Arti.* 2153. Videntes namque illius redactores hypothecas legales ex præcedentibus articulis subjectas manere, haud secus ac conventionales, et judiciales, quoad credita eventualia, et incerta necessitati determinationis illarum summæ; ac animadvertentes privilegiatam qualitatem personarum, quibus eæ competunt. hypothecæ, uti etiam indolem creditorum, pro quibus eædem tribuuntur, cum pleromque sint eventualia, incerta, ac nedum indeterminata, sed fere etiam indeterminabilia, earum inscriptiones specialiter exemerunt a significatione valoris crediti, dum, quibusdam formis pro earum etiam validitate constitutis, statuerunt prædicto *art.* 2153 in ipsis explicari debere = *la natura dei dritti da conservarsi*, *l'impartare del valore quanto agli oggetti determinati*= expressim addentes= *senza obbligo di determinare quelli*, *che sono condizionali*, *eventuali*, o *indeterminati*=, quæ taxativa exceptio, cohibita= *all'ipoteca meramente legale* =, firmavit procul dubio regulam in contrarium ad *Text. in leg. nam quod* § *final.* ff *de pecun. legat.*, *Card. de Luca de Benefic is. disc.* 62 *num.* 7. *Farg. de Jurepatronat. par.* 2 *can.* 27 *cas.* 14 *num.* 13., *Monacell. Form. leg. Tam.* 2 *tit.* 13 *form.* 2 *num.* 55., *Pitan. de Contrav. Patron. allegat.* 33 *num.* 7 *seq.*, *et Rot. passim*, *præsertim in Dertonen. Beneficii* 4. *Junii* 1742 § 3 *seq. coram Molino*, *Romana affictus* 23. *Junii* 1752 § 4 *coram Cortada*, *Romana Dotis* 11. *Januarii* 1760 § 17 *coram Paracciano*, *et in Setina Cappellaniæ* 25. *Januarii* 1760 § 11 *coram Carnelio*; ex quo consequitur, inscriptiones cujuscumque generis hypothecarum, modo mere legales haud essent, obligationi exprimendi creditorum valorem obnoxias declaratas fuisse.

Apertissime etiam colligitur ex eodem Art, 2153 præcedentes articulos 13 super inscriptionum forma, et præcipue determinatione summæ creditorum, omnes comprehendisse hypothecas nullo earum genere excepto; si namque ad conventionales tantum spectassent, haud opus erat legales postea specialiter excipere; ac praeterea absurdum esset admittendum, quod, si judicialium hypothecarum inscriptiones regi quoad formam haud deberent ex dispositis per Art. 2148 nulla quoad eas lex existeret, et potuissent a creditoribus pro arbitrio, et ad libidinem expleri, dum de conventionalibus egisset Artic. 2132 et de legalibus Artic. 2153. Accedit demum paritas, et identitas rationis quoad Summæ crediti determinationem in inscriptione hypothecarum, tam conventionalium, quam judicialium: cum in utrisque necessaria sit ea determinatio, ut constet quousque valor bonorum, quæ hypothecis obnoxia sunt onerari possit ex creditis incertis; et eventualibus, ne plus æque debitori restringatur contrahendi facultas, et tertio cuique ignotum sit quantum illi in negociis cum eo forsan, et saepe etiam fere necessario, gerendis, fidere possit. Hinc unanimi sermone Gallici Auctores, Tribunalium etiam Judicatis innixi, tradidere summæ determinationem pro creditis = *eventuali*, *condizionali*, *indeterminati* = substantialiter requiri ad validitatem inscriptionum hypothecarum, etiam judicialium *Guichard Jurisprud. hypothecar. art. Evaluation*, *Merlin. art. Inscription.* § 11 *in Reperritoe*, *Pothier delle ipoteche tom.* 2 *pag.* 397. *Grenier trattat. delle ipothe-*

che Edit. Neapolit. tom. 1 *pag.* 287, *et tom.* 2 *pag.* 190 191. *Gherard. art. Exigibilite* § 5 *et Pigeau. Proced. Civil. tom.* 6 *pag.* 236. *Edit. Florentin.*

14 Sentit horum vim Cavallettius, et ideo ad primo sequutam, dein vero prorsus per ipsum abjectam, defensionis methodum rediens, proponit sese, nedum judicialem, sed, et conventionalem ex accomandita ejusque apocis hypothecam inscripsisse. Inaniter vero. Quippe ex accomandita hypotheca inscribi haud poterat; inscripta non fuit, et si inscripta admitteretur, inutilis hæc etiam fuisset inscriptio. Non poterat *primum* inscribi, quia nullum Cavallottio ex accomandita creditum proponere licebat ante rationes illius inter ipsum, et Acquaroniam mensam rite dispunctas: nam hæc accomandita, ob conventam lucrorum participationem, societatem præseferebat, ad magistraliter perpensa, et firmata *in Thesaur. Ombrosian. Tom.* 12. *Decis.* 25 *num.* 35, ac ideo nulla utilia ex eo sibi Bellonius, Cavallettii auctor, addicere poterat, nisi ea prursus ad terminum perducta, collatoque cum utilibus damno per *Text. in leg. Mutius* 30 *ff pro socio*; *leg. quod si* 42 *ff eod. Felic. de Societate cap*, 13 *num.* 13, *et* 14.; *Paulut. Dissert.* 68 *num.*64.; *Ombros. Thesaur. tom.* 2 *decis.* 37 *num.* 84, *et Rot. in Fulginaten. Societatis* 11 *Januarii* 1723. *absque eo quod coram Crispolto*; ex quo fit, ut, cum accomandita in ejus posteriori periodo male cesserit, Bellonius, sive ejus successor Cavallettius, præter accomanditæ caput ammissum, renunciari possit Acquaronii patrimonii debitor, quia huic, quod accomanditæ creditores proprio hæredi misit, restituere cogatur utilia, accomandita perdurante, dum ea bene procedebat, percepta, siculi superius § 8 9 fuit demonstratum. Non fuit dein inscripta, quia inscriptio fuit expleta non = *in forza delle Apoche* 11 *Gennaro* 1793 *e* 17 *Decembre* 1795, = Sed = *in forza del Giudicato Rotale confermato dalla Corte d'Appello* =, sicuti postrema constituit in hac Causa Decisio § 3 7 8. Etiamsi *demum* inscribi ex accomanditæ apocis potuisse, et ex his inscriptam fuisse admitteretur, nulla haec esset inscriptio, quia ageretur de hypotheca conventionali ex incerto, et indeterminato credito, quæ ex expressa sanctione *art.* 2132 stare nequiret, deficiente explicatione valoris crediti; qua in re omnes cunsonant in hac causa editæ Decisiones, quamvis prior a binis posterioribus dissentiens *prima* nempe § 10. *Secunda* § 9 *tertia* § 7.

Quidquam nec proficere unquam poterit Cavallettius, dum suadere studet 15
Gallici Codicis præscripta aptari non posse inscriptionibus veterum *generalium* hypothecarum, quæ ante ejus promulgationem ortum habuerint, quia ea præscripta spectant ad hypothecas in posterum quærendas, nec in eo Codice quidquam dispositum videtur quoad eas anteriores hypothecas, et quia nulla lex præteritis negociis formam dare potest. Verum quidem est Codicem hunc qui in Galliis prodiit anno 1804 ac Romæ exequutorius fuit factus a die prima Augusti 1809 novis tantum, ac futuris hypothecis prospexisse, non autem præteritis; sed verum etiam hisce anterioribus hypothecis fuisse jam in Gallis provisum per legem 11 Brumalis anni 7 sive 2 Novembris anni 1799 statuentem has hypothecas inscribendas esse binis exhibitis notulis juxta articulos ejusdem legis 17, 21 quibus nominatim jubebatur, ut creditor exprimeret » *l'ammontare dei capitali, ed accessorj* =, exceptis ab hoc tantum hypothecis legalibus; atque etiam eximentem eas hypothecas anteriores, quæ generales essent, ab obligatione tantum creditoris inscribentis » *di specificare la natura, e la situazione dei stabili* = Recte igitur Gallicus Codex de anterioribus quibuscumque hypothecis siluit, cum ad earum conservationem, et inscriptionis formam quid fieri deberet jam illa Brumalis lex constituisset. Decretum vero » *della Consulta straordinaria* = die 4 Julii 1809 Romæ editum, dum *art.* 4, quoad inscriptionem veterum hypothecarum, servan-

dam præscripsit dispositionem *art.* 2148 Codicis Gallici, nullo discrimine facto inter speciales, ac generales, has eximens postremas ab indicatione tantum bonorum eis subjectorum, omnibus illis veteribus hypothecis aptavit, ne dum omnia Gallici Codicis præscripta, sed illa etiam legis Brumalis.

16 Cum sit igitur evidens inscriptionis formam, ad veteres servandas hypothecas, desumendam esse a Gallici Codicis præscripto, inutiliter contendit Cavallettius illius Codicis dispositionem cohibendam esse ad hypothecas conventionales speciales, non vero protendi posse ad generales, qua Gallicæ leges non admittebant. Ad omnes enim, tam speciales, quam generales hypothecas respexit prædictum Decretum 4 Julii 1809., dum eas inscribi mandavit ad tramites *art.* 2148. Gallici Codicis: immo magis ad generales, quam ad speciales respicere debuit, cum notissimum esset veteres contractus fulcitos fere semper fuisse obligatione Camerali, quæ generalem inducebat super omnibus præsentibus, ac futuris debitorum bonis hypothecam; quare indubium est illud voluisse, quod forma in eo *art.* 2148 constituta servaretur in veterum generalium hypothecarum inscriptione. Id clarius fit ex eo, quod illud Decretum prorsus adhæsit superius relatæ Legi 11 Brumalis pro veterum hypothecarum inscriptione, quia art. 4 eam exemit, ut haec lex in art. 40., quoad omnes indistincte hypothecas, a « *Spedizione del titolo del credito* »; ac art. 7 ut eadem lex art. 43., quoad hypothecas tantum generales, ab « *obbligazione di descrivere nè la natura, nè la situazione de'beni stabili* » Hae binæ vero dumtaxat exceptiones a formis pro veterum generalium hypothecarum inscriptionis validitate præscriptis cum fuerint a legibus tributæ, addi nunquam potest, et alia, ab obligatione nempe declarationis summae crediti. Et reapse hanc summae declarationem necessariam fuisse in veterum generalium hypothecarum inscriptionibus ex Gallicis legibus tradunt Galli Doctores, praesertim *Grenier. in tract. de hypoth. Edit. Neap. tom.* 1 *p.* 284 *et seq. signanter part.* 1 *Cap.* 1 *sect.* 2 § 2 *num.* 85 *et Guichard. legislation hypotecaire tom.* 1 *pag.* 384.

Hanc autem summae crediti declarationem in generalium etiam hypothecarum veterum inscriptionibus omitti non posse perspicuum est ex potissima ratione, quod determinatio valoris creditorum ad hypothecarium regimen recte instituendum, servandumque maxime pertinens, cum ex ea patrimoniorum status innotescant, magis necessaria est in *generalibus*, quam in *specialibus* hypothecis, quia hæc unum, aut quædam tantum prædia afficiunt, illæ omnia debitorum bona obnoxia sibi faciunt: hinc debitori magis prodest notum fieri quid gravet sua omnia bona, quam borum aliquod, vel quaedam tantum, ne praeter modum contrahendi facultas ipsi intercipiatur; magis utilis est *tertia* cuipiam, qui cum eo contrahere velit, aut debeat, quia, quoad *speciales* hypothecas, sat est ipsi, ut sibi in contrahendo prospiciat quoad praedia specialiter affecta, a quibus cavere potest, si nimirum hypothecis obnoxia ea inveniat; quo vero ad *generales*, harum effectus timere potest super omnibus debitoris, quo cum contrahat, bonis, si nesciat quousque super iis extendatur hypothecarum onus. Inepte vero veteres generales ex conventione hypothecas a declaratione praedicta exemptas dicit Cavallettius ad instar novarum legalium, quia pariter generales sunt. Haec namque illi declarationi subjectæ haud fuerunt, non quia generales essent, sed quia id exigebat, ad publicum bonum, earum qualitas, ob difficultatem aestimandi eventualia jura, a quibus oriuntur, et ob conditionem personarum, quae inscribere debent, quae facile ignorare possunt suorum creditorum originem, indolem, ac valorem, uti ad rem disserit *Grenier. loc. cit.* 17

Nullius etiam præsidii esse potest Cavallettio Lex in Regno Italico lata die 25. Octobris 1809., qua sub §. 21 statutum fuit hypothecas generales anteriores = *All'attivazione del Codice Na-* 18

poleone = inscribendas esse pro ipsarum conservatione, ad tramites Articuli 2155., prædicti Codicis, qui de legalibus agit hypothecis, earumque inscriptiones eximit, ut superius dictum fuit, a determinatione valoris creditorum incertorum, et eventualium. Quidquid enim de hac lege sit, novissime a Cavallettio proposita, et cujus integer tenor ad ejus rectam interpretationem efferendus esset, sat fuit Patribus, eam, qualitatem in hypothesi, nullo in pretio habendam illa animadversio, quod Regni Italici leges nil communis habebant cum legibus Imperii Gallici, cui Roma subesse misere debuit, immo ab hisce in pluribus differebant, uti quoad fideicommissa, feuda, emphyteuses, renunciationes mulierum, aliaque perplurima; et quod Romæ hypothecarum inscriptio, ad veteres hypothecas cujuscumque generis servandas, explenda erat ad tramites Decreti pluries memorati 4. Julii 1809., quare si ex hoc Decreto Conventionales veteres, generales etiam hypothecæ inscribendæ erant juxta præscriptum Artic. 2148. Codicis Gallici, in aperto est, Gallicos Legum latores noluisse conventionales veteres hypothecas ad instar legalium habere, uti facere placuit Italis, qui eas inscribendas esse voluere secundum Art. 2153, de legalibus agentem. Nec inquirenda discriminis ratio: sufficit nullam Romæ exceptionem fuisse factam pro veterum generalium hypothecarum inscriptione , quoad determinationem valoris creditorum eventualium , sufficit hanc declarationem quoad illas exegisse prædictum Decretum; cum præsertim omnino adhæsisset sæpius relatæ Legi Brumalis, quæ sicuti superius fuit demonstratum, idem constituerat, ut exinde perneccesse concludendum , ac firmiter tenendum sit eam declarationem in iis inscriptionibus negligi haud potuisse.

19 Quolibet itaque sub aspectu res expendatur manifestissimum semper est, negligere haud potuisse Cavallettium in hypothecæ inscriptione pro asserto eventuali incerto credito hujus valoris determinationem, eaque omissa, inscriptionem nullam prorsus fuisse. Quin recte obiiciatur hanc valoris determinationem non esse substantialem, nec sub pæna nullitatis prescriptam. Quæ namque ad inscriptionum formam pertinent sunt, aliquibus tantum levissimis exceptis , hujus actus substantialia , et nequeunt absque incursus in illius nullitatem omitti , uti omnes tradunt Gallici Doctores , quos inter *Danieli tom.* 13 *pag.* 363. Quamvis vero in iis actam substantialibus præscribendis haud opus sit eorumdem actuum nullitatem expressim indicere ob illorum substantialium defectum ad *Text. in leg.* 5 *Cod. de Legatis* , satis tamen aperte id in themate statuit sæpius citatus *artic.* 2148. Codicis Gallici qui dum dicit indicationem bonorum non esse necessariam in hypothecarum legalium tantum inscriptione, tam eam quam alias formas necessarias, ac ideo substantiales esse, et sub nullitatis pæna adimplendas quoad omnes alias hypothecas, argumento sumpto a contrario sensu, constituit; et art. 2132, quo sancitur, quod = *non è valida l'ipoteca convenzionale, se non in quanto la somma , per cui fu convenuta sia certa dall'atto* =, atque prætcrea quod = *il creditore non potrà chiedere l'iscrizione che sino alla concorrenza di un valore, giusta la stima, che espressamente egli dichiarerà*=:ex quo sequitur, quod, si inscriptio fieri haud poterat absque ea determinatione valoris crediti, ea omissa nulla esse deberet. Hisce cunsonat artic. 46. Pontificiæ Legis super regimine hypothecario secundum Gallicas hac de re leges redactæ, quas idcirco interpretatur, quo *art.* inscriptionum nullitas ob eam omissionem inducitur.

Nil vero magis substantiale in inscriptione hypothecarum ex creditis eventualibus, quam eorum valoris specificatio, ad consulendum, tam debitoribus, quam eis, cui cum ipsis contrahere velint, aut debeant , ut superius perpensum; nil ideo certius ejus omissionem inscriptionum nullitatem secumferre , sicuti præter cæteros , docent *Persil. ad Artic.* 2153. 2148. §. 1. *de la Porte Pandette Francesi Art.* 20

2148. *osserv.* 218. *Merlin. Repertoire art. inscription. hypothecaire* § 11. Nec audiendus est Cavalletius, dum regerit sese per æquipollens formam inscriptionis, quoad summae crediti significationem implevisse, statim accomanditæ apochas, quas quisque apud acta inspicere poterat, enunciavit. Primum namque eis, quæ pro forma substantiali requiruntur, per æquipollens haud potest suppleri, ut tradit *Aceranus Interpret. Juris lib.* 2. *cap.* 3. *sect.* 12., et firmavit Sacrum Tribunal *in Æsina Adjudicationis* 9 *Martii* 1818. *Coram R. P. D. meo Tiberi*; dein ex ea Apocharum enunciativa, atque etiam apocharum inspectione, nedum crediti asserti summa, sed ne ipsa ejus existentia in genere, cui haud poterat cum, ut superius fuit demonstratum, fieri posset, quod Cavallettius ex recte explenda per peritum accomanditæ rationum dispunctione, Acquaronii patrimonii debitor, potius quam creditor renunciaretur, accedente etiam, quod Acquaronii suum contra ipsum ex ea accomandita creditum in scutis *viginti quinque millibus* inscripserant. Pari etiam inanitate ipse propunit suam novarum legum super hypothecario regimine ignorantiam; neminem enim ignorantia juris excusat; ac insuper, dum ipse inscripsit, jam eæ leges omnibus notissimæ erant, ita ut plura afferantur; ac innumera afferri possint exempla inscriptionum formis omnibus religiose servatis, expletarum; nec fieri poterat, ut quud communiter notum erat ab ipso, et ab iis, qui ei in negociis curandis suam præstabant operam, ignoraretur.

21 Melius nec addit sese crediti valorem haud explicasse, quia hic ei erat ignotus. Determinatio enim summæ creditorum eventualium, et incertorum ex sæpissime citato art. *Cod.* 2132. haud fieri debebat adamussim, sed appropinquative, et ex boni viri arbitrio, ita ut debitori potestas esset illius determinationis reductionem petendi. Quod vero sciret ipse prætensum determinare creditum optime demonstravit, dum ante transactionem cum Vaccaria initam, ad omnia Acquaronia bona sibi addicenda, illud expressit in summa scutorum 38500 et ob. 55. Futillimum demum est quod uit in calculo nempe babendam haud esse eam omissionem, quia nullum exinde obvenit damnum Cameræ Generalitiæ Ordinis Prædicatorum, cujus hypotheca posterior erat nec Contio, qui scire debebat, cui se periculo exponeret acquirendo Latifundium *Forno Casale* a patimonio decocti Acquaronii proveniens. Quo namque ad Cameram Generalitiam, cum inscriptio hypothecarum veterum præscripta a legibus esset pro earum conservatione nullitas inscriptionis per Cavallettium expletæ jus illi tribuit in hujus locum subingrediendi adversus Acquaronium patrimonium, ope legitimæ inscriptionis, nec ei hoc jus adimi potest, ad firmata per Rotam in *Narnien. Alimentorum* 17. *Martii* 1824 § 7. *coram R. P. D. meo Tiberii*. Ad Contium vero quod spectat, tuto ipse Latifundium emit, cum vidisset nullum Cavallettium jus desumere posse contra illud patrimonium ex ea irrita, ac inani inscriptione, et vidisset insimul Acquaronium contra ipsius bona prædictam rite expletam inscriptionem pro credito scutorum *viginti quinque millium*, ex sæpius memorata accomandita derivante: maxima itaque ei irrogaretur injuria, et inferretur damnum, si ejus jus super Latifundio, ex emptione ita provide perfecta, in ancipiti poneretur admissa subsistentia hypothecæ Cavallettii,

Satis itaque abunde ex hisce omnibus patet quanta justitia, ac Sapientia Patres confirmationis robur adjecerint Sententiæ S. N. Tribunalis, quæ nullam inscriptionem hypothecæ Cavallettii pro asserto ejus credito declaravit, nec opus est alia persequi, quæ, præter substantialem defectum determinationis illius summæ, ad nullitatem ejusdem inscriptionis inferendam concurrunt omissio præsertim enunciationis temporis, et modi, quo creditum exigi posset. 22

Et ita cum meo etiam suffragio ab universa Aula jus dictum fuit etc. Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

IN RE COMMERCIALI

Lunae 2 *Augusti* 1825.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Praesumitur extinctum creditum anterior, ubi quis urget pra solutione crediti posterioris.*
2. *Solutione ejus quod debetur, omnis extinguitur obligatio* - Et num. 3. -
4. *Exactio nominis cessi in extinctionem crediti cedere debet.*
5. *Testi ancipiti, et qui ne recordari quidem potest utri solverit, nulla fides est adhibenda.*
6. *Qui summam majorem quam sibi debitam judicio postulat, ad expensas judicii damnari debet.*

DECISIO CCXLV.

Joannes Danieli rei frumentariæ in Urbe negociator *die* 3. *Junii* 1822 = apud Juridicum A. C, conventum provocavit ad Cambialem literam scut.300 persolvendam *tum* Joannem Spagnoli, qui obsignaverat = *per valuta ricevuta dal medesimo in tanto Grano di piena sodisfazione* = tum quemdam Aloysium Giri, qui Fidejussor accesserat ad eam obligationem. Lite contestata alteram Danielius adjunxit instantiam postulans solutionem sc. 105 ex Syngrapha, quam idem Spagnolius subscripserat =*per valuta di Rubbia dieci Grano* =. Hujus obligationis in judicium exinde adductæ extinctionem opposuit Spagnolius; quo vero ad alteram sc. 300 sustinuit, se plura debitorum nomina Danielio cessisse ,sed omni probationum genere destitutus dedit Creditori *positiones*. Hisce autem respondens Danielius dum fassus est, summam sc. 278 92 ex nominibus recepisse, adjecit, eam cessisse in alterius debiti extinctionem. Quare Collegiale A. C. Tribunal alterum ex suis Judicibus deputavit, qui opera ratiocinatoris Baraglia super controversia referret. Opere autem absoluto, cum pateret, Syngrapham sc. 105 extinctam fuisse, credita vero sc. 278 91 exacta esse in causam literæ Cambialis sc. 300, condemnatus fuit Spagnolius ad reliqua sc. 21 08 persolvenda, refectis tamen litis expensis per Danielium, qui multo plus debito postulaverat. Atque hæc sententia adeo justa visa, est, ut quæstio ad nostrum Ordinem delata responsum datum sit = *Esse locum solutioni ad formam Sententiæ A. C. extendatur decisio* =.

Duæ siquidem sunt debendi Causæ, 1
quas Danielius affert contra Spagnolium. Earum *altera* oritur ex syngrapha, quam is in summa sc. 105 obsignavit = *per valuta di Rubbia dieci Grano* = quamque se soluturum promiserat = *per li* 22 *Febraro* 1822 = At hanc ipsam obligationem jamdiu extinctam, sublatamqae fuisse ex eo satis adparet, quod Joannes quidam Spezzani jussu, et mandato ipsius Danieli, veluti in confesso est, epistolam scripserit *die* 6 *Maii* 1822 in hæç verba contra debitorem = *Se al dimani Voi non mi saldate la partita di Rubbia cento cinquanta Grano, mi obbligherete registrare detta vostra obbligazione con vostro maggior danno, e valermi delle mie ragioni, come ancora succederà della Cambiale* (scilicet scutor. 300). *Quando saremo al giorno undici*. = Ex hisce enim epistolii verbis nemo non videt, ut si Danielius *sub die* 6 *Maii* 1822. Non modo residuum postulabat alterius crediti minitans se judicio acturum, sed urgebat etiam pro Credito Cambialis, cujus solutionis dies nondum venerat *come succederà della Cambiale, quando saremo al giorno undici* =, necessario fatendum sit, alteram obligationem scutorum 105 jam extinctam omnino fuisse. Aliter enim, dum adeo diligens fuit Danielius pro futuris exigendis creditis, mentionem quoque fecisset de ea sc. 105 obligatione, cujus solutionem jam inde a die 22 Februarii 1820 expletam esse oportebat.

Huic autem argumento, quod per 2
se satis, superque est ad fidem syngraphæ adimendam, accedit etiam te-

stimonium cujusdam Hyacinthi Andreoli, qui cum omnia ferme nosceret negotia inter Danielium, et Spagnolium, ingenue testatus est, eamdem Schedulam jam solidatam, atque extinctam fuisse. Deponit namque, se rogatum ab utroque litigante, ut domi ejusdem Danielii conveniret ad liquidationem dati, expensique ineundam, fuisse præsentem, dum = *fù parlato dei ricapiti esistenti presso il Danieli* = ac propterea vidisse = *che ne rese ostensibili due, uno di sc.* 128 *che in presenza mia* (inquit) *gli fù dal Danieli restituito, e lacerato, e l'altro di scudi* 105 *rimase presso il Danieli, il quale si ricusò restituirlo; ma in luogo di quello voleva restituirgli due taglie di pane accreditato dallo Spagnoli da esiggersi, una mi pare da Pietro Farroni, e l'altra da Pietro Pennacchi, che lo Spagnoli si ricusò ricevere* = Quod si Danielius reapse creditor adhuc superesset ejus syngraphæ sc. 105 inter titulos extinctos illam sane Schedulam non exhibuisset, neque proinde ipsius loco restituere proposuisset = *due taglie di pane accreditato dallo Spagnoli da esiggersi* = Nec quidquam relevat, eamdem schedulam reperiri adhuc penes Danielium. Nam præterquamquod constat, consuevisse Danielium, dum solutione recipiebat, obligationes penes se retinere, illud tamen certissimum est, solutione ejus, quod debetur, omnem perimi obligationem ideoque nullum Danielio competere jus, etiamsi schedulam adhuc retineat.

3 Priori itaque debendi causa e medio sublata, omne Danielii creditum per *alteram* redigitur ad Cambialem literam sc. 300 quam Spagnolius obsignavit = *per valuta ricevuta dal medesimo in tanto Grano di piena soddisfazione* = Verum hanc quoque obligationem jam fere extinctam esse adparet, quia vel ipse Danielius respondens ad *positiones* Spagnolio exhibitas in anteacto judicio coram Collegiali Tribunali A. C fateri non dubitavit, se plurium nominum cessionem habuisse a debitore, ex iisque exigisse summam scut. 278 92. Non aliter igitur, quam justitia duce juridicus A. C conventus Spagnolium condemnavit dumtaxat ad residualia sc. 21 08 ex ipsa Danielii confessione. Perperam enim objiciebatur, nominum exactionem respexisse = *un altro interesse, e precisamente un debito, che aveva la Spagnoli con il rispondente di sc.* 1875 *per Rubbia centocinquanta grano al prezzo di sc.* 12, *e baj.* 50 *il Rubbio* = Ex tota siquidem rei gestæ seriæ manifestum est, fieri nequaquam posse, ut Danielius eam nominum cessionem habuerit in extinctionem hujus crediti. Nam ex syllabo acceptilationum scatet, residuum tritici pretium recepisse Danielium sub die 12 Maii 1822 in summa sc.375.

Contra vero adparet, Spagnolium nomina debitorum cessisse Creditori die 15 Maii 1822 scilicet longe post extinctum tritici debitum. Testis enim est Reginaldus Bui, qui fatetur =*qualmente il giorno* 15. *Maggio fui incaricato di parlare per Giovanni Spagnoli ad un tal Giovanni Danieli soprannominato il Tedesco, il quale sebbene avesse ricevuto il pareggio di Rubbia* 150 *grano mediante il pagamento in contante del residuo di scudi* 475, *tuttavia insisteva per esser pagato di una Cambiale di sc.* 300. *Lo Spagnoli pertanto mi diede istruzione di portarmi dal Danieli insieme con Luigi Giri, e di esibirgli alcune taglie, e note di Crediti, che aveva per il forno all' Orso. Dopo varj discorsi di Danieli accettò dette note, e taglie, ma non ne fece ricevuta, perchè disse volerne verificare la di loro realtà, e rimase infatti di accordo col Giri di andare insieme nei giorni seguenti dai debitori per l'esigenza, e verificazione* = Quare si certum est, plura debitorum nomina a Spagnolio cessa fuisse Danielio, si præterea ea constat, hanc ipsam cessionem sub die 15 Maii 1822 fuisse factam, si demum ex ipsa Danielli confessione adparet, eumdem ex nominibus cessis summam exegisse sc. 278 92 jam dubitari non licet, quin isthæc exactio cesserit non in causam debiti ex tritico jam solidati, sed potius in extinctionem Cambialis literæ, quæ ad huc insoluta manebat. 4

5 Ad hæc convellenda frustra adducit Danielius testimonia Joannis Trivelli, ac Dominicæ, et Cajetani Cecchini, ut probare possit, nominum cessionem factam fuisse, antequam tritici debitum persolveretur. Etsi enim Trivellius, qui alter est ex debitoribus cessis, asseveret, se summam debitam persolvisse ante extinctionem debiti ex causa frumenti, nullius tamen roboris habenda est ejus depositio, quia se solvisse Spagnolio profitetur, non autem Danielio cessionario, cum contra in suis responsionibus ad positiones ipse Danielius confessus est, se reapse, non Spagnolium eam summam a Trivellio exegisse. Si itaque adeo immemor est Trivellius, ut no recordari quidem possit utri solverit, nulla certe ei fides accommodari potest, dum in sua depositione adeo studiose tempus solutionis adjecit. Nec secus dicendum de duobus aliis testimoniis Dominicæ, et Cajetani Cecchini. Etenim dum uterque deponit, se debitores fuisse Spagnolii, summamque debitam persolvisse Danielio, nec quantitatem, nec solutionis diem præcise demonstrant. Præterea Mulier Dominica post non exiguum temporis spatium admitti non potest ad unam potius, quam ad alteram solutionis diem indicandam. Gestis autem Cajetanus dubiam, et incertam scientiæ causam reddit, se nimirum vel a defuncto, vel ab ipsa Dominica id, quod asserit, audivisse. Eaque propter utraque depositio utpote quæ anceps, omnique fundamento destituta, est omnino rejicienda.

6 His itaque positis, cum firmum, immotumque sit, nomina debitorum in Causam literæ Cambialis sc. 300 fuisse cessa, ex iisque exegisse Danielium summam sc. 278 92 merito fuisse condemnatum, censuit Ordo noster, *tam* Spagnolium ad residualem solutionem sc. 21 08 erga Danielium, *quam* hunc ipsum, qui = *dal reclamare il suo credito ha pretesa una somma molto maggiore, per cui lo Spagnoli si è dovuto dispendiare*=ad expensas judicii roficiendas.

Et ita meo accedente suffragio definitum est. Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

Lunae 4 Julii 1825.

ARGUMENTUM

Cessio nunquam praesumitur facta pro soluto, sed pro solvendo. Ac maxime, si nomen sit cessum exigentiae gratia tantum, vel loco cautionis. Nec novatio facta praesumitur, nisi id expresse conventum sit, vel posterior contractus anteriori repugnet.

SUMMARIUM

1. *Quaestio de jurisdictione, et competentia, nullam secumfert absolutionem a debito.*
2. *De crediti existentia in genere ambigi nequit, semel ac liquet ex apoca cessionis.*
3. *Cessionem non pro soluto, sed pro solvendo factam fuisse, praesumptiones, et conjecturae demonstrant.*
4. *Cessio pro soluto, emptionis venditionis vice fungitur.*
5. *Quando nomen debitoris ceditur exigentiae gratia, sive loco cautionis, tunc cessio non est pro soluto, sed pro solvendo.*
6. *Si procurator limites mandati praetergreditur, nihil agit.*
7. *In stipulationibus, ne minima quidem syllaba, ministerio suo vacare debet.*

   Datio in solutum semper excluditur, si discrimen intercedat quoad valorem cessum inter cessionarium, et cedentem - ibidem. -
8. *Novatio non aliter facta censetur, quam si expresse de ea mentio occurrat, vel pacta secundi contractus priori repugnent.*
9. *Talis habenda est cessio, qualem contrahentes initio contractus intellexerunt.*
10. *In valore monetarum aestimando, non norma et aestimatio principis, sed opinio civium, et commercii aestimatio attendenda est.*

DECISIO CCXLVI.

Qui temporum, fortunequæ vicibus jactatus, modo ditissimus modo miserrimus visus est, Marchio Jo. Bottonius Ferrariensis, argenteos nummos *viginti millè*, in sumptuosam salis redemptionem impendendos, a Duce Barcenni Joanne Torlonio, bene nummato Urbis argentario, anno 1818 mutui nomine quæsivit, oblata cessione crediti, quo ille pollere asserebat, erga Germanicum Regimen ad vim usque scutorum

34277 60 pro commeatibus militaribus, ac in Fiscum Pontificium ex Mediolanonsi fœdere anni 1816 translatum. His pactis assentiri Bottonii votis Torlonius constituit, missis ad eum literis die 18 Novembris ejusdem anni; ut nimirum præfatum Creditum sibi cederet Bottonius loco simplicis cautionis sive ad effectum procurandæ exactionis; ut rursus amplum Latifundium in Ferrariæ Territorio situm, et ad eumdem pertinens Bottonium, hypothecæ nexui subjiceretur pro majori Creditoris indemnitate; ut etiam in ære alieno, quod hoc modo contrahebat, Bottonius ipse recenseret veteres quasdam literas collybisticas scutorum *quatuor millium*, nunquam antea solutas, seque debitorem idcirco fateretur in nummis argenteis *viginti quatuor millibus*: ut tandem de nominis cessione conscius fieret Ærarii poblici Præfectus, qui, nisi Torlonius ex eadem cessione reintegrationem obtinuisset, posset, ac deberet eidem satisfacere ope aliarum pecuniarum, quas per id temporis Bottonio ratatim rependere Rev. Camera ex alio titulo tenebatur. Quin imo, cupiens Torlonius bonum animum suppeditandi pecuniam, non verbo tenus, sed factis ostendere, contextim jussit cuidam Marchioni Gozzadinio, cum quo habebat negociorum commercium, ut Bottonio in partem dictorum scutorum 20000, scuta *octo millia* prænumeraret. Propositas has conditiones libentissime accepto habuit Bottonius, datisque ad Torlonium epistolis die 26 ejusdem mensis, grates primum ei de beneficio reddidit, ac paratum sese deinde exhibens mancipando hypothecæ vinculo Latifundio, approbandoque litterarum collybisticarum nomini; atque tam literas Ærario poblico Præfecto tradendas, quam cessionis Syngrapham misit, cujus ope, tum de veritate, tum etiam de satisfactione crediti spopondit.

Cum autem caussari postea cœpisset Bottonius, grave admodum dispendium allaturam fore hypothecam super Latifundio inscribendam, facili negocio ideo obtinuit, ut huic hypothecæ nuncium mitteret Torlonius unique cautionis cessi nominis adversus Fiscum acquiesceret. Qua de re pecuniam pene integram, quam multis precibus urgebat usque a mense Februario insequentis anni 1819. Bottonius accepit, si excipias nonnulla centena, quæ in argentaria Torlonii mensa, ut erat Creditori commodum, numeranda manserunt. Quoniam vero cessionis Syngrapha, cui subscripserat Bottonius, simplicem procurationem ab ejus libitum revocandam continebat, neque satis propterea erat ad exigendum ab Ærario Pontificio creditum, necesse hinc fuit, ut Torlonius procuratorem quemdam Christophorum Inson, Bononiæ degentem, constitueret ad publicas de cessione Fiscalis crediti tabulas cum Bottonio celebrandas. Facultates istæ, quas in scriptis procuratori suo dederat Torlonius, generales erant, et sese referebant ad ea omnia, quæ ad illud usque tempus Bottonium inter, ac Torlonium ipsum acta, gestaque fuerant, quæque in solemniorem formam redigi volebant. Attamen sive id evenerit ex oscitantia procuratoris, sive alia quacumque de causa, hoc certum est, non in eo solum, in tabulis illius anni 1819 die *septima* Aprilis Bononiae initis, tam Torlonii procuratorem, quam Bottonium, peccasse, quod creditum adversus Fiscum, in scutis 34277. 60. antea exageratum, ad sola scuta 23390 05 fuerit imminutum; sed in eo quoque defecisse, quod de sola veritate, ac libertate cessi nominis mentio intercesserit, procul ab ullo pacto, quod realem, integramque ejus satisfactionem cedentis commodo, vel periculo peragendam respiceret.

Cautum nihilominus iisdem in tabulis fuit; ut tereretur Bottonius, si ita Torlonio libuisset, tot libera bona, quot æstimationi responderent argenteorum nummorum *undecim millium*, hypothecæ supponere. Idem rursus Bottonius reliqua illa centena recipiens in argentaria Torlonii mensa, verbis non ambiguis obtestatus fuit, debito argenteorum nummorum *viginti millium* se obnexium esse. His itaque absolutis, cum

ad exigendum ab AErario Fisci cessum nomen animum suum Torlonius advertisset, nil aliud consequi post multas curas potuit, quam nummarias tesseras, ad *nominalem*, veluti inquiunt, valorem scutorum 17139. 41, quæ unicæ verum Bottonii creditum conficere compertum fuit, quamvis in cessionis tabulis ad scuta 23390. 05. illud evexerit. De passa jactura queri acriter cum Bottonio cæpit Torlonius, qui demum videns in irritum cedere urbanitatis officia, sibi consulendum duxit, vadimonio ei constituto apud Juridicum recens abrogatum A.C. Collegium, ubi damnari Bottonium postulavit ad solutionem scutorum *viginti quatuor millium* una cum intorusuriis, seque promptum exhibuit ad expungendos ab hac summa nummos argenteos 4799. 05., quantum scilicet nummariis tesseris ab AErario publico receptis, juxta pro mer calem eorum æstimationem in commercio vigentem, se collegisse professus fuit. Inimica ab illis Judicibus Sententia rejectum provocasse Torlonium juvit ad Sacrum Nostrum Tribunal: interrogati siquidem hodie a me Patres hac dubii formula « *An, et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* » Responderunt » *Affirmative in omnibus, et mandatum esse relaxandum in summa liquidanda.*

1 Ex publici fonte, tam scilicet ex veteribus scutorum *quatuor millium* collybisticis literis, quæ antea remanserant insolutae, quam ex mutuo scutorum *viginti millium* Torlonii creditum descendit. Ut de literis collybisticis sit primum sermo, ab illarum solutione numquam liberatum fuisse Bottonium probant acta judicialia, sive Romæ, sive Ferrariæ confecta, quæ perperam a Bottonio detorquebantur. Romæ enim ob notoriam ejus decoctionem, qui inopia sua inutilia reddebat actoris studia, intermissa fuit lis post Decretum A.C. Ridolfi = *remisit Causam ad listam* = quod sane nullam secumfert absolutionem a debito: coram autem Tribunali Ferrariæ non actum est de controversiæ meritis, sed de jurisdictione, et Judicum incompetentia, ex ea punctim ratione, quod judicium illud pro solutione literarum collybisticarum, jam Romæ inceptum, illic fuerat instauratum. Ex his ergo non constat, hoc Torlonii creditum rejectum ullo modo fuisse. Quidquid autem de illis literis disputari forte potuisset, profecto postquam Bottonius, ob quamdam veluti correspectivitatem, pecuniae, quam mutuam in ingenti summa scutorum *viginti millium* a Torlonio recipiebat tum pluribus epistolis, tum ea præsertim, quam scripsit die 26. Novembris anni 1818 et quæ hæc habet = *Saranno posti a mio debito li scudi quattromila portati dalle vecchie Cambiali* =, propriam obligationem agnovit, ultroque sivit, ut vetus ipsum literarum collybisticarum debitum cum novo mutui debito conjungeretur, non potest jam obiter proprium factum in discrimen adducere, et susceptum semel obligationem amplius improbare.

Ambigi hinc nequit de Torlonii credito in genere in scutis viginti *quatuor millibus*; nam quoad scuta *viginti millia* ab ipso Bottonio numerata nulla est 2
quæstio. Hoc posito quocumque modo consideretur cessio illa nominis Teutonici, sive ea fuerit *pro soluto*, sive potius *pro solvendo*, numquam sane integram satisfactionem hujus crediti scutorum *viginti quatuor millium* inducere potest. Etiamsi summæ quantitas, de qua mentio facta est in cessionis tabulis, præ oculis habeatur, creditor nihilominus superest semper Torlonius in scutis 609 95. Cum enim deberet Bottonius scuta *viginta quatuor millia*, et cum vicissim scuta 23390. 05. cedere professus fuerit, ex brevi aritmetico calculo plane liquet, reliquum esse in prædicta summa scutorum 609. 95. Torlonii creditum. Verum illud ipsum creditum, quod pro scutis 23390. 05. ad se spectare, et in Torlonium transferre Bottonius asseruit, extra controversiam est pro sola summa scutorum 17139. 41. ad cedentem pertinuisse, et pro eadem summa exigi a cessionario potuisse, cum major summa ad quosdam hæredes Persiani ex simili militarium commentuum titulo pertineret.

Hac ergo summa ab ea scutorum *viginti quatuor millium* deducta, credito scutorum 6360. 59. Torlonium potiri calculanti patet, etiam si fingere placeat cessionem *pro soluto* initam fuisse, et unicus schedarum nominalis valor, quanti scilicet apud Principis Ærarium æstimabantur, non quanti revera in commercio schedæ illæ nummariæ venirent, inspiciendus sit. Verum neutrum consistit: non cessio *pro soluto*: non supputatio schedarum ad valoris tramites, pro quo ab Ærario publico tradebantur.

3 Cessionem non *pro soluto*, sed pro *solvendo* fuisse, præsumptiones primum, et conjecturæ; facta deinde omnia quæ contractum ipsum prævivere, atque subsequuta fuere, optime demonstrant. Agebatur sane de fiscali credito, quod antea dixerat Bottonius scuta *triginta quatuor millia* conflare, initisque postea publicis tabulis pro sola summa scutorum 23390 05 concessum ab ea fuit, ac in Torlonium translatum. Cordatus hinc quicumque vir non sine ratione ex hoc summæ discrimine poterat, ne plus etiam cessum nomen in posterum imminueretur, prout revera accidit non aliam enim summam, quam scutorum 17139 41 ab Aerario Pontificio Torlonium retulisse subsequens ostendit eventus, Præterea cunctis notum erat ex Edictalibus legibus hujusmodi nomine dimitti ab Ærario, traditis Schedis nummariis, quæ in bonorum Fiscalium emptionem erogabantur, ac minoris inscripto valore emi, vendique in commercio solebant, ut ipsa transacti temporis experientia, et adjudicationum docuerunt exempla, quæ de bonis Municipalibus annis 1805 et 1806 a Pontificio Regimine, et de bonis Ecclesiæ, et Fisci sub invasione Gallorum gestæ fuerunt. Non est itaque præsumendum Torlonium, qui in rebus, suis agendis navus admodum, cautus, et diligens est, jactare suum voluisse, et obviam ire periculo vel integram summam scutorum *viginti quatuor millium*, vel ejus partem admittendi ex ea cessione *pro soluto*: quod certe ne stultissimus quidem egisset. Sed præsumptionibus potentiora sunt facta, quæ de sola cessione *pro solvendo*, *et ne simplici cautione* actum fuisse perspicue demonstrant.

Antequam enim contractus iniretur, 4
Bottonio pecuniam flagitanti missis ad eum literis die 18 Novembris anni 1818 Torlonius respondit, se non aliter pecuniam daturum, quam facta sibi cessione nominis Austriaci, hypothecæ subjecto latifundio comprehensis in mutuo veteribus collybisticis litteris: monito demum de cessione Aerario publico Præfecto, ut si nihil, aut minus e nomine cesso exigeretur, ad parandam Torlonio indemnitatem tantundem de Bottonii creditis erga Pontificium Aerarium retineret, quantum mutuatæ pecuniæ vim efficeret. Quod si hæc pacta, et cautiones Torlonius reduirebat, ex hoc ipso manifestum est, haud de vera cessione *pro soluto*, quæ emptionis venditionis vice fungitur, sed de simplici cessione *pro solvendo*, quæ ad cedentis commodum, vel incommodum contrahitur, rem agi ab eo voluisse. Nec secus censuit ipse Bottonius, qui præ gaudio inventæ pecuniæ gestiens oblatas omnes, præter latifundii hypothecam, accepto habuit conditiones, et datis paulo post ad Torlonium literis die 26 Novembris illius anni, singrapham cessionis transmisit, in qua tam longe abest, quod emptio venditio, seu cessio *pro soluto* iniri voluerit, ut expressam immo contineat mentionem de procuratione ad exigendum= *onde poi aver ragione del sopra più* = et ipse præterea Bottonius in ea profiteatur, se pecuniam mutuam a Torlonio recipere cum pacto tamen = *di dargli in cauzione per detta sovvenzione il credito verso il Governo, mantenendolo vero, reale, ed esigibile* = itemque = *promettendo della manutenzione, ed esigibilità del detto credito nel più valido modo, obligando perciò la mia persona, e beni.*

Idipsum tertio quoque verbo Bottonius explicavit, dum cessionem, ac mutum Ærario publico Præfecto nuncians, quippe qui sese induxerat = *ad accogliere la cessione del mio credito per* 5

esigerlo per mio conto, ed a supplirmi la somma di scudi ventimila = Timens imo ne quid moræ interponerentur in solutione cessi nominis Fiscalis, atque ut omne a Creditore suo damnum averteret, professus pariter fuit idem Bottonius in epistola ad Ærari Profectum missa sese in cessionis syngrapha hoc in casu obligasse = *di cedere al medesimo altrettanti mandati sulla Rev. Camera, che a me si dovranno a forma del mio contratto, quanti siano sufficienti al ripartimento degli scudi* 24000, *e de suoi corrispondenti interessi* = Conclusit vero epistolam Præfectum ipsum rogans = *onde il Signor Duca nel sudetto caso d' inesigenza, o di ulteriore ritardo venga indennizato di ogni suo avanzo per il sud. titolo sulle provenienze Camerali di mia spettanza* = Ex his ergo omnibus rite inferendum est, non veritatem dumtaxat, et existentiam cessi nominis, sed illius quoque *exigibilitatem* sub amplissima bonorum omnium obligatione Bottonium promisisse, et cessionem *pro solvendo* non vero *pro soluto* fuisse contractam. Explorati enim Juris est, quod, quando nomen debitoris ceditur, et assignatur *exigentiæ* gratia sive loco, et vice cautionis, et cum pacto quod, nisi exactio sequatur indemnitatem præstare cedens debeat, tunc sane non datio in solutum, non emptio venditio sed simplex cessio *pro solvendo* exinde inducatur, cujus omne commodum, ac periculum ad cedentem pertineat. *Salgan. de labyr. credit. part.* 1 *cap.* 10 *num.* 12 *Merlin. de pignor. et hypothec. lib.* 5 *tit.* 1 *quæst.* 5 *num.* 4 *Olea de cess. jur. tit.* 7 *quæst.* 39 *num.* 51 *Rota decis. num.* 16 *cor. Durano, in Romana, seu Januen. Census.* 29 *Novembris* 1776 § 11 *cor. Hærzan. et in Romana regressus* 23 *Junii* 1780 § 3 *cor. Sentmanat.*

6 Nihil autem indoli, et naturæ cessionis *pro solvendo* detrahit, quod procurator a Torlonio Bononiæ constitutus ad simplicem cessionis syngrapham in solemniorem formam, et publicas tabulas redigendam, ita cum Bottonio cessionem ipsam stipulatus fuerit, ut de existentia quidem, et libertate, non de *exigibilitate* cessi nominis Bottonius visus fuerit spondere. Si namque ex iis, quæ huc usque exposita sunt, clare emicat voluntas cedentis, et cessionarii talem cessionem contrahendi, quæ simplicem cautionem contineret, et omne periculum in cedente firmum relinqueret; si mandatum procuræ, cui Torlonius subscripsit, eo unice tendebat, ut quæ antea per formam minus solemnem acta, et contracta fuerant cessionarium inter, et cedentem, plenius executioni committeretur ad tramites ipsius syngraphæ, quam Bottonius Romam miserat: nemo non intelligit, ne per latum quidem unguem a pactionibus, et conditionibus ipsius syngraphæ deflectere tam Torlonii procuratorem, quam Bottonium potuisse. Si quid ergo egit procurator, quod in mandato non contineretur, irritum, nullumque prorsus fuit, perinde ac si gestum non fuisset, cum ex jure notissimum sit, procuratorem, et mandatarium, qui limites mandati prætergrediuntur, nihil agere, et nullum mandati prætergrediuntur, nihil agere, et nullum mandati, quem omnino non obligant, præjudicium afferre. *Leg. Diligenter, et leg. si quis pro eo ff. Mandati, Rot. in recent. decis.* 79 *num.* 1 *et seq. part.* 6., in *Sutrina Jurispascendi* 16 *Martii* 1753 § 5 *cor. Elephantutio, et in Romana Extinctionis Census* 27 *Martii* 1805. §. 5. *coram Tassoni.* Si quis tamen sedulo publicarum rum tabularum contextum expenderit, is profecto videbit, nihil fuisse priori syngraphæ, ac contrahentium menti detractum, solamquo *pro solvendo* cessionem celebratam fuisse.

Nam in iisdem tabulis sese obligavit Bottonius tot libera prædia hypothecæ pro securitate cessionarii subjicere, quot summam argenteorum nummorum *undecim millium* attingerent. Id sane non fecisset Bottonius, nisi voluisset ad tramites prioris apochæ cessionem *pro solvendo* contrahere. Hanc porro prædiorum hypothecam, non modo pollicitus fuit cedens = *per garantire la sopra emessa obligazione della verità, e libertà del detto credito* = ve- 7

rum etiam = *per maggior sicurezza e tranquillità del Signor Duca* =, quæ sane verba vi, et amplitudine sua Torlonii indemnitatem respiciunt, tam ex causa existentiæ cessi nominis, quam ex alia causa *exigibilitatis*; cum præcipue stipulationibus ne minimam quidem, tenuisque, ut inquiunt, syllaba functione, ac ministerio suo vacare debeat. *Leg. Hanc, legem* 22 *ff. decontrahen. empt.*, *Rot. coram Molines decis.* 579 *num.* 26 *coram Falconer. tit. de donat. decis.* 6 *num.* 6 *et in Romana Locationis* 6 *Julii* 1821 § 3 *cor. R.P. D. meo Tiberi.* Potiori vero jure dicendum est, cessionem *pro solvendo* initam fuisse, quia quantitas cessi a Bottonio nominis in scutis 23390 05 nominalis valoris, quæ deinde etiam majus non ex Fisci facto, sed ob culpam, vel certe errorem cedentis pacta fuit decrementum, non respondebat credito Torloniis in scutis *viginti quatuor millibus* auræ argenteæque monetæ. Procul igitur a pacto supplendi quantitatem definientem, nullo modo induci poterit datio indultum, et mutua contrahentium liberatio, nisi contra juris naturæ, et civilis principia summa inter contrahentes inequalitas probetur. Datio enim insolutum semper excluditur, etiamsi modica creditum inter, et rei in solutum venientis valorem intercedat disparitas *Rot. in Eugubina Pertinentiæ Feudi* 3 *Decembris* 1770 § 7. *coram Ratto, in Romana, seu Januen. Census* 9 *Junii* 1820 § 6 *coram R. P. D Meo Tiberi.*

8 Quin juvet excipere, deficientem hanc quantitatem inter creditum cessum, et pecuniam a Torlonio solutam satis compensari ex pretio literarum collybisticarum, quod Bottonius negare jure potuisset. Postquam enim collybisticum hoc debitum Bottonius agnovit, et ratum habuit, et nihilominus simplicem cessionem in Torlonium contulit, sicuti certum est vetus illud nomen non præbuisse causam cessioni *pro solvendo* ab initio; ita multominus præbere potuit postea, et minus etiam efficere, ut pro prætio *viginti millium* scutorum in argentea, aureaque moneta, vilem schedarum mercem in *nominali* valore scutorum 23390 05 in solutum Torlonius ipse reciperet. Cæterum in quolibet dubio, ut minor, quæ fieri possit, jactura innocuo creditori inferatur, præsumendum est cessionem potius *pro solvendo*, quam *pro soluto* initam *fuisse Rot. decis.* 362 *num.* 4 *coram Roxas in Romana Dationis in solutum* 18 *Martii* 1747 §. 3 *coram Camillae. in Romana Evacuationis domus* 30 *Aprilis* 1769 §. 4 *coram Pergen. et in cit. Eugubina Pertinentiæ Feudi* 3 *Decembris* 1770 §. 3 *coram Ratto.* Ex his omnibus corruit unicum fundamentum, cui innitebantur Bottonii defensores, ut cessionem *pro soluto* sustinerent, et ex quo dicebant, publicis in tabulis novatum fuisse quidquid antea in syugrapha cautum fuerat quoad cessi nominis exigibilitatem. Novatio profecto, cui cæteroquin juris præsumptio resistit, non aliter facta censetur, quam si expressa de ea mentio occurrat, vel pacta secundi contractus priori stipulationi repugnet §. *Præterea Inst. quib. mod. toll. oblig. leg. final. Cod. de noval.*, *Rot. decis.* 321 *num.* 5 *coram Olivatio, in Firmana Dotis* 15 *Junii* 1742 §. 6. *cor. Molino et in Viterbien. Fidejussionis* 7 *Martii* 1821 §. 5 *coram R. P. D. Meo Spada.*

Atqui non modo nulla adest in publicis cessionis tabulis vocula, quæ 9
animum novandi præseferat; cum immo ipsæ tabulæ celebratæ fuerint, ut et præcedens syngropha, quæ nudam continebat procurationem ad natum scribentis retractandam, in solemiorem formam redigeretur, et ea, quæ conventa fuerant, religiosius dein observarentur. Non ergo animo novandi, sed ex proposito executioni committendi fuerat antea depactum solemnes cessionis tabulæ initæ fuerunt. Omnem autem privationis exceptionem eliminat, et absurdam reddit indelebile ipsius Bottonii factum, qui reliqua illa centena ab argentaria Torlonii mensa recipiens, disertis verbis declaravit se ea recepisse = *a saldo dei noti scudi ventimila già scritturati a mio debito* = Tam vero non se debitorem illius sum-

mæ scutorum *viginti millium* professus fuisset Bottonius, si factam reputasset cessionem pro soluto, et omne debitum, et creditum hinc inde sublatum, atque dimissum existimasset. Nemo non scit, nullum magis validum in jure dari posse argumentum, quam illud, quod ex proprii oris oritur confessione. *Leg. Generaliter* 13 *Cod. de non num. dec. Angel. de confess. lib.* 3 *quæst.* 11 *num.* 75 *Rot. decis.* 53 *num.* 4 *cor. Ansaldo*: Si ergo publicas cessionis tabulas interpretando ipse contrahens, eorumque auctor Bottonius ingenue cognovit cessionem, non *pro soluto*, sed *pro solvendo* tantum in iis contineri, non docet amplius propriam ipsum agnitionem in discrimen revocare, et talis habenda est cessio, qualis revera est, et qualem inire cedens, et cessionarius intellexerunt, cessio scilicet *pro solvendo*, quæ omne periculum in cedente relinquit.

10 Quoniam denique ex natura, atque ex indole cessionis *pro solvendo* descendit, ut omne ejus commodum, vel incommodum, augmentum, vel decrementum rei cessæ cedentem sequatur; inutile est quærere, an a cessionis pretio *nominalis* valor rei cessæ, vel illius æstimatio vere in commercio vigens expungenda sit. Etsi vero de cessione *pro soluto* agerctur ambiguum non esset, supputationem esse faciendam ad tramites æstimationis rei cessæ in commercio vigentis, quia secus res vergeret in maximam iniquitatem, et cessionarii læsionem, quam jura divina, naturalia, civilia detestantur. Neque dicendum, apud Ærarium publicum tesserarum valorem scutis 17139 41 revera æstimari. Nam in justitia contractuum, et in valore præsertim monetarum æstimando, non norma, et æstimatio Principis, sed civium opinio, et commercii æstimatio attendenda est. *Rot. in Assisien. Læsionis* 10 *Junii* 1805 §. 4 *coram Reverendissimo P.D.Meo Isoard, nunc Sacræ Rotæ Decano*, *in Confirmatoria* 7 *Junii* 1806 §. 4 *coram Eodem*, et *in Romana Contractus* 3 *Aprilis* 1802 §. 3 *coram Eminentissimo Bardaxi*. Ab integro igitur Torlonii credito argenteorum nummorum *viginti quatuor millium* supputandum est id solum, quod a *nominali* tesserarum valore Torlonius ipse referre poterat in proba auri argentique moneta. Cum autem haud satis probatum sit a *nominali* tesserarum valore nummos argenteos 4799 03 tantum assequi Torlonium potuisse; idcirco Patres *mandatum* ei concesserunt in summa liquidanda, ut nimirum aditum Bottonio non præcluderent probandi si quid amplius, præter summam prædictam, ex nummariis terseris Torlonius elicerit, vel elicere potuit. De fructibus nihil statuere Patres consuerunt, quia licet de pecunia nummularii agatur, quæ est semel lucri, et frugifera est, procul ab ulla interpellatione requisitorum Castrensium, de iis tamen solliciti visi non sunt, qui Torlonii causam orabant, nec disputari sub præsenti Dubii formula potest, quæ de credito tantum *in genere* quærit.

Et ita; utraque parte jura sua deducente, dirempta est controversia.

ROMANA PRAELATIONIS

Veneris 28 *Januarii* 1825.

ARGUMENTUM

Qui vult gaudere retractu coactivo, debet praecisam emittere obligationem de aedificando, non ad uberiorem domus commoditatem, sed ad Urbis ornatum. Neque praescripto Gregorianae Constitutionis adimplet, qui aedificare sempliciter promittit *- in tutto e per tutto alla forma della Bolla Gregoriana -*

SUMMARIUM

1. Qui Gregoriana Constitutione quoad retractum gaudere vult, si praesens intra quindecim dies, si absens intra triginta, aedificare promittere debet.

Rursus, qui jus retractus experiri vult, post alios quindecim dies, praetium aedificii retrahendi, vel persolvere, vel deponere debet - ibidem -

2. Emittere praeterea tenetur, qui vult gaudere re-

tractu, praecisum obligationem de aedificando, non ad uberiorem domus commoditatem, sed ad Urbis ornatum.

3. *Qui simpliciter promittit aedificare* - in tutto e per tutto alla forma della Bolla Gregoriana - *non adimplet actui a Constitutione praescripto.*
4. *Solus defectus obligationis aedificandi ad certam summam, certumque tempus, repellit a privilegio retractus.*
5. *Gregoriana Constitutio, si nulla praecesserit notitia contractus, annum integrum retrahenti concessit a die scientiae.*
6. *Re non amplius integra, nullo modo permittitur, ut quis suppleat dispositioni bullae gregorianae.*

   Rescripta Principis, pendente lite impetrata, impune sperni possunt - ibidem -
7. *In quolibet dubio, illud judicium est ferendum, quod magis favet Urbis ornatui.*
8. *Gregoriana Constitutio, praelationem tribuit vicinis, cum minimo tamen civium detrimento.*
9. *Nequit gaudere gregoriana, qui praetextum ex ea quaerit ad lucrum captandum.*
10. *Retrahens ex Gregoriana Constitutione, debet integrum, atque universum praetium ab emptore solutum rependere, aut deponere.*

DECISIO CCXLVII.

Domum cum subiecta laniena, quam Vir Asculi Piceni Patricius, Marchio Seraphim Massei, prope ædes Josephi Vitelli in urbe possidebat in eo vico, qui a celebri caupone nomen sumpsit = *Ascanio* =, anno 1821, die 3. Martii publicis scriptis Instrumenti tabulis, ejusdem lanienæ excercitori Philippo Pancio, divendidit una cum parte alterius domus in via *Laurina*, quam communem habebat cum alio domino, uno constituto pretio argenteorum nummorum *mille tercentum*, quæ inter stipulandum emptor persolvit, exceptis scutis *centum*, quæ sibi retinuit ad ædes ipsas instaurandas. Tutissimum se Pancius arbitrabatur, et rem suam se libere, ac quiete possessurum sperabat; dum quidam venditor ventrium, qui aderat in ea vicinia, conditionem Josepho Vitelli proposuit augendæ pensionis a scutis *quinquaginta quinque* ad annua scuta *centum septuaginta*; si a domo Pancium extruderet, eamque sibi locaret. Nec Vitellio displicuit oblatio, qui secum animo reputans, ut res bene succederet, jus *praelativi* retractus exercere ex auctoritate famigeratæ Constitutionis S. M. Gregorii XIII, vadimonium Pancio constituit coram Tribunali A. C. *viginti* post menses a die celebrati contractus, die nimirum *octava* Novembris insequentis anni 1822, ac petiit, ut ipse diem, ac tabellionem stipulationis ostenderet. Annuerunt Judices A. C. Vitellii votis: hic autem, postquam perspectam, pleneque cognitam habuit ædium emptionem venditionem inter Pancium ac Massejum absolutam, die 3. Februarii anni 1823 nummos argenteos *mille biscentum* primum deposuit apud argentariam mensam S. Spiritus, interpositoque deinde Procuratore apud acta declaravit, sese uti velle Gregoriana Constitutione, ac ad ejus tramites se promptum exhibuit = *a migliorare, ed abbellire le sudette case in tutto, e per tutto a forma della Bolla Gregoriana sul prelativo retratto* =.

Novum hinc judicium instituit coram A. C. Triumviris, ac præferri, et potiorem. haberi postulavit in emptione venditione ædium adversus Pancium, simulque protulit locationis conductionis apocham cum viscerario illo Petro Angelinio confectam, ex qua protestatus fuit = *del lucro cessante, e danno emergente, per non poter effettuare la locazione progettata dal detto Angelini* = Actione a Judicibus A C. rejecta, provocavit Vitellius ad Sacrum Ordinem nostrum, judiciique alea conversa, Rotalem Sententiam obtinuit, quam obsignavit R. P. D. meus Pianetti, binis præeuntibus Decisionibus dierum 12 Januarii, et 5. Aprilis superioris anni, quarum alteri adjectus fuit *modus*, ex quo brevem terminum Vitellio præstituere Patres Domini censuerunt = *ad effectum exhibendi ornatum, quod in suae retrahendaque domo facere intendit, adjecta insuper declaratione, ad quam summam intra quod tempus, et sub qua paena ad aedificandum sese ipse obstringat* = In hoc judiciorum discrimine, appellatione a Pancio interjecta, res iterum deducta est, mihi commissa Caussa, ad Sacrum Auditorium, ubi in Co-

mitiis diei sextæ Decembris nuper elapsi, scissis in utramque partem suffragiis, acciti ad controversiæ definitionem fuere *Quintus*, et *Sextus*. Hodie tamen, eum de viribus Rotalis Sententiæ disceptatum fuerit, non ex animi incostantia, sed ex meliori Gregorianæ Costitutionis interpretatione, atque ex illa docilitate, et justitia, qua spectatissimum Sacræ Rotæ Tribunal apud exteras quoque Gentes commendatur, æquum putarunt Patres de opinione propria decedere, ac assuetæ dubii formulæ respondere = *Sententiam esse infirmandam* =.

1 Gregoriana porro Constitutio incipiens = *Quae publice utilia* =, dum Urbis ornatui, ac ædificiorum elegantiæ prospiciens jus retrahendi tribuit vicinis, ne res ad iniquitatem vergeret, certas imposuit conditiones, certasqae formas præscripsit, quibus non impletis jus exercendi retractus omnino corruit. Prima conditio est, ut vicini de venditione moniti = *aedificaturos promittant, praesentes scilicet intra quindecim dies, absentes vero intra triginta* = Altera rursus conditio est, ut ipsi vicini, qui jus retractus experiri volunt, post alios *quindecim* dies pretium ædificii retrahendi persolvant, vel deponant, ac disertis verbis denuo caveant = *de ædificando ibi ad certam summam, certumque tempus, ac sub certa poena, prout a Magistris viarum præscriptum est* = Secus namque, si huic formæ implemento, quod potissimam constituit legis conditionem, vicini non satis faciant, voluit Pontifex, ut = *venditio cuicumque facta maneat, et rata sit* = At in utraque conditione defecit Vitellius. Et ad primam quod attinet, perperam ipse mandavit Proruratori ut nomine suo caveret = *di voler migliorare ad ornato della Città di Roma le case comprate dal Signor Panci* =, ac perperam etiam idem Procurator, inutilia verba addens, apud acta retulit declarationem, ex qua juratus asseruit = *Ch'esso Signor Vitelli buonificherà migliorerà ad ornato della Città le Case vendute* = itemque = *che l'Istante intende migliorare, ed abbellire le saddette Case* =.

Cum enim Gregorius XIII., qui auctor fuit celebris illius Constitutianis, non alia de causa hoc privilegium vicinis concesserit, nisi ut Urbem tali pacto amplificaret, ejusque decori consuleret; hinc plane sequitur, ut ii omnes, qui hoc privilegio utuntur, expresse teneantur eidem Legi parere, ac distinctam, et præcisam obligationem emittere de ædificando, non ad ulteriorem Domus commoditatem, sed ad ampliandum exteriorem Urbis ornatum, veluti in hac materia retractus animadvertit tam Rotale Consilium in *Romana Retractus Prælativi* 5. *Septembris* 1800. §. 5. *coram Morelli*, quam Sacer Ordo in cofirmatoria 23. *Martii* 1803. §. 3. *coram Resta et in Romana Prælationis* 12. *Martii* 1823. §. 3. *coram R. P. D. meo Tiberi*. Hanc vero formam a constitutione præscriptam haudquaquam implevit Vitelli Procurator, ea verba declarationi suæ adjiciens = *in tutto, e per tutto a forma della Bolla Gregoriana* =, quasi hæc relatio habita ad Constitutionem supplere valeat legem de emmittenda obligatione ædificandi. Nam dum Constitutio mandat ut a vicinis obligatio fiet de ædificando ad Urbi ornatum, id profecto mandat, ac jubet, quod est *positive*, ut inquiunt, ac *specifice* agendum, non generalibus verbis promittendum, quæ æquipollere nequeunt expressæ obligationi de ædificando, etiamsi ac referant ad Constitutionem. Reque vera qui pollicetur = *migliorare, ed abbellire* = is obligationem suscipit tuto coelo diversam a formali obligatione legis de ædificando, ac contrarium omnino spondet. Ut enim ipse docet communis loquendi usus, ædificari dicuntur ædes, quæ a fundamentis excitantur; meliorari autem, et exornari, quæ jam sunt ædificatæ.

Exornantur imo ædes per frontis incrustationem, aut per meram expolitionem opere Albario, et aliis hujus generis, quin aliquid fiat ædificationis, nec unum laterem faber cæmentarius apponat. Quocirca, qui non spondet se fore ædificaturum, sed expoliturum ædes promittit, et contrariam, ac absurdam relationem addit = in *tutto, e per tutto a forma della Bolla Gregoriana* =, 2

non utique formam implet, quia si forma Constitutionis in ædificatione consistit, expressim omnino, et adamussim præstari per Actorem debet obligatio de ædificando. Ludit autem verbis, aut Legi videtur illudere, quia contraria ejus obligatio = *di migliorare, ed edificare, ed abbellire* =, quamvis relationem ad Constitutionem contineat, non aliud tamen significat, nisi actorem in eo esse vel callido consilio, vel inepto errore, quem plures habent imperiti, ut putent fucum fieri posse Constitutioni per quodvis ornamentum, ac meliorationem, ædificatione posthabita, quam cæteroquin Pontifex unice spectavit. Verum non impletur Constitutio, nisi actus impleatur a Constitutione præscriptus. Ea quippe, quæ præscribuntur *pro forma*, modum, et ordinem perficiendi actum inducente, adeo specifice debent adimpleri, nec per æquipollens suppleri possunt, ut despecta leviter forma, actus ipse corruat, et tamquam nulliter gestus pro non facto habeatur, *Rota in Rec. decis.* 124. *numer.* 42. *part.* 6. *decis.* 188. *numer.* 9. *part.* 15., *dec.* 21. *num.* 21. *part.* 19. *decis.* 235. *numer.* 12. *cor. Duran*, *et in cit. Romana Retractus Prælativi* 23. *Martii* 1823. §. 6. *et* 7. *cor. Resta*.

4 Nec minus defecit Vitellius in implenda conditione altera Gregorianæ Constitutionis, ex qua vicinus intra alios *quindecim* dies interponere tenetur cautionem aliam magis distinctam = *de ædificando ibi ad certam summam, certumque tempus, ac sub certa pœna, prout a Magistris Viarum præscriptum fuerit* = Quamvis enim pecuniæ depositum ante tempus sine causa confecerit Vitellius, hanc tamen alteram cautionem omisit, prorsusque pessumdedit, ut non inficiabatur. Cum autem Gregorius XIII. in Constitutione sua aperte declaraverit retractus privilegium non alii se velle concedere, quam ei = *qui intra utrumque dictorum, terminorum prædicta impleverit* =, jam illud manifeste patet, solum defectum obligationis ædificandi ad certam summam, certumque tempus, ac sub certa poena sat esse ad repellendum Vitellium ab exercitio juris retractus, prout constantissima semper fuit sententia tam Tribunalis Plenæ Cameræ, tam Sacri Nostri Ordinis, de qua scite disserit *cit. Decis. in Romana Retractus Prælativi* 23. *Martii* 1803. §. 9. *cor. Resta*. Hac vero literali Gregorianæ Constitutionis sanctione perculsi Vitellii defensores irrito studio reponebant nunquam vicinis Pancium denunciasse an vellent nec ne præferri in emptione venditione ædium, ideoque vicinos ipsos integrum annum habuisse a die scientiæ ad legis formam implendam.

Sed observatione dignissimum erat, 5 emptionis venditionis contractum plene cognovisse Vitellium, cum primum damnatus fuit Pancius ex Sententia Tribunalis A. C ad exhibendas Vitellio tabulas Instrumenti. Semel ac igitur præteriit ab eo tempore annus a Constitutione Gregoriana præfinitus, quin obligationem suam ædificandi ad certam summam, certumque tempus, et sub certa pæna Vitellius emitteret, cecidit illico idem Vitellius a jure petendæ prælationis. Gregoriana præterea Constitutio, si nulla præcesserit notitia contractus annum quidem integrum a die scientiæ præfinivit ad exercendum jus retractus; ex quo potest vicinus ultimam quoque anni diem expectare. Si tamen intra annum vicinus prælationem petat, et nuncium mittat beneficio temporis, tunc statim rumpitur annus, ac decurrere incipiunt dies *quindecim* in utrumque finem, tum solvendi, aut deponendi pretium, tum interponendæ cautionis de ædificando ad certam summam, certumque tempus, ac sub certa pæna, quæ duo eodem intervallo expleri debent. Id namque non modo præstant ea verba Constitutionis = *Siquidem aliquo ipsorum intra dictum annum petente, seque, ut prædictum est, obligante ad ædificandum, et pretium emptori restituente, alioquin pretium ipsum deponente, venditio si facta censeatur* =; quæ sane ex natura, et vi relationis idem significant, ac si præcedentia omnia nominatim fuissent expressa; verum id etiam suggerit ipsa ratio legis, ex qua absur-

dum esset, ut is, qui rite interpellatus fuit, *quindecim* tantum dies babeat ad prælationis jus exercendum integro autem anno fruatur ille, qui licet non interpellatus judicium tamen movet emptori ad scientiam suam probandam, quæ gravior est omni interpellatione.

6 Simul ideo conveniunt Doctores una cum Tribunalibus, prælatione semel intra annum petita, ab boc privilegio actorem decidere, si intra *quindecim* dies aut depositum pecuniæ negligat, aut novam cautionem de ædificando prætermittat *Card. de Luc. de servit. disc.* 101 *numer.* 3 *et seq. Vermigliol. cons.* 414 *numer.* 3, *Pacichell. de distant. in vat. Camer. post. vol.* 53 *num.* 17, *et seq.*, *Rota in Romana Prælationis* 18 *Martii* 1822 § 11 *cor. R. P. D. meo Spada.* Cæterum tam exploratum erat peccasse Vitellium adversus utramque conditianem a Constitutione Gregariana retrahenti præscriptam, ut secunda Decisio coram R. P. D. Meo Pianetti edita, et subsequens Rotalis Sententia ab eodem obsignata brevem terminum ipsi Vitellio præstituerint ad emittendam cautianem de ædificando ad certam summam, certumque tempus, ac sub certa pæna. Re tamen non amplius integra, nullo modo permittendum est, ut in præsens id expleat Vitellius, quod jamdiu erat agendum, cum præcipue ex Constitutione ipsa, quæ conditionibus non impletis, mandat, ut = *venditia cuicumque facta maneat, et rata sit* =, jus Pancio quæsitum sit ad cantractus observantiam. *Rot. in Rec. decis.* 173 *numer.* 23 *part.* 4 *tom.* 1. Si enim in quocumque judicio ita sunt dirimendæ controversiæ, quemadmodum erant tempore contestatæ litis, adeout ipsa quoque Supremi Principis Rescripta, super interpretatione legum, pendente Lite, ab aliquo ex litigantibus impetrata a Judicibus impune contemni debeant juxta *Novellam* 113 cui titulus = *In media litis non fieri sacras formas, aut sacras jussiones* = ac Regulam XVIII Cancellariæ, de qua loquitur Sacer Ordo *in Romana seu Januen. Aperitionis Oris* 15 *Maii* 1820 § 9 *cor. Emo Bussio*, *et in Ferrarien. Exequutionis Contractus* 23 *Februarii* 1821 § 16 *cor. Eodem* =, multo magis id servandum est, dum agitur de forma legis intra præstitutum terminum sub pæna caducitatis implenda.

Quo cum perducta sit quæstio, et 7
violatam fuisse Legis formam liquido constet, non oportebat sane quæstionem aliam expendere, an scilicet in casu etiam *mixto*, in quo plure ædes sub, uno eademque contractu fuerint comprehensæ, locum sibi vindicet Gregoriana Constitutio. Nihil ea sane disponit ad casum mixtum. At in quolibet dubio jubet, ut judicium illud feratur, quod magis faveat Urbis ornatui. Quidquid vero dicant aut *Card. de Luc. de servit. disc.* 96 *num.* 13, aut *Rocca disput. Selet.* 164 *num.* 15, plerique Doctores non dubitarunt, quin casus mixtus sub lege contineatur. Sed de hoc tautum disputarunt, utrum ille, qui prælationem petit, ædes omnes, quæ in contractum venerunt, aut damum dumtaxat contiguam emere teneatur, veluti præ cæteris animadvertunt *Corradin. de jur. praelat. quaest.* 13 *num.* 1 *et seq. et Constantin. ad st. urb. annot.* 24 *art.* 6 *num.* 3 *et seqq.* Sacrum denique Tribunal nunquam ex professo hanc quæstianem tractavit, ac peculiariter definivit, et si quando prælationem, ac retractum in casu mixto negavit, in iis sane casibus non agebatur de Gregoriana Constitutione sed, de Municipalibus Sanctionibus, aut de constitutione Pauli III quoad Civitatem Viterbii, aut demum de casu mixto ratione contractus, non autem ratione rei in contractum deductæ. Quod præterea animadvertendum occurrebat, et ad denegandam Vitellio prælationem inter cætera Patres adduxit ingens damnum fuit, quod pati deberet Pancius si lanienam, et domum deserere cogeretur.

A triginta enim, et amplius Annis 8
in eo vico ille lanienam exercet, quam bonestate, industria, labore, ac temporis diuturnitate tam fructuosam, ac frequentem reddidit, ut prima omnium

lanienarum non immerito haberi possit, nec ii desint speculatores, qui facile Pancio numerarent nummos argenteos *bismille* in frequentiae præmium si lanienam cederet. Non impleta autem ab actore Constitutionis forma, valde asperum et inhumanum visum est, frugi, et bonestum patrem familias cogere ad deserendam lanienam, et fructum amittendum laborum suorum, quoties e converso Gregoriana Constitutio prælationem tribuat vicinis = *quoad minimo tamen civium detrimento fieri possit* = Plus etiam abnorme id esset, statim ac ex facto proprio Vitellius probavit, se non alia do causa prelationem postulasse, nisi ob emulationem, atque ut lucrum sibi quæreret cum aliena jactura. Ipse namque, haud provido sane consilio, Syngraphbam locationis conductionis tabernæ, et augmenti pensionis cum viscerario illo Petro Angalino factam exbibuit ex qua de lucro cessanti, damnoque emergenti adversus Pancium solemniter protestatus fuit. At quantum hoc modo Vitellius ostendit se numquam aedificandi animum habuisse, quia manentibus tabernae, ac domus inquilinis, aedificari non potest tantum fini, ac voluntati Gregorianae Constitutionis adversatur.

9 Si quis uuquam profecto Legislator unam aequitatis rationem habuit, ac omnem malitiam, ac cupiditatem lucri captandi ex aliena jactura odio prosequutus est, is certe fuit Gregorius XIII qui veteres hac de ra Sanctiones abrogavit = *quia nimis late a Judicibus interpretatae causam injuriae quamplurimis pauperibus inferendae praebuerant* = et novam non aliter tulit, nisi, ut = *magnifica aedificia jampridem inchoata* = Ad Vandalicas devastationes reparandas melius perficerantur =*quoad minimo tamen civium detrimento fieri possit* = Dedit ideo praelationem vicino, qui vere aedificare vellet: non ideo tamen hoc privilegio eos donavit, qui praetextum ex Constitutione sua quaerant ad lucrum captandum, sed ei tantum qui, necessaria, aut saltam congrua ductus occasione aedificandi in aedibus propriis opus absolvere nequeat, nisi vicini domum occupet, ut ex duabus contiguis domibus unam excitet elegantiorem *Rota decis.* 427. *numer.* 1 *et seqq. cor. Merlino, et in Romana Praelationis* 12 *Martii* 1828 § 5 *cor. R. P. D. Meo Tiberio*. Caeterum non posset Vitellius, etsi maxime vellet, in prædictis ædibus aedificare, nisi utramque diruat, et rursus aedificet. Jam bene siquidem convenit una domus cum alia, atqne adeo eadem est utrisque frontis descriptio, eaedem suggrundae, ut unam domum efficiant. Quod vero potissimum est, maxima sunt aedes ipsae soliditate, nec carent concinno aspectu, qualem privatornm aedes habera possunt veluti cniqua intuenti patet, et referebat etiam Peritus Architectus a Pancio adductus.

10 Non modo itaque requirebant, sed jure suo exigebant haec omnia ut jus praelationis Vitellio denegaretur. In eumdem nihilominus scopum conspirabant alia etiam plura, in quibus pariter defecit ipse Vitellius, quippa qui non impensas stipulationis deposuit, nec integri pretii depositum fecit. In emptiona quidem venditionc aedium scuta *centum* sibi ax pretio retinuit Pancius ad easdem aedes instaurandas. Sed non ideo licitum erat Vitellio bujus Summae Depositum spernere; cum ex Gregoriana Constitutione debeat retrahens integrum atquo universum praetium ab emptore solutum rependere, aut depositi loco relinquere. Poterat tantum cavere na ea summa traderetur, nisi probaret Pancius in instaurationum causam revera cessisse: Quod tamen minime fecit. Praeterea ea scuta *mille biscentum*, quae solum deposuit Vitellius, non libere fuere relicta loco depositi in creditum Pancii, sed imo in creditum ipsius Vitelli deponentis. Ut igitur, attenta dispositiona juris pecuniae ita expletum depositum debitorem non liberat, quia id depositum hoc modo factum cedere nequit loco liberao solutionis: ita quicumque sic pecuniam deponit formae non parit a Gregoriana Constitutione prescriptae,

quae libere pretium deponi jubet. In creditum emptoris ut monet saepe *Cit. decis. Romana Retractus Praelativi* 23 *Martii* 1803 § 4 *cor. Resta* ; His autem positis non decebat sane a possessione rei suae optimum patrem familias exturbare , cum praecipue de eo agatur privilegio , quod Doctores et Tribunalia , nisi in magnum vergat Urbis ornatum , odiosum semper, exorbitans , et stricte intelligendum reputarunt, quia naturalem libertatem vendendi potius uni quam alteri coarctat *Gratian. discept. for. cap.* 546 *num.* 12 *et seq. Pacion. de locat., et conduct.cap.* 27 *numer.* 147. *Rocca disput. jur.select. tom.* 2 *disput.* 160 *num.* 39. *Constantin. ad stat. Urb. Annot.* 24 *art.* 1 *per tot. Rot. decis.* 2 *num.* 4 *cor. Coccino decis.* 173 *num.*16 *cor. Dunozzet. Sen. Decis.* 386 *num.* 44 *et decis.* 437 *num.* 27 *cor. Merlino* =.

Et ita utraque parte jura sua deducente, ac suffragantibus *Quinto, et Sexto*, decisum est.

ROMANA PRAELATIONIS

Veneris 3 *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori . quae confirmatur - DECISIO CCXLVII. -

SUMMARIUM

1. *Qui Constitutione Gregoriana gaudere vult, si praesens intra quindecim dies, si absens intra triginta, aedificare promittere debet.*

   Praeterea, qui jus retractus experiri vult, post alios quindecim dies, pretium aedificii retrahendi, vel solvere, vel deponere debet - ibidem. -
2. *Rursus, qui retractum exercere desiderat, peculiarem de aedificando, non de meliorando ac ornando, obligationem emittere debet.*

   Verba generalia nunquam aequipollent obligationi de aedificando, etiamsi ad Constitutionem referantur - ibidem. -
3. *Si quis non spondeat se se aedificaturum, sed expoliaturum tantum aedes promittat, illudit Gregorianae Constitutioni.*
4. *Quae praecipiuntur pro forma substantiali, per aequipollens suppleri non possunt.*
5. *Maximum intercedit discrimen inter aedificationem, et refectionem.*
6. *Praeter genericam obligationem , retrahens cautionem interponere debet , de aedificando ad certam summam, certumque tempus, ac sub certa paena.*
7. *Nullum , vel a lege , vel a pacto constitutum terminum elabitur in detrimentum ejus, qui legitimo impedimento detinetur.*
8. *Depositum a retrahente , legitime , ac re integra fieri debet.*
9. *Depositum ad commodum deponentis, ex jure ratione non liberat debitorem.*
10. *Excluditur praelatio, si ab aemulatione procedat, vel tendat ad lucrum captandum.*
11. *Lex praelationem tribuit vicinis cum minimo tamen civium detrimento.*

DECISIO CCXLVIII.

Contractus emptionis venditionis ædium una cum subjecta laniena, quas in Urbe ad viam , ut dicunt *Ascani* possidebat Marchio Seraphim Massei Asculanus , et anno 1821 *die tertia* Martii ejusdem lanienæ exercitori Philippo Pancio certo pretio devendidit , causam præbuit contermino , finitimoque aliarum ædium possassori Josepho Vitellio, juxta celeberrimam S. M. Gregorii XIII. Constitutionem, ejus initium = *Quæ publice utilia* , *jus prælatiri* retractus proponendi: Acta primum res fuit coram abrogato Triumvirorum A. C. Collegio; ubi male Vitellii votis exitus judicii respondit . Delata tamen controversiæ cognitione ad Sacrum Nostrum Ordinem , binas in vulgus edidit R. P. D. Meus Pianetti Decisiones prælationem a Vitellio petitam probantes qnarum alteri adjectus fuit *modus* ut intra brevem terminum idem Vitellius ornatum ostenderet in sua, ac alia retrahenda domo faciendum, simulque cautionem , quam omiserat , de ædificando ad certam summam, certumque tempus, et sub certa pæna, prout jubet præfata Constitutio, apud acta referret. Has Decisiones Rotalis excepit Sententia a R. P. D. Meo Pianetti pariter obsignata , a qua Pancius illico provocavit. Tunc iterum conversa est

judicii alea. Mihi enim commissa causa, cum Dominos meos de *Turno* rogassem in Comitiis dici 6 Decembris anni superioris, an confirmanda vel infirmanda esset Rotalis Sententia, anceps hæsit definitio, distractis in utramque partem sufragiis: deinde vero, renovato certamine, propositæ Dubii formulæ responsum est = *Sententiam esse infirmandam* = veluti patet ex Decisione, quam ad diem *vigesimam octavam* Januari hujusce anni publici juris feci. Cum autem obloquendi veniam a Sacri Ordinis humanitate Vitellius impetraverit, hinc oportuit de eadem re Patres Dominos hodie consulere, qui plane perstiterunt = *In Decisis* =

1 Convelli quippe nullo modo potuerunt rationum momenta quibus innititur præterita mea Decisio. Firmum semper manet tum ea non implevisse Vitellius, quæ Gregoriena Constitutio ad exercendum, aut *prælativum aut coactivum* quoque retractum præscribit, tum rursus prædictæ Constitutioni locum hoc in casu non fieri. Jubet enim constitutio, ut vicini de venditione moniti sese =*ædificaturos promittant*, *præsentes scilicet intra quindecim dies, absentes vero intra triginta* = Vult præterea constitutio, ut, qui retractum cupiunt experiri, post alios *quindecim* dies pretium persolvant, vel deponant, iterumque magis distinctam ea occasione cautionem emittant = de *ædificando ibi* ad *certam summam*, *certumque tempus, ac sub certa pœna, prout a Magistris viarum præscriptum est* = Quod si vel priorem, vel alteram ex duplici ista conditione, quæ legis formam constituit, vicinus pessumdet, tunc mandavit *Pontifex* ille, ut = *venditio cuicumque facta maneat, et rata sit* = At vero in utramque re peccasse Vitellium facili negocio evincitur. Nam ipse in mandatis dedit procuratori, ut nomine suo tantum caveret = *di voler migliorare*, *ad ornato della Città di Roma le case comprate dal Signor Panci* = qui sane Procurator, sinonima addens, interposito juramento, apud publicum tabellionem declaravit = *che esso Signor Vitelli bonificherà*, *e migliorerà ad ornato della Città le case vendute* » itemque » *che l'istante intende migliorare ed abbellire le sudette case* » Hoc modo haud satisfactum dici potest *formæ* a Constitutione præscriptæ,

2 Qui porro hoc privilegium induxit ad Vandalorum, Gothorumque devastationes reparandas, et ad Urbem Romam decorandam novis, atque amplis ædificiis Gregorius XIII., prædictæ Constitutionis auctor, is certe voluit, ut ii omnes, qui retractum exercere desiderant, peculiarem de ædificando, non de *meliorando*, atque *ornando*, obligationem emittant. Secus enim eluderetur finis, quem Pontifex sibi proposuit, dum Constitutionem suam evulgavit, et jus retractus vicinis indulsit; Qua de re, si non se ædificaturum, sed ex ornaturum solum ædes a Pancio emptas Vitellins spopondit, nemini dubium, quin legis *formam* spreverit, et legem ipsam in præsidium vocare ad retractum exercendum non possit. Nec quidquam turbant ea verba = *in tutto e per tutto a forma della Bolla Gregoriana* = quæ obligationi de *ornando, ac meliorando* adjecit Vitellii procurator, quæque supplere sane nequeunt omissam ædificandi obligationem. Jubens profecto Constitutio, ut ædificandi cautionem vicinus exhibeat, id jubet, quod est præcise, veluti inquiut, ac *positive* agendum, non generalibus verbir promittendum, quæ numquam æquipollent obligationi de ædificando, etiamsi ad Constitutionem referantur. Contra vero, qui sese *ornaturum ac melioraturum* ædes promittit, obligationem suscipit toto coelo diversam ab obligationem ædificandi, quam Constitutio præscribit.

3 Ut enim ipse docet communis loquendi usus, et germana etiam verbi *ædificare* intelligentis suadet cujus etymon ex verbis constat *aedes et facio*, ædificari ædes dicuntur, quæ a fundamentis excitantur: refici autem, et exornari, quæ jam sunt ædificate, ut testantur lexica *Calepini*, *et Forcellini* præcipue, qui ut ædificationem a refectione distinguat, locum *Ciceronis* affert *ex epist.* 6. *lir.* 2 ad *Q. fratrem*, quæ hæc habet = *Tribus locis ædifico* :

reliqua recocinno = Si quis itaque non spondeat se fore ædificaturum, sed expoliturum tantum ædes promittat, ac absurdam addat relationem = *in tutto e per tutto a forma della Bolla Gregoriana* = hunc quidam, non modo legem violare, sed verbis ludere, eidemque illudere legi planissimum est. Violat primo legem quia, si lex cautionem ædificandi praecipit, hanc adamussim obligationem oportet ab eo præstari, qui retractum exercet. Ludit item verbis, atque ipsi legi illudit, quia diversa ejus cautio *ornandi, reficiendi, meliorandi*, etsi ad Constitutionem omnino referatur, non aliud nihilominus significat, nisi retrahentem in eo versari, vel callido consilio, vel inepto errore, quo plures vivunt idiotæ ut putent fucum fieri posse Constitutioni per quodlibet ornamentum, per meram scilicet expolitionem albarii operis et frontis incrustationem, aut aliis hujus generis, quin aliquid fiat ædificationis, quam cæteroquin unice præ oculis habuisse immortalis Memoriæ Pontificem Gregorium XIII., *spiritus et litera* Constitutionis ostendit. Consulatur præterita mea *Decis. a* § 3 *ad* 5.

4 Evadere ab hac germana, ut vera constitutionis Gregorianæ interpretatione cupientes Vitellii oratores irrito studio autumabat, *primo* haud *sacramentalia* censeri debere praedictae Constitutionis verba, quæ, uti tradita in primæva institutione ita sint semper pronuntianda, nec per alia suppleri valeant; quidquid *deinde* sit apud Grammaticos et Lexicographos, apud Juristas tamen et Jurisconsultos ædificare non modo existimandum eum esse qui novum opus construit, sed eum etiam, qui reficit, ex *Ulpiani* Sententia in *Leg.* 1 § *penult. ff. de mort. infer. et sepulcro aedificando.* Utique *sacramentalia* non sunt verba Gregorianæ Constitutionis; attamen impleta dici nequit Constitutio ipsa, nisi actus impleatur ab ea præscriptus. Ea namque, quæ præcipiuntur *pro forma* modum ordinemque perficiendi actum inducente, speciatim adeo ac distincte debent impleri, nec per æquipollens suppleri possunt, ut actus ipse, forma leviter despecta penitus corruat, perinde ac si gestus nunquam fuisset, veluti firmat prior mea *Dec.cit.* §5. Verum nec Vitellius, nec illius procurator in cautione emittenda verbum ullum ex tot illis, quæ vernacula lingua suppeditat, unquam usurparunt, ex quo ædificandi animum ostenderent, et Constitutioni parendi, sed verbis immo sunt, tam Pontificis menti, quam formæ a Constitutione statutæ contrariis.

Nec in exemplum erat afferenda *Ulpiani* Sententia, ut inde probaretur, ædificare tam illum intelligendum esse, qui ædificium aliquod a fundamentis extollit, quam alterum, qui illud reficit, et reconcinnat. Nam eo loco *Ulpianus* interpretatus fuit Prætoris Edictum, quod jus habenti inferendi mortuum in aliquem fundum vim fieri vetuit « *quominus illi in eo loco sepulchrum sine dolo malo aedificare liceat* », ut sunt ipsa verba ab *Ulpiano* adhibita *in cit. leg.* 1. §. *Praetor ait ff. de mort. infer., et sepul. aedif.* Si hinc jus erat mortuum inferenti sepulchrum ædificare, recte, argumento ducto a *majori ad minus*, Jurisconsultus arguebat, jus etiam dari oportere, ut sepulchrum reficiat. Quamobrem si addidit « , *aedificare non solum, qui novum opus molitur, intelligendum esse, verum eum quoque, qui vult reficere* », non idcirco docuit reficere idem esse ac ædificare, sed vi latioris interpretationis a manifesta legis ratione prefluentis ostendit, servandum quoque esse quoad refectionem id omne, quod Prætor jusserat quoad sepulchri ædificationem. Cæterum maximum intercedere discrimen inter *aedificationem, et refectionem*, non ipsa solum explicat Glossa *ad praedict. leg. verb. reficere*, verum scriptum quoque est *in leg.* 3. §. *Reficere ff. de itin. actuque privat*, et docet *Calvin. Lexic. jurid. verb. aedificare.* Congrua itaque congruis referendo, et rem juxta subjectam materiam intelligendo, recte consequitur, quod Gregorius XIII, dum ædificanti jus retrahendi concessit, ædificationem illam intellexit, quæ vera ædificatio sit, non simplex ornatus, nec ea refectio, 5

quæ vergat ad uberiorem domus commoditatem.

6 At, præter genericam hanc cautionem de ædificando, quæ emitti, debet intra *quindecim* dies a scientia contractus emptionis venditionis, mandat quoque Gregoriana Constitutio, ut post alios quindecim dies pretium solvatur, vel depositi loco, ædium emptore renente, relinquatur, simulque novam, magisque distinctam retrahens cautionem interponat « *de aedificando ibi ad certam summam certumque tempus, ac sub certa paena, prout a Magistris Viarum praescriptum fuerit* ». Cum eutem cautionem hanc aliam prorsus omisisse Vitellium in facto compertissimum sit; Idcirco rite sequebatur a jure retractus exercendi repellendum eum esse ex ipsa Constitutionis censura, in qua non alii retractus privilegium Sacratissimus ille Princeps se velle concedere declaravit, quam ei « *qui intra utrumque dictorum terminum praedicta impleverit* ». Non amplius in præsenti jurium experimento opponebant Vitellii defensores, quod, cum vicinis non denunciaverit Pancius, an vellent nec ne præferri in ædium emptione venditione, integrum propterea vicini ipsi ennum habebant ad Constitutionis formam implendam. Recte enim intelligebant, uti amplius non potuisse Vitellium integri anni beneficio ad hanc secundam cautionem emittendam, semelac intra annum emptionis venditionis contractum agnovit, et præferri postulavit. Ab eo siquidem tempore decurrere cæperunt alii *quindecim* dies posteriori, magisque distinctæ cautioni interponendæ præfinitos, quibus inutiliter elapsis, decidit actor a jure petendæ prælationis, ut observat prima *mea Decis.* 7. *et* 8.

7 Ex facto nihilominus, culpaque Pancii evenisse suadebant Vitellii defensores, si secunda illa cautio de ædificando = *ad certam summam, certumque tempus, et sub certa paena* intra legitimum terminum relata apud acta non fuerit, quia Pancius petitæ prælationi sese objecit, obtestassese quoque promptum, et paratum summam erogare arbitrio Magistratus ab Urbis ornatum. Hinc dicebant, nullum, vel a lege, vel a pacto constitutum terminum elabi in ejus detrimentum pesse, qui legitimo impedimento detinetur. *Leg.* 49. *ff. de condit. et demonstrat. Grasian. discept. forens. cap.* 798. *n.* 5. *Polit. disert. de dic.* 12. *n.* 61 *et Rot. dec.* 813 *n.* 8. *cor. Molines.* Sed inepta nulliusque momenti hæc pariter exceptio visa est. Aedificandi enim declaratio a Pancio in actis exhibita fuit, postquam uterque terminus emittendæ, tum in genere, tum in specie cautioni de aedificando jamdiu præterlapsus fuerat. Præterea si ædes ingredi, easque penetrare Vitellio necessum erat, nec Pancius præstare patientiam volebat, implorare poterat Magistratuum auctoritatem, et stationarios milites præsidio advocare, aut saltem protestationem aliquam apud acta referre, ut jus suum sartum, tectumque servaret. Cæterum nulla afferebatur probatio, ex qua revera constaret Pancium [impedimento fuisse, quominus retrahendas ædes Vitellius perlustraret, quæ tamen ignotæ ei esse non poterant, eum quia extrinsecus a quovis æstimari possunt propter earum exiguitatem, cum habeant = *una sola camera per piano* =, tum quia Vitellius alias ædes cum illis conjunctas possidet.

His vitiis accedebat etiam *nec* integrum fuisse pretii depositum a Vitellio factum, *nec* rite, ac legitime confectum fuisse, *nec* demum stipulationis impensas in eo fuisse comprehensas. 8
Quamvis enim pretium a Pancio solutum ad nummos argenteos *mille tercentum* pervenerit, depositi tamen loco Vitellius reliquit scuta tantum *mille biscentum*. In emptione quidem venditione, inter Massejum, et Pancium inita, scuta *centum* hic alter ex pretio sibi retinuit ad ædes ipsas instaurandas. At non poterat ideo Vitellius hujusce summae depositum impune spernere, dum Gregoriana Constitutio retrahentem compellit ad integrum pretium ab emptore solutum, vel numerandum, vel deponendum. Poterat solum sibi cevere, ne summam illam scutorum *centum* Pancius acciperet, nisi

instaurationes ad eam usque quantitatem expletas ostendisset. Hoc autem omisso, excusari non potest integrae summae deponendae defectus, etiamsi dicas jure depositum renovandi ex eo potiri Vitellium, quod fieri illud debebat, non in primo, sed in secundo termino a Gregoriana Constitutione præfinito, in quo Pancius petitam Prælationem jam cœperat impugnare. Redeunt hic ea, quæ supra animadversa sunt quoad impedimentum, quod Pancium interjecisse contendebatur alteri cautioni de ædificando ad certam summam, certumque tempus, et sub certa paena per retrahentem emittendæ.

9 Si namque, neque verum fuit obstaculum, neque prodesse illud potuisse Vitellio ad interponendam extra terminum secundam cautionem de ædificando, demonstratum est, nemo jam non intelligit exceptionem corruere de jure renovandi depositum, quæ meram sapit principii petitionem, *falsoque* innititur *supposito*. Nec leve illud erat, ea scuta *mille biscentum*, quæ tantum deposuit Vitellius, non libere fuisse relicta loco depositi ad creditum Pancii, sed imo ad creditum ejusdem Vitelli deponentis. Quemadmodum itaque depositum, ad commodum deponentis, non vero creditoris expletum, cedere nequit loco liberæ solutionis, et ex juris ratione non liberat debitorem, ita pariter quicumque depositum hoc modo conficit, haud *formam* sequitur a lege constitutam quæ libere depositum fieri ad emptoris creditum jubet, ut monet præterita mea *Decisio* §. 12 Demum in eo quoque peccavit Vitellius, quod non deposuit una cum pretio sumptus stipulationis. Si enim isti sumptus pretii partem constituunt, quia = *dari non id solum accipimus, quod numeratur venditori, ut puta pretium, et usuras ejus, sed et si quid emptionis causa erogatum est*, = veluti inquit *Ulpianus in Leg. Debet* 27 *ff. de Aedilit. Edict*, illorum certe depositum explere necessario debebat retrahens, qui in locum primi emptoris subrogatur, veluti ac si ipse a principio emisset, et pacta omnia, conditiones, modos, formas, et circumstantias in se suscipit, quibus primum Instrumentum, et venditionis contractus fuit cum primo emptore celebratus *Corradin. de jure prælat. cap.* 5 *num.* 1 *ad* 17 *Gratian. discept. forens.* 460 *num.* 431 *Rot. in Rec. decis.* 396 *num.* 4. *part.* 18

Quæ cum ita se habeant, ambigi 10 nequit, quin formam a Constitutione retrahenti præscriptam Vitellius omnino violaverit. Non minus tamen compertum est, vires suas hoc in casu Gregorianam Constitutionem exercere non posse, etiamsi adimpleta forma a Vitellio fuisset, qui neque voluit, neque posset ædificare. Non voluisse Vitellium ædificare, tempore saltem, quod unum est attendendum, petitæ prælationis, facto suo, et quidem judiciali ipsi demonstravit, dum sygrapham locationis conductionis laniená, et augmenti pensionis cum Petro Angelinio venditore ventrium conscriptam exhibuit, ex eaque adversus Pancium protestatus fuit *de damno emergente, lucroque cessante*. Quisquis enim solo communi sensu fruatur facile percipit, manentibus tabernæ, ædiumque inquilinis, neminem ædificare valere. Etsi item vellet, ædificare Vitellium non posse, nisi utramque domum diruat, ut rursus aedificet, ocularis aedium inspectio suadet, quibus eadem est frontis descriptio eædem contignationum lineæ, iidem fenestrarum moduli, eædem suggrundae, et una demum, eademque symmetria. Non alia propterea de causa praelationem postulasse Vitellium patet, nisi ab aemulatione ductum, et ad lucrum cum aliena jactura captandum, aucta juxta Angelinii pollicitationem pensione a scutis *quinquaginta quinque* ad scuta *centum septuaginta* in singulos annos. Quapropter, non impleta Constitutionis forma, nec locum in hoc themate habente Constisutione ipsa, valde asperum, et inhumanum visum est frugi, probumque patremfamilias, qui a *triginta*, et ultra annis lanienam exercet, et honestate, industria, labore, fructuosam, et frequentem eam reddidit, ab exercitio suae possessionis exturbare.

11 Nam Pontifex Gregorius XIII., unam aequitatis rationem sequutus, ac omnem malitiam, ac cupiditatem lucri quaerendi cum aliena jactura hodio habens, veteres quoad retractum sanctiones abrogavit = *quia nimis late a Judicibus interpretatae causam injuriæ, quamplarimis inferendae praebuerant* = novamque legem non aliter tulit nisi ut magnifica aedificia jampridem inchoata ad exitum perducerentur. Hac de causa praelationem tribuit vicinis, qui vere aedificare velint » *quoad minimo tamen civium detrimento fieri possit.* Quare non illis privilegium concessit, qui praetextum ex Constitutione sua quaerant ad lucrum captandum, sed ei tantum, qui necessaria, aut congrua saltem excitatus aedificandi occasione, opus nequeat absolvere, nisi vicini domum occupet, ut ex duabus contiguis domibus unam extollat elegantiorem, et quae exteriorem nobilitet Urbis ornatum, veluti arguit prima *Decis.* § 11. His propterea constitutis, absonum a justitia, et aequitate fuisset, ut is, qui neque legis formam implevit, neque facere satis Legislatoris voluntati potest, aut voluit, unaque ductus lucrandi cupidine, hanc quaestionem excitavit, Constitutionis privilegio potiretur, quae nisi maximum gignat Urbis ornatum, odiosa semper existimatur.

Et ita; confirmata praecedenti Decisione, accedente *Quinti et Sexti* suffragio, jus redditum est. Utraque etc.

FINIS TOMI SECUNDI